This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

e423.5.14

Harvard College Library

BOUGHT WITH INCOME

FROM THE BEQUEST OF

HENRY LILLIE PIERCE,

OF BOSTON.

Under a vote of the President and Fellows,
October 24, 1898.

1 April, 1899.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA SOCIETATIS JESU

Digitized by Google

Digitized by Google

VITA IGNATII LOIOLAE ET RERUM SOCIETATIS JESU HISTORIA

AUCTORE JOANNE ALPHONSO DE POLANCO
EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE

TOMUS SECUNDUS

(1550-1552)

MATRITI
EXCUDEBAT AUGUSTINUS AVRIAL
via S. Bernardi, 92
1894

Digitized by Google

C 423.5.4
~~HL. 9289~~

APR 11 1899
LIBRARY.

Pierce fund

Digitized by Google

IHS

CHRONICON SOCIETATIS JESU

ANNUS 1550

1. Anno 1550 ineunte, status Societatis hic erat: tres provinciae tantum cum tribus Provincialibus erant designatae. India nimirum Orientalis, cui P. Franciscus Xavier, et Lusitania, cui P. Simon Rodericius, et Hispania, cui P. Antonius Araoz praeerat. In Gallia, Germania, et Italia ac Sicilia, nulla eo tempore provinciarum designatio, nec Provincialis ullus erat constitutus; quamvis enim singulis congregationibus aliquis praeesset, ad P. Ignatium undecumque (qui et Generalis et Provincialis munere fungebatur) scribebant, et litteris tota administratio exercebatur.

2. Residebat autem Societas initio hujus anni in viginti quinque locis, praeter alia quaedam, in quibus nostri, ut ad tempus versarentur, missi erant. In India septem erant hujusmodi loca, scilicet Goae, Bazaini, Cochini, Caulani, Chiromandeli (alio nomine S.[ti] Thomae civitas dicitur) Malacae, et Maluci. In omnibus his locis, praeterquam Chiromandeli et Cochini, Collegia, ubi pueri alebantur et instituebantur, inchoata jam tunc erant; nec alibi quam in India id Collegiorum genus, quod maxima ex parte ex externis constabat, ad promovendum religionis Christianae negotium, admissa fuerant; in insulis Ambuini, et Mauri, et Japoniae, in ora etiam maritima Comurini, sicut Ormuzii, et in regno magni Conghi atque in Brasilia, nostri quidem residere coeperunt; sed nec domicilium certum, nec domum adhuc habebant.

Digitized by Google

3. Provincia Lusitaniae, quamvis numero et facultatibus etiam ad nostros alendos aucta fuerit, duobus tamen in locis, ut anno praeterito ineunte, Ulyssiponae scilicet et Conimbricae, residebat. In Hispania vero in eisdem septem locis, quibus anno proxime elapso, Societas versabatur; scilicet, Compluti, Salmanticae, Vallisoleti, Valentiae, Gandiae, Caesaraugustae, et Barchinone; domum tantum propriam complutenses et vallisoletani hoc anno 1550 habere coeperunt.

4. In reliquis locis, Tybure primo et deinde Panormi, nostri residere coeperunt; caetera, scilicet Romae, Bononiae, Patavii, Coloniae, Lovanii, et Parisiis, ita se habebant ut anno superiori; quamvis paulatim, ut Romae, ita etiam Bononiae, domorum aedificia augerentur.

5. Erant in domo romana initio hujus anni fere quinquaginta, cum tamen plusquam viginti ad varia loca anno proxime elapso missi fuissent; tam multi enim ad Societatis institutum adspirabant, partim Romae, partim aliis in locis, ex quibus Romam, ut admitterentur, veniebant, ut missorum locum succedentes statim implerent. Inter hos autem aliqui litteris variarum facultatum exculti admittebantur, aliqui minus in eis provecti, sed de quibus spes concipiebatur quod eruditionem consecuturi et eam proximis utiliter communicaturi essent. Subsidia autem temporalia Dominus pro sua bonitate deesse non sinebat.

6. Quamvis autem domus probationis a professa nondum separata fuisset, novitiorum nihilominus specialis cura habebatur, et tam illi quam veterani in iis, quae ad proprii amoris abnegationem, obedientiam, et reliquas virtutes, et orationem ad eas impetrandas pertinebant, exercebantur, et bonus odor hujus domus per totam Urbem latissime patebat, et tam apud Summum Pontificem, vita Novembri elapso functum, quam apud Cardinales et alios Praelatos ac saeculares majoris auctoritatis optime Societas audiebat; quod aperte intellectum est cum a collegio Cardinalium aliquid, dum in conclavi adhuc essent, peteretur ex his, quae non admodum facile obtineri solent; non enim id solum, communi omnium consensu, concesserunt, sed multa in Societatis commendationem ac favorem addiderunt; quod cum referret Cardinalis Polus cuidam ex nostris (erat is magnae auctoritatis, et parum abfuit quin in Pontificem eligeretur) dixit se tanti non facere gratiam, quae obtenta fuerat

Digitized by Google

quam existimationem, quam in sacro collegio de nostra Societate conceptam ac significatam viderat. Hujus etiam boni odoris signum erat quod multi antistites et principes etiam ac communitates saeculares in diversis provinciis, aliquos de Societate ad se mitti, sollicite curabant; quamvis paucis satisfieri propter hominum penuriam potuerit [1].

7. Cum puer quidam, in haeresi a primis annis institutus, non solum errores mordicus ipse teneret, sed et alios etiam doceret, ad Cardinales Inquisitores delatus est; quem cum ingeniosum et egregiae indolis viderent, precibus a P. Ignatio obtinuerunt ut ad tempus eum domi retineret et ab erroribus revocare curaret. Acquievit Ignatius et vix octo dies puer domi fuit, cum relictis sectariorum opinionibus et eisdem publice abjuratis, ad Ecclesiae gremium rediit; et cum aliquis ab eo peteret quid potissimum eum movisset ad eam metamorphosim, non tam rationes, inquit ille, quam exempla et mores me moverunt ut illos crederem fidem tenere sanam, quorum vitam tam christianis dignam videbam: unde non solum ad catholicam religionem sed ad statum perfectioris vitae adspirare coepit.

8. Quidam alius hebraeus, quem ut suum legatum alii judaei Romae tenebant, cum ad Christi fidem reductus esset, domi etiam nostrae tempore catechismi, rogatu Cardinalis protectoris catechumenorum, excipi debuit; qui non solum quid esset credendum sed quomodo etiam christiane vivendum discere optabat. Sed et alius quidam adolescens, christianus quidem, sed tam difficili ingenio ac moribus ut nulla ratione in officio contineri posset, pro extremo remedio domi nostrae fuit constitutus; qui perpaucis diebus sic in alium mutatus est, ut vix in eo vel minimus defectus notari posset.

9. Dominicis et festis diebus ante et post meridiem conciones pro more sunt habitae; sed cum ecclesia non magna esset, facile auditoribus implebatur. Confessionibus autem ne quidem

[1] Polancus, *ex commissione* Sancti Ignatii, 3 Februarii 1550, custodi conclavis, in quo electus est Pontifex Julius III.—Tanta penuria rerum omnium premebatur romana Societatis domus ut, cum a Cardinalibus in conclavi existentibus nullum ad has litteras responsum daretur, quarto post die, sexta scilicet Februarii, alterum earum exemplar missum est.—Idem, Patri Laynez Panormum, et Patri Hieronymo Natali Messanam, de modo sublevandae extremae Romanae domus post Patris Codacii mortem penuriae, qua non obstante, et numerus nostrorum in ea domo et labores in proximorum utilitatem in dies crescunt, 25 Januarii.—Similes litterae missae sunt in plures Societatis domos, Hispaniae praesertim et Portugalliae.

Digitized by Google

duplicatus confessariorum numerus satisfacere potuisset. Invisere autem aegrotantes et eis aliquando obsequium ad recuperandam sanitatem impendere, aliquando morientibus assistere et eos juvare, concordiam etiam inter dissidentes conciliare, xenodochiis inservire, aliis subductis ex loco, alios ad haec ministeria submittendo, in monasteriis etiam monialium concionari et quarumdam confessiones cum spirituali fructu audire, romanae domui consuetum erat. Aliqui etiam contra spiritus immundos a nostris adjuti fuerunt; quidam etiam apostatae ad sui ordinis obedientiam reducti; et peccatrices mulieres a statu publicae turpitudinis ad pudicam vitam revocatae; in spiritualibus etiam exercitiis et familiaribus colloquiis non pauci ad Dei gloriam fuerunt adjuti [1].

10. Summus Pontifex Julius III, cum esset Concilii Tridentini legatus, nostris se valde amicum exhibuerat; et postquam ad Summum Pontificatum est assumptus, benevolentiam perpetuam Societati tum verbis tum etiam factis ostendit. Adivit eum P. Ignatius, et cum nostris jubilaei gratiam, ubicumque essent, etiam in Portugallia et in India, Brasilia, et Mani Congo, et Africa, impetrasset, etiam neophytis in illis ultramarinis locis atque omnibus demum christianis ibi habitantibus eamdem concedi supplicavit, id adjungendo: si Suae Sanctitati visum esset. Laetissimo animo id concessit Summus Pontifex, dicens quamdam se restrictionem velle adjungere. Ea autem fuit, quod totam suam auctoritatem in hac parte Societati communicabat, et ut illi ea uterentur in jubilaei concessione prout expedire in Domino judicarent. Et cum addidisset P. Ignatius quae in illis locis remotissimis ad Dei gloriam et animarum auxilium gerebantur, ut erat tenero animo, lacrymas continere Pontifex non potuit, et cum magna animi sui consolatione se id audivisse significavit. Cum autem P. Ignatius spirituales gratias tantum peteret, sponte sua Pontifex de temporalibus mentionem intulit, et cuidam ex assistentibus ut sibi in memoriam id reduceret injunxit. Dixit etiam eidem P. Ignatio, immo et in virtute obedientiae injunxit,

---

[1] Historicae hujus anni 1550 litterae ad omnes Societatis domos Roma missae.—Quas litteras hoc nomine *historicae* designemus, habes in tomo I hujus *Historiae*, pág. 289, nota 1.—Eorum plura quae in hoc n. 9 et praecedentibus continentur reperies in *Historicis litteris* jam in opere *Cartas de San Ignacio* editis sub num. CLXXIX, t. I, pág. 208 et sequentibus. Vide etiam Polanci, *ex commissione*, litteras ad Simonem Rodericium 2 Julii datas.

Digitized by Google

ut quandocumque necessitatem aliquam domus nostra pateretur, ad ipsum recurreret [1].

11. Ad applicandos tamen ecclesiasticos reditus non se admodum propensum ostendebat. Cum tamen Cardinalis de Mendoza ei supplicasset ut capellaniam quamdam, quae septingentos aureos annui reditus valebat, Salmanticensi Collegio nostro applicaret, illam nihilominus Cardinali concessit. Ideo nomine Patris Ignatii significatum fuit nostris, ut uniones hujusmodi ad limitatum tempus vel auctoritate Nunciorum vel Episcoporum tentarent, quia postea facilius unio perpetua impetrari potuisset.

12. Coepit etiam Pontifex satis se alienum a cupiditate ostendere in spoliis removendis et compositionibus moderandis, et ad alios abusus reformandos se promptum, sicuti etiam ad Concilium convocandum, exhibuit. Quamvis autem in anno jubilaei difficilius quibusdam videretur impetrare nostrarum facultatum usum circa absolutiones casuum reservatorum, nostrae tamen Societati liber usus suorum privilegiorum est concessus. Unde P. Ignatius Provincialibus et iis, qui aliis praeerant, non solum concessit facultatem praedictis privilegiis utendi, sed etiam nominandi alios ex his, quibus quisque praeerat, ut eisdem uterentur; quibus sic nominatis, P. Ignatius quaecumque a Sede Apostolica concedenda suis acceperat, communicavit [2].

13. Hoc ipso anno nostrum institutum hic Pontifex, prout apostolicae ipsius litterae ostendunt, confirmavit, et quae declaratione aliqua indigere videbantur, juxta ipsius P. Ignatii arbitrium (qui diligenter singula prius examinaverat) declaravit [3].

14. Hoc eodem anno domum illam, quae olim virginum monasterium fuerat, Caesaraugustae a Conservatore regni, Joanne Gonzalez, erectum et ab eodem auctoritate Apostolica dissolutum, Collegio nostro idem Pontifex applicavit [4].

---

[1] **Polancus, *ex commissione,* Patri Francisco Xaverio, de gratia Jubilaei, 12 Julii. Similes aliae missae sunt ad omnes fere Societatis domos. Earum exempla aliqua habes in t. II operis *Cartas de San Ignacio.***

[2] **Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali, de concessione gratiae Jubilaei, 7 Junii.**

[3] **Polancus, *ex commissione,* Patri Hieronymo Natali, de confirmatione Instituti Societatis Jesu jamjam a Julio III facienda, 7 Junii.—Similes litterae ad omnes fere Societatis domos missae sunt.**

[4] **Polancus, *ex commissione,* Dominae Aldunciae Gonzalez de Villasimplez, de collegio Caesaraugustano et Apostolicis litteris, sub finem Julii. Eidem Ignatius de iisdem, 1 Novembris. Vide annot. infra sub. n. 249.**

Digitized by Google

15. Jam pridem et Pater ipse Ignatius et alii ex primis Patribus optaverant in hoc anno jubilaei Romae convenire, ut de rebus quibusdam majoris momenti ad Societatem pertinentibus ageretur; cum autem P. Simon, qui hoc ipsum expetebat, non facile a Regis Portugalliae curia avelli posset, scripsit Pater Ignatius Regi Portugalliae, ab eodemque enixe postulavit, ut Patri Simoni cum bona ipsius gratia liceret Romam cum aliis Patribus hispaniensibus venire. Scriptum est etiam Patri Simoni ut idem diligenter curaret, cum ipsius praesentia necessaria satis videretur ut, habita sufficienti informatione rerum ad omnes Societatis partes pertinentium, in medium consuli posset de iis, quae universae Societati convenirent; quod si Regi non videretur ne ad breve tempus hoc permittendum, ut tunc aliquos suo loco Simon mitteret, quibus res illius provinciae bene perspectae essent, ac nominatim P. Ludovicum Gonzalez cum P. Georgio Morera [1].

16. Venerunt Romam hoc anno ex Hispania Franciscus Borgia, qui adhuc Gandiae Dux habebatur, ac Patres Antonius de Araoz, Franciscus Strada, Jacobus Miron, Andreas de Oviedo, quibus etiam adjunctus est P. Franciscus de Rojas et Magister Emmanuel de Sa, nondum sacerdos [2]. Cum enim Franciscus Borgia res domesticas composuisset, non solum filias col-

---

[1] Ignatii litteras ad Regem Portugalliae habes in *Cartas de San Ignacio,* t. II, pág. 241, quas cum edidimus, quo die, mense et anno datae fuerint ignorabamus et ignoramus adhuc. Cuidam tamen earum litterarum apographo, saeculo XVII ineunte facto et Romam ex Portugallia misso, quod in rom. Soc. Arch. asservatur, subscriptum videmus annum 1549. Sed, quamvis jam anno 1549 actum Romae fuerit de hac, quam Polancus alibi *congregationem primam romanam* vocat, cogenda; nihilominus has ad Regem Portugalliae litteras, nonnisi post tentata frustra alia media, datas fuisse, scilicet mense Julio hujus anni 1550, prout dictum est in t. II operis *Cartas de San Ignacio,* pág. 242, annot. 2, existimamus.

Litteras autem, quibus Patri Simoni Rodericio injunctum est ut a Rege veniam ad hoc iter romanum impetraret, commemorans Polancus ait: *Scriptum est,* non vero *Scripsit P. Ignatius,* aut quid simile; recte quidem; nam eas litteras non Ignatius sed ex ejus *commissione* Polancus scripsit suoque nomine subsignavit, ut videre est in eodem t. II, pág. 239. Ne tamen quis cum clarissimo Joanne Janssen decipiatur arbitreturque litteras, quas *ex commissione* Sancti Ignatii ejus Secretarius, Polancus, scribebat, minoris esse ponderis et auctoritatis, quam sint illae, quibus nomen suum supponebat Ignatius, meminisse diligenter oportet eorum, quae in annot. 7 (typographi errore est 1), pág. 240, diximus, scilicet, harum ad Simonem litterarum adversarium, a Polanco conscriptum, in pluribus esse manu Sancti Ignatii propria emendatum, immo et auctum. In iis autem, quae addidit, seipsum Ignatius nominat *nuestro Padre,* personam nempe sustinens Polanci, cui demum subsignandam totam epistolam erat traditurus. Sed de hoc fusius pleniusque alibi disseremus.

[2] Recte iis adjungit Orlandinus Petrum de Tablares.

Digitized by Google

locando, quarum alteram primogenito Marchioni Deniae, scilicet, Comiti de Lerma, alteram Marchioni de Alcagnices uxorem dederat, sed etiam filio suo primogenito, qui Marchio Lombay dicebatur, uxorem dedisset, et in administrando ducatu exercitatum, ac magno desiderio Deo serviendi accensum reliquisset, sub Augusti finem, cum adhuc superessent menses octo usque ad tempus relinquendo ducatui praefinitum, iter Romam versus cum his omnibus nostris, quorum mentionem feci, inchoavit; non tamen (ut quidem in votis fuerat) ut Christi pauper, sed adhuc dissimulando animi sui propositum, immo et professionem, quasi ad jubilaei gratiam obtinendam, cum viginti quinque vel triginta equitantibus itineri se dedit; per quamcumque autem Hispaniae, Galliae, et Italiae partem transivit, ubique optimum suarum virtutum odorem et pietatis aedificationem reliquit. Quamvis autem ipse ex intimo ac solido abjectionis desiderio omnem honoris speciem declinare vellet, principes tamen et magnates, per quorum ditiones transibat, obviam illi prodeuntes hospitium ei honorificum exhibebant [1].

17. Cum Romam pervenisset, legatus Imperatoris Caroli ac dominus Fabricius Colonna, cum diversorum Cardinalium domesticis, confertissimo equitatu extra urbem illum exceperunt, et domum usque nostram deduxerunt; quamvis enim aliquorum Cardinalium hospitium peramanter ei offerretur, maluit tamen domi nostrae exiguum angulum quam alibi palatia commodissima habitare. Summus Pontifex humanissime eum excepit et Cardinales omnes ac Praelati omnem ei humanitatem ostendebant; nec pauci ex eis visendi causa domum accedebant, nihil adhuc de ejus professione compertum habentes, licet ob insignem cum in aliis virtutibus tum in humilitate splendorem, quem celare non poterat, suspicabantur fore ut nostrae Societati se aliquando adjungeret.

---

[1] Ignatius Duci Gandiae, consolatoriae et officiosae litterae, 15 Jan.—Polancus, *ex commissione,* eidem eadem die, de modo conficiendi iter Romam versus et de iis, quae Patavii, Venetiis, Bononiae, Ferrariae et Florentiae, dum transit, praestare debet Idem *ex commissione,* Patri Andreae de Oviedo, de iis quae Parmae et Genuae, si cum Duce Gandiae Romam veniens illac transeat, curari oportet, mense Julio. Idem eidem injungens ut ex singulis locis in quibus, dum Romam pergunt, aliquantisper subsistent, Romam litteras mittere satagat, 30 Julii. Idem Patri Hieronymo Natali de adventu Ducis Gandiae Romam, mense Novembri.—Hujus *communis,* seu *circularis,* seu *encyclicae* epistolae trassumpta in universas Societatis domos missa sunt.—Ducis Gandiae et Patris Antonii Araoz litterae ad Ignatium.

Digitized by Google

18. Cesserat illi P. Ignatius quamdam romanae domus partem, quae templo adhaerens, horto medio ab habitatione aliorum cernebatur, et separatum habebat ostium, per quod externi et admitti ad habitationem et dimitti etiam possent, non perturbata domus nostrae quiete; quotidie nihilominus cum P. Ignatio et aliis familiariter agere poterat; et omnibus profecto, etiam in religione veteranis, magnum suae abnegationis ac obedientiae ac solidarum virtutum exemplum praebuit. Nondum tamen omnibus domesticis ejus professio, immo nec propositum innotuerat, quamvis ex abundantia cordis aliqua in ejus vultu et verbis signa cernerentur. Et ut ex multis unum referam, cum aliqui ex Patribus Societatis cum P. Ignatio in ipsius cubiculo coenaturi essent, advenit ex improviso ipse Dux una cum filio, Domino Joanne de Borgia, Reynae Comendatarii, quem secum ut itineris socium adduxerat, et uterque parvulo linteo succintus pro more coenantibus inservire voluerunt, ac prius manibus aquam infundere; illud tamen, quod consuetum non erat, addebant, quod capite aperto et cibos offerebant et potum. Cum autem, peracta coena, in refectorium, immo et in culinam, ad abluendos discos ire vellent, P. Ignatius suspicatus id facturos esse, ministro domus injunxit ut simul cum aliis in ambulatorio, quo ad refectorium eundum erat, eos exciperet et exspectare juberet: interim alii domestici, tam conferti ambulatorii exitum obsederunt ut perrumpere in culinam non valentes in P. Ignatii cubiculum coenaturi redirent. Nec solum exemplo, sed verbo etiam et colloquiis, tam externis quam domesticis spiritualem aedificationem magnopere praestabat; nam praeter spiritus gustum, doctrinae etiam talentum non vulgare prae se ferebat.

19. Antequam Romam perveniret, cum Ferrariam ad Ducem Herculem, sibi genere propinquum, invisendum se contulisset, de Collegio in illa civitate instituendo egit; unde jam exinde de loco quaerendo et de subsidio pecuniario ad nostros alendos praebendo Dux Ferrariae cogitare coepit.

20. Januensem Archiepiscopum ad Collegium Genuae inchoandum, Bononiae autem legatum ad promovendum quod directum *(sic)* erat, hortatus est; tantumdem Florentiae cum Duce et Ducissa, quae ipsi etiam sanguine conjuncta erat, de instituendo Collegio tractavit, et ut quam citissime mitti possent ali-

Digitized by Google

qui aut Pisas aut Florentiam cum eis constituit. Romae etiam de Collegio erigendo agere serio coepit, et ad id inchoandum quinque vel sex millia ducatorum reliquit. Supplicavit etiam Summo Pontifici ut tria millia ducatorum annui reditus eidem Collegio applicari vellet, quorum media pars ex reditibus ecclesiasticis esset; in his ecclesiasticis difficultas major erat, cum Pontifex ad uniones, ut diximus, non esset propensus; nihilominus usque ad summam illam mille quingentorum aureorum uniri consensit; res tamen effectum non est sortita.

21. Cum angustias templi nostri romani vidisset, onus ultro suscepit novi templi inchoandi, qua de re jam dudum agebatur, sed ante Ducis adventum parum admodum id negotium promovebatur. Adduxit autem Esquilacensem Episcopum, familiae Borgia addictissimum, ut et ipse pium hoc opus adjuvaret. Est autem fundamentum eo praesente effossum et primus lapis positus a praedicto Episcopo Esquilacensi, simul cum ipso Duce ac P. Ignatio. Ipse autem Dominus Joannes, Ducis filius, non satis habebat operas disponere, sed labori una cum quibusdam ministris suis nobilibus se immiscebat, et nunc fundamenta effodiebat, nunc aquam ad calcem temperandam hauriebat. Hujus tamen templi inchoatio progressum non habuit, nec situs ipse, qui tunc electus erat, sed alius longe commodior electus est, ut suo tempore dicetur; charitas autem Ducis apud Deum suo fructu non caruit, cum videret frequentem populi multitudinem non solum ad conciones et lectiones sacras sed etiam ad confessiones admodum excipi *(sic)* cum tantus interdum confitentium numerus accederet, ut confessarios inter se nimium propinquos sedere opus esset, et ne sic quidem accedentibus poterat satisfieri.

22. Concionabantur hoc tempore, scilicet, adventus Domini, dominicis et festis diebus mane quidem P. Franciscus Strada, a prandio vero P. Jacobus Laynez, qui Romam ex Sicilia fuerat evocatus, et id quidem cum doctrina et consolatione auditorum maxima. Alius ex nostris apud Sanctum Celsum, quod templum situm est in loco admodum celebri *(banchos* vocant); alii juniores per plateas populum ad optima quaeque exhortabantur; et circulatores, qui otiosis hominibus in ejusmodi locis futilia verba et res turpes venditare solent, simul atque aliquem ex his juvenibus accedentem videbant, loco cedentes abibant; nam quod a

Digitized by Google

suis auditoribus desererentur experti erant. Et erant ex eis non pauci qui hujusmodi exhortationibus intime compuncti ad confitenda peccata et vitae emendationem et nonnunquam ad saecularem vitam prorsus relinquendam moverentur. Sed de his et de fructu, qui ex spiritualibus exercitiis, ex dissidentium conciliationibus, ex aegrotantium subsidiis, ex procuratis in pauperum usum eleemosynis, et aliis pietatis operibus capiebatur, longum esset in particulari omnia recensere.

23. Erat tunc satis magna eorum multitudo qui in Romana domo habitabant; nam de Societate nostra circiter nonaginta domi erant praeter comitatum Ducis, cujus numerus erat fere circiter viginti quinque hominum. Nostrorum bona pars ex his juvenibus erat, qui, ad Societatis institutum idonei existimati, in probationibus versabantur; erant insuper plerique sacerdotes litteris ac virtutum exemplo clari, qui propter annum jubilaei Romam convenerant; et nonnulli etiam, a P. Ignatio evocati ut cum eis de rebus Societatis universalibus conferret, variis ex locis venerant. Quia tamen arctior tunc erat domus quam ut posset haec multitudo excipi, ante adventum Ducis et aliorum, domunculas quasdam, quae tantum externos habebant muros et tectum, ad nostrorum habitationem, interpositis tabulatis, P. Ignatius concinnari voluit.

24. Cujus aedificii cum ego curam aliquam haberem, et super quodam tabulato incederem, clavis confixas tabulas existimans, ad extremam partem, aliud cogitando, accessi, et simul cum una vel altera tabula in inferiorem partem decidi. Erat autem ea altitudo et lapsus, ut mors consecutura merito videretur. Existimo tamen P. Ignatio hoc Deum concessisse ut nihil prorsus nocumenti ex praecipitio senserim, sed cum me jacentem erexissent, et ego quasi e somno evigilassem, ac me deferre in ulnis fratrum animadverterem, tunc mihi venit in mentem quod cecidissem, ut qui conjectat, et non ut qui aliquid sensisset. Accidit autem hoc pridie ejus diei, quo Dux cum aliis nostris hispanis Romam pervenit.

25. Fuerunt a P. Ignatio constitutiones, quas confecerat et diligenter Domino commendaverat, antiquioribus Patribus propositae, ut si quid ipsis in mentem veniret addendum, vel detrahendum, vel immutandum, Patri Ignatio suggererent; illae tamen Patribus valde probatae fuerunt. Non aderant omnes

Digitized by Google

antiqui Patres superstites, quia variis in regionibus et occupationibus distinebantur, et alioqui vices suas Patri Ignatio ad eas conficiendas jam commiserant, ut ex eorum subscriptionibus constat. Itaque nec P. Claudius, nec P. Alphonsus Salmeron ex Germania tunc vocati fuerunt, nec P. Paschasius Bononia, nec P. Bobadilla ex Calabria. P. Simon ex Portugallia non hoc sed sequenti anno pervenit, et tam ille quam alii absentes, sicut et praesentes alii, cum eas vidissent, probaverunt.

26. Cogitaverat P. Ignatius, cum valetudine satis afflicta esset, Generalis Praepositi officio se abdicare, et inter caetera id fortassis eum permoverat ut primarios Societatis Patres Romam vocaret. Congregatis ergo omnibus, qui domi erant, litteras manu scriptas ad eos misit, quibus rogabat ut alius in Praepositum eligeretur, et ipse simpliciter et absolute se Generalis officio abdicavit, et ut professi quoscumque vellent, etiam non professos, ad consultationem adhiberent permisit; quod si minime inter se convenirent, illos, quorum esset de ea re judicium ferre, ut rem hanc diligenter Deo commendarent obsecrabat. Sed omnibus (nemine excepto) visum est resignationem officii non esse admittendam, rogandumque Patrem ut ad commune bonum Societatis onus hoc ferre pergeret. Incidit autem sub id tempus in gravem morbum, sed Dei benignitate brevi solitam suam valetudinem (quae tamen parum firma erat) recuperavit.

27. Sub hoc etiam tempus P. Franciscus Strada ad professionem solemnem admissus est; prius ad eamdem P. Petrus Canisius, antequam in Germaniam proficisceretur, fuerat admissus.

28. Cum autem quae ad commune bonum pertinebant et ad spiritualem ipsorum consolationem tam Franciscus Borgia quam alii professi Patres Romae transegissent, paulo post initium Februarii anni sequentis in Hispaniam redierunt.

29. Primis mensibus hujus anni quidam Florianus Rolis a Varsovia, insignis impostor, cautiorem in posterum Societatem suo exemplo et factis reddidit. Hic, natione Polonus in humanioribus litteris eruditus ac satis eloquens, ad Societatis institutum se adspirare significavit. Confessionem tamen prius instituit, et omnibus rationibus consideratis, cum admodum videretur idoneus, admissus est; sed quia timere se significabat, ne faces-

Digitized by Google

serent Societati negotium ipsius consanguinei, qui nobilissimi erant in Polonia, ac praecipue Episcopus quidam, ejus patruus, Cardinali Farnesio amicitia conjunctus, non Romae sed alibi se ingredi optare significabat. Litterae ergo ad Rectorem Collegii Panormitani, ut eum admitteret, datae sunt; et quia litteras quasdam ad mercatores, nescio quos, Antuerpienses habebat, quibus pecuniae summam non exiguam reciperet, cumque Romae non inveniretur (nisi vellet se magnatibus quibusdam manifestare, quod non expediebat), qui pecuniam ei numeraret, visum mihi fuit viaticum illi esse aliunde quaerendum, quod postea ex Antuerpiensi mercatore recuperaretur. Ille autem, qui egregius erat artifex, non Panormum sed in Hispaniam se contulit, fingens se tempestate eo delatum; et cum litteras, quas ferebat, nostris ostenderet, in variis Hispaniae et Portugallie locis, in impostura proficiendo, non exigua detrimenta nostris intulit; quamvis ne in posterum tam facile ignotis hominibus crederent aut pecuniam mutuo darent edocuit [1].

30. Cum ingressus Lucii Crucii, qui nepos Episcopi Tyburtini et ex primoribus ejus urbis erat, infestum admodum Societati Episcopum redderet, nec deesset aliquis ex Cardinalibus, qui in gratiam Episcopi, cum Pontifice novo, de illo juvene suis restituendo ageret, coram ipso Cardinali Pontificem P. Ignatius sic allocutus est, ut sua auctoritate et juvenem in Dei obsequio relinqui sineret, et Episcopum, qui multa parum decentia loquebatur, per quemdam alium Cardinalem sic reprehenderet, ut in officio contineri ille cogeretur. Cum tamen ne nostri in illa civitate sua ministeria ad proximorum auxilium exercerent vellet prohibere, visum est P. Ignatio judicio et auctoritate Sedis Apostolicae nostra privilegia esse defendenda; unde silentium hac etiam in parte Episcopo fuit impositum. Qui tamen postea, et ejus frater Hieronymus Crucius, cum filii Lucii vocationem a Domino esse intellexissent, non solum conquieverunt,

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, de Floriano de Rolis, polono, in Siciliam proficiscente, commendatitiae litterae, 3 Maii. Idem Floriano, Panormum, ut nummariam tesseram (hispane *póliza*, italice *polizza*) seu schedam, seu instrumentum a se subscriptum mittat, quo pecuniam, sibi commodatam, Romae a mercatoribus excutere liceat, 11 Maii. Idem eadem die Nicolao Gaudano, Venetias, de eodem Floriano, polono. Idem Hieronymo Domenech de eodem Floriano, 17 Maii.

Digitized by Google

sed officiis amicitiae et charitatis, quod erratum fuerat, compensare studuerunt [1].

31. Jam inde ab anno praeterito domum cum ecclesia extra muros civitatis Tyburtinae Societas habebat, quam Ludovicus de Mendoza sponte sua in Societatis usum resignaverat; et ipso die Nativitatis B. Virginis, postquam in eodem templo cum aedificatione urbis concionatum esset et cum idem Ludovicus de Mendoza complures ex primoribus urbis ad refectionem etiam corporalem invitasset, eodem die tamquam Societati proprium locum illum possidere coepit Societas, qui contemplationi et recreationi etiam idoneus videbatur.

32. Inter paucos, qui eo missi fuerunt, fuit Michaël Ochioa, navarrus, qui et concionando et doctrinam christianam docendo, tantopere civitatem commovit, ut multi ex ea, cum nullos dum ordines sacros haberet, vellent ei confiteri; quare, ut piis multorum desideriis fieret satis, ad sacerdotium promoveri is debuit, et promotus multorum confessiones audivit, qui ejus opera valde indigebant. Erat enim qui in pluribus quam triginta annis semel tantum confessus fuerat; et alii multum diuque ab hoc sacramento abstinuerant; nec Tybure tantum, sed in aliis etiam vicinis locis et verbum Dei cum fructu et aedificatione praedicavit, et per confessionis sacramentum multos a peccatis expiavit. Addita sunt etiam ab eo, qui locum dederat, quaedam aedificia ut majori cum commoditate ibidem habitari possit. Inter caetera autem pietatis opera, illud magnopere commendavit Patrem Michaëlem, quod gratia sanitatum a Domino praeditus, oratione et manus impositione aegrotantes complures curaverat, tam ex Tyburtinis quam ex finitimis locis, qui vel ad animae vel corporis sanitatem quaerendam ad eum confluebant et per Dei gratiam utrique morbo remedium inveniebant [2].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patribus Laynez et Domenech, de turbis Romae propter admissum in Societatem Lucium Croce excitatis; de intercessione Pro-regis Siciliae, Caesarei Oratoris in Curia romana, et ipsius Summi Pontificis, 8 Februarii. Idem Laynez, quid in causa Lucii Croce actum sit, 22 Februarii. Idem Lucio Croce, consolatoriae litterae, eadem die. Idem Patri Laynez de eodem Lucio, quid Episcopo Tyburtino a Summo Pontifice sit responsum, et hoc negotium tandem Cardinalibus quibusdam esse commissum, 8 Martii. Idem Michaëli Ochoa, Tyburim, de Hieronymi Croce sorore, eadem die. Idem Patri Laynez, de Lucio Croce, quid cum Summo Pontifice egerit Ignatius, mense Martio. Idem Lucio, eodem die. Ejusdem Hieronymo Domenech, plena de iis, quae in negotio Lucii Croce Romae acta sunt, enarratio, 19 Aprilis.

[2] Polancus, *ex commissione*, Tyburim, Magistro Michaëli Ochoa, de quibusdam conscientiae casibus, 1 Februarii. Idem eidem, de ejus concionibus, 8 Martii.

Digitized by Google

33. Cum autem in Cathedrali ecclesia Sancti Laurentii et concionari et christianam doctrinam docere coepisset, ex quo, ut dictum est, Episcopus propter nepotem non bene nostris affici coeperat, ejus Vicarius, excusationes aliquas obtendendo, eum inde excludere nitebatur, quod divina officia canonicorum impedirentur: sed cum post vespertinum officium christianae doctrinae lectio fieret, ea non facile concidebat. Socius etiam Patris Michaëlis, Antonius de Robore, a Vicario in carcerem conjectus est, et molestiae id causae praetexebat quod eleemosynam (ex mendicato enim nostri Tybure vivebant) olei publice quaeritabant; quod tamen illis, qui ecclesiam Divae Mariae del Passo tenere soliti erant, semper permissum fuerat. Videbatur autem Vicarius id velle ut P. Michaël ipsum adiret et pro socii relaxatione rogaret; quod tamen sibi non faciendum P. Michaël censuit; de quo cum fama per urbem esset pervagata, quod in carcerem esset conjectus, cum die Dominico eum concionari pro more viderunt, admiratione et laetitia simul affecti sunt, et satis negotii exhibebant eidem Michaëli ad famam Vicarii defendendam. Cum autem non dimitteretur Antonius, et religiosus quidam suggereret P. Michaëli quod deberet omnino humiliter a Vicario ejus petere dimissionem, respondit: si quid peccatum esset ab Antonio, aequum esse ut poenas lueret; et ne exspectaret Vicarius ipsius preces, litteras eidem misit Michaël, quibus dicebat quod, si centum annos Antonium detineret, pro ejus liberatione non erat aliud rogaturus quam ut faceret quod justitia postulabat; itaque eadem nocte, qua litteras acceperat, Antonium liberum dimisit [1].

34. Rogavit interim Archidiaconus Cathedralis ecclesiae P. Michaëlem, ut eo tempore (accedebat enim Paschae festum) eorum audiret confessiones, qui sub parochia cathedrali ecclesiae unita habitabant; et addidit quod ab eisdem hominibus ad hoc postulandum permotus fuerat. Acquievit ei P. Michaël et post absolutam solitam lectionem ipse in suggestu dixit se paratum fore, prout rogatus fuerat, ad omnium confessiones, qui ad eum venirent, eo in templo audiendas. Quod cum facere coepisset, indigne tulit Vicarius, et cum investigaret a quo facultatem

[1] Polancus, *ex commissione*, Michaëli Ochoa, quid cum Vicario agendum, de Apostolicis litteris et Societatis privilegiis, de more olim in templo Sanctae Mariae *del Passo* servari solito; et ut mitem se mansuetumque praebeat, 22 Martii.

Digitized by Google

accepisset, Tybur pervenerunt litterae Apostolicae nostrorum privilegiorum, de quibus paulo ante diximus. Iis igitur auctoritate Sedis Apostolicae usum nostrorum privilegiorum posse nos Tyburi exercere declaratum fuit; quae res finem molestiis imposuit. Confluxit autem magna hominum multitudo; et si plures ex nostris confessariis ibi fuissent, totius propemodum civitatis confessiones audivissent; plurimi enim ad nostrum templum confessionis gratia accesserunt, ex quibus non pauci septem et octo annis non erant confessi, nec propositum confitendi habebant donec per P. Michaëlem eorum corda Dominus tetigit. Alii etiam, qui peccata confessi quidem fuerant, sed quod satisfactum ipsis non fuisset dicerent, ad eumdem veniebant ut eos diligentius examinatos absolveret. Non omittam tamen quod cum Vicarius molestior quam par erat P. Michaëli videretur (qui in febrim inciderat) et acrioribus verbis, quae magis quam submissa ad compescendas Vicarii molestias juverunt, a Michaële fuisset repressus, nihilominus P. Ignatius reprehendit Michaëlem et ut submissius ageret commonuit: ille autem, ad quamvis satisfactionem se paratum exhibens, sui tamen rationem reddidit [1].

35. Scholam aperire nostri ad civitatis utilitatem coeperunt, et fere septuaginta pueri ad templum nostrum extra muros urbis veniebant, et ex eis triginta octavo quoque die confitebantur, qui sua puritate multum consolationis P. Michaëli adferebant. Sed de transferenda schola intra urbem cives Tyburtini, ad filiorum suorum commoditatem, agebant, et quamdam ecclesiam in medio urbis positam offerebant. Fuit et foemina quaedam ex honorata familia et ex tertio ordine Divi Francisci religiosa, quae hortum quemdam intra civitatem ipsam cum domuncula Societati donavit. Lucia Cynthia dicebatur. Quidam hujus Luciae nepos rixatus cum aliis fuerat, et ejus consanguinei extra civitatem eum extrudere volentes, ad P. Michaëlem eum adduxerunt, et ut eum convertere niteretur rogarunt; et ut domi eum retineret donec tumultus adversariorum sedarentur. Acquievit Michaël et per exercitia spiritualia eum juvare constituit; et paucis diebus in alium hominem sic mutatus ille est ut

[1] Polancus, *ex commissione*, Pontificis Vicario Tyburim, de ejus et Lucii Croce litteris et hujus procuratorio instrumento, et Ignatium nolle, ne Vicario noceat, ut Romae quod is scribit a quoquam videatur, 3 Maii.

Digitized by Google

pro miraculo haberetur; sicuti et sanitas febricitantibus impetrata, quod illis diebus cum unico filio suo quidam ex primariis urbis expertus fuerat, qui cum periculosa admodum febri filius laboraret, Michaëlem evocavit, et filius statim per Dei gratiam convaluit. Aliqui etiam ad Societatis institutum animum adjiciebant ex his discipulis, qui optimae indolis esse videbantur. Sed nulla in re major fructus quam in confessionibus cernebatur; aliqui enim non sine magna illius Patris et admiratione et consolatione ad eum accedebant, qui triginta et quadraginta annis id nunquam fecerant nec communicaverant, et contritionem ac poenitentiam suorum peccatorum prae se ferebant [1].

36 [2]. Erat Meldulae id temporis Stephanus Capumsachus, Aretinus, qui non solum in Christiana doctrina tam pueros quam adultos excoluit, sed cultum etiam divinum augendum in eo oppido curavit, dum pueros, et sacerdotes etiam, ad cantanda officia divina inducit, quod ante id tempus Meldulae usitatum non erat. Pro electione etiam Summi Pontificis, et Ecclesiae necesitatibus publicas et privatas orationes institui curavit. Per exhortationes autem publicas et conciones aliqua pietatis opera in pauperum beneficium promovit, et inter discordes pacem conciliare studuit. Praeceptorem illum, qui juventutem meldulensem in litteris instituebat, sic in spiritu promovere studuit ut ipse etiam suos discipulos in spiritualibus juvaret. Plurimos ad confessionis et communionis frequentem usum adduxit; ab otiosis et vanis exercitationibus, in quibus festis diebus versabantur, homines revocavit, et ad divina officia audienda et ad orationem in communi, partim vocalem partim mentalem, faciendam induxit, et eos ipse aliquandiu direxit; quadraginta horarum diu noctuque orationem, ad quam utriusque sexus homines totius oppidi per vices interfuerunt, pro ne-

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Michaëli Ochoa, quid praestandum, ut valida sit juxta Tyburtinas leges Luciae Cynthiae donatio Societati facta et ut Vicarii Tyburtini offensio vitetur, 9 Junii.—Publicum instrumentum quo Ignatius Patri Michaëli Ochoa potestatem facit adeundi bona, quae pro Tyburtino Collegio donat Domina Lucia Cynthia, 5 Julii. Item plura publica privataque instrumenta locationis, emptionis, etc. horti, vineae, domus, etc., necnon judicum in controversiis seu litibus sententiae ad Collegium Tyburtinum spectantibus, ab hoc anno 1550 ad 1555.

[2] Videntur haec praeponenda *(Nota in margine apposita)*.—Nota autem hac comprehendere annotatorem voluisse existimamus omne id, quod a num. hoc 36 ad 40 continetur. Sed ut ex documentis infra memorandis patebit, recte a Polanco hic insertum est, quamvis aliqua hic enarrata, incoepta ab Stephano Capumsacho anno praecedenti fuerint.

Digitized by Google

cessitatibus Ecclesiae induxit; et initiis horarum (nam per unam horam, divisi in quadraginta partes, orabant) exhortatoriam ipse conciunculam habebat, qua orantes instruere ad orandum studebat; ad pauperum subsidia et verbo et exemplo, pro ipsis ipse petendo, et congregationem quamdam piorum hominum ad id instigando, utilem operam praestitit; et epulum, quod multi in carnis-privio sibi praeparaverant, pauperibus ad convivium vocatis exhiberi curavit; alicui etiam ex his, qui in carcerem erant conjecti, non consolationem solum sed libertatem impetravit; et quamvis esset Meldulae, aliqua ad Dei cultum necessaria Aretii, quae patria ipsi erat, providit [1].

37. Cum esset in ea civitate, et virgines aliquas, quod essent dotibus destitutae, videret ad monasterium admitti non posse, curavit ut dum in paternis domibus manerent, opera duarum matronarum spiritualium instituerentur in his, quae ad profectum animae pertinent et ut ad eas statis temporibus accedendo in suscepta pietatis via proficerent. Scriptum est ergo ad eum, cum esset Meldulae quod hujusmodi virgines in frequenti usu Sacramentorum et in pietate progressus bonos facerent, et aliquae ex illis ad monasterium quoddam satis arctum, *Muratarum* vocant, adspirabant.

38. Cum hic frater noster Stephanus in his, quae ad Dei obsequium pertinent, bene se gerere, et ad Sacerdotium suscipiendum maturus moribus et eruditione videretur, voluit Pater Ignatius intelligere an propensus animo ad Sacerdotium esset; et cum ille indifferentem ad omnia se offerret, quamvis onus reformidare videretur, id injunctum est ei ut paulatim ad sacros ordines promoveretur [2].

39. Est Faventia Meldulae vicina; petiit ergo Episcopus Faventinus ut aliquot dies Faventiae subsisteret, et conciones aliquas cujusdam praedicatoris audiret, cujus aliqui praedicandi modum non probabant, immo et suspectum aliquo modo habebant. At, quamvis aliqua merito in eo displicerent, cum alioqui et catholicum et eruditum deprehendisset, eum amanter admonuit,

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Stephano Capumsacho, de socio ipsi Roma mittendo, de litteris ab ipso scriptis et scribendis, 8 Martii. Idem eidem, de tempore quo Zelani (Silano) eum manere oportebit, et ut post três menses, cum Domino Leonello de Carpi Meldula Romam se conferat, mense Aprili.

[2] Ignatius Meldulam, Stephano Capumsacho, ab eo sciscitans an ad sacerdotium suscipiendum a Deo se moveri sentiat, 8 Martii.

Digitized by Google

ut ab eis modis loquendi ac reprehensionibus praelatorum Ecclesiae, et a proponendis haereticorum dogmatibus, licet ad impugnandum id faceret, abstineret. Cum ejus consilium concionator esset secutus, concionandi modum sic mutavit, ut merito commendandus ab omnibus videretur.

40. Exercitia spiritualia Meldulae quibusdam proposuit; et demum in multis operarium se egregium praebuit; ante tamen quam ad sacerdotium perveniret, ab hujus peregrinationis labore ad quietem, ut sperandum est, aeternam translatus est. Enervaverat vires suas hic egregiae indolis juvenis, cum Patavii studiis daret operam; nam aliquando post coenam quatuor et quinque horas orationi mentali dabat, et flagellis corpus suum et aliis castigationibus plus aequo, sancto quidem zelo, sed non secundum scientiam, affligebat. Accidit aliquando ut tempore hyemali, quo frigus vehementissime Patavii vigere solet, cum P. Laynez ejus cubiculum ingrederetur, vestes ejus omnes ibi inveniret, et cum dubitaret quid de eo factum esset, descendens in hortum, videt hominem nudum et cum flagello accerbissime se cedentem. Cum ergo in cubiculum eum reduxisset, terga ejus partim sanguine partim pure ex aliis flagellis non bene curatis plena reperit. Tum demum serius quam oportuit moderatio illi fuit adhibita, sed jam ex nimio et intempestivo labore mentis et castigatione corporis, ejus nec opinantis vires abscisae fuerant; unde nunquam recte amplius valuit et adhuc juvenis hoc anno ante sacerdotium, ut dictum est, vitam cum morte commutavit [1].

41. Sub initium hujus anni Hercules, Dux Ferrariae, ad P. Ignatium scripsit mittens exemplum litterarum Communitatis Sylanae ad se missarum, rogavitque ut P. Sylvestrum ex ea provincia non removeret. Sylanum provinciae Carfagnanae caput est. Suis litteris ad Ducem testantur quod tam in ea provincia quam in Lunensi opera P. Sylvestri cultus divinus sit valde admodum auctus, multa vitia destructa, haereses magnae extinctae, usurarum restitutiones factae, confraternitates ad pietatis opera instauratae, christiana doctrina explicata,

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Stephano Capumsacho, Aretino, Meldulam, ut sui corporis valetudinisque moderatam sed diligentem curam habeat, etc., 8 Martii. Idem eidem, de ejusdem valetudine, sacerdotio, etc., et ne Romam, dum aeger est, nisi forte post aestatem, veniat, sed potius in patria aut Bononiae consistat, 16 Augusti.

Digitized by Google

Sanctissimum Sacramentum in ecclesiis, ubi non erat, repositum, frequentia confessionum et communionum inducta, orationes quotidianae et eleemosynae factae, multas virgines in monasterio ab eo erecto collocatas sanctitate florere, pacem in corrigiano populo post plurima homicidia ibi perpetrata confectam, et alia hujusmodi. Unde a P. Ignatio suis etiam ipsi litteris in quadragesimam futuram eum postulabant. Casulani autem ex alia parte ne a se in aliorum gratiam removeretur, sollicite suis litteris postulabant [1].

42. Quamvis autem utrisque satisfieri ex parte optaret Ignatius, cum urgeretur ad missionem aliquam nostrorum in Corsicam faciendam, et etiam in Sardiniam, voluit Patris Sylvestri animum explorare; qui se promptissimum non solum ad profectionem in insulas praedictas sed in quasvis, etiam infidelium, provincias ad obedientiae nutum obtulit. Et quia Cardinalis Burgensis, Dominus Joannes de Toledo, qui haereticae pravitatis Inquisitor erat, optabat ut P. Sylvester in illis confinibus ditionis Florentinae et Ferrariensis et Lucensis, et aliis vicinis, quae male audiebant propter haeresis infectionem, concionaretur, id ei P. Ignatius serio commendavit. Ille vero quamvis id praestiterat, diligentius in posterum se facturum recepit [2].

43. De his autem quae usque ad mensem Julium ibi acta fuerunt, scribit quod Rozzii, Sorragii, Vineae in capite positis et Soler, quae loca sunt illarum provinciarum, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod in parochialibus ecclesiis non servabatur, reponi curavit, ut in aliis locis id ipsum curaverat; christianam etiam doctrinam in octo locis edocuit et praeter alia, de quibus prius facta fuit mentio, in septem vel octo locis ejusdem provinciae consuetudinem crebro confitendi et communicandi induxit.

[1] Ignatius Communitati urbis Casulae, ei Sylvestrum Landinum ad tempus permittens, 8 Martii. Polancus, *ex commissione*, eadem die Sylvestro Landino, de Casulensium petitione et Ignatii ad eos responso. Idem civibus Sylanensibus ut patienter Sylvestrum Landinum ab eis abesse sinant, eadem die.—Sylvestri Landini litterae ad Polancum et Ignatium.

[2] Haec ita refert Orlandinus: "Nec abnuit studio pii Ducis Ignatius, votis praesertim Toletani Cardinalis impulsus, haereticae pravitatis Inquisitoris, qui gratum sibi fore....." (lib. x, n. 81). Sed iis, ni multum fallimur, decipientur facile lectores putabuntque haereticae pravitatis Inquisitorem hoc anno 1550 Florentiae fuisse *Toletanum Cardinalem*, Joannem de Tavera, quod quidem verum non est: illud enim munus obibat tunc, ut bene dicit Polancus, Frater Joannes Alvarez de Toledo, Ordinis Praedicatorum, Episcopus et Cardinalis Burgensis. Fefellit Orlandinum illud *de Toledo*, quod hic non dioecesis aut urbis nomen est sed familiae cognomen.

Digitized by Google

44. In triginta quatuor locis concionatus est; et praeter inimicitias illas, quas prius sustulerat, alias etiam sustulit, et homines, inter quos homicidia et vulnera acciderant, inter se conciliavit: primam Magiani, secundam Gasani, tertiam Gragliani, quartam Zarzanellae, quintam Charegeni, sextam autem pacem in Insula, quae sancta vocatur. Praeter monasterium autem, quod Casulae erexerat, ecclesia etiam ejus opera fuit absoluta. Quatuordecim e virginibus spiritualia exercitia dedit et quidem tanta cum effusione lacrymarum ut prorsus res admiranda videretur. Eidem monasterio constitutiones ad fovendam et augendam monialium pietatem tradidit, et quia sic visum est P. Ignatio, sub Episcopi cura eas collocavit sub Sanctae Marthae titulo; et quamvis P. Ignatium protectorem habere cupiebant, cum ipse protectionem hanc non admitteret, et Florentiae Duci aut Ducissae (quia Casula sub eorum est ditione) id deferendum judicaret, sic factum est. Non solum autem Lunensis et Zarzanensis, sed et Lucensis, Episcopus, visitandi sibi subdita loca curam ei injunxerant; et bono ejus odore excitatus Lucensis Episcopi Vicarius per patentes litteras facultatem absolvendi etiam a voluntariis homicidiis, quam aliis denegaverat, ultro ei obtulit et suum gregem commendavit. Confessionum autem tanta fuit frequentia ut, cum ipse non posset omnibus satisfacere, quamvis plurimas etiam generales audiret, tres vel quatuor sacerdotes aliquando in eis audiendis occupari debuerint, ex his, inquam, sacerdotibus, qui ad ei subveniendum accedebant [1].

45. Exercitia primae hebdomadae tam multis tradebat, ut aliquando quindecim et sexdecim eodem tempore exercerentur; multi adolescentes et aliqui etiam Sacerdotes ad Societatis institutum adspirabant; sed quod parum essent litteris instructi, non admittebantur.

46. Loca quaedam in ejus manus suas controversias rejecerunt; milites aliqui primarii, qui diu a confessione abstinuerant, ut octavo quoque die ad eam et ad communionem accederent, adducti sunt. De duobus aliis monasteriis monialium erigendis

[1] Ignatius Sylvestro Landino, de monasterio Casulae inchoato, sub cujus auctoritate, quo titulo, etc., erigendum sit; et ne in iis nimium occupari nostros Romae curet, 4 Januarii.—Quia nondum hac litterae ad Sylvestrum pervenerant, die 25 Januarii earum trassumptum, paucis additis, missum est.—Polancus, *ex commissione,* Sylvestro Landino, Casulam, 16 et 23 Augusti, et Mutinam, 29 Novembris.

Digitized by Google

et de reformatione sacerdotum Lucensis dioecesis actum est; et commissarii, qui saecularem habebant facultatem, omnem suum favorem ad Dei obsequium et animarum auxilium ei offerebant, apud quos quia gratia valebat Sylvester, ejus intercessionem plerique homines requirebant. Choreae, quae cum peccatis exercebantur et aliae dissolutiones sunt propter Dei amorem relictae; multae restitutiones rerum male partarum factae sunt; multae virgines ad religionis ingressum permotae, quarum numerus quotidie crescebat; juvenes etiam ad variorum ordinum religiosorum institutum excitati fuerunt; sub vesperam oratio publica ab eo etiam instituebatur. Nec deerant interim persecutiones graves, quas Satanas ad fructum impediendum suscitabat. Lachrymae contritionis et praedicationum frequens auditus perpetuam cujusdam hebdomadae Sanctae faciem referebant; aliquando enim bis et ter eodem die concionabatur.

47. Odia inveterata relinquebantur; et aliqui senes sexagenarii ipsum etiam in lecto adorti sunt ac se prosternentes et cum fletibus et suspiriis pectora percutientes ab eo petebant ut se ad redeundum ad suum Creatorem juvaret. Quamvis autem illi sacerdotes, qui se in spiritualibus meditationibus exercuerant, variis in locis suam operam iis, qui frequenter confitebantur et communicabant, praestarent, et orationem publicam cum fructu populorum retinerent, et christianam etiam doctrinam diligenter docerent, nihilominus ut oves non habentes pastorem quodammodo vim P. Sylvestro inferebant, non permittendo recedere ab ipsorum locis, donec eis uberius satisfecisset. Aliqui etiam in ipso itinere in montibus et sylvis eum aggrediebantur ac retinebant, ut ipsorum audiret confessiones: feriatis autem diebus, cum vacabant amici parochi eumque comitari et juvare valebant, melius poterat hujusmodi hominibus satisfieri.

48. A multis locis evocabatur et inter alia ad provinciam, quae Versilia vocatur et altissimis montibus Pammae a Garfagnana sejungitur, se contulit; et in quodam loco, quod Prunum vocatur, bis concionatus est, et confessionibus ac doctrinae christianae principium dedit, et pastori ipsorum ut bene coepta prosequeretur curam reliquit, qui ad exercitia spiritualia se venturum est pollicitus [1]. Cum autem rediret aliquando per loca, in

[1] Nomina haec: *Versilia*, *Pamma*, *Prunum*, clare in mss. leguntur, sed an recte scripta sint nescimus; nullibi enim alias ea offendimus.

Digitized by Google

quibus versatus fuerat, perseverantes in communione et bonis operibus inveniebat.

49. Matres aliquando cum planctu ac devotione ad eum accersendum, ut ipsarum filiis aegrotantibus sanitatem impenderet, veniebant. Accidit ut in loco quodam, Gragliano nominato, ubi numquam forsan Dei verbum audierant, reliquis omnibus ad concionem confluentibus, unus in messe occupatus non veniret; sed simul atque acervos segetum congregavit, ignis, nescio qua ratione, manipulos involvit; homines autem miraculo id adscribebant quod ad concionem non venisset; qua absoluta, ad remedium frugibus adhibendum cucurrerunt et inter flammas viri et foeminae incedentes quod non consumptum fuerat a flammis eripuerunt. Et cum esset tempus, quo homines in messe occupantur, quasi aliud negotium non haberent, ad conciones et confessiones confluebant. Nec deerat aliquid patiendi occasio; nam praeterquam quod uno die in diversis locis aliquando quater erat concionandum, humi vel super paleas vel foenum dormiendum erat.

50. Cum autem P. Ignatius in gratiam mutinensis Episcopi P. Sylvestrum Mutinam, quae locis illis vicina erat, misisset, injunxit ei Episcopus totius dioecesis visitationem, ac peculiari ratione ei commendavit, ut omnes parochos instrueret ad populo praedicanda quae in exercitiis spiritualibus primae hebdomadae traduntur. Is autem erat Episcopus, qui dum spiritualia exercitia a Paulo III Pontifice Maximo approbarentur, in duobus exemplaribus, quae illi sunt exhibita cum varia versione, egregium testimonium primus adscripsit [1]. Docebat etiam P. Sylvester christianam doctrinam et quotidie praedicabat, et parochis ad suam et populorum reformationem observanda documenta praescribebat; nam et Episcopi et Ducis auctoritate id praestare poterat. Aliquos etiam qui docendae christianae doctrinae curam haberent constituebat, et in aliis pietatis operibus, ut jam aliis in locis, procedebat, ut in confessione crebra et communione inducenda. In ipsa etiam urbe Mutina eadem praestabat, et postquam ex visitatione rediit, centum et triginta septem locis percursis (nam accidebat ut uno die sex septemve loca diversa inviseret et in singulis concionaretur; et faciebat populorum de-

[1] Vide *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. II.

Digitized by Google

votio ut, quod vires corporis negabant, charitas extorqueret): familia ipsius Episcopi tota ad confitendum et communicandum octavo quoque die adducta est [1].

51. Jam tum mutinensis Episcopus aliquos de nostra Societate Mutinae residere optabat, quamvis, penuriam fortasse videns, a P. Ignatio petere non auderet; sed Patri Paschasio, qui Bononiae residebat, suum desiderium aperuit; nec enim P. Sylvester confessionum et communionum et spiritualium exercitiorum occupationi par esse poterat, et quamvis se in cubiculo propter valetudinem adversam contineret, eo vel necessitas vel devotio multorum irrumpebat. Augebatur interim Mutinae mirum in modum numerus crebro confitentium et communicantium, et in domo ipsius Episcopi quotidie lectionem unam de praeceptis Domini, aliam autem apud conversos de christianae doctrinae expositione praelegebat; nec parum recreabat Episcopum tum civitatis fructus tum is, qui ex visitata dioecesi proveniebat, et ad eum deferebatur [2].

52. Hoc anno in neapolitano regno P. Bobadilla versatus est, et primo in episcopatu Policastri, deinde in Archiepiscopatu Bisignani, ubi primis mensibus Societatis ministeria exercuit et uberem admodum fructum provenisse, quamvis magno cum ipsius labore, testatur. Rossanum postremo profectus est, ubi Cardinalis Veralli, cui commendatus erat is Archiepiscopatus, auctoritate coepit de proximis in ea dioecesi benemereri. Quamvis tamen et bonis placeret plurimum et ab omnibus reverentia et honore magno afficeretur, ne venenum ei a perversis quibusdam hominibus propinaretur aliqui timebant; et, cum in gravem morbum incidisset, creditum est quod omnino venenum ipsi datum fuerat, et quod miraculo periculum evaserit, quindecim continuis diebus vomitu ingenti subsecuto. Nihilominus, ubi valetudinem recuperavit, reformationi dare operam serio coepit, cum prius in quadragesima concionum curriculum magno cum labore absolvisset, in quibus epistolas occurrentes explicaverat. Addebat etiam dominicis et festis diebus sacras lectiones epi-

---

[1] **Ignatius Episcopo Mutinensi, de Sylvestro Landino, 23 Augusti; idem eidem, officiose, 29 Novembris.**

[2] **Polancus, *ex commissione,* Sylvestro Landini, ut curet ne quos de Societate Episcopus Mutinensis ab Ignatio exposcat, librum Exercitiorum Episcopo tradat, et Romam ipse post hyemem veniat, 20 Decembris.**

Digitized by Google

stolae ad Romanos cum frequenti admodum auditorio et in ministeriis Societati consuetis aliquot menses magno cum fructu expendit. Difficilis ea provincia ad gubernandum erat, quod homines factionibus et tumultibus dediti essent, unde Cardinalis Veralli frater suae saluti consulere Rossano discedendo debuit, et aliqui etiam officiales interfecti fuerant; sed quamvis labor hinc augeretur et periculum, non tamen P. Bobadilla minori animo ac voluntate duram hanc provinciam suscipiebat [1].

53. Melitensis Episcopus, qui nobilis romanus erat, a S. Ignatio postulaverat ut P. Bobadilla ad visitandum episcopatum ipsius se conferret. Res ad ipsum relata est, ac ipsius prudentiae ac charitati relicta, ut, si posset, Melitensem etiam episcopatum juvandi curam susciperet; quamvis si Cardinali Verallo aliud visum esset, rationem habendam ipsius Ignatius judicabat. Licet autem tunc id non praestiterit P. Bobadilla, quod Melitensis optabat, post Rossanienses labores, illos etiam cum fructu suscepit [2].

54. Sub autumnum hujus anni D. Christophorus Madridius, qui, quamvis etiam tunc in domo Cardinalis Tranensis versaretur, animo tamen Societati omnino conglutinatus erat, ab ipso Cardinali Visitator in Tranensem dioecesim missus est; et primis octo diebus cum tantum unam vel alteram exhortationem apud clericos habuisset in capitulo et quaedam privata colloquia cum quibusdam, undecim sacerdotes concubinas reliquerunt, quibus etiam injunxit per praeceptum expressum, ne ad ipsorum domos accederent, et magna cum totius civitatis aedificatione parebant. Cum autem vestitu militari potius quam sacerdotali uterentur, ad decentem cultum corporis et tonsuram eos facile adduxit. Saecularibus etiam ut concubinas relinquerent serio injunxit,

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Doctori Thomae Gomez, Neapolim, non posse Ignatium juxta Societatis institutum iis incumbere, quae Doctor expetit ut a Bobadilla et aliis agantur, 1 Februarii. Idem Patri Nicolao Bobadilla, Bisignanum, de iisdem, eadem die. Eidem de tempore quo, juxta Cardinalis Veralli beneplacitum, ei Rossani sit manendum, 1 et 29 Martii. Idem Domino Ludovico de Mendoza, de negotiis Vicariatus Rossanensis, ut cum P. Bobadilla agat, 26 Aprilis. Idem eadem die Patri Bobadilla ut ad veniendum mense Septembri Romam se praeparet, et de Ludovico de Mendoza. Idem eidem, Cardinalem Maffaeum velle ut urbem *Leti* visitet ibique per duos menses consistat, 11 Maii. Idem eidem, 6 et 20 Septembris. Eidem, ut Romam se mense saltem Decembri ineunte conferat, 8 Novembris.—Litterae Patris Bobadilla ad Ignatium.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Nicolao de Bobadilla, quid respondendum sit Monsignori de Rusticis, Melitensi Episcopo, 11 Januarii. Idem eadem die cuidam Domino Roderico, Neapolim, ei commendans litteras Nicolao Bobadilla transmittendas.

Digitized by Google

et ex his aliqui eas reliquerunt, et alii se id facturos sunt polliciti. Cum autem multi essent, qui, post sponsalitia, quindecim et viginti annos sine matrimonii sacramento et benedictione Ecclesiae cum sponsis vixissent, curavit per publicum edictum ut id, quod deerat ipsis, suppleretur, et priusquam benedictionem Ecclesiae acciperent, peccata confiterentur; quod illi perlibenter sunt exsecuti, et bini aut terni ad suscipiendam benedictionem Ecclesiae cum magna consolatione civitatis accedebant. Cum etiam complures religiosi, litteris apostolicis impetratis, id narrando quod non ita se habebat, facultatem manendi extra monasteria impetrassent, recognitis hujusmodi litteris deprehendens falsam narrationem vel quod causa, quae tunc adferebatur, jam cessasset, ad sua monasteria eos removendos curavit. Deinde sub finem hujus anni ad visitandam dioecesim, quae publicis peccatis plus satis insorduerat, se contulit [1].

55. In Sicilia res Societatis hoc anno progressum etiam fecerunt; et jam ipso anno ineunte, confessionum numerus solito major fuit et consequenter communionum; conciones etiam, quae a diversis habebantur, et praecipue quae a magistro Benedicto Palmio, nondum sacerdote, frequens auditorium habebant; et spiritualia exercitia pro more quibusdam tradebantur.

56. Quod autem de probationis domo inchoanda agi coeptum erat, primis hujus anni mensibus ad effectum deductum est. Vicinam quamdam Collegio domum huic instituto opportunam conducere nitebantur, sed pio huic operi invidens Satanas multa impedimenta objiciebat. Obtentae quidem fuerant litterae a Prorege Joanne de Vega ad nobilem quemdam, cujus ea domus erat; sed non est visum P. Natali eis esse utendum ne vim sibi inferri dominus domus quereretur. Deus tamen aliam commodiorem ac viciniorem domum huic operi providit, et primo die quadragesimae, admissis aliquot novitiis inter eos, qui ad Societatem adspirabant, domus ea habitari coepta est, quae inter probationis domos primum locum sortita est; sicut et primus praefectus fuit P. Cornelius Vischaven, qui decem vel undecim novitios (totidem enim et non amplius admittendi hoc anno pro-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Christophoro de Madrid, Tranam, de visitatione, etc. 22 Novembris; de doctrina christiana docenda, mittens ei sex ejusdem doctrinae libellos, 26 Decembris.

Digitized by Google

pter rerum temporalium angustias videbantur et omnes cum parentum voluntate admissi sunt), in rebus spiritualibus sic instituit, ut illi quam maxime proficerent et civitati aedificationis plurimum praeberent. Fuerunt autem ei adjuncti duo vel tres ex veteranis, quorum opera in administratione domus uteretur. Quamvis autem haec domus sejuncta erat a Collegio, ita tamen erat conjuncta ut Collegii Rector eo se conferre, ut ad partem ipsius Collegii, posset; nec janitore aut ostio distincto utebatur [1].

57. Universitatis negotium diu multumque hoc anno agitatum est, et tandem in consilio pleniori Messanensium fuit constitutum ut reditus quinque millium et quingentorum scutorum ad Universitatis praedictae institutionem applicarentur. Litterae Apostolicae Romae expeditae, Rectori Collegii Universitatis totam Universitatem subjiciebant, et sic possessionem ejus cepit Societas, cum Pro-rex ad exsecutionem suas etiam litteras addidisset. Magnifice cum classicorum et bombardarum sono et magno apparatu Universitas per urbem est promulgata; et postridie lectiones legum et medicinae sunt inchoatae. Sed cum aegre ferrent Messanenses ut professores juris et medicinae nostris subjicerentur, et P. Natalis, consentiente et probante P. Ignatio, de separandis facultatibus egisset, ita ut, uno quidem corpore, quod contineret Theologiae, Philosophiae et humaniorum litterarum lectiones Societati nostrae relicto, aliud corpus ex facultate utriusque juris ac medicinae cum suo Rectore constitueretur, tam gratis animis id Messanenses acceperunt, ut vix satis sibi viderentur posse commendare hoc praedicti P. Natalis inventum et eum amatorem et patrem civitatis vocabant. Cum tamen ad applicationem redituum ventum est, facta dictis minime responderunt; nam quatuor millia aureorum aliis facultatibus assignarunt; Collegio autem nostro, cum quindecim lectorum onus imposuissent, tantum mille et quingentos aureos annui reditus applicabant, et quidem ab officialibus ipsius civitatis solvendos, et ex arbitrio ejusdem civitatis totam hanc

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Hieronymo Natali, de Messanensi probationis domo ejusque ordine, etc., 25 Januarii et 8 Martii; ne pueros, eorum parentibus repugnantibus, in Societatem accipiat, saltem iis primis annis quibus Societas in Sicilia non satis nota est, 8 Martii; de probationis domo, 22 Martii; an et quantum temporis possint novitii studio litterarum incumbere, et de probationis duratione et modo, 4 Octobris. Idem Patri Cornelio Wischaven, de novitiorum regimine, etc., eadem die.

Digitized by Google

dotationem pendere volebant. Cum autem et exigui reditus et conditiones non tolerandae viderentur, facile intellectum est exasperatos esse civium animos contra Pro-regem, cujus esse hoc opus existimabant. Cum autem res ad P. Ignatium esset delata, visum est ei conditiones illas nullo modo ferendas esse; et rationi videbatur consentaneum ut illi reditus aequis partibus in duo illa corpora dividerentur; quod si obtineri non posset major dotatio, ut ad pauciores lectores Societas obligaretur; et si quod optabatur obtineri non posset, ut potius Collegium sicuti erat, quingentis tantum aureis dotatum maneret, quam cum augmento redituum onera illa tam gravia subiret. Quia vero Pro-rex ad expeditionem Africanam se jam parabat, usque ad ipsius reditum res est dilata; et sic paulatim extractum est tempus hujus anni. Nam quibusdam ex magistratibus, *juratos* vocant, in carcerem conjectis, praeter alios praecedentes juratos, quos in exilium miserat, hujus negotii tractatio difficilis admodum est reddita. Nostri numquam suum assensum praestiterunt; sed juxta Patris Ignatii mentem Pro-regi reservarunt rem integram; qui, cum in Africam proficisceretur, ex quadam insula scripsit ut a civitate quod possent extorquerent, sed nihil ipsi permitterent [1].

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Hieronymo Natali, de Universitate Messanensi, de Sbrando, de iis qui a Societate ad alias religiones transire cupiant, de Bulla in favorem Universitatis Messanensis impetrata, de libris quos Andreas Frusius expetebat, 4 Januarii. Ignatius Sbrando ei animum injiciens ut bene in omnibus sub obedientia procedat, eadem die. Idem Natali, de articulis seu conditionibus erectionis Universitatis Messanensis, de Collegio nostrorum separatim ab Universitate erigendo, 11 Januarii. Idem eidem articulos pro Universitate propositos non convenire Societatis instituto, et de Collegio et domo separatis erigendis, 25 Januarii. Idem eidem, de collegio et Universitate, de numero et distinctione lectorum tam in theologia, quam in philosophia et humanioribus litteris, de Rectoris et Cancellarii officio, auctoritate, praesidiis, etc., 8 Februarii. Idem eidem, de liberandis e carcere Messanensibus Juratis a Joanne de Vega in carcerem conjectis, 8 Martii. Idem eidem de Universitatis gubernatione quod statutum velit, ut Ignatio in scriptis referat, cujus judicio similia reservantur; item de iis, qui ad gradus in Universitate suscipiendos admittentur, 11 Maii. Idem Joanni de Vega, de reditibus Universitati assignatis, 17 Maii. Idem Patri Hieronymo Natali, de minuendo lectorum numero in Universitate, de Constitutionibus Collegiorum et Universitatum, eadem die. Idem eidem, de controversia cum Messanensibus juratis circa divisionem redituum et numerum lectorum, 28 Junii et 19 Julii. Idem eidem de capitulis seu requisitis ut Societas Universitatis curam suscipiat, et de lectorum numero, 16 Augusti; ne plures quam octo lectores Universitati concedat, et ut videat an a nostris segregati et independentes omnino sint legum et medicinae professores, aut saltem medicinae, 27 Septembris.—Eidem missa sunt 11 Octobris emendata capitula seu conditiones ad admittendam Universitatis curam necessariae.—Polancus, *ex commissione,* Patri Natali, de numero lectorum in Universitate, reservandum judicium Ignatio, 15 Novembris.—Patris Natalis litterae ad Ignatium et Polancum.—Vide etiam annot. in t. I, praesertim sub nn. 348 et 350.

Digitized by Google

58. Studia interim nostra usque ad tempus vacationum diligenter continuata sunt; sed cum instante jam autumno, scholastici animadverterent Universitatis negotium differri, qui superiorem cursum philosophiae audiebant sub magistro Isidoro, in logicis et physicis versati, Patavium fere omnes se contulerunt; et ita non est visum expedire ut in studiorum renovatione novus cursus inchoaretur, sed quem inchoaverat P. Andreas Frusius (qui in Italiam ab obedientia revocabatur, ut mox dicetur) ut Magister Isidorus prosequeretur, et si scholastici adessent, theoricam planetarum vel aliquid ex astrologia P. Natalis praelegeret, et aliam lectionem de contractibus. Et sic lectiones Octobri mense, praemissa oratione magistri Benedicti et praesentibus juratis, inchoatae sunt. Judicaverat quidem P. Natalis sibi Romam veniendum esse ut cum P. Ignatio de rebus Universitatis conferret, et id quidem ad P. Ignatium retulerat; sed cum ipsius prudentiae res tota relicta esset, non existimavit opera ea in quae incumbebat deseri posse. Nam praeter gubernationem Collegii et domus probationis curam, et omnium studiorum quae in diversis classibus tractabantur, duas praelegebat ordinarias lectiones, et diebus veneris christianam doctrinam explicabat. Festis etiam diebus cum P. Andrea Frusio in templo nostro concionabatur; nec interim in cathedrali ecclesia lectiones pomeridianas dominicis diebus omittebat; confessionibus etiam aliquando vacabat ut externis fieret satis; alia etiam pia negotia ei tractanda necessario videbantur, ut quod bene coeptum erat ea in civitate, cum bono ipsius odore augeretur; et sic omnes nostrae spirituales exercitationes cum consequenti fructu potius auctae sunt, quam ulla in parte imminutae.

59. Militibus etiam utilem operam in concionibus Magister Isidorus in castello impendebat, quod confessiones ad quas accedebant et conjugia cum concubinis suis inita testabantur. In triremi etiam, quae sola ibi relicta erat, vincti remiges a nostris adjuti per sacramentum poenitentiae suas conscientias expurgarunt. Ne tamen lectiones omitterentur, ex praescripto visitatoris P. Jacobi Laynez in quadragesima non quotidie sed dominicis et festis tantum diebus est praedicatum, immo et tempore carnis-privii curatum est, ut dissolutiones, quae tunc in usu esse solent, non impedirent quominus multi ad sacramenta confessionis et communionis accederent et concionibus frequenter in-

Digitized by Google

teressent; quod multum aedificationis civitati praebebat, cum ea, quae in quadragesima fieri solebant, in carnis-privio fieri observarent.

60. Quidam etiam eo tempore ab immundo spiritu per Dei gratiam liberatus est, a quo quatuor annis vexatus fuerat; nec deerant id temporis qui domi nostrae carnis-privium honestius exigerent, cum tres et quatuor singulis noctibus sponte sua magna cum humilitate pro suis et publicis peccatis flagellis se caederent, cum magna interim charitate inter se et fraterna unione Deo inservientes.

61. Quidam ex nostris fratribus, Petrus scilicet Riera, tam graviter tunc aegrotavit, ut miraculo datum sit, quod illud periculum mortis evaserit, quod humanis viribus haud fieri potuisse videbatur [1].

62. Consuetum erat ut octavo quoque die Romam e singulis locis scriberetur, et a P. Ignatio diligenter id exigebatur, cujus litterae, si propter occupationes aliquando nostris plus solito dilatae fuissent, quasi lacte consuetae consolationis privati conquerebantur, et castigationis loco id ferebant [2].

63. Cum processiones publicae Messanae ter magna cum pompa factae fuissent, in omnibus a nostris cum aedificatione concionatum est, cum eorum opera ad id expeteretur.

64. Cum epistolam ad romanos P. Natalis praelegisset in cathedrali ecclesia aestivo tempore, psalmos Davidis ibidem legere aggressus est, et loco doctrinae christianae in meditationis modum vitam Christi, prout in Evangelio continetur, auditoribus cum non poenitendo fructu exposuit, et tempore illo, quo a studiis vacandum erat, sphaeram etiam praelegit in Collegio.

65. Cum aliqui amicitia valde conjuncti magnopere jubilaei gratiam Messanae obtinere posse optassent, per P. Natalem eorum desideria P. Ignatio fuerunt significata, qui cum a Sum-

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Hieronymo Natali, de aegritudine Petri Riera, mense Martio sub finem.

[2] De litterarum Romam ex omnibus locis, ubi aliquis de Societate degit et laborat, mittendarum, modo, tempore, materia, forma, etc., encyclicae, seu, ut dicebantur, *circulares* litterae ad omnes et singulas Societatis domos missae, die 8 Februarii.—Polancus, *ex commissione*, Mtro. Nicolao Launoyo, ut singulis hebdomadibus Romam scribat, 22 Februarii. Idem Patri Hieronymo Natali, ut nitidiores, quae ab aliis legi intelligique possint, dum aliis scribit, effingere curet litteras, 22 Martii. Idem eidem, ut cum Romam scribit, litteras, non Polanco sed Ignatio inscriptas mittat, 7 Junii.

Digitized by Google

mo Pontifice id obtinuisset, mirum cum quanta actione gratiarum id sanctum munus fuerit exceptum.

66. Cum autem ex Africa victor, Deo juvante, Joannes de Vega Pro-rex, Aphrodisio capta *(Africam* vulgo vocabant), unde Dragut, pirata insignis, Siciliae et Italiae oras facilius infestare poterat, in Siciliam rediisset, rogavit civitas Messanensis P. Natalem, ut ipsius nomine Pro-regem adiret, ac eum nomine ipsius civitatis de Praesidentis, qui obierat, morte consolaretur, et quod praecipuum erat, ut liberationem quinque juratorum qui damnati et in exilium missi fuerant, impetraret. Panormum ergo se contulit P. Natalis, ubi ante adventum Proregis aliquot dies utiliter et magna cum consolatione sua et fructu substitit, ut de rebus ad illius Collegii promotionem ageret. Inde Drepanum, ubi Pro-rex versabatur, nomine civitatis ipsum invisit, et e quinque juratis, trium liberationem omnimodam impetravit et reliquorum in locum viciniorem Messanae et commodiorem translationem; et quia hi duo poenam majorem commeruerant, haec translatio non minus quam aliorum liberatio civitati satisfecit. Cum multis reliquiis Sanctorum, quas illi Domina Isabella, Pro-regis filia, donaverat, Messanam rediit, et multum consolationis civitati attulit. Eo tempore, scilicet adventus, cum magna animorum commotione nostri concionabantur; auditores autem plures erant quam ut eos templum capere posset; ad sacramenta etiam solito frequentius accedebant.

67. Non omittam quod egit P. Natalis de abstinentia, quae die veneris fit, ad jejunium more Ecclesiae redigendam, quia videbatur in coenularum modo excedi; sed circa id P. Ignatio nihil immutandum esse videbatur [1].

68. In monasteriis monialium et in compitis viarum publicarum conciones vel exhortationes habitae sunt et tantopere aucta est communicantium frequentia, ut non jam eis in fine sacrorum, sicut prius, posset satisfieri, sed in altari separato sacerdos, qui ad hoc unum vacaret, est constitutus, et vulgo reformatam esse magna ex parte civitatem illam propter morum in multis mutationem dicebant [2].

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali, de jejunio diei Veneris, ne quid inducat praeter morem romanae domus, ubi uniuscujusque arbitrio id relictum est, 6 Decembris.

[2] Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali, de Abbatissa monasterii Sanctae

Digitized by Google

69. Praeter castellum illud, quod in brachio Caribdis, sub titulo Sti. Salvatoris, situm est, ubi septuaginta milites hispani cum suis familiis versantur et ubi concionibus magistri Isidori ad reformationem insignem milites adducti sunt, in alio etiam castello idem pietatis opus praestitum est.

70. In civitate restitutiones multae factae sunt; ex statu peccati mortalis et periculis eorum multi educti fuerunt; quod cum religiosus quidam ordinis capuccinorum ita se habere comperisset, ad Collegium venit, Deo gratias agens ex animo qui Societatem in spiritu et veritate incedentem in Siciliam adduxisset; aliqui obsessi a malis spiritibus adjuti sunt, et in hujusmodi afflictione constitutos ad nostros fere semper deferebant.

71. Numerus nostrorum ad triginta hoc anno Messanae ascendebat, decem illis novitiis, de quibus supra, computatis, qui velut flos scholarum in eisdem satis cogniti fuerant, et in spiritu et constantia et animi consolatione viam Domini incedebant [1].

72. Episcopus papiensis, haereticae pravitatis Inquisitor, ad P. Natalem scripserat ut aliqua ad sanctum illum officium pertinentia exsequeretur; at quia criminaliter procedendum erat, non id munus acceptavit P. Natalis, cui rescripsit Inquisitor admirari se significans quod hujusmodi munus ad haereses exstirpandas pertinens recusaret, nec ulla privilegia valida fore in his quae ad officium illud pertinent detrectanda affirmabat. Sed tamen propter eum charitatis affectum, quo Societatem complectebatur, excusationem in aliis admisit; in libris tamen videndis, an haeretici essent necne, operam nostrorum se etiam tunc desiderare nec juste negari posse significavit. Itaque in suspectis hujusmodi libris examinandis Inquisitori gratificatum est, et nostrorum judicio multi libri sine cujusquam infamia combu-

---

Mariae *dell'Alto*, 22 Februarii. Idem eadem die eidem Abbatissae. Idem Natali, de eadem Abbatissa, 17 Maii et 20 Septembris.

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Hieronymo Natali de Magistris Juvenali et Petro Bressano ad Sacerdotium promovendis, 11 Januarii; de Joanne Baptista Bressano, seu Passarino, Isidoro Bellini et Stephano Baroëllo, 7 Junii. Idem Joanni Baptistae Bressano, ne syndicus velit appellari, et poenitentiam agat de commissis adversus Natalem, eadem die. Idem Hieronymo Natali, de iis, qui Roma Messanam post aestatem mittendi sunt, 23 Augusti; de duobus Roma Messanam missis, 30 Augusti, et 6 Septembris; de instaurandis Messanae studiis, eorumque ordine et lectorum tum antiquorum tum novorum distributione et laboribus, 20 Septembris. Idem Stephano Baroëllo et Joanni Baptistae Passarino ut sub obedientia sint Patris Natalis, 4 Octobris. Idem Patri Natali, de Stephano et Joanne Baptista, eadem die.

Digitized by Google

sti sunt, qui in librariorum officinis inveniebantur. Dedit etiam illis auctoritatem Inquisitor eos omnes absolvendi, qui suspectos hujusmodi libros habuissent; nec fructus exiguus ex concessionis hujus usu consecutus credebatur [1].

73. Postulaverat idem Episcopus Inquisitor ut P. Andreas Frusius, sicut anno praeterito, ita et hoc ipsi donaretur, ut ejus opera in visitanda dioecesi uti posset; et vigesima quinta die Martii, instante jam hebdomada Sancta, eo missus est; et tam utilem operam Episcopo et ejus dioecesi navavit. Et ut summa cum hilaritate ab eo exceptus fuerat, ita cum ejus dolore non exiguo duodecima die Aprilis iter Messanam versus suscepit. Et mirum est paucis illis diebus quantopere animarum negotium promoverit; nam et suis litteris Episcopus insignem fructum collectum esse testatur. Erat civitas pactensis a publicis usurariis sic vexata, ut plurimi cives, usuris intolerandis gravati, relicta civitate, in montibus et speluncis errarent; et curavit P. Andreas ut omnes usurarii confiterentur; et ad restitutionem juxta Episcopi arbitrium cum obligati essent, super centum et quinquaginta familiae in civitatem cum magna omnium aedificatione redierunt.

74. Sub aestatis finem cum Dominus Andreas Lipomanus, Prior Trinitatis, praesentiam P. Andreae Frusii Venetiis expeteret, P. Ignatius eum ex Sicilia revocavit; et quamvis cives Messanenses minarent ejus recessum Universitatis fundationi non parum incommodi allaturum, nihilominus sexta die Septembris Romam missus est, ubi die decima septima Octobris in manibus P. Ignatii solemnem quatuor votorum professionem emisit [2].

75. Panormi hoc anno res Collegii nostri magna incrementa ceperunt. Scholasticorum numerus ad trecentos et octoginta ascendebat; quamvis in superioribus classibus rhetorices et logices pauciores essent quam in aliis classibus, in quibus, quo inferiores, eo frequentiores numero auditores erant. Id autem nostros inter labores magnos multum consolabatur

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Hieronymo Natali, quid in obsequium Episcopi Papiensis, Siciliae Inquisitoris, praestari a nostris possit, 22 Martii.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, amplius quam per unum annum Andream Frusium in Sicilia manere non posse, 22 Februarii. Idem Hieronymo Natali ut Andream Frusium quam primum Venetias dimittat, 16 Augusti.

Digitized by Google

quod egregie hi scholastici in litteris proficiebant. Erant qui tres et quatuor annos scholas triverant, quin tamen fundamenta grammatices solida jecissent; nunc autem fatebantur ipsi quod his paucis mensibus, quibus ad novum Collegium venerant, plus quam toto reliquo tempore profecissent, ordini docendi et diligentiae praeceptorum et in primis auxilio Dei acceptum id ferentes. In moribus autem eos progressus fecerunt ut tam magistri quam confessarii non parum Dei bonitatem erga illos admirarentur, qui videbantur ideo praecipue ad Collegium accedere ut de vita mutanda serio cogitarent et, Deo propitio, a suis moribus malis ac peccatis consuetis recederent. Singulis mensibus omnes confitebantur, aliqui decimoquinto quoque die; quotidie Missae sacrificio intererant, et diebus dominicis etiam concioni; a prandio vero multi eorum ad suos praeceptores accedebant, qui de rebus spiritualibus et ad virtutem pertinentibus cum eis agebant. Sed prae caeteris lectio P. Laynez, quam diebus veneris in scholis eis praelegebat de rebus ad eos pertinentibus, ad eorum profectum in moribus et etiam in litteris faciebat [1].

76. Concionabatur praeterea P. Laynez diebus dominicis in templo quodam ex praecipuis ejus urbis, et tam Pro-rex quam alii nobiles viri et populares plurimi cum magna satisfactione et admiratione eum audiebant; et expetebant quidem auditores ut ibidem in quadragesima etiam concionaretur; sed quia procul erat templum a palatio Pro-regis ac totius curiae, idem templum, in quo praecedente quadragesima hoc munus praestiterat electum est.

77. In custodiis publicis, praeter confessiones plurimorum, curatum est ut viginti ex eis, qui propter debita detinebantur, conquisitis a Pro-rege et ab aliis eleemosynis, liberarentur; et quia multi ex eis aegrotabant et aliqui etiam moriebantur, et periculum erat ne alios maligna eorum febris inficeret, magno labore nostri obtinuerunt ut ad xenodochium curandi educerentur, qui hac ratione vitam se retinere fatebantur. Quia tamen, licet custodiae adhiberentur, periculum erat ne fugam aliqui arriperent ad xenodochia educti, et si in ipso carcere relinque-

[1] Ignatius Joanni de Vega, Siciliae Pro-regi, de Pontificis Bullis in favorem Universitatis Panormi erigendae, 29 Martii. — Panormi civitas Hieronymo Natali, de Collegio Panormi erigendo et quid in eo a Societate praestari debeat, 14 Aprilis.

Digitized by Google

rentur, eorum multis mors, cum aegrotarent, imminebat, Julianus frater noster belga, praeter alias spirituales consolationes verbi Dei et Sacramentorum et corporales etiam eleemosynas, quas ex palatio ad eos deferebat, coepit quasdam habitatiunculas in hujusmodi hominum detentorum usum aedificare. Sed dum inter eos, charitatem aegrotantibus impendens, versatur, morbum ipse contraxit, ex quo vitam temporalem cum aeterna, ut speratur, commutavit. Nec solum in custodia detenti, sed fere totum palatium Pro-regis et alii plurimi, quibus notus erat, ejus decessum graviter tulerunt; odorem enim optimum ejus pietas late sparserat; sed placuit divinae bonitati, postquam omnia Sacramenta suscepisset, ejus labores in aeternam quietem commutare. Verum eodem fortassis adjuvante, prosecutus est Pro-rex quod ille inchoaverat; habitatiunculas pro infirmis satis commodas cum lectis aliisque rebus necessariis parare jussit, et duos, qui aegrotantes curarent, adhibuit; ac denique ut medicamenta et si quid praeterea opus esset, ipsis suppeditaretur constituit; et ut pium id opus diutius permaneret, evocatis ad se notariis publicis eos hortatus est Pro-rex ut hanc provinciam curationis eorum, qui in custodia detinerentur, susciperent, et ad P. Jacobum Laynez et Hieronymum Domenech eos misit ut ipsorum consilio hoc pium opus promoverent. Quod cum fecissent et instructionem accepissent, dictus est a notariis, qui supra quinquaginta Panormi erant, dies et locus, ubi congregarentur, constitutiones ediderunt et juxta illas ministros, ut suo quisque officio in hoc opere pio fungeretur, elegerunt; pecuniam etiam non exiguam ad id ipsum contulerunt; unde ipsi curam et laborem hunc pium inter se dividentes, carceres invisebant, et multos, soluta pro eis pecunia, vel impetrata a creditoribus venia, liberarunt; et in posterum fructus non exiguus ex hac instituta confraternitate sperabatur. Ipsi etiam notarii ad vitam et actiones suas reformandas, ad crebrius ad Sacramentum poenitentiae accedendum et eleemosynas largius erogandas excitati, non parum proficere ad commune bonum coeperunt; et sua ad id etiam statuta confecerunt.

78. In triremibus, quae Panormi tunc erant, aliqui ex nostris suis concionibus omnes fere christianos etiam remiges, qui in eis versabantur, ad confessionem bene instituendam permoverunt, et sacerdotes deinde, tam ipse P. Laynez quam alii,

Digitized by Google

suam operam eorum audiendis confessionibus diligenter praestiterunt. Erat autem eis poenitentiae sacramentum pernecessarium; cum aliqui decem, quindecim et viginti jam annos hoc sacramento caruissent, aliqui numquam ad id accessissent, ut uno ore homines illi faterentur quod Dominus eos visitasset et animas ipsorum perditas recuperasset.

79. Curatum est etiam ut puerorum orphanorum opus promoveretur, ac stabiliretur. Nulla enim hominum congregatio vel confraternitas eorum curam susceperat. In concione ergo frequenti, cui Pro-rex et tota civitas intererat, litteras apostolicas ad eos pertinentes P. Laynez promulgavit et tam pium opus serio commendavit. Deinde ex praescripto Pro-regis duo viri primarii reliquos nobiles panormitanos sunt allocuti, ut congregationi, quae de his curam haberet, sua nomina darent; et paucis diebus super quinquaginta non vulgaris auctoritatis viri in congregationis alvo descripti fuerunt, et constitutiones conditae sunt, et officiales creati, qui coeptum opus conservare et augere niterentur [1].

80. Initio quadragesimae, cum cordi esset Pro-regi scholarum incoeptarum progressus, ut juventus fundamenta pietatis ac virtutis simul cum eruditione firma jaceret, voluit sua praesentia eas cohonestare. Initio ergo quadragesimae comitatus a praetore et juratis duobus, marchionibus Terraenovae et de Girasso et aliis nobilibus, quos *barones* vocant, ad Collegium se contulit, et classes singulas adivit, et quae in illis exercitia fierent stans parumper animadvertit. In prima quidem classe rhetorices sedit et lectionem ac brevem orationem habitam audivit; et cum recitarentur carmina quaedam et disputationes haberentur inter discipulos, tam hujus quam aliarum classium, omnia cum magna laetitiae significatione audivit, multumque non scholasticos solum sed eorum parentes ac civitatem ipsam ad hoc institutum Collegii augendum et fructum ex eo capessendum excitavit; aedes etiam Collegii, immo et singula cubicula, lustravit; sponte sua deinde de stabiliendis Collegii reditibus et emenda domo, quae conductitia erat, rationem inire

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Domenech, de Pontificis bulla in favorem domus orphanorum Panormitanae, 22 Februarii. Idem Patri Laynez de eadem Bulla, 17 Maii. Idem eidem, de litteris Cardinalis Farnesii et de informatione ad Cardinalem Maffaeum, eadem die.—Cardinalis Farnesius Patri Laynez, 26 Aprilis.

Digitized by Google

coepit. Cum tamen expeditionem in Africam intento admodum animo et cura tractaret, ad reditum usque suum fundationis hujus negotium distulit [1].

81. Hac quadragesima Pro-regi ac nobilitati, qui eum comitabatur, sicuti et aliis auditoribus in suis concionibus P. Jacobus Laynez multum in Domino satisfecit, sed intermittendae fuerunt ab eo conciones sub finem quadragesimae, cum Domina Leonora, Pro-regina, in gravissimum morbum incidisset; quae, cum mortis periculum immineret, tam P. Hieronymum quam ipsum P. Jacobum Laynez sibi omnino assistere voluit, quod et fecerunt; et ipsa die Dominica Palmarum placuit divinae bonitati eam ad meliorem vitam transferre. Talis enim fuit ejus mors qualis et vita fuerat, plena fide, devotione, charitate et humilitate ac mundi contemptu, amore et cura filiorum et domus, ac praecipue sui mariti, cui se etiam valde reverentem exhibuit. Latissime etiam patuit ejus charitas et misericordia erga pauperes, afflictos et peccatores. In extrema illa aegritudine multa patientissime toleravit, et omnibus sacramentis Ecclesiae cum fame sancta et devotione acceptis, et semper praeter maritum ac liberos et domesticos (qui omnes eam ad bene moriendum pro virili parte adjuvabant) viros etiam spirituales prope se usque ad ultimum spiritum habuit, magno sui desiderio ac doloris sensu ac testimonio praeclaro suae virtutis ac bonorum operum in tota civitate ac provincia relicto, animam efflavit, ut merito cogitandum sit, quod in ipso die Palmarum Pro-reginam Siciliae ad coeleste regnum promovere Dominus voluisset. Plurima Missarum sacrificia juxta ipsius preces et in Sicilia et Romae pro ipsius anima sunt a Societate oblata, et tam in mariti quam liberorum animis observatum est post ejus mortem quod magnos progressus in pietate et mundi contemptu fecerint [2].

82. Voluit Pro-rex ut in monasterio Sancti Dominici, quo se receperat ob sanctos hos dies et ob mortem uxoris, sibi et filiae, Dominae Isabellae, quam penes se habebat, P. Jacobus Laynez et Hieronymus, etiam noctibus ibidem dormiendo, deinde ad multam noctem perseverando, adessent. Ibidem P. Laynez ea

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Domenech, de reditibus Panormitano Collegio assignandis, 3 Maii.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Laynez, de iis quae Collegio Panormitano reliquisse in testamento dicebatur Pro-regina Siciliae, 3 Maii.

Digitized by Google

hebdomada et in festis Paschae concionatus est. In mensa autem et compluribus horis diei ac noctis ex eorum colloquiis magnam consolationem capiebat; et cum post festum Paschae in arcis palatium migrasset, ibidem etiam P. Jacobum, cum ageretur de testamento D. Leonorae implendo, secum retinere voluit. Filii etiam, Dominus Ferdinandus et Alvarus de Vega multum consolationis ab eisdem Patribus acceperunt. Tertius etiam, Suerus, in Collegium nostrum se contulit, et ibidem aliquot dies in spiritualibus exercitiis versatus est.

83. Debuit etiam P. Ignatius consolatorias ad Pro-regem et filiam litteras mittere, quae non tam ut officiosae sed ut multum doctrinae et consolationis spiritualis habentes ab eis accipiebantur, et magni fiebant. Crevit in Pro-rege amor erga Societatem post uxoris obitum, et de ea augenda ad commune bonum non tantum in Sicilia sed in Africa etiam cogitabat. Reliquit suam voluntatem contestatam Pro-regina ut Collegium Panormitanum succederet ut haeres in omnibus bonis Regentis, Ludovici Sanchez, defuncti, et ut domus (de quibus superius facta mentio) venderentur et ex pretio earum reditus emerentur [1].

84. Die mercurii post Pascha exequiae Pro-reginae celebratae sunt, in quibus rogarunt P. Jacobum Laynez ut concionem funebrem haberet; in qua peculiaris ei gratia Dei, forte per ipsam Pro-reginam impetrata, affluxit; sic enim de morte in genere et in particulari de illius morte et de praeparatione ad bene moriendum dixit, ut cum magna aedificatione et lacrymis uberrimis auditorum fuerit auditus; et eamdem concionem sibi et filiae repeti voluit Pro-rex, quae populo fuerat praedicata [2].

85. Quidam etiam ex nostris, Franciscus Sambechus nomine, paulo post cum magna sua consolatione et animi gaudio ex

---

[1] Ignatii ad Pro-regem Siciliae ejusque filiam, Elisabetham, litteras habes in *Cartas de San Ignacio*, t. II, a pag. 217 ad 224. Eadem die, 12 Aprilis, ad omnes Societatis domos missae sunt litterae ut suffragia a sociis singulis fierent pro anima Eleonorae de Osorio, Siciliae Pro-reginae.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, de suffragiis a Societate factis pro anima Dominae Eleonorae, Siciliae Pro-reginae, et de iis, quae facienda adhuc expetit Dominus Esquivel, e Pro-reginae ministris; item Ignatium paratum esse votis defunctae Pro-reginae obsequi erga Dominam de Araujo, praecipuam ex ejusdem Pro-reginae pedissequis, 28 Junii. Ignatius Dominae Mariae de Araujo, ne monialium, quas *muratas* vocant, ingredi monasterium velit, 13 Septembris.

Digitized by Google

hac vita decessit. Cum enim paulo ante verba illa repeteret: ***beati mortui, qui in Domino moriuntur,*** et PP. Laynez et Domenech, de praeparatione ad mortem cum illo agentes, interrogassent, libentiusne esset aliquamdiu in hac vita mansurus an ad paradisum iturus, cum hilaritate respondit : ad paradisum, ad paradisum. Magnam in aegritudine molesta patientiam et cum voluntate Dei conformitatem semper exhibuit, adeo ut de illo dici possit, ut Superior ejus scribebat: non murmur resonat, non quaerimonia, sed corde tacito mens bene conscia conservat patientiam. Nona die Aprilis ex hac vita decessit.

86. Resumpsit P. Laynez praedicationem christianae doctrinae ad scholasticos, quibus quadragesimae tempore P. Hieronymus Domenech, ne praedicationum aut lectionum fructu privarentur, post primum sacrum absolutum, antequam lectiones inchoarent, concionatus est. In xenodochiis cum fructu etiam nostri versati sunt.

87. Hoc tempore cum Pro-rex aliquos religiosos, qui facinorosi fuerant, capi curasset, et quod eorum superiores nec ministros ad judicandum admodum idoneos, nec quod puniendi zelum haberent existimaret, ut stimulum eis adderet, injunxit ut ad se referrent qua punitione eos mulctassent. Quia vero jurisdictionem ecclesiasticâm ea in parte laedi P. Hieronymus judicavit, praeter emendationis propositum ab eo exegit ut a Summo Pontifice de praeteritis absolutionem peteret; et ita P. Ignatio scripsit Pro-rex, ut Summo Pontifici pro ea gratia ac benedictione supplicaret [1].

88. Rediit ex curia Imperatoris Caroli et praeter alia, quae ex sententia Pro-regis Caesarea Majestas concesserat, primam abbatiam, quae vacasset, cujus reditus ad quingentos vel sexcentos ducatos ascenderet, Collegio Panormitano donavit. Quia tamen Imperator respondit privatis litteris Pro-regis se ejus informationi fidem adhibuisse, de Societate tamen nostra

---

[1] Ignatius Joanni de Vega, Siciliae Pro-regi, quid cum Pontifice egerit ad ejus absolutionem a censuris obtinendam et ut in posterum ei liceat in monachorum et clericorum reformationem, servatis servandis, incumbere, 29 Martii. Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Domenech, de tribus, quae a Pontifice in favorem Joannis de Vega impetravit Ignatius, eadem die. Idem Patri Laynez, quid in causa de violata clericorum exemptione sit actum, 12 Aprilis. Idem eidem, Cardinalis Farnesii quaerimoniae adversus Pro-regem, 17 Maii.

Digitized by Google

qualis esset, aliunde se informationem non habere, existimatum est non esse quidem oblitum Imperatorem, sed a quibusdam ejus ministris, qui, cum esset in Germania, non admodum aequos se praebuerant P. Nicolao Bobadilla, eam dubitationem profectam esse; et sponte sua Pro-rex dixit velle se Imperatorem plenius de Societatis nostrae rebus informare; unde confirmationem Societatis authenticam ad Imperatorem misit, ac supplicavit ut a Summo Pontifice et Cardinali Burgensi, Ducis Albani fratre, et a Rege Romanorum Ferdinando et a Principe Philippo, filio suo, informationem peteret; et quam utilis Societas futura esset, non solum in regno Siciliae, sed etiam in Africa et Asia et ubique gentium significavit; unde quod daemon ad imminuendum Societatis progressum tentaverat, ad eum promovendum convertere Pro-rex adnisus est.

89. Conversarum coenobium egestate premebatur, et ad eas sublevandas et meretricibus viam ad salutem aperiendam, haec ratio inita est. Publico edicto hoc genus foeminarum prohibebatur ne pallia (quo genere amictus foeminae uti solent Panormi) gestarent, scilicet, ut ea ratione ab honestis foeminis secernerentur. Illae autem sine pallio incedere erubescentes, nec in publicum ire volentes, nec communionibus nec sacris intererant. Accedebat etiam aliud incommodum, quod pauperculae, licet honestae, mulieres, cum non haberent unde sibi pallia compararent, meretrices a multis habebantur; ut utrisque ergo ac simul monasterio conversarum consuleretur, curatum est ut alio edicto publico promulgaretur ut meretrices illae, quae cuperent sibi usum pallii concedi, sese primo die sabbati cujuslibet mensis ad templum quoddam conferrent, ubi concionem ad conversionem earum applicatam audirent, et nomina sua adnotari curarent, et singulae duos regales singulis mensibus in eleemosynam conversarum erogarent. Primo ergo sabbato Maii quatuor matronae primariae civitatis, et cum eis P. Jacobus Laynez et Hieronymus Domenech, adhibito ecclesiae sacerdote et notario, convenerunt. Accessere eodem die septuaginta meretrices et magno cum silentio et multis cum lacrymis concionem audiere, et suas eleemosynas obtulere. Aliquae autem ex eis quotidie a turpitudine vitae suae reduci ad honestatem coeperunt. Nec solum ad conversarum usum, sed etiam ad paupercularum ex eis dotem, ut matrimonio conjungi

Digitized by Google

possent, per eleemosynas prospiciebatur. Signum nihilominus quoddam instituta congregatio his peccatricibus foeminis addidit, ut a matronis honestis distinguerentur.

90. Fama Collegii Panormitani per alias vicinas civitates pervagata est; unde Catanenses cives (qui sua in civitate primariam Siciliae Academiam habent) et Termenses ac Colinionenses Pro-regi supplicarunt ut initium aliquod Collegii in eorum civitatibus institui curaret. Novem autem aut decem ex nostris suis sumptibus alere et de necessariis prospicere volebant. Sed non poterat occupata multis in locis Societas, et in Sicilia nondum solidam habens dotationem Messanae et Panormi, nova haec onera subire. Quamvis erga Panormitanum civitas satis affecta videretur, et, ut in quadragesima, ita sub finem Maii novi praetores et jurati scholas nostras inviserant et exercitationibus scholasticorum interfuerant, et ultimo assidentes orationem auscultarunt, in qua Magister Joannes Rogerius de magistratibus deque fructu studiorum disseruit, qua illi ad summam manum huic operi imponendam excitati fuerunt. Addebat et praetor aliud esse fructum hunc oculis videre, aliud ex aliorum relatu audire, nec posse in meliorem usum aliquam suorum vectigallium partem converti, quam ad Collegium hoc stabiliendum [1].

91. Cum Pro-rex et Episcopus Mazarensis rogassent P. Jacobum, ut episcopatum Mazarae inviseret, non detrectavit laborem; sed quia aberat P. Hieronymus, usque ad ipsius reditum rem differendam existimavit [2].

92. Egerunt et nostri de captivorum redemptione et multi ex primariis et copiosis viris ad tam pium opus animati sunt et pecuniam ad id conferre coeperunt eo animo ut singulis annis prosequerentur.

93. Cum expeditio in Africam praepararetur, multi nobiles et alii milites ad confessionis Sacramentum accedebant, et cum is annus jubilaei esset, et contra infideles expeditio haec susciperetur, visum est P. Jacobo Laynez multum eam juvari posse,

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, de Collegio in urbe Termini erigendo, quid fieri possit aut saltem promitti, 7 Junii.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, de mittendis qui per varia Siciliae loca discurrentes, confessiones audiant, concionentur, etc., mense Martio.—Joannes de Vega, Siciliae Pro-rex, Ignatio, de Patribus Laynez et Domenech, 24 Januarii.

Digitized by Google

si Summus Pontifex his, qui peccata confiterentur in exercitu vel antequam ad illum se conferrent, jubilaei indulgentiam concederet; et cum ea de re aliquid cum Pro-rege contulisset, valde eam ille probavit. Non solum enim ea ratione morientium animis consulebatur, sed ad fortiter et intrepide pugnandum milites excitabantur. Scripsit ergo ad P. Ignatium Pro-rex rogavitque ut suo nomine Pontifici supplicaret ut qui eo in bello occuparentur, nec Romam venire possent, jubilaei gratiam et indultum etiam consequerentur. Obtinuit illud P. Ignatius et ejus concessionis testimonium manu sua subscriptum et sigillo Societatis obsignatum duplici exemplo in Africam, quo jam exercitus se contulerat, transmisit.

94. Erat Joannes de Vega, Siciliae Pro-rex, ab Imperatore Carolo omnium expeditionum, quae in Africa fierent, generalis Dux constitutus. Cum autem hoc anno classis Caesarea, cui triremes etiam Pontificiae ac equitum melitensium et Ducis Florentiae adjunctae fuerant, ad Dragutum, piratam insignem et oras maritimas christianorum infestantem, esset egressa, impetus ventorum eam ad quamdam Africae civitatem, quae *monasterium* dicitur, detulit; quam occupavit et aliam non procul distantem, quae Africa, olim Aphrodisius, dicitur, capi posse intellexerunt. Inter divinationes autem suas hoc habebant saraceni quod, Aphrodisio capta, Africae provinciae in manus christianorum essent venturae. Cum ergo Pro-rex Joannes de Vega ad expugnationem hujus urbis iturus esset, P. Jacobum Laynez est allocutus et an se comitari vellet in ea expeditione intelligere ab eo voluit. Significavit ei, prout res erat, P. Laynez Summum Pontificem, rogatu Ducissae Florentiae sibi injunxisse ut sequenti autumno Florentiam se conferret. Addidit etiam quod molestum sibi esset futurum ei bello interesse, ubi aliud nihil quam obedire avaritiae christianos milites cum scandalo infidelium et sine occasione evangelii Christi promulgandi, esset inspecturus; alioqui se promptissimum, immo et valde propensum, ad hanc profectionem in Africam fore. Cum autem Pro-rex reditum ante autumnum, ut Florentiam ire posset, promitteret, et multa in malis impediendis et bonis ad Dei gloriam promovendis ab eo fieri posse assereret, affirmans etiam quod gratum esset futurum P. Ignatio, quodque in tali necessitate et ad opus tam pium posset eum ipse jubere, acquievit libenter P. Laynez;

Digitized by Google

cum praesertim a P. Ignatio injunctum ipsi esset ut, quamdiu in Sicilia nostri forent, Pro-regi obedirent [1].

95. Mense igitur Junii cum classe profectus est et ipsa in navigatione de exercitu bene mereri coepit; nam quodam in loco, ubi multi congregabantur, quomodo se gerere in bello christianus miles deberet instruxit, et in tempestate, quam passi sunt, tam in animandis quam in adjuvandis in spiritu militibus magno animo se exercuit. Sed et ejus socius, Martinus de Zornoza, Pro-regem ipsum, tempestate jactatum prope oram Africae, ut in terram egrederetur utilem operam praestitit.

96. Postquam autem in Africam classis descendisset et Aphrodisium obsidere atque oppugnare coepissent, et multo majus praesidium et dificiliorem, quam excogitaverant, expugnationem invenissent, coeperunt non pauci partim vulnerati, partim aegrotantes, ejus opera indigere, et tam in morientibus juvandis quam in male habentibus curandis perutilem operam praestitit; et inter labores maximos cum ex quatuor religiosis capuccinis duo vita functi essent et alii duo aegrotantes Siciliam rediissent, ipse tamen cum socio, pene solus relictus, hospitalis curam sustinuit; nec solum in confessionibus et aliis ad spiritualem profectum pertinentibus utilem operam praestitit, sed etiam infirmarii officio, catapocia et clysteres per se ipsum exhibendo, et Marthae et Mariae fungi officiis debuit. Id autem inter hos labores eum consolabatur, quod multos ad viam salutis reduci per Dei gratiam videbat. Ipse etiam Pro-rex, et Dominus Garcia de Toledo, et Dominus Alvarus de Vega ipsi inter alios confitebantur. Cum autem magnopere protracta obsidione, numerus aegrotantium et vulneratorum crevisset, voluit Pro-rex eum hoc labore levare, et fere centum et octoginta in Siciliam deferri ut curarentur jussit: et tum confessionibus audiendis et juvandis morituris ad tempus vacavit, qui duodecim vel quindecim vel viginti annis non erant confessi, et tamen per Dei gratiam ad salutis sperandae statum eo tempore reducti sunt,

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, ne nimium facilem se ad iter in Africam suscipiendum praebeat, cui obstat Pontificis voluntas eum in Urbem e Sicilia evocans, 12 Aprilis. Idem eidem de ejusdem profectione in Africam, 26 Aprilis. Idem Hieronymo Domenech, de iis quos in Africam mitti rogat Siciliae Pro-rex, 20 Septembris. —Patris Laynez litterae ad Ignatium et Polancum.

Digitized by Google

ex quibus aliqui monachi erant apostatae. Curavit autem ut qui ex his vixerunt, ad bonum statum se reducerent, qui autem moriebantur cum contritione et bono proposito faciendi quod debebant, in gratia Dei morerentur. Non tamen diu a priori sollicitudine corporum curandorum immunis fuit; placuit enim Deo ut ministri a Pro-rege in hospitali constituti quo aegrotis inservirent, in morbum ipsi inciderent, et aliunde etiam aegrotantibus ex vulnere aut morbo hospitale impleretur; unde ad priorem sollicitudinem P. Laynez cum socio rediit.

97. Pervenit interea ad castra Pro-regis testimonium Patris Ignatii de gratia jubilaei exercitui concessa, quod cum classicis et tubis per tota castra fuit promulgatum. Voluit etiam Pro-rex ut ipse P. Laynez de eodem jubilaeo concionaretur. Fuit autem ea indulgentia cum summa animorum laetitia ac devotione a militibus excepta, et ad confessiones milites tam frequentes accedebant ut aliquando usque ad sex noctis horas P. Jacobus Laynez in confessionibus hujusmodi esset occupatus; omnes enim majores et minores hac frui indulgentia expetierunt, et plurimi vitam in melius mutaverunt ac bonis desideriis ac intentionibus animati ad oppugnationem urbis se praepararunt; ex quibus non pauci in tanta spirituali necessitate erant prius constituti, ut vix aliud quam christianorum nomen se habere ostenderent. Pax inter multos conciliata est, et restitutiones multae factae.

98. Itaque inter has occupationes et alias, quas in hospitali habebat cum centum et quinquaginta aegrotantibus, ut ad cibum vel somnum capiendum vix tempus suppeteret, tamen divina bonitas in ipso et socio Martino non solum sanitatem sed etiam vires corporis conservavit, cum non solum alii religiosi et infirmarii, verum etiam pharmacopolae, chirurgi et reliqui omnes hospitalis ministri in morbum incidissent. Et prorsus peculiari Dei providentiae haec conservatio adscribenda erat cum, praeter aestum et laborem, hospitalis foetor esset gravissimus. Oportebat insuper uti noctibus etiam surgerent ad medicinas dandas et alia aegrotantium auxilia et ut quae necessaria erant a Pro-rege ipsemet Laynez obtineret. Unde milites, qui ex Africa redierunt, non cessabant ejus charitatem commendare dicendo eum esse virum sanctum et quod nunquam ei similem hominem vidissent qui talem aegrotantibus

Digitized by Google

charitatem ostenderet; miraculo etiam ejus conservatam valetudinem adscribebant.

99. Post peractas ergo confessiones et praedicationem Patris Laynez, quae milites multum animavit, terra marique Aphrodisium fuit oppugnatum et 10 Septembris, Deo propitio, expugnatum fuit; et die 14, quae prius moschea fuerat saracenorum, benedicta fuit; solemnis missa fuit ibi dicta et P. Jacobus concionatus ibidem est cum magna auditorum consolatione, et quinque saraceni baptizati, ex quibus quatuor aetate pueri, quintus vir erat et vulneratus, qui eodem die mortuus est. Et ex hac oppugnatione magnus sperabatur fructus, non solum securitatis in maritimis oris christianorum sed etiam in fidei et justitiae dilatatione.

100. Inde rediens P. Laynez in Siciliam et aliis bene constitutis ad Societatis et commune bonum, Romam se contulit; ubi, sicut prius dictum est, in adventu concionari potuit; nam usque ad initium sequentis anni profectio in urbem Florentiae dilata est [1].

101. Interea Panormi scholasticae exercitationes non intermissae sunt, et ultima classis, quae magna multitudine laborabat, in duas divisa fuit, et sub instaurationem studiorum initio Novembris alia etiam schola dividenda esse propter causam similem visa est; et sic satisfactum fuit et civium et Pro-regis voluntati qui numerum praeceptorum augeri expetebant. Sed, cum singuli tantum praeceptores singulis classibus praeessent, nec supernumerarii essent aliqui, qui, praeceptoribus in morbum incidentibus, eorum vices supplerent, docuit experientia sufficienter utilitati scholasticorum non consuli; nam hoc ipso anno cum unus et alter praeceptorum aegrotarent, ipse P. Nicolaus, Collegii caput, locum unius debuit supplere, ac demum necessarium esse plures aliquos ad similes eventus habere est intellectum [2].

---

[1] Ignatius Joanni de Vega, Siciliae Pro-regi, Patrem Laynez a Pontifice Romam evocari, sed satius fore si Romam post aestivos calores venire permittatur, 29 Martii. Idem eadem die Pro-reginae Siciliae. Idem Hieronymo Domenech, de litteris Prioris Andreae Lipomani ad Pro-regem, 17 Maii. Idem Pro-regi Siciliae, de adventu Patris Laynez in Urbem, 22 Novembris. Eidem Pro-regi Pater Laynez, eadem die, et Gandiae Dux.

[2] Polancus, *ex commissione*, Panormum Patri Hieronymo Domenech, de mittendo post aestatem Roma Magistro Joanne et aliis scholasticis, de lectionibus theologiae Magistri Nicolai Launoyi, 18 Januarii. Idem Patri Laynez, non posse Pelletarium in

Digitized by Google

102. Nostri numero viginti tunc erant; et scholastici positiones singulis dominicis diebus defendebant disputationis gratia, et feriatis etiam diebus epistolas et carmina affigebant, et alias hujusmodi scholasticas exercitationes ad nostrorum profectum domi habebant. Quia vero non pauci juvenes in Societatem admitti optabant, domum probationis, sicut et messanenses, non tamen eodem successu inchoarunt; omnes enim novitii usque ad unum brevi dilapsi sunt; quod ex duplici causa provenisse est animadversum; prima, quod non esset qui curam eorum peculiarem gereret et ea spirituali exercitatione in hujusmodi rebus praeditus qua oportebat, eis praeesset; alia, quod in studiis illi perseverabant, quamvis in initio novitiatus versarentur, nec solidum in abnegatione suorum affectuum fundamentum faciebant, unde cum aliqua humilitatis exercitia eis injungebantur, prae affectu quo ad studia rapiebantur, non ferebant. Aliquis tamen ex his rediit et cum magna aedificatione in Societate ut egregius operarius vineae Domini perseverat [1].

103. In spiritualibus exercitationibus concionum exercebant se quidem nostri, non solum Panormi sed etiam Monteregali et in exiguo illo templo quod *Misericordiae* dicebatur; aliis etiam in monasteriis ac piis locis id ipsum praestabant. Quia tamen templum proprium non habebant, nec Collegio vicinum, et illud ipsum, in quo sacrificia Missarum offerebant, perexiguum et male materiatum erat, hoc ministerium praedicandi non magno cum fructu civitatis exercebatur; quamvis aliqui ad illud templum *Misericordiae*, confessionis et communionis gratia, accederent; immo nec innotuerat publice civitati Collegium nostrum in aliorum quam in scholasticorum commoda per praedicationem et Sacramentorum ministerium incumbere. Ideo ut communi bono consuleretur, de templo Divi Antonii,

---

Siciliam mitti nisi ejus loco in Italiam Andreas Frusius venerit, mense Martio. Idem eidem, de augendo lectorum numero, quibusdam Roma proximo autumno mittendis, Panormi, 7 Junii. Idem Hieronymo Domenech, de Universitate et de iis qui Roma mittendi sub autumnum erunt, 16 et 23 Augusti.—Instructio data Stephano Baroëllo in Siciliam Roma proficiscenti, hoc anno 1550.—Patris Natalis litterae ad Ignatium.

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Laynez de mittendis Romam scholasticis et parando viatico, cum poterunt, pro iis qui eorum loco Roma in Siciliam mittere oportebit, 26 Aprilis. Idem Hieronymo Domenech, de tribus Roma Panormum missis, 30 Augusti, 6 et 13 Septembris. Idem eidem de inchoanda Panormi probationis domo, 13 Septembris. Idem Nicolao Launoyo, eum reprehendens quod non rationem scripserit eorum, qui post paucos probationis menses, propositum ingrediendi Societatem abjecerunt, et ut reliquos in abnegatione prius quam in studio exercendos curet, 20 Decembris.

Digitized by Google

quod egregium erat et in optimo civitatis loco situm, et Capitulo cathedralis ecclesiae subditum, ad usum concionum ac Sacramentorum ministerium obtinendum agi coepit, et alia domus, non quidem commodior priore ad nostrorum habitationem, sed ad bene merendum de proximis opportunior, quod templo D. Antonii esset vicina, accepta est; et Pro-rex sua auctoritate utrumque facile reddidit, cum alioqui difficile fuisset [1].

104. Migrarunt ergo sub tempus Adventus in hanc domum, et Petrus Ribadeneira in templo Sancti Antonii cum auditorio satis frequenti, in festis autem Natalitiis multo frequentiori, concionatus est; et quamvis suas lectiones non intermitteret, cum satisfactione et fructu eo munere perfunctus est, et Societatis institutum ac vocationem populo declaravit. Nam Patris Jacobi Laynez et etiam P. Hieronymi conciones, cum potius Pro-regi et ejus curiae quam populo sese accommodare debuerint et interruptae fuerunt, ut dictum est, et extraordinariae, non ita in vulgus instituti nostri ratio innotuerat. Aliqui etiam ex nostris praeterquam in xenodochiis, in plateis et aliis opportunis locis exhortationes habendo, aliquos pisces in retem evangelicam adducere conati sunt; nec sine fructu hunc laborem subierunt; unde sub anni finem plurimi utriusque sexus homines ad sacramentum confessionis in aedem D. Antonii accesserunt; ubi cum alias paucissimi pastori confiteri soliti essent, jam quinque sacerdotes nostri satis occupati compluribus diebus in audiendis confessionibus fuerint; et duo mercatores, quorum alter insignis erat, magnam vitae mutationem fecerunt; nam cum plures annos confessionis et communionis sacramentum intermisissent, cum magno odio veteris vitae Dei servitio se dedere serio coeperunt, et alios ad ipsum invitarunt; quidam etiam vir illustris per confessionem ad pacem cum capitali inimico ineundam adductus est.

105. P. Hieronymus Domenech illam congregationem ma-

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Hieronymo Domenech Panormum, de iis quae Monteregali praestanda sunt, 18 Januarii. Cardinalis Farnesius Patri Laynez de visitandis Cardinalis nomine et auctoritate duobus praesertim locis dioecesis Montis regalis, mense Aprili. Polancus, *ex commissione*, Patri Hieronymo Domenech, de ministeriis Panormi exercendis, et ut se ad concionandum accingant Magistri Nicolaus Lanoyus, Michaël Botellus, Petrus (Bressanus?) et Paulus d'Achillis, 13 Septembris et 20 Decembris.

Digitized by Google

tronarum, quae primis dominicis mensium ad incurabilium sublevationem congregabantur, per conciones P. Pauli et suas conservare studuit. Tantumdem de alia congregatione ad conversas et ad mulieres peccatrices juvandas; de notariorum item congregatione sollicitus in officio eos continere curavit.

106. Cum etiam gubernator Montis regalis eum rogasset ut electioni Abbatissae, quae in oppido Concilione facienda tunc erat, adesset, ut canonice ea transigeretur, effecit ne juvencula quaedam duorum supra viginti fere annorum eligeretur (quae favoribus multorum et quia bona multa ad monasterium attulerat, ad eam praelationem promovebatur, ex qua ruina monasterii consecutura putabatur), sed ad aliquam eo loco digniorem aetate ac virtute maturiorem se moniales converterent; et sic alia electa est, quae etiam de reformatione agere coepit [1].

107. Mense Septembri Dominus Ferdinandus de Vega, quem Praesidentem superius nominavimus, filius Pro-regis, Joannis de Vega, cum eodem *(sic)* in morbo sibi assistentem P. Hieronymum habuisset et quae bonum ac pium christianum decent, praestitisset, ex hac vita decessit [2].

108. Cum significatum fuisset Pro-regi ac ejus filio Praesidenti, dum viveret, utile ad conversionem infidelium fore aliquos pueros in arabica lingua, quae africanis est vernacula, exercitatos capere, quos conservare illi deberent et in christiana doctrina ac religione instituere, ut per seipsos, vel saltem ut interpretes, prodesse suae nationis hominibus possent, cum Praesidens Ferdinandus de Vega ex monasteriensi direptione inter alia mancipia puerum bono ingenio praeditum cepisset, Collegio Panormitano dono dedit. Alii etiam deinde, Africa capta, a Pro-rege donati sunt; sed pauci, immo unus tantum sic se gessit, ut inter nostros retinendus videretur.

109. Docuit etiam experientia non multum pueris indolem ad praedicandum prae se ferentibus confidendum esse, donec aetate maturiore eorum virtus sit perspecta, praesertim si bene instituti sua in pueritia non fuerint; nam adolescentulus ille si-

---

1 Polancus, *ex commissione,* Patri Hieronymo Natali, ut videat an se expedire omnibus possit et Romam sine Pro-regis offensione aut rerum Messanensium aut etiam sui ipsius detrimento venire, 15 et 22 Novembris.

2 Polancus, *ex commissione,* de Ferdinandi et Sueri de Vega aegritudine, 23 Augusti. Ignatius Joanni de Vega ejusque filiae Elisabethae, de morte Ferdinandi de Vega, consolatoriae litterae, 1 Novembris.

Digitized by Google

culus, qui mirum concionandi talentum ostendens summopere Pro-reginae placuerat, et ejus rogatu in Collegium admissus fuerat, hospite insalutato aufugit: hic Sacerdotis cujusdam filius erat, et in concionibus ad quaestum potius quam ad pietatem institutus, etiam cum in religione esset, ad ingenium rediit [1].

110. Proposuit, cum in Sicilia esset P. Jacobus Laynez, P. Ignatio quod a praefecto quodam militum, qui in praesidio Goletae (arx illa prope Tunisium a Carolo quinto capta et munita est) fuerat, intellexerat plurimos ibi esse milites, ex quibus aliqui tam essent afflicti quod quodam modo inviti ibidem retineantur, ut aliqui ex eis ad saracenos transfugiant, quodque filios habeant ex matribus saracenis, qui et arabicam et hispanicam linguam teneant; esse praeterea multos saracenos confoederatos cum christianis, ex quibus aliqui ad fidem accedunt; nullum ibi concionatorem esse; quod si aliquis eo fungeretur munere, et esset qui grammaticam pueros doceret, consequuturum esse ut et milites ad christianam vivendi rationem deducerentur, et saraceni plures converterentur, et aliqui ex pueris, hispanorum filiis, ad Collegia Siciliae mitti possent; et ostium ea ratione ad infideles illos juvandos aperiri posse videbatur. Quod quum Pro-regi, cum quo contulit, placuisset, magnopere suam operam et favorem ad hanc missionem obtulit. Ad breve tempus libenter se etiam in Africam iturum scribebat P. Laynez, nam Drepano viginti fere horis ad arcem Goletae navigari posse. Quamvis autem haec missio P. Ignatio non displiceret, aliis in rebus nostros occupatos videns differendum id duxit [2].

111. Hoc anno in Longobardia nostri non sine fructu spirituali versabantur. Bononiae quidem PP. Paschasius et Franciscus Palmius atque alii, qui fere numero quatuordecim erant, aliis in discedentium locum succedentibus, per familiaria colloquia de multis benemereri studuerunt; et inter alios duo viri nobiles a licentiosa vivendi ratione ad spiritualem se transtulerunt, et alter octavo quoque die confiteri et communicari in

---

[1] Vide in t. I, n. 251, pág. 288.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, circa Societatis sacerdotes in praesidium *de la Goleta*, in Africa, mittendos, quid fieri possit aut saltem promitti, 7 Junii. Idem Patri Hieronymo Natali, Messanam, et Patri Hieronymo Domenech, Panormum, ne Joanni de Vega, aliquos in Africam mitti postulanti, ullum concedant, quin prius Patrem Laynez ex Africa reverti sinat; nisi forte eum secum retinendi veniam a Pontifice impetret, 20 Septembris.

Digitized by Google

templo, quo nostri utebantur, Divae Luciae, coepit; alter autem crebro id ipsum praestabat; quod et alii cives ac praesertim vicini parochiae Stae. Luciae imitari coeperunt, hi praecipue, qui habitationem nostris parare studuerant, et sollicite nostrorum necessitatibus temporalibus providentes, spiritualia interim metebant. Septuaginta fere utriusque sexus, quorum magna pars viri erant et quidam eorum nobiles, dominicis diebus confitebantur peccata et Corpori Domini communicabant: prima autem die dominica mensis post supplicationem cum SSmo. Sacramento (quam frequentissimus hominum concursus sequebatur) ducenti aut amplius communicabant; et si plures fuissent confessarii, magis poenitentium numerus auctus fuisset; et quamvis non deessent religiosi aliqui viri, qui in crebram hanc communionem inveherentur, nihil illi in hoc studio tam pio de sua consuetudine remittebant [1].

112. Concionabatur Dominicis ac festis diebus pro more P. Franciscus Palmius, et aliis subinde atque aliis accedentibus, et numerus et fructus auditorum augebatur; nec minor capiebatur post vespertinum officium in christianae doctrinae expositione, cui et pueri et provectae aetatis homines frequentes accedebant, et nobiliores pueri diligentiam caeteris majorem adhibebant.

113. In spiritualibus exercitiis multi cum singulari profectu tam viri quam foeminae versati sunt et novam vitae rationem secundum Deum instituerunt et non pauci ad religiosum institutum animum applicuerunt; et ex virginibus, quae monasteria ingressae sunt, hoc intellectum est quod tanta cum aedificatione tamque serio Deo inserviebant, ut stuperent tamquam ad rem insolitam veteranae moniales, cum novitias viderent exemplis ac verbis docere posse eas, quae diu in religione fuissent.

114. Praeter alia monasteria, quibus anno praeterito utilem operam navaverat P. Paschasius cum P. Francisco Palmio, sub initium annis ad monasterium Sanctisimae Trinitatis se Paschasius convertit, et exercitia spiritualia plurimis cum singulari fructu ac vitae mutatione dedit; et totum monasterium in obe-

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Paschasio Broet, de confirmatione gratiarum seu facultatum Societatis et de Jubilaeo, 7 Junii; de facultate legendi haereticorum libros, 6 Septembris.

Digitized by Google

dientia, humilitate et charitate est reformatum; unde cum bonus odor hujus mutationis ad alia monasteria pervenisset, spiritualia etiam exercitia sibi proponi petebant. Sacerdotes et alii cum egregia vitae mutatione haec exercitia peregerunt; aliqui etiam ad Societatis nostrae institutum a Domino vocati sunt.

115. Sacerdotes multi, quadam P. Francisci Palmii concione audita, quae ad sacerdotale officium ac ministerium proprie pertinebat, vehementer compuncti ac multas lacrymas effundentes, magna benevolentia prosequi Societatem coeperunt, cui prius detrahere quidam eorum solebant [1].

116. Scholastici nostri scholas apertas non habebant, quamvis privatas aliquas lectiones domi haberent; sed ad lectores ejus Universitatis audiendos accedebant, et verbo et exemplo scholasticos caeteros ad salutis suae negotium procurandum adducere nitebantur. Suadente autem aliquo nostrorum, quemdam ludimagistrum, cujus virtus apud nostros probata erat, vicini acceperunt, qui filiis suis et aliis pauperibus parochiae litteras simul et bonos mores doceret, quod ille diligenter tum exemplo (nam octavo quoque die post confessionem communicabat), tum verbo praestabat; unde ejus discipuli singulis saltem mensibus ad confessionem accedebant. Alius deinde praeceptor

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Paschasio Broet, de Canonico Bartholomaeo in Societatem admisso, et de ejus parentibus, 18 Januarii et 22 Februarii; de quodam Gonzalo, qui, si Patavio Bononiam se conferet, e Societate erit dimittendus, ni coquus esse Bononiae in Collegio velit, 8 Martii. (V. infra n. 129.) Bartholomaeus canonicus, jam in probationis domo, patri suo, 22 Martii; Polancus, *ex commissione,* fratribus Morales et Angelo, Bononiae degentibus, 23 Martii. Idem Patri Broet, de quodam Ayllon, de Episcopo Cauriensi Archiepiscopo Burgensi facto, de Canonico Bartholomaeo. 11 Maii; de resignatione beneficiorum a Bartholomaeo facienda, et ne Romam hac aestate sed alio Angelum aegrotantem mittat, 17 Maii, de eodem Bartholomaeo a Societate profugo, ut eum ad sanam mentem revocare curet, de ejus canonicatu et beneficiis, etc., 24 Maii; eidem Bartholomaeo, de ejus fuga, beneficiis, reditibus, etc., et, si velit voto ingrediendi Societatem solvi, ut prius Romae Ignatio se et quamprimum sistat, 7 Junii; de iisdem eadem die Patri Broet; eidem Patri Broet, non posse Bartholomaeum tuta conscientia absolvi, 14 Junii. Ignatius Vice-Legato Bononiensi, de eodem Bartholomaeo, 28 Junii; Polancus Paschasio Broet, de eodem ejusque debitis et Romae, priusquam fugam caperet, gestis, eadem die. Ignatius Vice-Legato Bononiensi, quid in causa Canonici Bartholomaei a quinque *curialibus* et quinque theologis sit Romae decisum, 2 Augusti. Eidem Bartholomaeo Polancus, ut se Vice-Legato sistat ejusque judicio stet, eadem die. Idem Patri Paschasio Broet, de duobus bonis flandris (Joanne Gambaro et Arnoldo Hezio) Bononiam Venetiis mittendis et de Christophoro Laynez, 30 Augusti; idem Francisco Palmio, de iisdem et Stephano Capumsacho, 13 Septembris; de aegrotantibus, Paschasio Broet, Stephano Capumsacho et aliis, 4 Octobris.—Litterae Patris Paschasii Broet ad Ignatium et Polancum.

Digitized by Google

priori additus est et fructus scholae non parum auctus, et orationi scholastici in templo nostro cum praeceptore dabant operam ac aliis pietatis operibus [1].

117. Pro Pontificis electione curatum est a nostris ut multae orationes ad Dominum funderentur; addebantur ad id jejunia et frequens sacramentorum usus, quae post electionem Pontificis in actionem gratiarum conversa sunt, et ut Ecclesiae pastori gratiam suo munere bene fungendi postularent. In quadragesima singulis diebus praedictus P. Franciscus cum auditorio satis frequenti concionatus est, et cum diebus festis a prandio totum catechismum in multorum praesentia quidam puer recitasset, cum admiratione et aedificatione id populus audiebat et frequentior ad audiendum in posterum aderat.

118. Ex confessionibus, quae in templo Divae Luciae frequentes audiebantur, non solum hic capiebatur fructus, ut vitam in melius homines mutarent sed etiam ad familias, quae optime ab eis in Dei timore et obsequio instituebantur, utilitas redundabat. Multi etiam subinde ad perfectiorem consiliorum Christi viam sectandam se comparabant; aliquot etiam virgines pauperes, dote a nostris eleemosynis procurata, in matrimonio honeste sunt collocatae.

119. Quidam, qui multis annis a confessione abstinuerant, exhortationibus alicujus ex nostris inducti sunt, ut id quod debebant praestarent, et a gravissimis animae periculis sunt vindicati. Concordia quaedam, in qua multi nobiles frustra laboraverant, emollitis animis eorum, qui a se dissidebant, studiose et cum spe boni eventus tractabatur. Multi, qui procul a parochia illa distabant, ex nobilitate bononiensi, vel consilii spiritualis vel sacramentorum gratia ad Collegium nostrum accedebant [2].

120. Mira fuit conversio cujusdam nobilis bononiensis, qui totos viginti octo annos absque confessione in militaribus studiis vixerat; is autem, cum ad exercitia spiritualia adductus fuisset; vitam praeteritam amare deflens, ac peccatorum genera-

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Paschasio Broet, de Joanne Baptista Mutinensi, ut litterarum potius quam pingendi studio vacet, 22 Martii.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Paschasio Broet, de Domino Leonello de Carpi et Stephano Capumsacho, 25 Januarii, de eodem Stephano, de Vicelegato Sauli, ejusque nepote, Marco Antonio Sauli, et de collegio, 30 Aprilis.

Digitized by Google

lem confessionem faciens, jam singulis mensibus confiteri et communicare coepit, et crebro Dei verbum audire, et sic de divinis rebus loqui et tanto cum sensu, ut prorsus mutatio dexterae Excelsi visa fuit.

121. Orphanorum locus est Bononiae, quem nostri omnibus in rebus juvare studuerunt, et ut in spiritualibus rebus ei prospicerent, sacerdotem quemdam magna virtute praeditum et sibi amicitia conjunctum in confessarium dederunt, qui eo munere cum magna aedificatione et fructu functus est.

122. Cum quidam ex nostris sacerdotibus, probationis gratia, in hospitali bononiensi multum consolationis et utilitatis pauperibus nec minus aedificationis civitati attulisset; postquam inde recessit, aliquot viri, et etiam mulieres, sanguine nobiles, incitati a nostris congregationem quamdam inter se ligati constituerunt, ut singulis hebdomadis aliqui ex ipsis xenodochia visitarent, ac infirmis consolationem et auxilium adferrent.

123. Dominica infra octavam Corporis Christi presbyteris ac scholasticis P. Franciscus Palmius de dignitate hujus Sacramenti et de utilitate crebrae sumptionis ejus latinam orationem magno cum auditorii applausu et satisfactione habuit, et processioni eodem die factae ultra sex hominum millia interfuerunt. Cum autem nostri hanc induxissent in suum templum Divae Luciae consuetudinem, ut primis dominicis cujusque mensis processio in honorem hujus Sacramenti fieret, omnes fere aliae Bononienses parochiae eamdem consuetudinem sunt imitatae, et rectores earum diligentiores in Dei cultu redditi, et subditi etiam solito frequentius suas ecclesias visitant, et vespertina officia, quod prius non fiebat, decantari, et christiana doctrina explicari coepit. Ornari etiam templa magis et pretiosiora vasa fieri, in quibus sanctum Sacramentum reconderetur, et lampades, quae coram ipso perpetuo arderent, confici coeperunt; et cum defertur ad infirmos Sanctisimum Sacramentum, maximo cum honore et multis cum cereis accensis comitantibus (quod prius minime fiebat) defertur: aegrotantes etiam praeter morem mature et confessionis et eucharistiae Sacramentum sibi dari petunt.

124. Ex illis adolescentibus, qui in schola vicina instituebantur, aliqui ad Societatis nostrae institutum magno affectu

Digitized by Google

adspirabant, qui peculiari cura, tamquam nostri futuri, in religiosis moribus ac pietate formabantur [1].

125. Cum P. Franciscus extra civitatem ad dominam quamdam ac nobilem, quae aegrotabat, accessisset, et Sanctissimo Eucharistiae Sacramento refecisset, ad ecclesiam ejus loci veniens, complures parochos ac sacerdotes, funus defuncti sacerdotis celebrantes, ad officium sacerdotale digne obeundum pio sermone est adhortatus; quem non solum libenter audierunt et gratias egerunt, sed ex eis aliqui familiaritatem cum eo inire voluerunt; et ad spiritualia exercitia inde accessuri putabantur; quorumdam enim profectus in eisdem exercitiis alios ad ea expetenda invitabat. Pia crebro communicandi consuetudo etiam extra Bononiam compluribus in locis recepta est, dum parochi externi quod in divae Luciae templo videbant, imitari conabantur; et hac ratione, frequenti scilicet confessionis ac communionis usu, eximius in multorum animis fructus provenit.

126. Aliqui juvenes ad Societatis vocationem idonei admitti se in ea postulabant; quamvis aetas in quibusdam provectior, in aliis etiam perseverantia major exspectata est; et ii adolescentes non tantum ex Bononiensibus erant, sed etiam ex aliis loci cujusdam, qui Chapugnanum nuncupatur, ex quo quatuor bene instituti in timore Dei ac morigerati id postulabant [2].

127. Frater noster Stephanus Capumsachus, cum ethica febre confirmata Meldulae laboraret, et mors illi certa immineret, a Domino Leonello Pio, ejus loci domino, in lectica ad Collegium nostrum Bononiense, ubi inter fratres mori optabat, deductus est, et die 20 Septembris spiritum suum Conditori suo reddidit, cum omnia ecclesiae Sacramenta sancte recepisset, et post diuturnum morbum patienter admodum et cum aedificatione toleratum, usque ad ultimum flatum pie semper loquens, a peregrinatione hujus vitae in patriam, ut speramus, migravit [3].

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Paschasio Broet, eorum, quos in Societatem Bononiae admisit, quos Romam mittere, quos secum retinere possit, donec maturescant; idem Joanni Victoria, de litteris, exercitiis, etc., 19 Aprilis, et de ejus studiis theologiae praesertim, 3 Maii; eidem ut fundamenta solida humaniorum litterarum, facere curet et non multos sed optimos his initiis legat auctores, 6 Septembris.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Paschasio Broet, de iis, qui Societatem ingredi postulant, ut eorum indolem, etc., et etiam externam speciem, qualis sit, accurate describat, 3 Maii.

[3] Polancus, *ex commissione,* Patri Paschasio Broet, de Stephano Capumsacho, ut eum, si iter facere valeat, in patriam mittat, mense Augusti.

Digitized by Google

128. Senatus Bononiensis, cum Collegii nostri paupertatem perspectam haberet, Romam ad Cardinalem Carpensem et Burgensem (qui jam Compostellanus effectus fuerat) officiosas litteras scripserunt, magnopere et vitae exemplum et fructum Collegii cum optimo odore ad totam civitatem redundantem commendantes, et rogarunt ut ipsorum nomine a Summo Pontifice subsidium aliquod postularent, scilicet, ut aliquo ecclesiastico beneficio applicato Collegialibus in posterum subveniret; quia tamen nihil certi Summo Pontifici proponebatur, quamvis propensa ad benefaciendum voluntas esset, nullus est effectus consecutus, licet Vicelegatus etiam suam operam perlibenter ad id obtulerit [1].

129. Patavii hoc anno duodecim ex nostris fuerunt; totidem enim ibi Dominus Andreas Lipomanus, Prior SSmae. Trinitatis suis impensis alebat. Aliquando paulo plures ibi commorari accidebat; et, prout anno proximo, ita et hoc domesticis quibusdam lectionibus juvabantur et ad externos praeceptores audiendos se conferebant [2].

130. Crebro confitentium et communicantium numerus non poenitendus hoc anno in ecclesia, quae Divae Mariae Magdale-

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Paschasio Broet, de dispositione bonorum Claudii et Ludovici (de Coudreto?), 8 Februarii; de reditibus a civitate Bononiensi Collegio applicandis, 14 et 22 Februarii; de quatuor scholasticis ut Bononiae studeant et aliquid doceant, missis, 6 Martii; de reditibus Collegii, 8 Martii; de fundatione Collegii ejusque reditibus, de Cardinalibus Anglo (Reginaldo Polo) et Burgensi (Joanne Alvarez de Toledo), 29 Martii. Ignatius Dominae Violanti Gozzadino, officiose, eadem die. Polancus Patri Broet, de Cardinalium Carpi et Burgensi, vel potius Poli et Moroni interponenda auctoritate et favore, 26 Aprilis; de fratre Antonio, franciscanorum Generali, de fundatione Collegii ut Senatus Cardinalibus Carpi et Burgensi, aut Morono et Maffaeo litteras det, 7 Junii; eidem, ut Senatus, qui *dei quadraginta* dicitur, si litteras pro Collegio dare velit, eas scribat Cardinalibus Sancti Jacobi et Carpi aut Pacceco, 20 Septembris; eidem de Senatus litteris jam Romae receptis, 22 Novembris.—*Li quadraginta del Reggimento di Bologna* Cardinali Burgensi, de Collegio eique annectendis ecclesiasticis beneficiis, 12 Aprilis et 10 Octobris.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Elpidio Ugoletti, de Andreae Galvanello in patriam profectione, 1 Februarii; de tribus Roma Patavium, ut litteris et etiam concionando dent operam, missis, 6 Martii; de quodam Gonzalo, qui parum quietus erat, de Christophoro Laynez et de Laurentio (Lorenzetto, Lorenzuolo), 8 Martii; de Claudio (du Coudrey?) ejusque studiis, etc., 29 Martii; de Gonzalo, Arnoldo, Christophoro Laynez, Jacobo et Claudio, scholasticis, 12 et 19 Aprilis; de Jacobo, ut eum, si videatur, Coloniam mittat, ubi aër et cibi magis ejus corporali habitudini convenient quam Patavii, 24 Maii; eidem de confirmatione gratiarum Societatis et jubilaeo, de Andrea et Antonio Boninsegna, 7 Junii; idem Christophoro Laynez ejus inobedientiam reprehendens et eum exhortans ut fratris Jacobi vestigia sequatur, eadem die. Idem Elpidio Ugoletti de Claudio (du Coudrey?) et de Christophoro Laynez, 28 Junii; idem Jacobo Lhost, de ejus et Arnoldi Hezii et Joannis Gambari profectione Coloniam, aut Lovanium aut Romam, 23 Augusti; idem Elpidio Ugoletti de iisdem et de Magistro Caesare Helmi Venetias misso, 20 Septembris.

Digitized by Google

nae sacra est, nostrorum opera est usus. Fuit inter alios miles quidam, qui decem annos a confessione abstinuerat, qui cum Patrem Andream Galvanellum concivem suum alloqueretur, ab eodem adjutus generalem instituit confessionem et, militari vita relicta, ad Sancta Sacramenta crebro sumenda se collegit, tamque serio Dei servitio vacabat, ut nisi matrimonii vinculum eum retinuisset, ad consiliorum Christi viam tenendam esset propensus. Alius etiam juvenis, qui multos annos vagatus per varia Italiae et Germaniae loca fuerat, sine Dei timore et suae salutis cura, colloquiis nostrorum commotus, primo spiritualia exercitia fecit, deinde ad Societatem est admissus. Alius etiam, quod promisisset se Divi Benedicti ordinem ingressurum, quamvis in nostra Societate voluisset Deo inservire, ad monachos Divi Benedicti missus est.

131. Multi scholastici nostris confessi cum magna contritione, vitae in melius mutandae signa dederunt; et unus inter alios, ab haeresi revocatus, ad Episcopum, qui absolvendi facultatem habebat, missus est; quaedam etiam peccatrix mulier inter conversas, cum resipuisset, opera nostrorum collocata est. Scholastici nostri pro virili parte et in litteris et in sui abnegatione proficere nitebantur, et verbo ac exemplo de aliis benemereri curabant.

132. Bonus odor nostrorum tota in civitate late patebat; unde multi nobiles preces Collegii apud Dominum enixe postulabant; et cum monachi quidam, quod non bene audirent, a cura cujusquam monasterii sacrarum foeminarum remoti essent, primarii quidem civitatis viri id oneris ad nostros, tamquam idoneos maxime, nitebantur imponere; nostros tamen hujusmodi onera non subire intellexerunt; quamvis semel ad confessiones illarum audiendas suam operam juxta nostras constitutiones, non denegaverint.

133. Non omittam illud, quod quamvis in rerum temporalium angustiis nostri Patavii versarentur, cum P. Ignatius intellexisset esse aliquem ex scholasticis nostris, cui pecuniae a consanguineis ad ipsius privatum usum mittebantur, id in posterum admitti prohibuit; quod nostri, quamvis aliquid incommodi etiam in supellectili domus paterentur, amore tamen paupertatis libentissime observaverunt [1].

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Elpidio Ugoletti, de paupertate in domibus

Digitized by Google

134. Confessiones generales aliquorum cum fructu sunt auditae; inter eos nobilis quidam venetus fuit, qui religionem ingredi constituens et ad nostram Societatem propensus, quod is talentis destitui videbatur, quae in Societate nostra sunt necessaria, ad aliam religionem se convertit.

135. Hoc anno Collegium Venetum inchoatum est, in quod Dominus Andreas Lipomanus duodecim ex nostris, et inter eos tres Sacerdotes ad se mitti postulavit. Primus autem, qui Roma ad Collegium hoc novum inhabitandum missus est, fuit P. Nicolaus Florentii Gaudanus, qui cum aliquot sociis, iter mense Martio ingressus, Lauretum devotionis ergo se contulit; Narmi tamen et deinde Anconae, partim abnegationis propriae, partim juvandi proximi gratia, in plateis est concionatus; in hospitiis etiam et ubicumque se occasio ferebat ferventer quae ad Dei gloriam pertinebant exsequebatur, non solum cum fructu spiritus sui sed cum auxilio multorum, quorum corda per ejus verba Dominus excitabat. Juvenes etiam, quos secum deducebat, exhortationibus suis ad populum, cum eis id injungebatur, idem praestare conabantur, et quia tempus quadragesimae tunc erat, et peregrinantes iter conficiebant, non sine labore Venetias 27 Martii pervenerunt (tres alii paucos ante dies eo pervenerant), et a Domino Priore benigne et gratulabunde excepti fuerunt. Et dimissus Patavium ut id Collegium videret, et cum P. Elpidio Rectore Venetias reverteretur, post mutuam consolationem et datam et acceptam Patavii, adjuncto eodem Elpidio, rediens Venetias de distributione scholasticorum actum est; et habita ratione satisfactionis ipsius Prioris, aliqui ex his, qui Patavii versabantur, Venetias se transtulerunt, quorum locum alii Roma missi suppleverunt. Inter hos fuit Magister Fulvius Cardulus, qui aliis scholasticis, Roma missis, ea ex humanioribus litteris, quae ipsorum captui conveniebant, praelegebat [1].

---

servanda, quae reditibus gaudent, 25 Januarii; idem Andreae Lipomano, efficacioribus clarioribusque verbis de eadem re, sc., paupertate Societatis in Collegiis, 22 Martii; idem Patri Elpidio Ugoletti, de eadem re et de minuendo, si necesse erit, nostrorum numero Patavii, 30 Martii.

[1] Polancus, *ex commissione,* Andreae Lipomano, de Nicolao Gaudano, Thaddeo, Joanne (Joanico, Joanino) et aliis Venetias ad Collegium mittendis, 6 Martii; Nicolaum Gaudanum (de quo ejusque rebus in Brabantia gestis plura) ad tempus solum Collegio Veneto concedi, 8 Martii.

Digitized by Google

136. Initio quidem domi suae eos Prior SSmae. Trinitatis excepit, sed post paucos dies mediam partem illius domus, quae *Pietatis* dicebatur, inhabitandam dedit, quae ipsius Prioris domui conjuncta erat; dedit et sacellum Divae Mariae sacrum, quod de *Humilitate* dicebatur, cujus situs in extimo civitatis loco, sed non in celebri, positus ad orientem et meridiem versus est, habetque portum urbis adversum, unde quam longissimum ex ea liber in mare prospectus patet. Quamvis autem fundatoris charitatem eximiam semper nostri sunt experti, quia tamen multis operibus pietatis semper fuit deditus, nec opimos admodum reditus habebat, fundamentum patientiae illo in initio jaciendi occasionem magnam praebuit. Non deerant quidem quae ad victum necessaria erant, sed quia ex domo Prioris cocta portabantur, in certis horis cum magno studiorum incommodo cibus capiendus erat; multi etiam externi, quia nulla clausura adhuc erat, cum eos mitteret ipse Prior, erant in domum admittendi, quibus excipiendis nostrorum quies perturbabatur; vocabantur etiam aliqui ex nostris ad aliqua in ipsa domo Prioris necessaria praestanda; vestitus idem fere fuit per totam aestatem, quem Roma detulerant; lecti pro culcitris saccos stramine plenos habebant, cubicula ipsa incommoda et perstrepentibus nautis et clamoribus hominum obnoxia; libri vero pauci erant. Cum autem haec non ex charitatis defectu provenire nostri intelligerent, sed quia omnino amplius Prior praestare non poterat, laeto animo omnia ferebant; et paulatim, prout fieri poterat, haec incommoda minuebantur. Duodecima die Aprilis in eo Collegio collocati sunt; sed post aliquamdiu cocum habere proprium coeperunt, et res paulatim in ordinem suum redigi potuerunt [1].

137. Quod ad spiritualem fructum attinet, cum sacellum esset incommodum, prius concinnari debuit quam commode in eo praedicari posset. Cum etiam italica lingua non admodum expedita P. Nicolaus uteretur, ad confessiones audiendas se convertit; et quia initio hae ipsae paucae erant, Pater Ignatius octavo quoque die quid in ea parte ageretur ad se scribi voluit,

[1] Polancus, *ex commissione*, nostris Venetiis degentibus, de rerum temporalium penuria et aedium incommodis, ut, dum melius de iis caeterisque provideatur, existiment se in India non Venetiis versari; item de Fulvio Cardulo ejusque studiis, 19 Aprilis.

Digitized by Google

et ita, cum initio duae vel tres confessiones una in hebdomada essent auditae, postea triginta et quadraginta audiebantur, et ad octoginta usque earum numerus aliquando accessit, cum tamen unicus esset ipse P. Nicolaus sacris ordinibus initiatus. Complures autem confessiones generales totius vitae exstiterunt; et si quando messis in ecclesia propria deerat, aliquos egenos aegrotosque invisebat, quorum peccata per sacramentum poenitentiae expiabat; moerentes consolari et ad patientiam hortari studebat; belgas, qui vernacula ipsi lingua utebantur, quorum Venetiis magnus est numerus, ad sacramentum confessionis adducebat. Coepit autem auctoritatem majorem P. Nicolaus sibi conciliare occasione quorumdam belgarum, quibus die Pentecostes in nostro sacello in vernacula ipsis lingua, ut illi rogabant, concionatus est, qui magna consolatione sunt affecti et famam spiritus et doctrinae atque eloquentiae, cum magna admiratione inter suae gentis homines divulgabant. Aliquis etiam germanus, lutherana haeresi infectus, ab eodem P. Nicolao, qui admodum in controversiis hujusmodi dogmatum versatus erat, adjutus est [1].

138. Exoptaverat magnopere Dominus Andreas Lipomanus, Prior, P. Andream Frusium in Collegio illo suo Veneto penes se habere, cum P. Nicolaum in operarii potius quam Rectoris officio occupandum censeret, nec id Patri Ignatio displicebat; sed suggessit ut suis litteris a Pro-rege Joanne de Vega eum peteret ad veneti collegii institutionem. Cum autem eas litteras Prior scripsisset, Joannes de Vega, qui augmenti nostrae Societatis admodum studiosus, non in Sicilia tantum, sed ubique

---

1 Polancus, *ex commissione*, Nicolao Gaudano, de ejus itinere, studiis, concionibus, litteris, etc., 12 Aprilis; de litteris italice sat bene scriptis, de Fulvii studiis, de gratiarum seu facultatum communicatione, de lectionibus publicis ut videat an nostri scholastici eas debeant adire et cum proximis conversari, et ne Roberti Stephani Bibliis utantur nec Fratris Hieronymi (Savonarolae?) libris, 26 Aprilis; ut satagat in ministerio audiendi confessiones se exercere, etsi eos, quos confitentes audiat, quaerere in plateis, ratibus, ac xenodochiis debeat, 11 Maii. Idem, *ex commissione*, Andreae Lipomano, de lectionibus domi Venetiis inchoatis, una theologiae et casuum conscientiae per Nicolaum Gaudanum, altera humaniorum litterarum per Fulvium Cardulum, eadem die. Idem Nicolao Gaudano, ut bono animo sit, quia nullus his mensibus mittetur, donec certo constet eorum sustentationi a Priore provisum, 17 Maii; eidem de Andrea Frusio, ut in ejus in Germaniam profecturi locum succedat, Venetias mittendo cum tribus aliis sacerdotibus, 24 Maii; de ministeriis in proximorum spiritualem utilitatem, de jubilaeo, 7 Junii. Ignatius Andreae Lipomano, de Caesare Helmi Venetias ad Prioris arbitrium misso; Polancus Fulvio Cardulo, de difficultate inveniendi qui officio coqui bene fungatur, 27 Septembris.

Digitized by Google

gentium erat, benigne admodum et respondit Priori, et P. Andreae Frusio veniendi in Italiam (ut superius diximus) facultatem dedit [1].

139. Cum autem P. Alphonsum Salmeronem, cujus opera tam utilis esse in Italia poterat, non esse in Germania retinendum P. Ignatius judicasset, decrevit ejus loco P. Nicolaum Gaudanum Ingolstadium mittere; sed antequam id fieret, ad professionem eum admitti et ad gradum doctoratus promoveri voluit. Die ergo 25 Julii, qui dies Divo Jacobo Apostolo sacer est, in manibus Prioris Smae. Trinitatis, postquam P. Elpidius, qui Patavium ad id venerat, sacrum celebrasset, professionem emisit. Deinde Bononiam cum venisset, ipsa vigilia Assumptionis B. Virginis Vicelegatus Priori Sti. Dominici ejus examinationem ad doctoratum suscipiendum commisit. Die igitur 17ª Augusti, prius datis conclussionibus et a Patribus Sti. Dominici pro more examinatus, egregium admodum in disputatione suae doctrinae specimen dedit; quod cum Vicelegato perlatum esset, die 23 Augusti ad magisterium sive doctoratum in sacra theologia promotus est. Et secum accepto Magistro Petro Schorichio, prout P. Ignatius constituerat, ex Italia in Germaniam recessit, cum optimum suae doctrinae, spiritus ac virtutis odorem tum aliis in locis tum peculiariter Venetiis reliquisset, non solum inter catholicos, sed etiam inter aliquos haereticos, germanos, flandros, et italos, quorum reductionem ad Ecclesiae gremium magna cum charitate curavit [2].

---

[1] Andreas Lipomanus Joanni de Vega, Siciliae Pro-regi, eum exorans ut Andream Frusium ad recens inchoatum Societatis Collegium Venetias e Sicilia venire permittat, mense Maio; Joannes de Vega Andreae Lipomano, de Andrea Frusio, mense Junio; eidem Lipomano Polancus Nicolaum Gaudanum post octavam Assumptionis iter Ingolstadium versus arripere debere, ut Alphonsus Salmeron possit ante hyemem e Germania Veronam venire, 14 Junii. Idem Andreae Frusio, ut singulis hebdomadibus de se aliisque Romam scribat. et pacem charitatemque sedulo curet, 23 Augusti; eadem die idem Polancus Fulvio Cardulo, Venetiis educendos cito Jacobum Lhost, Joannem Gambarum, Arnoldum Hezium, et Christophorum Laynium, et eorum loco quatuordecim mittendos, quorum nullus flander erit. (Vide infra dicenda sub n. 142.) Idem Christophoro Laynez, ut Bononiam se conferat, 30 Augusti. Idem eadem die Andreae Galvanello, ut Joannem Gambarum et Arnoldum Hezium Bononiam mittat aut, si malit, Lovanium, 30 Augusti.

[2] Polancus, *ex commissione,* Nicolao Gaudano, ut se ad proficiscendum in Germaniam accingat, 24 Maii; eidem ut iter in Germaniam post Octavam Assumptionis arripiat, sed prius Doctoratus gradum assumat et professionem, si velit, faciat, 14 Junii; eidem Ignatius patentes litterae ut professionem emittere possit in manibus seu praesentia Andreae Lipomani, Prioris Sanctissimae Trinitatis, 5 Julii; Polancus Elpidio Ugoletti ut videat an Nicolaus Gaudanus possit Doctor Patavii fieri, 14 Junii. Idem

Digitized by Google

140. In ejus locum P. Andreas Galvanellus Patavio venit, ejusque vicem diligenter et, quod ad confessiones pertinet, accurate praestitit. Missus est etiam Roma P. Caesar Helmius, fulginas, qui partim in confessionibus externorum, partim in studiis scholasticorum (quatuor enim Roma secum adduxit) utilem operam navavit. Atque ita factum est ut, quamvis hoc anno P. Frusius Venetias mitti non potuerit, aequiori animo Prior ejus adventum exspectaret.

141. Magna etiam consolatione idem Prior affectus est, sicut et multi alii, quod in ejus gratiam jubilaei indulgentiam, quam magnopere expetebat, P. Ignatius a Summo Pontifice impetravit ac misit [1].

142. Cum male haberent quidam flandri ex nostris Patavii et Venetiis, significaverat Prior gratum sibi fore si non multi ejus nationis homines ad ea Collegia mitterentur; sed cum P. Elpidius aliquas rationes adduxisset, propter quas aliqui flandri ibidem essent retinendi, omnino acquievit, et quidquid a Patre Ignatio constitueretur, ut a Spiritu Sancto inspiratum, se in optimam partem accepturum affirmavit [2].

Paschasio Broet de eodem, an Bononiae Doctoris gradum accipere possit, eadem die. Idem Nicolao Gaudano, ut Bononiam ad Doctoratus gradum suscipiendum se conferat; de Jacobo Lhost in ejus locum substituendo, 28 Junii; idem Elpidio Ugoletti, ne amplius de Gaudani Doctoratu Patavii suscipiendo cogitet, eadem die; idem Petro Schorichio de ejus in Germaniam cum Gaudano profectione, 19 Julii et 9 Augusti; idem Nicolao Gaudano, Bononiae agenti, de ratione seu informatione, quam Romam miserat, status Collegii Veneti, et de ejus profectione Ingolstadium, 23 Augusti; eidem Ignatii patentes litterae *communicationis gratiarum*, eadem die; Polancus, *ex commissione*, Petro Schorichio, ne reformidet in Germaniam ire sed se regi a divina providentia sinat, eadem die.

[1] Ignatius Andreae Lipomano. Jubilaei gratiam ei communicans, quam pro eo ejusque familiaribus a Pontifice impetraverat, 14 Junii. Eidem Polancus, gratiam Jubilaei ei et viginti quatuor aliis ad ejus arbitrium esse concessam, 28 Junii.

[2] Polancus, *ex commissione*, Nicolao Gaudano, aut, si is jam discessit, ejus successori, vel Fulvio Cardulo, de Christophoro Laynez et de duobus, qui Colonia Venetias his diebus advenerant, 9 Augusti.—Tria potissimum in causa fuere cur Andreas Lipomanus a suis Collegiis Patavino et praecipue Veneto exulare flandros voluerit. Primum, rerum temporalium extrema penuria, qua Collegia illa laborabant, dum de suis reditibus Prior libere disponere et, quod promiserat, opere complere non valuit; hac enim penuria fiebat ut adolescentum nostrorum, qui in illis Collegiis degebant, non ea in victu, vestitu et aliis ratio haberetur, quam tum eorum aetas, tum patriae mores, quibus a pueritia assuefierant, tum vel maxime scholastici et etiam domestici labores ipsis subeundi exigebant; unde eveniebat ut omnes, sed flandri praesertim, statim ac pedes Venetias inferebant, aegrotabant et laboribus ferendis impares efficiebantur. Secundum, italici sermonis imperitia, quem donec discerent, nihil fere eorum, quae in proximorum utilitatem expetebat Prior, praestare valebant. Tertium, haud exiguus germanorum et etiam flandrorum in portu Veneto numerus, qui molestos se aliquando nostris praebuere, quique, utpote mercatores aut stipendiarii milites aut nautae, mores

Digitized by Google

143. Laborabat strenue in Venetorum vinea P. Andreas Galvanellus, in confessionibus audiendis, et quidem multis generalibus, et in aegrotantibus, a quibus accersebatur, invisendis et confessionibus eorum audiendis, et ad vitae in melius mutationem cum aedificatione exhortandis, et paulatim ad sacellum nostrum homines etiam nobiliores sacramentorum gratia accedere diligenter incipiebant.

144. Post discessum P. Claudii scribi voluit P. Ignatius ad quemdam amicum, qui Duci Ferrariae inserviebat, et per eum ipsi Duci scripsit; a quo perlibenter ipsius litterae perlectae fuerunt; et cum de rebus gestis Societatis ad Dei gloriam aliqua ministris quibusdam ipsius Ducis mitti jussisset ut ad Ducem pervenirent, id illi amanter fecerunt, et Duci gratissima exstiterunt, cum fructum ad Dei gloriam provenire ubique magnum animadverteret. Postea, ut superius dictum est, Gandiae Dux ad Collegium Ferrariae erigendum, cum eum ex itinere inviseret, adhortatus est; et postquam Romae fuit Dux idem, alias litteras ad excitandum Ducis Ferrariae animum misit; quas cum P. Franciscus Palmius Ferrariam tulisset ac Duci dedisset, intellexit ab amicis paulo ante dixisse Ducem Herculem quod principe dignum Collegium vellet Societati instituere. Commisit autem Domino Roseto, qui postmodum Archiepiscopus Ferrariensis factus est, ut locum aliquem idoneum quaereret ut Collegium, quod animo suo ipse jam constituerat facere, erigeretur. Expetebatur tamen a quodam ex amicis ad illud opus inchoandum P. Andreas Frusius, ibi notus, inter ipsius egregias dotes, propter poësim, qua Dux delectabatur, gratius ei futurus. Interim dum aedificium fiebat, domum in qua Collegium inchoare-

---

christiano nomine dignos, etiamsi haeretica labe infecti non semper essent, haud prae se ferebant et nostros, vel eo solum quod eadem ac illi uterentur lingua, de fide quodammodo suspectos bono Priori reddebant. (Vide supra sub n. 138.) Manifesta haec fient litteris Romam Venetiis et Venetias Roma hoc tempore missis, quas, Deo juvante, edemus in *Nova serie litterarum S. P. N. Ignatii.*—Polancus Elpidio Ugoletti, de Jacobo Lhost Romam mittendo; de caeteris flandris; de Andrea Buoninsegna, Bononiensi, Romam vel Bononiam mittendo, de Joanne *(Giovanni piccolo, Joannino),* 6 Septembris. Idem Andreae Galvanello, de Flandris, de Christophoro Laynez, eadem die et 13 Septembris; eidem, ut caeteris praesit, praeterquam Caesari Helmi, qui ei erit *collateralis*, 4 Octobris; idem Caesari Helmi, de vestitu et aliis, quibus indigent, ut adeat Elpidium Ugoletti, 8 Novembris; idem Elpidio Ugoletti, eadem die, ut videat ne quid de necessariis desit in Collegio Veneto, eoque, si necesse sit, se conferat; idem Andreae Galvanello, de vestibus, quas nostris confici curaverat Prior, et de aegrotantibus, et de Frusio Romae aegrotanti, 15 Novembris.

Digitized by Google

tur, praeparavit; quamvis non hoc sed sequenti anno fuit inchoatum, et aliis districtus curis tamdiu distulit ut morte praeoccupatus nec aedificium nec dotationem ullam stabilem peregerit [1].

145. In Germania interim laborabant in vinea Domini, admodum quidem sterili, Patres Claudius Jaius, Alphonsus Salmeron et Petrus Canisius; nam quod ad lectiones theologicas attinet, cum infecta admodum esset juventus etiam studentium in Germania, nec ulla adhuc Collegia eorum, qui theologiae vacarent, essent instituta, exigua erat messis auditorum, habita ratione operariorum, qui alibi uberiori cum fructu sua talenta expendere posse videbantur; et quod ad Collegium Ingolstadii instituendum attinet, nihil fere hoc anno promotum est; quod minus mirari oportet cum Guilielmus, Bavariae Dux et catholicae religionis propugnator acerrimus, sexta die Martii diem clauserit extremum. Quamvis autem ei successerit Albertus, ut dominii ita etiam pietatis paternae egregius haeres, non tamen cito opus illud maturescere potuit; cum praesertim novus Pontifex, Julius III, concessionem sui praedecessoris de decimis colligendis Duci Bavariae factam revocasset. Optimum tamen animum instituendi Collegii et ipse Dux et cancellarius, qui primas apud eum tenebat, semper prae se ferebant [2].

146. Interim Cardinalis Augustanus a Summo Pontifice P. Claudium sibi ad aliquod tempus concedi impetravit, et etiam a P. Ignatio, qui, cum diu eum retineri in Ingolstadiana cathedra non expedire judicaret, non solum non impedivit ejus recessum, sed gratum etiam habuit; unde litteris propria manu scriptis summas ipsi gratias egit Cardinalis, Deo et ipsi Patri promittens quod sic se vellet gerere et opera P. Claudii uti, ut ejus penes ipsum habitatio ad magnam Dei gloriam et consolationem civi-

---

[1] Ducis Gandiae litterae ad Ferrariae Ducem, Dominum Rossetto et Franciscum Palmium, mense Novembri; Ignatius Duci Ferrariae (has vide in tomo II *Cartas de San Ignacio,* pág. 271 et 440).—Polancus Paschasio Broet de Francisco Palmio, 14 Novembris.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patribus Salmeroni, Jayo et Canisio, de electo Pontifice Julio III, qui eos fecit Doctores; de Cardinalibus qui apud Pontificem plurimum valeant; de Collegio Ingolstadiensi; de quadrimestribus litteris latine scribendis, 14 Februarii; idem Salmeroni, plura de Collegio, 22 Februarii. Idem Claudio Jaio, de Cardinalis Maffaei et Summi Pontificis propensione erga res germanicas et praecipue Ingolstadiense Collegium, 12 Aprilis; de litteris Apostolicis confirmationis et privilegiorum Societatis et de ejusdem instituti informatione; missas esse Duci per Secretarium, 31 Maii.

Digitized by Google

tatis esset cessura; quod factis potius quam verbis se ostendere velle affirmabat. Itaque sub finem Junii mensis misit qui ad se deduceret Patrem illum, cujus consilio in omnibus quae ad profectum spiritualem et personae suae et dioecesis pertinerent, et fidei et religionis catholicae augmentum (de qua in imperiali diaeta Augustae hoc anno celebranda, cui Carolus V et princeps Philippus, ejus filius, interfuerunt) uti volebat. Alia ex parte Episcopus Eistetensis, qui recessum P. Claudii futurum suspicabatur, miro studio eum retinere nitebatur, quasi Academiam Ingolstadiensem dudum in spem ejus erectam, ut verbis Episcopi utar, ipsiusque praesentia tantopere decoratam jamque in instauratione studii theologici enitentem deserere, nihil aliud esset quam in ruinam studia bene inchoata secum trahere, et spem de recta institutione ministrorum Ecclesiae conceptam et in ipsius opera positam fallere. Sed nec preces nec rationes eum retinuerunt, quem Summi Pontificis auctoritas ad Cardinalem Augustanum avocabat [1].

147. Cum ergo Augustae versaretur, ubi principes multi in diaeta versabantur, multorum confessionibus audiendis vacavit, et utilem operam Cardinali in omnibus quae potuit ad Dei gloriam praestitit. Sed et Societatis res in Germania ibidem promovere commodius valuit. Unde romanorum Rex Ferdinandus, qui et P. Claudium valde diligebat et de theologis Ingolstadium missis jam exemplum viderat, scripsit ad Summum Pontificem, Julium, duos Societatis theologos petens, ut Viennae Austriae Collegium inchoarent. Scripsit et ad P. Ignatium rationem sui consilii explicans, scilicet, ut operariorum seminarium et nostrae Societati et provinciae Austriae ibi praepararetur; et dum res Collegii constituebantur, duos professores theologos de Societate nostra expetebat, qui hominum animos interim disponerent. Sed cum Electore etiam trevirensi de instituendo Collegio in sua illa civitate agere coepit; et quamvis dissuasores non deessent, qui multa etiam falsa Societati imponebant, cum con-

[1] Ignatius, Othoni Trutchses, Cardinali Augustano, Claudium Jaium a Pontifice permissum fuisse in Germaniam ire solum ad quatuor menses, sed longius mansurum in favorem Augustani, 31 Maii. Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, ei in mentem revocans eductum Ferraria fuisse solum ad quatuor menses ut alios de Societate in Germaniam praecederet et induceret, nunc autem in Augustani obsequium et juxta Pontificis voluntatem recedere Ingolstadio debere et per alios quatuor menses Augustae et Dilingae Augustano adesse, 31 Maii. — Cardinalis Augustanus Ignatio, de Claudio Jaio, 23 Junii.

Digitized by Google

traria esse veritati tandem intellexisset (qua in re Aistetensis Episcopus egregio charitatis officio functus est) de fundando Collegio Treviris omnino apud se constituit. Moguntinum etiam Electorem tentavit, et de Societatis instituto eum edocuit, sed sine sui Capituli consensu id posse fieri negavit.

148. Augustae voluisset quidem Cardinalis (Collegium) instituere, sed vires deerant bonae ipsius voluntati [1].

149. Ut Lovanii Collegium institueretur coeperat etiam cogitare; nec enim nostri vel domum vel ullos reditus habebant, immo nec Societas auctoritate principis in ditiones illas Belgiae admissa erat; sed cum jam supplicationem praeparasset, quam per Cardinalem Augustanum vel Secretarium Erasum, qui officiose suam operam ad id obtulerat, Imperatori eam offerre vellet, intellexit hoc ipsum negotium Lovanii per ministros Reginae Mariae tractari; unde Legato Apostolico Peghino [2], qui postea Cardinalis factus est, visum est nihil esse eo de negotio tentandum Augustae cum Imperatore, donec quem haberet successum tractatio illa per ministros Reginae intelligeretur. Et cum Episcopum Atrebatensem Granvellanum, qui patri in officio Secretarii apud Carolum V successerat, parum Societati benevolum futurum suspicaretur, ad cujus manus supplicatio ventura erat, eo magis alia via rem esse tractandam censuit. Non omittam quod P. Claudius admonuit, si qui ex Societate doctoratus gradum essent accepturi, ut theologiam in Germania profiterentur, majorem auctoritatem esse habituros, si in aliqua Universitate quam si vigore privilegii Apostolici privatim promoverentur [3].

150. In aestate hujus ipsius anni cum Aloysius Lipomanus, Veronensis Episcopus, a Summo Pontifice etiam impetrasset, ut P. Alphonsus Salmeron, Verona abductus superiori anno, sibi restitueretur, P. Ignatio non repugnante, immo hoc ipsum sug-

---

1 Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, de Collegio Societatis Augustae potius quam Dilingae erigendo, 16 Augusti; eidem, de Cardinali Augustano, et de Collegio Augustae erigendo, 16 Septembris; eidem de Collegiis Viennae, Treviris et Augustae erigendis, et eorum reditibus, mense Octobri; de Collegio Viennensi, cui applicari posset Pontificis et Regis auctoritate monasterium prope Viennam monachis destitutum ejusque aliqui reditus, 6 Decembris.

2 Sic pro Pighino, Sebastiano.

3 Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, de procuranda per Cardinalem Augustanum Imperatoris venia ut erigi Lovanii Societatis Collegium eique reditus applicari possint, 16 Septembris et 6 Decembris.

Digitized by Google

gerente, id facile obtinuit. Unde revocatus P. Alphonsus Ingolstadio, 24 die Septembris, Veronam ex Germania rediit. Non tamen prius Ingolstadio recessit, quam eo Doctor Nicolaus Gaudanus cum magistro Petro Schorichio ut supra dictum est, pervenissent, qui et a primo consiliario ac cancellario Ducis amanter excepti sunt; et cum essent Augustae, coram ipso P. Alphonso scripsit idem consiliarius ut eodem loco haberentur, quo Patres Claudius et ipsemet P. Alphonsus Salmeron habiti fuerant. Ipse autem P. Salmeron Romam venire, et eorum Patrum Congregationi, quae ibidem habebatur, interesse optabat; sed cum magno labore et expensis Episcopi Veronam venisset, et Divi Matthaei Evangelium prima dominica Octobris praelegere coepisset, et in diversis monasteriis concionari, quod et in cathedrali ecclesia ipso in Adventu facturus erat, non visum est expedire ut ante natalitia festa peracta Verona recederet, cum praesertim frequens admodum auditorium magna cum attentione et, ut sperabatur, fructu ipsum audiret, cumque ejus opera Episcopus in quibusdam libris videndis, quos editurus erat, uteretur. Post festa autem natalitia Episcopus Romam veniendi, cum promissione tamen redeundi, facultatem libenter dedit [1].

151. P. Petrus Canisius, Rector Universitatis Ingolstadiensis creatus est; qui diebus festis cum populo concionaretur, occasionem etiam reperiebat admonendi studiosos, et pro Rectoris officio increpandi. Componebat etiam lites eorum ac contentiosos, pugnantes, ebriosos coërcebat ac, Deo juvante, officium illud ad multorum utilitatem convertebat; unde inter studiosos major modestia ac disciplina rectior haberi coepit, quod Eistetensi episcopo et Ingolstadiensis Academiae cancellario pergratum fuit, cui summam quamdam reformandorum

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Alphonso Salmeroni, ut patienter ferat non se tam cito ac cupit a Germania evocari, sed ne desperet, quia vel propter Jubilaeum, vel propter capitulum (primorum Patrum ad approbandas Constitutiones, etc., congregationem), vel tandem propter Concilium spes est fore ut evocetur, 23 Martii; idem eidem, fore ut mense Octobri Romam venire debeat, 17 Maii; eidem, de ejus in Italiam reditu ante hyemem, quod, ut sine Ingolstadiensium offensione fiat, oporteret ut ipsum Lipomanus Nuncius a Pontifice impetret, 31 Maii; Ignatius Nuncio Aloysio Lipomano de Salmerone Veronam e Germania Pontificis auctoritate evocando, eadem die; Polancus Patri Salmeroni, necesse esse ut Nuncius Aloysius Lipomanus Pontifici scribat; Ignatium omnino velle ut in Italiam ipse veniat, sed oportere ut adventum Nicolai Gaudani in Germaniam opperiatur, 14 Julii. Ignatius Patri Alphonso Salmeron, eum in Italiam, juxta Summi Pontificis voluntatem, Ingolstadio revocans. (Vide infra de iis litteris dicenda sub n. 179.)

Digitized by Google

abusuum secreto P. Canisius obtulit. Sic enim et P. Claudio (cujus consilio et auctoritate, quamvis Augustae versaretur regebantur) satis fore videbatur, si qui possunt et debent illi Universitati providerent. Itaque P. Canisius communibus professorum ac scholasticorum sententiis laudabatur, et cum prospiceret communi bono, ut dictum est, cavebat tamen summopere ne ullum Societati odium aut invidiam pareret nec futuro Collegio aditum praecluderet [1].

152. In lectionibus theologicis, quamvis infrequenti auditorio et parum ad scholasticam doctrinam idoneo, progrediebantur; ipse autem P. Nicolaus Gaudanus, approbante P. Claudio ac fratribus, ethicorum Aristotelis lectionem suscepit, et quamvis alternis diebus Aristotelis et Pauli lectiones enarraret, plures auditores ad ethicae lectionem ac lubentius accedebant. Magistri Petri Schorichii alia lectio adjuncta est, quae diu desiderata fuerat, quod is omnibus pergratus esset, et cum in summo gymnasio Regentis officium vacasset, quod semper magnae auctoritatis ac virtutis hominibus deferri solet, cum magnam apud populum et academiam teneat dignitatem, idem magister Petrus prae caeteris idoneus existimatus est et ad id munus vocatus, quod tamen juxta consilium P. Claudii merito recusatum est.

153. Male habebat nostros ac praesertim P. Gaudanum quod confessionibus studiosorum adolescentum dare operam vix liceret, cum vix haereticorum librorum suppellex illis auferri posset; unde nonnisi probe cognitos ad confessionem admittendos experimento edocti censebant.

154. Quamvis auditorium et infrequens erat Ingolstadii et subtilioris doctrinae parum capax, mira tamen cum satisfactione et applausu tam Universitatis quam circumvicinorum locorum nostri lectores suo munere fungebantur; et sub anni hujus initium praeter morem scholastici aliqui ad confessionem et communionem sumendam in sacellum nostri Collegii convenerunt, et id singulis mensibus ut facerent nostri curabant. Et ut alliceret homines ad rerum spiritualium profectum, aliquid privatim P. Canisius suo in cubiculo eis praelegebat; nam etiam catholicis in Germania solidiori fundamento in rebus ad fidem pertinentibus opus esse deprehendebant; unde eos idem Cani-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Petro Canisio, cur Rectoris in Universitate officium assumere non expediat, 1 Februarii.

Digitized by Google

sius instruendos domi existimavit. Attulerunt hi libros suos a Luthero, Bucero et Melanchtone conscriptos; sed haec consolatio ex parte imminuta est, cum expostulare parochus coepisset quod se nostri professores in rebus spiritualibus immiscerent, et ex illis ipsis, qui libros haereticos attulerant, non pauci, peractis festis, eos repetebant; unde satis perspectum est magno eos affectu ad hujusmodi librorum lectionem ferri. Rector ipse Universitatis Patri Salmeroni confessus est. Episcopus autem Eistetensis, Universitatis Cancellarius, P. Claudium his festis apud se retinuit, miro eum affectu et Societatem etiam complectens et multum ab eo spiritualis auxilii accipiens. Cum pro more ipsa vigilia Natalis Domini latina oratio habenda esset, cum is, cui hoc oneris impositum erat, non inveniretur, P. Canisio est impositum qui, ex tempore quidem, sed per Dei gratiam tam luculentam habuit in summo templo orationem, praesente Universitate, ut ei magnopere fuerit satisfactum [1].

155. Psalmorum lectionem inchoavit sub anni initium Pater Claudius, oratione praemissa perdocta, et auditorum numero, prout frigus germanicum in studio theologiae ferebat, satis frequenti. Cum autem Dominus Leonardus Ecchius aliquas nostrorum lectiones audivisset, magnam animi consolationem ac satisfactionem ex eis reportavit, et cum de Collegii institutione ageretur, significavit eam esse Ducis mentem ut illud institueretur, quibusdam monasteriis, quae monachis erant destituta, ad illud applicatis. Nostri autem significarunt, siquidem collegium erigeretur, non defuturos ex Societate nostra duos professores theologiae et unum philosophiae, nam in Germania professorum hujusmodi magna erat penuria, et nisi hujusmodi Collegium conficeretur, vix spem reliquam esse collapsi theologici studii erigendi, cum fere scholastici Germani ad theologicam facultatem nausearent, et in dialecticis etiam ac philosophicis parum essent exercitati. Res autem magnopere cancellario placebat, et simul atque Pontifex Julius electus est, cum mitteret legatum, qui suo nomine et Pontifici et Sedi Apostolicae obedientiam pro more offerret, eidem commisit, ut monasteria quaedam Pontificis auctoritate unienda Collegio Societatis Ingolstadii

[1] Polancus, *ex commissione*, Petro Canisio, de lectione librorum haereticorum et quomodo Ducis ope et Universitatis auctoritate malo tanto obviam iri possit, 18 Januarii.

Digitized by Google

curaret, et ad octo Cardinales totidem litteras de eodem negotio dedit. Sed placuit divinae bonitati ut decem dies post missum legatum, scilicet sexta die Martii princeps Bavariae Guilielmus diem obiret extremum. Cancellarius ejus Leonardus, cujus prudentia et integritate ad totius status gubernationem idem princeps utebatur, dominum suum post undecim vel duodecim dies est consecutus; et ita Collegii instituendi negotium intepescere coepit; et quamvis Albertus Guilielmo patri succedens in Bavariae ducatu, de eodem Collegio erigendo spem faceret et Romam omnino scriberet ad id conficiendum, aliis fortasse rationibus, quae magis urgebant, posthabita ejus desideria fuerunt; unde in toto hoc Pontificatu Julii III res ad effectum non est deducta [1].

156. Quo negotio frigescente, P. Alphonsus Salmeron alibi melius se posse talentum Domini expendere judicabat; cum praeter lectionem illam, quae vix quatuor vel quinque idoneos mediocriter auditores habebat, et pauculas confessiones, vix fructum alium capere ex suis laboribus poterat; quamvis Universitas longe aliter se haberet, quae tam avide ipsum audiebat ut nunquam pari affectu quemquam professorem prosecuta diceretur. Sed nec ipsi nec P. Claudio hoc munus profitendi Theologiam in loco aliquo diutius inhaerendo, secundum vocationem eorum, qui Societatem nostram sunt professi, videbatur, quod cum P. Ignatio significatum esset, ad utrumque Ingolstadio revocandum animum adjecit; et ita primo quidem P. Claudius a Cardinali Augustano, deinde P. Salmeron ab Episcopo Veronensi, Nuncio Apostolico, auctoritate Summi Pontificis hac ipsa aestate fuerunt revocati. P. tamen Claudius semper significaverat se ad tempus cum sociis venisse et non ut diu in Ingolstadiensi Universitate haereret [2].

157. Laborabant nostri in Germania, cum facultatem absolvendi ab haeresi non haberent; sed hoc ipso anno partim a Nuncio Apostolico Lipomano, partim Roma missam habuerunt [3].

---

[1] Leonardus Eckius Ignatio, de Collegiis Societatis in Germania erigendis, mense Februario.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Salmeron, de ejus in Italiam reditu ut cum Universitate agat; et, si videatur, ne Nicolai Gaudani adventum expectet, 16 Augusti.

[3] Polancus, *ex commissione,* Petro Canisio, ut ab Apostolico Nuncio facultatem haereticos resipiscentes absolvendi postulet, 18 Februarii.

Digitized by Google

158. P. etiam Petrus Canisius miserrimum statum religionis in Germania et experiebatur et deplorabat, cum etiam in catholicis cultus divinus ad frigidam quamdam praedicationem diebus festis redactus erat; quadragesimae tantum nomen retinebant; jejunium nullo modo; sacrificio Missae pauci intererant; et cum in sacellum Collegii id celebraretur, vix pecunia conduci potuissent ex catholicis, qui id audirent; haereticos libros relinquere viris catholicis durum admodum videbatur, ac praesertim eruditis, partim quod casus reservati in bulla Coenae Domini ibi non essent promulgati, partim quod non esse eam intentionem Pontificis dicerent ut viri docti excommunicarentur quod haereticos libros ad eos confutandos haberent. Cum etiam a votis et consiliis evangelicis homines abhorrerent, male habebat Canisium quod homines ad institutum nostrae Societatis non moverentur; quamvis consolatus est eos id temporis magister Lambertus Aüer, qui Societati se adjunxit. Coepit idem in dominica *Laetare* germanice in parochia quadam ab ipso parocho invitatus concionari, et prima illa concio germanica felicem satis habuit successum et praeter hominum opinionem a Germanis recte intellecta est [1].

159. Praeter confirmatam doctrinae existimationem, quae apud Germanos in primis valet, admirabantur illi et laudabant nostrorum in victu frugalitatem; nusquam enim sobrietas et abstinentia magis exulare quam in Germania et aliis septentrionalibus locis videbatur. Magnificabant etiam quod gratis docerent, cum tamen diligentiam in profitendo cum solida doctrina conjunctam viderent. Unde non aequasse solum sed superasse hominum exspectationem, licet ea maxima fuerat, videbantur. Rarum et illud erat in Germania ut novem vel decem in templo nostro sacram communionem accipere viderent, inter quos ipse Universitatis erat [2]. Frequentiores etiam accedere ad sacrum audiendum coeperunt; talis enim erat bonorum pastorum raritas, ut minus mirum esset si oves in ecclesiis contineri non possent; et cum passim lectio librorum haereticorum catholicis

---

[1] **Polancus, *ex commissione,* sociis Messanae degentibus, quid de Germania scribat Canisius et quam enixe iterum iterumque exposcat ab omnibus sociis ut pro illa regione preces fundant, 18 Januarii.—Petri Canisii litterae ad Polancum et Jaii ad Consiliarium Stockhamer.**

[2] **Sic in Mss.; sed deesse videtur verbum *Cancellarius*.**

Digitized by Google

permitteretur, venenum Lutheri contra caerimonias ecclesiasticas etiam ad eos, qui catholici videri volebant, se extendebat. Vir quidam primarius Universitatis, qui graviter tulerat de relinquendis haereticorum libris se admoneri, tandem sanis consiliis acquiescens et in festo Pentecostes nostris confessus, bibliothecam suam purgavit, cujus exemplum ad alios permovendos propter ejus auctoritatem perutile fuit.

160. Sacerdos quidam germanus, qui sexaginta quatuor annos natus uxorem duxerat, lutherana insania correptus, cum a Commissario Caesaris hispano compulsus ad Cardinalem Augustanum venisset ut Ecclesiae communioni restitueretur, data est a Cardinali provincia haec P. Claudio ut senis exploraret animum (cum non raro eveniat ut parum sincere aliqui redire se ad Ecclesiam simulent). Id autem sic dextre perfecit ut primo colloquio fucum deprehenderet; nam et corrupta fides prodebatur, et ex uxore concubinam facere constituebat; sed P. Claudius, Deo juvante, et in fide hominem instruxit ac confirmavit, et ad concubinam abjiciendam ac detestandam impulit; et demum ille publice poenitentiam agens, profussis lacrymis coram populo reconciliatus est.

161. Scribit ipse P. Claudius quod, bona cum venia Ingolstadiensium, 6.° Calendas Julii Ingolstadio recesserit ad Cardinalem Augustanum, in cujus aula pariter et in comitiis non parva sese occasio offerebat promovendi quae ad Christi gloriam et animarum salutem spectabant. Cum multis enim viris, non unius gentis nec fidei, saepe privata colloquia, partim ad errores repellendos, partim ad sedandas discordias, partim ad bonos mores promovendos, miscebat; id quod, Deo propitio, feliciter aliquando successit. Multi enim et Augustae et Dilingae per sacram exomologesim a peccatis purgati fuerunt, et juvenes etiam aliqui, qui haereses a teneris annis imbiberant, eis legitime abjuratis, Ecclesiae catholicae sunt restituti; quibus etiam propter bonam indolem et ob verae poenitentiae edita signa mecennates, qui de rebus necesariis eis prospicerent et ad eruditionem consequendam juvarent, inventi sunt. Quidam etiam sacerdos, non exiguae nobilitatis aut fortunae, in spiritualibus exercitiis sic profecit ut, eorum judicio, quibus ejus vita antea perspecta erat, in alium virum sit mutatus, quotidie fere sacrum faciens, epulas conviviorum ad moderationem restringens, et

Digitized by Google

loco profanorum colloquiorum sacram lectionem adhibens, famulorum catervas, vestium luxum, equorum apparatum, imagines, quae castos oculos offendebant in tapetibus domus, rejecit, et sumptus in illis fieri solitos in opera pietatis convertit.

162. Labacensis Episcopus, Regis Romanorum Ferdinandi a confessionibus et eleemosynis, cum P. Claudium familiariter novisset, scripsit ad P. Ignatium et pro magno beneficio postulavit, ut ad duos vel tres menses illum sibi concederet, ut, cum suum episcopatum vellet invisere in magna sane spirituali miseria constitutum, ejus consilio et opera uti posset. Hic ipse Episcopus cum Rege Romanorum, Ferdinando, de Collegio nostrae Societati Viennae instituendo egit, qui non contemnendum censuit quod suggerebatur, sed considerari voluit a duobus vel tribus, inter quos P. Claudius fuit, et sibi referri quisnam fructus ex hujusmodi Collegio sperari posset. Quod cum intellexisset, pius ac religiosus Regis animus ad id opus instituendum a Deo motus est. Jonas autem, Cancellarius regiae majestatis, cum P. Claudium admoneret quod ad Summum Pontificem et P. Ignatium rem scripturus erat, percontatus est an libenter iturus esset Viennam P. Claudius, si a Summo Pontifice ac P. Ignatio ei injungeretur. Cum vero suorum superiorum praeceptis bono animo se pariturum Claudius affirmaret, addidit Cancellarius, praeter theologiae lectores duos, Regem velle scholasticorum Societatis Collegium constitui, et formulam instituendorum hujusmodi Collegiorum in scriptis sibi dari voluit, quam P. Claudius, ut ipsi tunc occurrebat, dedit; sed Romam scripsit ut formulae informationis hujusmodi Collegiorum ac nostrae Societatis sibi mitterentur, quas eis ostendere posset, quos in Germania ad Collegia instituenda hortaretur [1].

163. Scripsit autem Rex Romanorum, ut superius dictum est; sed quia mense Decembri litterae datae fuerunt, non usque an annum sequentem Collegii Viennensis initium est consequutum.

164. Jubilaei gratia, quam summopere et P. Claudius et alii

[1] Polancus, *ex commissione,* Petro Canisio, de collegio Viennae instituendo, mense Octobri; idem Claudio Jaio, de iis quae a Labacensi Episcopo expetuntur et de Collegio Viennensi, 6 Decembris; eidem, de Romanorum Rege, famam esse eum de reditibus monasteriorum propria tantum auctoritate disponere, 16 Decembris. Ignatius Labacensi Episcopo officiose, ut patienter ferat nondum sibi ClaudiumJaium concedi, 16 Decembris.

Digitized by Google

de Societate, qui in Germania versabantur, expetebant, et eis a P. Ignatio impetrata fuit, et summa illos animi laetitia perfudit [1].

165. Quod ad ipsum Cardinalem Augustanum attinet, quod pollicitus erat, diligenter praestare visus est; nam valde propensus ad res divinas videbatur; semper habitu cardinalitio, at simplici, rejectis sericis, utebatur; canonicas horas devote admodum recitabat; mensae sacram lectionem adhibebat; Missae sacrificium crebro offerebat; festis solemnibus concionabatur; quotidie exercitium aliquod spirituale sibi propositum ad praxim deducebat; eleemosynas large faciebat; viginti quatuor pauperes scholasticos, praeter professores omnium facultatum, suis impensis alebat; et optimum demum vitae suae odorem spargebat.

166. Caesaris confessarius militem quemdam Germanum spiritualibus exercitiis instituendum ad nostros Ingolstadienses miserat, qui sic paucis diebus profecit, ut non solum instituto religioso se devoverit, sed etiam exemplo suo aliis sui ordinis praeluceret.

167. Cum nonnulli nocturnam a spiritu quodam ferrent molestiam, Missae sacrificio celebrato ea cessavit, et creditum est animam a Purgatorii poenis liberatam ea ratione ad quietis locum recessisse.

168. A quindecim milliaribus germanicis hispani duo venerunt ut Patri Salmeron peccata confiterentur, et cum fructu non exiguo recesserunt.

169. Lectio privata Patris Canisii auditores habuit domi praeter eos qui publicam Magistri sententiarum lectionem in scholis audiebant, qui et in litteris et in pietate juxta proficiebant et ad frequentiorem usum confessionis et communionis paulatim adducebantur; et ex illis aliqui se lutheranis libris abdicarunt. Latinas etiam homilias diebus festis, praeter aliquas germanicas conciones, ad scholasticos habebat, et pro sterilitate soli Ingolstadiensis non poenitendo cum fructu haec transigebantur.

170. Quamvis in recessu Patrum Claudii Jaii et Alphonsi Salmeronis magno sit luctu afflicta Universitas, fusisque publi-

[1] Polancus, *ex commissione*, Patribus Jaio, Salmeroni et Canisio, quas gratias seu facultates ipsis Summus Pontifex concesserit, 23 Martii.

Digitized by Google

ce lacrymis viri primarii eos abeuntes prosequerentur, et absentium suaviter et amanter meminissent, non indignationem contra Societatem sed contra eos antistites, quorum opera evocati dicebantur, converterunt; immo et ipso die, quo P. Claudius recessurus erat, qui in Universitate caeteris praecellebant, ad illum veniendo, et confiteri peccata et Eucharistiam accipere curaverunt, et hac consolatione moerorem, quem de charissimi Patris discessu collegerant, temperarunt.

171. Sed facile erat intelligere quod ad commune bonum promovendum longe utilius Augustae, in comitiis praesertim, quam Ingolstadii vir ille versabatur. Ad res etiam Societatis juvandas, vel potius Germaniam ipsam per ministerium Societatis, perutilis ejus recessus fuit, cum Collegiorum postea erectorum quasi semina ab eo in comitiis sint jacta. In recessu autem Patris Salmeronis professores convivium non vulgare appararunt; solent enim Germani hoc velut firmum amicitiae signum adhibere ned quidquam illis est antiquius ad fidei humanitatisque testificationem. Et quamvis non ferendam esse jacturam ornamenti tam insignis suae Academiae dicerent, et eum alterum esse Eckium et plus quam Eckium, qui doctrinae suae flagrantem odorem longe lateque per Germaniam diffudisset, cum P. Alphonsus omnibus his obedientiam obtenderet, quid ulterius dicerent non habebant. Comitati sunt ergo eum septem vel octo, inter quos erat Rector et Procancellarius Universitatis, ad aliquot milliaria, et viaticum, equos et comites obtrudere volebant. At non parum eorum animos consolatus est P. Nicolai Gaudani adventus, qui cum magistro Petro Schorichio, germano, pauculos dies post recessum P. Alphonsi Salmeronis Ingolstadium pervenit. Et aucta est etiam Universitatis consolatio, cum idem magister Petrus philosophiam et graecas litteras ut profiteretur, prout Universitas enixe petebat, concessus est. Dux etiam Bavariae Albertus, cum de erigendo Collegio ad Summum Pontificem scriberet, honorifice admodum de singulis nostrorum se sentire testatus est, et cum omnes magnopere commendaret, ne a se recederent sedulo curabat [1].

172. Ea erat animorum dispositio ut non parum effecisse

---

[1] **Polancus, *ex commissione,* Claudio Jaio, ut videat an Romam venire, absque sui rerumque in Germania incoeptarum detrimento, possit, 6 Decembris.**

Digitized by Google

viderentur nostri, si cum de frequenti Sacramentorum usu auditores admonerent, eorum aures rem tam inauditam ferre possent; et si probarent in aliis, licet ipsi non sequerentur tam pium institutum, haud exiguus fructus in Germanicis ingeniis videbatur; quod enim alibi minimum videretur, pro magno ducebant, si fidem sinceram invenire et conservare in hominibus possent. Sermo de perfectione et consiliis evangelicis ne parvulis in spiritu officeret timendum erat; ut facilius videri alicui posset apud Indos fructificare Christum quam apud germanos, qui contrarios christianae fidei habitus induissent, agnitae veritati repugnantes. Consolabatur tamen nostros aliquis studiosorum numerus, qui domi nostrae confitebantur et festis celebrioribus communicabant; unde cum adessent quodam festo multi in nostro sacello ut Eucharistiam perciperent, ex quibus aliqui lutherani prius habiti fuerant; affirmavit vir quidam fidedignus post jacta illius templi fundamenta nihil unquam in eo tam religiosum fuisse conspectum.

173. Cum quidam nobilis hispanus et sacellanus Imperatoris ad gradum Doctoratus promovendus esset, P. Alphonsus Salmeron, qui tunc decanus erat facultatis theologicae mira cum laude omnium disputavit; et non parum aedificationis nostri attulerunt, quod pecuniam quae pendi solet in collatione laureae doctoralis, recusaverint.

174. Aliqui, licet pauci, et inter alios quidam, qui multis aliis praeerat, magnam in melius vitae mutationem fecerunt; et eorum quidam non exiguae auctoritatis, ad frequentem communionem adductus, a corporis etiam adversa valetudine convalescere coepit, quae illi prius erat parum prospera, et litteris ultro citroque datis nostros commendabat et adolescentes Ingolstadium adducere vel suis impensis, ut se nostris praeberent instituendos, curabat, et ut sacerdotium assumeret ac germanice concionaretur est adductus.

175. Gravis fuerat inter professores controversia, quae libris etiam editis male fovebatur, et cum injuriarum actio inter partes institueretur, Dei gratia sic placati sunt a nostris irati illorum animi, ut junctis inter se dextris pacem firmaverint, offensam omnem ex animo sibi mutuo remittentes.

176. De rebus theologicis, quod in more positum erat Ingolstadii, dictare in publicis lectionibus coepit P. Canisius, quod

Digitized by Google

non minus gratum quam utile auditoribus accidebat; nullum eo usque disputandi usum habebant, sed ut singulis diebus sabbati disputarent, adducti sunt; et sic collapsa prius studia theologica florere multis videbantur. Sed non diu hujusmodi disputationes viguerunt et pene spem omnem abjecerunt nostri de profectu magno auditorum, partim quod ad lectiones intelligendas parum idonei, partim quod voluntate discendi destituti omnino viderentur. Et prorsus magno spiritus robore, longa patientia, continuis precibus, jucunda gravitate et gravi jucunditate, praeter doctrinam, esse opus, ut vel paucos Christo lucrifacerent, experientia compertum est.

177. Quamvis recusaret P. Petrus Canisius et in P. Nicolaum rejici curam nostrorum optaret, ipsi tamen a P. Ignatio injuncta fuit; et cum idem Ignatius consultus an deberet admitti Rectoratus, Patri Claudio, ut vicino et rerum germanicarum perito, rem commisisset, censuit ille non esse hoc onus detrectandum; et ita omnium consensu Rector P. Canisius electus est; et cum usus ferret pecuniam admittere ab illis, qui in alvum scholarium *(matriculam* vocant) referendi erant, idem P. Claudius judicavit pecuniam illam esse admittendam, quia aliqua ejus pars ad lictores et quosdam alios Universitatis ministros pertinebat, et de tota summa Rector reddere rationem debebat; suasitque ut conservaretur, donec P. Ignatius quid esset agendum de ea parte, quae cedere solebat in usum Rectoris constitueret, an, scilicet, pauperibus danda vel quid aliud agendum esset [1].

178. Scripsit hoc tempore P. Ignatius Duci Bavariae institutionem Collegii commendans; et a Deo prorsus haec desideria Collegia instituendi, praesertim in Germania, eidem P. Ignatio immissa videbantur; et ut P. Canisius qui earum litterarum vidit exemplum, scripsit, valde efficaciter Collegii negotium promoturae videbantur [2].

179. Affectus autem, quem P. Ignatius ad res Germaniae

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Claudio Jaio, ut, si ipsi videatur, Canisium caeteris praeficiat, praeterquam Nicolao Gaudano, qui Canisio *collateralis* esse poterit, mense Octobri; idem Canisio, de officio Rectoris Universitatis et de ejus proventibus quid ei agendum, 6 Decembris.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Claudio Jaio, de Duce Bavariae ejusque Secretario, eorum animi dispositionem sensusque commendans; de Secretarii Romam adventu et quae cum eo gesta sunt, 19 Aprilis.

Digitized by Google

promovendas prae se ferebat, sic animos Ducis ac ministrorum ejus deliniebat, ut quamvis revocati essent Patres Claudius ut Salmeron, boni tamen consulerent [1].

180. Sub finem Octobris P. Nicolaus Gaudanus, qui pedes et cum exiguo satis viatico hoc iter cum socio confecerat, lectionem epistolae ad romanos, praemissa oratione latina, praesente tota Universitate, feliciter inchoavit et prosecutus est; et tam in legendo quam in disputando doctrinae suae optimum odorem brevi sparsit, et placere magnopere coepit [2].

181. Non omittebat P. Canisius, propter Rectoris assumptum officium, laborem concionandi et germanice et latine. Sed satis molestum illud onus Rectoris expertus est, et cui fructus fortassis non respondeat; praecipuae enim Rectoris occupationes hae fuerunt: inscribere novos scholasticos, cogere debitores ad solvendum suis creditoribus, querelas et accusationes civium contra scholasticos audire, reprehendere ebrios, et noctu per vias vagantes in carcerem conjicere, primum in conviviis, congregationibus et promotionibus locum habere; reformatio autem studiorum et religionis a Rectoribus attingi non solebat, cum post sex menses officio defungerentur. Nec videbatur nostris tunc expedire ut quidquam in hac parte publice innovarent, sed, ut superius dictum est, per alios quae ad reformationem hujusmodi pertinebant (quibus suggerebat P. Canisius quod ipsi videbatur) curata sunt [3].

182. In festo autem Omnium Sanctorum auctus numerus

---

[1] Ignatius Duci Bavariae, de Jaio et Salmerone. Has litteras habes in tom. II operis *Cartas de San Ignacio*, pag. 252 et seq., et 431. Datae autem fuere non Kalendis Augusti, ut ibi dicitur, sed Idibus ejusdem mensis, ut clare apparet in Polanci *Regesto litterarum P. N. Ignatii*, in *Historia* mss. *Collegii Ingolstadiensis* et in pluribus aliis trassumptis in Arch. Rom. asservatis.—Ignatius Patri Salmeroni. Has, quas etiam habes in tom. II, *Cartas de San Ignacio*, pag. 254 et 432, non solum AGRICOLA, *Historia Provinciae Germaniae Superioris Societatis Jesu*, p. I, dec. I, pag. 23, sed etiam RADERUS, *Bavaria sacra*, t. III, et auctor trassumpti Ingolstadio Romam saeculo XVII ineunte missi, et CARNOLI, qui eas in italicam linguam vertit, Jaio et non Salmeroni datas autumarunt. Certum tamen est ex contextu, ex litteris hic commemoratis et ex Polanci *Litterarum P. N. Ignatii Regesto* eas Salmeroni fuisse datas.

[2] Vide annot. supra sub n. 150.—Polancus, *ex commissione*, Petro Canisio, de Nicolao Gaudano ejusque in itinere socio Petro Schorichio, 16 Augusti et 16 Septembris. Ignatius Dominae Jacobae de Croy, Marchionissae de Bergis, Nicolaum Gaudanum a Summo Pontifice missum in Germaniam, 16 Septembris. Polancus, *ex commissione*. Petro Canisio, de Petri Schorichii lectionibus, mense Novembri.

[3] Polancus, *ex commissione*, Patribus Jaio, Salmeroni et Canisio, ut concionentur latine, ubi sint, qui latinam linguam capiant, auditores, 23 Martii.

Digitized by Google

scholasticorum confitentium et communicantium, qui ad decem et septem pervenerunt, nostrorum consolationem auxit.

183. Crevit etiam in concionibus P. Canisii auditorum frequentia, et eorum, qui ad Sacramenta accedebant et haereticorum libros nostris resignabant. Curatum est autem ab eo ut nomine publico caveretur ne quis aut venderet aut teneret suspectos codices, et ii a certis ac fidedignis viris ad hoc deputatis visitarentur, non in publicis tantum bibliothecis sed etiam in privatis multorum cubiculis [1].

184. Tres mali exempli adolescentes curatum est, ut ab Universitate relegarentur, quo effectum est ut alios terror in officio contineret.

185. Desierunt professores libros haereticos et privatim et publice praelegere, et accessit cautio ne in posterum praelegerentur nec Ingolstadium inveherentur.

186. Cum in Collegio publico studiosorum jejunia praescripta ab Ecclesia non observarentur, ut abusus hic reformaretur curatum est.

187. Complures ecclesiasticos homines, qui canonicas horas non recitabant, ut hoc pensum simul cum ipsis persolverent curarunt, et recitandi morem docuerunt, quem in posterum tenuerunt; ad vestitus etiam honestatem hujusmodi homines adducti sunt.

188. Cuidam viro primario exercitia sunt cum magno fructu proposita et in Natalitiis festis confitentium et communicantium ea fuit frequentia, quae ab initio Academiae conspecta eo in loco non fuerat, ad quod illius viri, qui multis praeerat, auctoritas plurimum valuit; et ita etiam quaedam pro religione omnibus studiosis proponenda conscripserunt, quae provincia illis a superioribus est injuncta.

189. Coloniae interim P. Leonardus et confessionibus audiendis et exhortationibus ad studiosos habendis, spiritualibus etiam exercitiis tradendis, utiliter in illa Domini vinea versabatur. Quatuordecim adolescentes secum habebat, ex quibus quinque dotibus egregiis praediti per emissa vota Domino se consecrare voluerant, et cum satis probati viderentur, ad ea ad-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Petro Canisio, de haereticis absolvendis et eorum libris legendis; mittit ei etiam authenticum transumptum Bullae *In Coena Domini,* 6 Decembris.

Digitized by Google

missi sunt; aliis, qui id ipsum expetebant, ut magis probarentur, non concedebatur. Misit etiam Romam hoc anno P. Leonardus quinque studiosos juvenes; nam hujusmodi peregrinationem magna cum aviditate juvenes suscipiebant. Fuit hoc tempore Coloniae maxima quidam ventorum tempestas, qualis ante multos annos non fuit audita, et tam horrenda noctu audiebantur tonitrua, ut mundum periturum esse homines putarent.

190. Significat P. Leonardus id moris esse Coloniae ut in artibus recenter promoti studiosis in Collegio (quod *bursam* vocant) praelegere incipiant; et facile impetrari posse ait locum et habitationem liberam, cum multos amicos et fautores haberent, si eo deventum esset ut confratres nostri, postquam absoluto cursu ad magisterium promoverentur, studiosis quae ad graecas litteras et latinas pertinent praelegerent, unde et magis exercitati ad theologiae studium accederent. Et in primis Erardus Leodiensis, hac ipsa quadragesima promovendus, gratus auditoribus futurus esse dicebatur. Sed hoc ipso anno tam Erardus, quam alii octo vel novem, Romam missi sunt; unde munus docendi Coloniae minime susceperunt. Tractabant nihilominus sua studia alacriter, et lectiones in schola publica auditas domi diligenter repetebant ac disputabant; et qui humanioribus litteris dabant operam, stilum in carmine et soluta oratione exercebant; ac linguam graecam etiam addiscebant; ac diebus Veneris orationem latinam multis studiosis externis audientibus habebant; et cum diebus dominicis tam fratres nostri quam studiosi externi in parochia vicina communicabant, magnam ex eo spectaculo populus aedificationem capiebat. Dedit etiam parochus P. Leonardo in ipsa ecclesia parochiali sedem, ubi omnium, qui ad eum accedere vellent, confessiones audiret. Festis diebus idem Leonardus exhortationem habuit in quodam monialium monasterio, in quo prius magna discordia regnabat; sed sic moniales concionibus fuerunt commotae ut fere omnes generalem confessionem apud eumdem instituerint; unde magnum studium simplicis obedientiae, abnegationis et charitatis fraternae est consecutum, ita ut bonus odor reformationis hujus per totam civitatem sit sparsus [1].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Leonardo Kessel, posse nostros legendi munere in publicis scholis fungi, 4 Martii.

Digitized by Google

191. Circa idem tempus a cujusdam Congregationis religiosae praefecto rogatus ut cuidam adesset suorum fratrum, cui jam unctionem extremam impenderant, et in agone mortis positus erat, adfuit; confessionem ejus audivit; quam simulatque aegrotus ille inchoavit, melius habere coepit; peracta autem generali totius vitae confessione, surrexit et ambulare coepit; ut omnes tam subitam mutationem merito obstupescerent. Vir erat doctus et multa de illo ad Dei gloriam speranda erant, dummodo ex toto corde vitam in melius mutare constituisset.

192. Contulit se Lovanium P. Leonardus ut cum P. Adriano et sociis ejus de rebus suae domus conferret; et in reditu eumdem P. Adrianum Coloniam adduxit, et cum circa studiorum ordinem ac nostrorum gubernationem secundum P. Ignatii beneplacitum omnia constituerentur, et consolatio et profectus fratrum non mediocris est secutus. Augebatur interim messis poenitentium et de rebus spiritualibus consulentium nostros, et tam ipse quam P. Adrianus, qui erat Lovanii, aliquot ad Carthusiam miserunt, qui libenter a Priore excepti sunt. Aliqui ex his, qui nostris confitebantur, post promotionem cum aedificatione praelegere in scholis publicis coeperunt.

193. Si quando res necessariae ad studiosos nostros alendos deerant, ad Priorem Carthusiae accedentes pecuniam accipiebant, qui ex ea, quam P. Petrus Canisius in usum Societatis legaverat, vel ex propria nostris scholasticis subveniebat; nihil enim a Coloniensibus post recessum P. Fabri, piae memoriae, petebant. Ipse etiam Leonardus tempus illud, quod ex occupationibus spiritualibus supererat, sacris litteris ac theologiae scholasticae studiis impendebat; raro ad matronas accedebat; raro ad cibum cum aliis capiendum, quod non occasionem fructus percipiendi ibi videret; ad aegrotantes crebro vocabatur; in suis necessitatibus, cum nullus esset Provincialis in illis regionibus, ad Christum per orationem recurrebat, et in dies divini luminis et gratiae augmentum experiebatur; per litteras etiam P. Ignatium Romae consulebat; et si corpore aliquando debilis esset, in opere tamen Dei se fortiorem reddi experiebatur. In votis tamen illi fuit Romam aliquando venire et id a P. Ignatio postulavit, si ipsi expedire videretur, ut eumdem procedendi modum ad Dei obsequium erga se ipsum et fratres teneret. Ali-

Digitized by Google

quas lectiones domi magister Erardus, exercitationis gratia, fratribus praelegebat [1].

194. Cum sacramentalis confessio vix semel singulis annis et admodum festinanter prius fieret, eo res redierat ut et frequenter et diligenter tam confessio quam sacra communio non solum a studiosis adolescentibus sed a laicis etiam utriusque sexus celebraretur et quidem cum magna populi spectantis satisfactione.

195. Ad aliud monasterium monialium praeter illud, de quo prius mentio facta est, concionandi gratia accessit. Quidam per peccatorum confessionem a pessimo daemone Dei gratia liberatus fuit. Exercitia spiritualia magno cum fructu et lacrymis ab aliquibus suscepta fuerunt. Egregius etiam quidam ac nobilis adolescens coloniensis, optimis moribus praeditus, aliorum exemplo commotus, postposito matrimonio, religioso Societatis nostrae instituto se addixit. Hic est magister Joannes Retius, qui Aristotelem in scholis juvenibus praelegebat et aliqua etiam ex Cicerone, ut aliquos ad Christi jugum subeundum alliceret. Nostrorum autem colloquia multos alios studiosos, suos condiscipulos, ad optima quaeque permovebant, ex quibus non pauci ad Societatis institutum adspirabant.

196. Loco illorum, quos Romam dimiserat, sub autumnum totidem fere alios admisit; inter eos autem, qui hoc anno Romam venerunt, praeter magistrum Erardum, fuit Magister Martinus Stevordianus ac Theodorus Peltanus.

197. Quaedam matrona obnixe rogavit P. Leonardum ut filium suum, qui per annos fere duos insanus fuerat, ad dies aliquot domi nostrae esse permitteret; quod cum impetrasset, juvenis ab eo tempore melius habere coepit.

198. Quamvis multi suis expensis apud P. Leonardum habitare cuperent, illos tamen solos admittebat, qui ad Societatis institutum idonei esse videbantur.

199. Cum domum, quam inhabitabant conductitiam, ejus dominus inhabitare vellet, in aliam quae Abbatissae canonissarum Divae Ursulae erat, non minus commodam, migraverunt.

200. Lovanii P. Adrianus cum paucis versabatur; cum enim

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Leonardo Kessel, de ejus ministeriis, sociis, etc., et desideriis veniendi Romam, 1 Augusti; eidem de duodecim Colonia Romam missis, 14 Octobris.

Digitized by Google

angusta res esset familiaris, alio potius, ac Romam potissimum, hi juvenes mittebantur, quos Dominus ad Societatis institutum vocabat [1].

201. Eodem hoc anno cum de Collegio Lovanii instituendo et de Societate in Belgiam admittenda, ut prius diximus, ageretur, consulta est facultas theologica a Regina Maria, Imperatoris sorore, quae ipsius loco administrationem illarum provinciarum exercebat, et de nostra Societate valde honorificum reddidit testimonium. Cum etiam accidisset ut quidam, Rogerius nomine, in Societatem admissus, fratrum rogatu in patriam missus esset ut primitiis alterius fratris interesset, illi a nostra Societate avertere juvenem cupientes, quemdam religiosum et cujusdam coenobii Superiorem, sacrae theologiae bacchalaureum, consuluerunt; qui modeste se gerens nec temere institutum susceptum mutandum esse censens, eamdem facultatem theologicam consuluit. Haec autem, religiosam hominis modestiam litteris suis commendat ac testatur, magna diligentia adhibita, se inspexisse ac expendisse originem, approbationem et progressum Societatis, ac privilegia a Sede Apostolica ei concessa; quibus ac spiritualibus exercitiis et tota ratione exigendae vitae perspectis, judicasse se asserunt sine ullo dubio institutum hoc vere sanctum esse et omni favore prosequendum, et in quo viventes et possent seipsos salvos facere et alios, qui ipsos audirent, sicut jam tunc plurimi per Dei gratiam salvi facti erant et fiebant quotidie; unde, re cognita, hortantur eumdem bachalaureum ut consanguineos Rogerii (qui, relictis suis, statuta die Lovanium redierat) instrueret de veritate, ut, relicto metu ac moestitia, potius gauderent et Deo gratias agerent, qui filio suo hunc affectum inspirasset. Et has litteras Doctor Asselet, ac decanus Ruardus Taper, et Cancellarius subscripserunt [2].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Adriano Adriani (Adriaenssens), de Magistro Andrea (Zutphemensi?) ad sacerdotium promovendo sciscitans quid sentiat ipse Adrianus et Cornelius Brogelmans; item votum ingrediendi Carthusiensium ordinem non impedire quominus quis in Societatem admittatur, si alioqui idoneus sit, 4 Octobris; eidem, Andream (Zutphemensem?) non videri ad sacros ordines promovendus, 16 Decembris.

[2] Vide supra annot. sub n. 149. Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, de litteris in quibus Adrianus Adriani enarrat quid Bruxellis apud Reginam Mariam et Lovanii in Universitate ageretur pro facultate Collegiorum in Belgio instituendorum obtinenda, 25 Decembris.

Digitized by Google

202. Patris Adriani mater sacerdotalia ornamenta triplicia ac pretiosa cum calice ac ampullis argenteis deauratis cum lapide et mappis consecratis dono dedit; cum eodem etiam de patrimonio convenit et summam aliquam annui reditus Collegio nostro Lovanii instituendo applicari curavit. Audiebat idem Pater multorum confessiones et quaşdam generales; confecit idem catechismum ad pueros docendos christianae religionis elementa. Aliquos Romam, et inter eos sacerdotem quemdam in Paedagogio Liliensi promotum misit; et duos, ut superius dictum est, in Carthusiam Coloniensem, ad quam erant propensi [1].

203. Cum corporis habitudine parum firma esset et confessionum multitudine quodammodo obrueretur, sic tamen Deus hominem sublevabat ut inter labores et corpore et spiritu melius haberet. Communicaverat autem ei potestatem absolvendi eos, qui in haeresim incidissent, Universitatis Cancellarius, Dominus Ruardus. Eo quidem tempore doctissimi inter Lovanienses et Parisienses prohibitionem libros haereticos legendi minime observabant, et cum visitatio fieret librorum ex auctoritate Imperatoris, bacchalaurei libros examinandi proponebantur; et tamen in bulla *Coenae Domini* casus hic reservatus fuerat [2].

204. Evocatus P. Adrianus ab Olandia ab Inquisitore haereticae pravitatis et alio pastore, eo se contulit; et partim spiritualibus exercitiis, partim consiliis, tum illos tum etiam alios in Domino adjuvit; et cum ad exhortationem faciendam quibusdam monialibus, amicorum rogatu, se praepararet, nihil illi in

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Adriano Adriani (Adriaenssens), de ejus occupationibus, ne obrui se sinat, praesertim confessionibus mulierculdarum, nec ab iis votum castitatis exigat; de Missae sacrificio in aegrotantium domibus celebrando, de admittendis in Societatem, de sacris vestibus et ornamentis et matris bonis, de ministerio docendae christianae doctrinae, de modo in confessionibus tenendo, etc., etc., 4 Februarii et 13 Maii; eidem, ab Ignatio ad coadjutoris spiritualis gradum acceptari, sed prius se bonis abdicet, mense Octobri; eidem, ne bonis se abdicet nec in favorem Cornelii Brogelmans, donec venia obtineatur Imperatoris ad Collegia Societatis in Belgio instituenda, 6 Decembris.

[2] Ita in mss. sensu, ut patet, imperfecto. Nullibi autem hujus rei, quam transiliit Orlandinus, mentionem factam reperimus, unde, nec conjectando quidem, quis verus sit sensus affirmare possumus.—Polancus, *ex commissione*, Patri Adriano Adriani (Adriaenssens), de libris haereticorum, de facultate absolvendi haereticos resipiscentes, 4 Februarii; eidem, ut solitudinem relinquat et se, adolescentum praecipue, curae dedat, de facultate absolvendi, de litteris scribendis, etc., 29 Aprilis; eidem, de mulierum cura non assumenda, de concionando, de ejus testamento seu bonorum distributione, de Collegio, de facultate absolvendi, de paupertatis titulo pro gradibus suscipiendis, et de litteris Marchionissae de Bergis scribendis, 16 Septembris.

Digitized by Google

mentem veniebat; sed cum coepisset sedendo loqui, dedit Dominus gratiam ut tam apposite fungeretur eo munere, ut multi sermonem illum exscripserint. In quodam etiam monasterio carthusiensi mira de Societate nostra per revelationem quidam monachi referebant, quae tamen ex parte a P. Adriano non probabantur. Quemdam mercatorem in extremis agentem a pastore ipsius instigatus per confessionem adjuvit, et ut aliqui Lovanium ad exercitia excipienda venirent, convenit. Lovanium itaque cum fructu percepto rediens, messem ibi tam copiosam reperit, ut a primo mane usque ad meridiem et inde usque ad vesperam vix duo aut tres confessarii sufficerent.

205. Cancellarius Lovaniensis Societatem nostram omni studio fovebat. Cum de quotidiana communione Patrem Ignatium consuluisset, significatum est P. Ignatium semel in hebdomada communionem fratribus laicis concedere. Cum autem scriptum esset P. Adriano an ad professionem emittendam paratus esset, indignum quidem se agnoscens, sed per gratiam admisit, et ad Dei honorem fore si in manibus Cancellarii eam emitteret, scripsit [1].

206. Parisiis hoc anno bona nostrorum existimatio magnopere crevit. Cum enim quidam magnae auctoritatis vir, qui magna significatione abstinentiae haeresis venenum celabat, multa contra Societatem dixisset, immo et aliquos ab ejus instituto sectando et a beneficiis in Societatem conferendis avertisset, ejus hypocrisi detecta, in causa fuit ut majori cum affectu charitatis illi erga Societatem afficerentur, qui ejus mendacia et calumnias deprehenderant; qui ipso anno propter haereticas propositiones, quas extra urbem in concione dixerat, in carcerem conjectus est; et quamvis quorumdam favore liberatus fuerit, ab eo tamen illi cavebant, quos ipse per simulationem virtutis deceperat; et aliquanto post clarius se ipsum prodidit, Francfordiam fugiens, ubi publice haereticorum errores professus est. Hanc tamen existimationem ac odorem bonum aliqui perturbare tentarunt, cum dicerent aliqua Romae a Societate fieri, quae ipsis minime probarentur; quale erat quod aliqui ex nostris crania mortuorum deferentes et nudi per urbem incedebant, et puerilia quaedam praedicabant et quae ad rem non

---

[1] Vide annot. sub n. 202.

Digitized by Google

faciebant. Ego equidem, si quid hujusmodi bona cum voluntate at sine sale discretionis Romae actum est, nescio; diligenter tamen curatum est a P. Ignatio, ut hujusmodi abnegationis exercitia non inconsultis superioribus deinde fierent, et ut in plateis ac publicis Urbis locis populum exhortarentur qui doctrina ac spiritu praediti auditoribus aedificationem praestarent.

207. Hoc anno post Paschae festum nostri Claramontanam domum, concedente Episcopo ad nostrorum habitationem, ingressi sunt; et janitore adhibito, cum campana, quae ab ingredientibus pulsanda erat, formam religiosae domus nostri habere coeperunt, relictis interim tribus fratribus in Longobardorum Collegio, qui bursas, quas vocant, scilicet, quemdum annuum reditum ad ipsorum sustentationem, habebant. Sic ergo in Claramontana domo omnia juxta morem romanae domus in ordinem redegerunt; ut, cum Episcopus, nostros invisens, lectulos singulorum, pauperes quidem sed sine sordibus et in distinctis cubiculis destinatos, locum etiam quemdam idoneum in sacellum conversum, et omnia ordinata, cum magna animi jucunditate observaret, domum, non ad usum tantum sed ut propria esset, Collegio dare constituit, immo et reditus, quamvis id non clare diceret, nostris Collegialibus relinquere cogitabat, et frustra oblocutores contra Societatem apud se verba facturos in posterum asserebat. Crescebat autem ejus animi effectus erga Societatem in dies et litteris de rebus ad aedificationem pertinentibus in variis locis gestis, quae diligenter ad omnia Societatis loca mittebantur, magnopere inflammabatur; sed et litteris P. Ignatii ad ipsum scriptis, quas divino spiritu plenas dicebat, mirum in modum afficiebatur; erant et aliqui utriusque sexus homines qui reditus aliquos in Collegii usum applicare volebant; sed partim quod nullus Parisiis versaretur, qui professionem in Societate emisisset, partim quod Societas jus *naturalitatis*, quod vocant, non haberet, quia nondum in Galliae regnum admissa et eo privilegio donata erat, non poterant hujusmodi pia desideria ad effectum deduci [1].

[1] Ignatius Joanni Baptistae de Violis, patentes litterae, quibus eum omnium in Societatis nomine negotiorum procuratorem, etc., in civitate Parisiensi constituit, etc., 17 Januarii. V. PRAT, *Mémoires pour servir à l'histoire du Père Broet*, Pièces justificatives, VIII, pag. 565. Ignatius Guilielmo du Prat, Claramontano Episcopo, officiose, 8 Februarii. Polancus, *ex commissione*, Patri Joanni Baptistae Viola, de Morello et

Digitized by Google

208. Quod autem ad professum aliquem Parisiis constituendum attinebat, facile P. Ignatius providere potuit. Misit enim ad P. Baptistam Violam patentes litteras ut professionem solemnem emittere posset, idque in manibus Praelati alicujus, cum eo in regno professus nullus esset. Misit et formulam profitendi et ut in manibus Episcopi Claramontani eam emitteret admonuit. Id sane et alia multa, quae benevolentiam erga Episcopum et confidentiam significabant, magnopere ejus animum demeruerunt, et id potissimum, quod in pertinentibus ad Collegii fundationem et domum, omnia ad arbitrium Episcopi atque eodem approbante, quantum posset, fieri volebat; unde in dies magis Collegium illud ut suum Episcopus diligebat, et ad universam Societatem afficiebatur. Quia tamen propter valetudinem adversam non potuit ipse Missae sacrificium celebrare, ut professionem P. Baptistae admitteret, rogavit Abbatem Sanctae Genovevae ut eam admitteret; qui 16 die Augusti, multis amicis ac nostris praesentibus, post sacrum celebratum, alta voce perlectam et in scripto deinde sibi datam professionem admisit. Docuit res ea homines, qui religiosos non esse homines Societatis nostrae putabant, religionem esse Societatem; et ut ea de re clarius constaret, non solum Pauli III priorem ac posteriorem confirmationem, sed etiam Julii III, et quidem omnia authentica cum aliis litteris apostolicis, quae privilegia Societatis continebant, eo transmissa sunt [1].

209. Difficilius erat jus illud obtinere, quod *naturalitatis* vocant, et a quo pendet facultas stabilia bona ac reditus habendi; sed huic etiam ex parte hoc anno via aperta est. Cum enim, post electionem Summi Pontificis, Romae adhuc esset Cardinalis Guisanus, qui hoc ipso anno Lotharingiae Cardinalis vocari coeptus est (quod alius ejusdem nominis Cardinalis, ipsi consanguineus, vita defunctus esset), salutavit eum P. Ignatius, ac

Miona, et de Petro Antonio de Selvaticis; idem Petro Perot, de negotiis Joannis Baptistae Mutinensis, eique gratias agens de favore sociis collato, 9 Maii; idem Episcopo Claramontano, de rebus Parisiensibus et de iis quae in Africa gessit Laynez, mense Octobri; eidem Ignatius, de rebus Societatis et praecipue de iis, quae Romae agebat Dux Gandiae, sub finem hujus anni 1550.

[1] Polancus, *ex commissione*, Joanni Baptistae de Violis, ut professionem emittat in manibus Claramontani Episcopi aut alius quem Episcopus designaverit, de Societatis privilegiis, 8 Februarii; quod in manibus Claramontani, licet is Missae sacrificium non peragat, professionem emittere potest, 11 Augusti; de eodem Claramontano, 3 Septembris.

Digitized by Google

res Societatis nostrae commendavit. Qui cum postea domum nostram simul cum aliis tribus Cardinalibus gallis venisset, familiariter et amanter cum P. Ignatio egit, et se in protectorem Societatis in Galliae regno, prout P. Ignatius optabat, obtulit, addens pro sua humanitate ne Societas illum pro alio protectore commutaret. Is, cum in Galliam rediiset, P. Baptistae Violaeo, qui ipsum adierat, animi sui voluntatem ad Societatis res promovendas significavit; et cum in remensi civitate (erat enim Archiepiscopus ejus) academiam institueret, opera nostrorum se uti velle dixit. Rogavit igitur eum P. Baptista ut ad privilegium *naturalitatis* obtinendum suam operam praestaret; quod pium officium cum recepisset ille se facturum, statim ei supplicationem, quam paratam habebat, P. Baptista obtulit. Post paucos autem dies, cum Regem Henricum esset ea de re allocutus et Christianissimus Rex verbo sibi id placere significasset, retulit Cardinalis Baptistae obtentum esse id, quod petebatur. At non tam facile fuit litteras, quae privilegium contestarentur, quam ipsum Regis consensum impetrare; regii enim Consilii approbatio, antequam sigillum Cancellarius apponeret, exigebatur, et demum ad Parlamentum parisiense res erat deferenda. Unde, quamvis per se cum dispendio valetudinis et per quemdum alium ex fratribus ad curiam missum, non exiguo cum sumptu litterarum expeditio curata fuerit, hoc anno non fuit obtenta; immo nec in Consilio regio (quod *strictum* vocant) proposita. Et ita Claramontensis Episcopus, nec tunc nec postea domum illam, ut optabat, Collegio applicare potuit, quamvis alia bona patrimonialia, ad compensationem ejus, ecclesiae Claramontanae dare paratus esset. Nec sine providentia Dei accidisse id videtur, ut suo tempore ampliorem et commodiorem locum Societatis Collegium haberet [1].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Joanni Baptistae de Violis, quid, ut desideriis Claramontani Episcopi satis fiat, Romae cum Cardinalibus Galliae agetur, 8 Februarii. Ignatius Episcopo Claramontano, de nostris Parisiis degentibus, 9 Maii; idem eadem die, de iisdem, Cardinali Guisano; idem Cardinali Lotharingio, consolatoria verba de morte patris et gratulatoria de novo statu, 11 Augusti.—Cardinalis hic Lotharingius, seu de Lotharingia, is est, ut recte advertit alicubi Polancus, qui hucusque Cardinalis Guisanus dictus est. Huic, qui Carolus dicebatur, patruus erat Joannes, Cardinalis Lotharingius; quo e vivis sublato, hoc ipso anno 1550 quo Claudius, ejus frater Carolique pater, Lotharingius Cardinalis appellari Carolus coepit, cum prius, ut a patruo discerneretur, Guisanus appellaretur.—Polancus Joanni Baptistae Viola, gratulatorie de Cardinalis Guisani (jam Lotharingii) in favorem Sociorum parisiensium gestis, 3 Septembris.

Digitized by Google

210. Aliquos ex domesticis juvenibus, duos scilicet, Romam P. Baptista destinavit, et quamvis non sine difficultate reliquos, utcumque poterat, sustentabat, et domum et hortum quemdam, aut situm potius ubi hortus confici potuit, in commodiorem atque elegantiorem formam redegit [1].

211. Insinuavit etiam tunc Episcopus aliam se domum habere Billiomi, quae civitas est Episcopatus Claramontani, ubi exigua quaedam Academia erat instituta, quam Societati daturus esset, si Collegium parisiense bonos progressus facere videret. Dicebat enim quod praepositus Collegii nostri parisiensis aliquos Billiomum singulis annis mittere posset, qui se in docendis humanioribus litteris ac philosophicis in illa Academia exercerent, et hoc suum desiderium P. Ignatio scribi voluit.

212. Cum ex Collegio Longobardorum P. Baptista recederet, reliquit bursam, quam ibi tanquam longobardus habebat, ut prius prioratum ejusdem Collegii reliquerat. Verum cum ibi adessent duo senatores a curia Parlamenti missi ad electionem provisoris celebrandam, ex duobus enim, qui hoc nomine vocantur et illius Collegii curant habent, alter abierat, bursariorum suffragiis ipse P. Baptista in provisorem electus, officium illud admisit. Poterant enim provisores extra Collegium habitare; ea vero commoditas et alia major bursariorum trium ex Societate nostra, qui ibi versabantur, et recessus aliorum saecularium, in quorum locum tres ex nostris mitti poterant, invitabat ad totum Collegium Societati nostrae procurandum, quod satis commodam habitationem et reditus octingentorum fere francorum habebat. Id autem negotii non solum non placuit P. Ignatio, sed potius et provisoratum esse relinquendum a P. Baptista Viola et tres nostros bursarios inde revocandos pro bono pacis et religiosae quietis censuit, quod et postea consecutum est [2].

213. Quod attinet ad ministeria Societatis, concionator qui-

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Joanni Baptistae Viola, de iis, qui Parisiis Romam missi sunt; de quodam Leonardo, mitti Romam posse, si Parisiis non bene habeat, sicut et alios qui propositum habeant Societatem ingrediendi, 9 Maii; eidem de Petro Antonio de Selvaticis Romam mittendo; de rejecto Joanne flandro; de Bagoniero fratre, ne se in ejus negotiis immisceat, mense Octobri.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Joanni Baptistae Viola, de Rectoris officio in Longobardorum Collegio, 8 Februarii; de scholasticis, ut alii in Collegio Longobardorum, alii in domo Claramontani commorentur, 9 Maii; de Longobardorum Collegio, ut judicio stet Claramontani, mense Octobri.

Digitized by Google

dem nullus Parisiis erat, sed confessionibus audiendis, et Sanctissimae Eucharistiae Sacramento ministrando, tum domi nostrae, tum in parochia vicina Sanctorum Cosmae et Damiani, tum in Carthusianorum templo vacabant; ibi enim cum magna charitate ad hoc pium ministerium excipiebantur; et sacrista cum jubilo testabatur quod ex his scholasticis, qui apud nostros crebro sacramenta haec Sancta sumebant, viginti duo monasterium eorum ingressi fuerant. Si tamen concionator bene doctus hoc munere concionandi Parisiis fungeretur, multo copiosiorem messem futuram existimabant [1].

214. Venit his diebus Parisios vir in Flandria haud obscuri nominis, Cornelius Crocus, quem cum Portugalliae Rex initio Academiae Conimbricensis cum egregio stipendio eo vellet deducere, conditionem recusavit nec matrem vetulam deserere voluit; qua vita functa, cum concionum Patris Strada memor esset, et religionis amor ad omnia relinquenda stimularet, re cum P. Adriano collata, veniendi Romam consilium ab eo accepit. Cum autem Parisios advenisset, hortabantur nostri virum gravem et quinquagenarium et qui pedes hoc iter conficeret, usque ad Septembrem secum manere; sed ille, nolite quaeso, ait, viam meam impedire; Dominus mihi socius erit, ob cujus gloriam hoc iter aggredior, nec diffido quin et ego habeam denarium diurnum, etiamsi hora nona ad vineam venerim. Romam igitur perrexit, aestus molestiam minime formidans, et Urbem parum admodum salubri tempore ingressus est; et in Societatem admissus, diligentissimam vitae totius confessionem instituens, quasi ad jubilaei gratiam obtinendam venisset, in morbum incidit, qui ad mortem, vel potius vitae aeternae initium, ut speramus, eum deduxit. Vir enim magna humilitate ac raris Dei donis praeditus, consummatus in brevi explevit tempora multa [2].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Joanni Baptistae de Violis, de concionandi munere, de lingua regionis addiscenda, de habendis qui eum in officio juvent, 8 Februarii; de Constitutionibus Collegii Parisiensis, et de vestitus ratione, 26 Martii; de vestitu, lectis, etc., et de temporalibus coadjutoribus, 9 Maii; iterum de addiscenda lingua gallica et Scripturae casibusque conscientiae studendo, quantum ad ministeria recte et utiliter peragenda sit necesse, 11 Augusti; de ministeriis, praesertim doctrinae christianae exponendae et aegrotantium in hospitalibus juvandorum, 3 Septembris; de facultate absolvendi haereticos et eorum libros, quantum satis sit ad discernendum an haeretici sint, legendi, mense Octobri.

[2] Polancus, *ex commissione*, Andreae Galvanello, de Cornelio Croco (Saffraen);

Digitized by Google

215. Sed ut Parisios redeam, quo nomine qui caeteris in Collegio praeesset, vocandus esset, dubitavit P. Baptista; et cum Rectorem vocari intellexisset ac Episcopo Claramontano retulisset, ille nimis gloriosum hoc nomen Parisiis fore censebat, quia Rectoris nomine non qui praesunt Collegiis, sed qui Universitati, vocari solent; unde nostri non eo nomine apud vulgus vocantur [1].

216. Nitebantur nostri aliquos ac praesertim scholasticos haeresi infectos, et qui haereticorum libros legissent, Ecclesiae Sanctae reconciliare; et cum aliqui resipiscere vellent, facultatem suam ad eos absolvendos P. Ignatius ipsis communicavit.

217. Nobilis domicella de Acquilla aliquos reditus Collegio nostro applicare voluerat, cum hoc onere ut quater Missae sacrificium singulis annis offerretur, sed cum P. Ignatio hujusmodi conditio non admittenda juxta nostrum institutum videretur, illi renunciare jussit consultius fore si illos reditus alii religioni relinqueret, cum nostra Societas hujusmodi obligationes non susciperet; sed illa, quae magno charitatis affectu Societatem in Domino diligebat, sine ulla obligatione voluit ut hi reditus Societati emerentur, et ad ipsum pecuniam P. Baptistae statim numeravit [2].

218. Eo tempore quidam Carmelitanus concionator cum in templo Sancti Severini illud Pauli explicaret: *fratres in Christo Jesu*, in Societatem nostram hac occasione invehi coepit, quod Parisiis et Romae nomen Jesuitarum sibi usurpassent, quasi ipsi fratres essent soli in Christo Jesu, et populum hortatus est, ne magni facerent hunc titulum, cum aliquando liber speciosum habeat titulum, qui interius nihil boni habeat; itaque ut caverent, sicut Salmanticensis ille concionator, auditores,

---

idem, eadem die Patri Paschasio Broet, de eodem.—Similes de transitu seu morte Cornelii litterae in omnes fere Societatis domos missae hoc tempore sunt.

1 Ignatius Joanni Baptistae Viola, patentes litterae, quibus eum nostrorum Parisiis degentium Rectorem constituit, 9 Maii. Polancus, *ex commissione*, eidem, Rectoris nomen, si male Parisiis audiat, in Prioris aut quodlibet aliud, quod magis Episcopo Claramontano arrideat, mutari posse, 9 Maii et 11 Augusti.

2 Polancus, *ex commissione*, Domicellae de Aquila *(á la de acuilla)*, ut Societati fidat nec de quatuor unoquoque anno celebrandis Missis nimium sit sollicita, 11 Augusti. Ignatius Domicellae de Acheville, ei gratias agens, etc., mense Octobri. — Nullibi alias, sc., nec ab Orlandini, nec a Prat, nec a Carayon, etc., hujus Dominae mentionem factam reperimus; unde incerti sumus an sit scribendum *Mademoiselle de l'aigle*, Aquila, ut in textu, an *de l'aiguille*, Acuilla, an vero *Acheville*, ut in *litterarum Regesto* scribit Polancus.

Digitized by Google

inter quos multi doctores erant, hortatus est. Existimabant amici operae pretium fore si P. Baptista illum conveniret, sed per patientiam melius hujusmodi dicta vinci posse ille existimavit.

219. His fere diebus quidam Sacerdos a concubinae consuetudine, quam misere deperibat, revocatus, per humilem confessionem ad magnam vitae mutationem adductus est.

220. Tres juvenes qui in magna licentia carni et mundo servierant, et Sacramentorum perexiguum usum habuerant, cum scholasticos apud carthusianos confiteri et communicari vidissent, P. Baptistam adierunt, cujus exhortatione ad generalem totius vitae confessionem instituendam permoti sunt, quam eidem cum magna vitae praeteritae detestatione fecerunt; et octavo quoque die ad communionem accedentes mira metamorphosi prorsus in alios homines mutatos crederideris. Alius quartus, postquam aliquamdiu in confessionibus crebris perseverasset, ad religionem minimorum (quos *bonos homines* Parisiis vocant), se contulit. Tres alii in spiritualibus exercitiis magno cum fructu versati, consilia Domini amplecti decreverunt; unus eorum, natione belga, sex supra viginti annos natus et in philosophia Lovanii promotus, Societatem ingredi decrevit; alter ad familiam Divi Francisci se contulit; tertius, cum sine litteris esset, quamdiu viveret, pauperum xenodochio inservire constituit.

221. Eodem anno juvenis viginti et duorum annorum, Magister Eleutherius Pontanus, et ipse belga, in spiritualibus exercitiis Deo se in Societate nostra consecravit; promotus et ipse Lovanii erat, sed Parisiis triennium medicinae impenderat. Carolus, etiam Flander, eodem fere tempore se Societati addixit. In tradendis autem hujusmodi spiritualibus exercitiis P. Everardus Mercurianus suam fere semper operam praestabat [1].

222. Petierat P. Baptista in amicorum gratiam ut indulgentiam jubilaei P. Ignatius eis impetraret, quod cum effectum esset, magna illi consolatione affecti sunt, cognoscentes facile quod in spiritu a Societate diligerentur.

---

[1] Polancus, *ex comissione*, Joanni Baptistae de Violis, de admittendis, de eorum dimissione, qui post duos probationis annos vere religiosi sunt, nec in alias religiones transire eis licet; de Talpino, 8 Februarii; de scholasticis Romam mittendis, 26 Martii; de Morello et de mittendis Romam, uno praesertim, qui bene graecas litteras possit docere, 11 Augusti.

Digitized by Google

223. In Hispania hoc anno partim ab iis, qui Romam sub autumnum profecti sunt, partim ab aliis, qui in illis regnis manserunt, multa ad Dei gloriam facta sunt. Valentiae quidem Pater Miron in solitis suis occupationibus charitatis pergebat, sed cum Episcopus segobricensis a P. Provinciali Araoz, aliquem, qui in suo Episcopatu praedicaret et fructum Domino referret, postulasset, injunxit ille P. Mironi ut, si aliquo egressurus erat pro suo more, ad praedictum Episcopatum se conferret. Ille ergo sub tempus septuagesimae id praestitit, et quidem magno cum fructu; duxit secum duos Patres Balthasarem ac Pertusam, et per populos multos discurrens, eo fuit et gratior et utilior eorum labor quod etiam in magnis populis concionatores ea quadragesima non habebant. Quotidie fere concionabantur, nec amplius quam semel atque iterum in eodem loco; et tanta sitis audiendi verbi Dei in illis hominibus erat, ut, cum duas horas et aliquando tres praedicaret, brevis eis videretur. Cum in civitatem Albarracin pridie Dominicae Passionis pervenisset, Dominica et diebus sequentibus ibi populum verbo Dei pavit. Et quamvis sine sacculo et pera cum sociis incedebat, nec deerat exercendae patientiae occasio, nihil tamen de necessariis eis deesse Dominus patiebatur. Et cum magna operariorum consolatione fructus in multorum animis copiosus per Dei gratiam proveniebat; nam dum confessionibus dabant operam, non parum utilitatis ad animarum profectum reportabant; multi enim vulnera sua detegebant, quae per Dei gratiam sacramento penitentiae curabantur [1].

224. Valentiae interim Pater quidam Lusitanus et concionibus et confessionibus, aliis absentibus, dabat operam; et rediens P. Balthasar messem more solito satis uberem in horrea Domini referebat. Decem aut undecim numero nostri hoc anno fuerunt; ex quibus Dominus P. Franciscum Onfroi, de quo superius facta mentio est, cum fratre Leyva ad meliorem, ut speramus, vitam traduxit; qui, intra dies decem, prout optime et magna cum aedificatione vixerant, ita et optime mortui

---

[1] Ignatius Petro Domenech, de iis qui Valentiae Societati adversabantur, 15 Januarii; eidem, de Pontificis electione, de Collegio Valentino, etc., 8 Februarii; eidem Polancus, *ex commissione*, de Bulla erectionis Collegii Valentini, de Patris Hieronymi Domenech Valentiam e Sicilia profectione, de jubilaeo, etc., 14 Junii.—Litterae Domini Petri Domenech et Jacobi Miron ad Ignatium.

Digitized by Google

sunt ut Deo viverent; sed statim duo alii in eorum locum sunt admissi post exercitia spiritualia confecta.

225. Cum P. Franciscus Strada Compluto Concham venisset, ibique cum magna commotione hominum concionatus esset, Valentiam se contulit et inde Gandiam; utrobique autem Dei verbum cum frequenti auditorio et fructu non mediocri praedicavit. Animi enim hominum vehementer ad vitae reformationem et salutis viam tenendam ab eo inflammabantur. Secutus eum est Concha recedentem Canonicus quidam, Arboleda nomine, qui sic in spiritualibus exercitiis profecit, ut Concham rediens, magno virtutum exemplo illi ecclesiae ac civitati aedificationem summam praestaret; et quidam ejus frater et alius cujusdam oppidi Vicarius cum quodam alio canonico Conchensi, ut eum imitarentur, Valentiam, quo iisdem exercitiis excolerentur, se contulerunt [1].

226. In Collegio Gandiae res temporales egregie se habebant, et aedificium ad calcem perductum et in porta principali nomine Jesu insignitum fuerat. Sed aedificium spirituale domi et foris optimo cum odore, tam in studiis litterarum quam in virtutibus, ad Dei gloriam crescebat; et tam in praedicationibus quam in christiana doctrina et in tradentis spiritualibus exercitiis benemereri de multis conabantur. Nostrorum autem numerus, partim ex aliis locis missorum, partim ibidem admissorum, auctus erat; inter alios unus fuit medicus Licenciatus Azebedus, alter P. Baptista de Barma, tam in litteris quam in praedicatione talentum egregium cum non minori pietate conjunctum habens, cui Marchio de Lombay, primogenitus Ducis, postquam concionantem audisset, confiteri voluit. In disputando etiam et legendo, cum examinaretur ad theologiae doctoratum promovendus, magnam a Domino gratiam habere deprehensus est. Idem, ut ordinarius lector, primam Sancti Thomae partem interpretari coepit, et quidem duas lectiones quotidie cum magna auditorum satisfactione praelegit, quamvis pro sua humilitate libentius in culinae ministeriis se exercuisset. Aliqui praeterea et magisterii et doctoratus gradus, praemisso diligenti examine, in Gandiensi Universitate acceperunt; et quia

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de Antonio Strada, Patris Francisci Strada fratre, mense Julio ineunte.—Patris Francisci de Villanova ad Ignatium litterae, de fructu, qui Exercitiorum usu capiebatur.

Digitized by Google

in multis actibus quantum quisque profecisset probabatur, et justitiae et rectitudinis ratio habebatur, et alioqui nihil pecuniae pro hujusmodi gradibus acciperetur, fama veritati innixa latius patere cum aedificatione de nova Universitate coepit. Praeter P. Baptistam, qui theologiae doctor est factus, Antonius Cordeses in philosophia magister, Albertus Mutinensis baccalaureus effectus est, et paulo post P. Gonsalvus de Sylveira, P. Joannes Coviglion, et P. Georgius Morera, Doctores in theologia sunt creati; et praeter cursum anni praecedentis hoc anno secundus est inchoatus, et satis ferventer omnia haec studia ad Dei gloriam procedebant [1].

227. In confessionum autem generalium et aliarum ministerio non minus quam in litteris Domino obsequium exhibebant.

228. Coeptum est hoc anno celebrari nominis Jesu festum prima die dominica post Circumcisionem, cum sic Duci faciendum esse videretur.

229. Dux Gandiae ea parte hujus anni, quam in Hispania egit, diligentem etiam studiis theologicis operam navavit, et cum profecisset non mediocriter, post examen in doctorem etiam theologiae, sed secreto, creatus est, sicut et ipse P. Andreas de Oviedo, Collegii Rector [2].

230. Inter alias conciones P. Baptistae de Barma, cum die Mercurii Sancti peccatricibus mulieribus in hospitali praedicasset, quatuor illarum verbo Dei compunctae turpem vitam reliquerunt, quas ipse etiam curavit aliis praesidiis adjuvari, ne in vitae turpitudinem priorem relabi cogerentur.

231. Quaedam confraternitas, quae de Christi sanguine dicitur, et se flagellis caedere publice nocte Jovis Sancti solebat, et a Collegio nostro egrediebatur, ubi sacellum habebat, exhortatione et instructione indigere videbatur, ut pium illud opus cum majori animarum suarum fructu peragerent; hoc autem munere

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Duci Gandiae, de lectoribus grammaticae pro Gandiensi Collegio, 15 Januarii; gratulatoriae de numero et dotibus eorum, qui in Collegio Gandiensi morantur, et de litterariis exercitationibus et gradibus; de electione Pontificis et de Cardinalibus, qui plus apud eum valere videntur, mense Februario, sub finem.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, de officio in domo et curia Principis Hispaniae, Philippi, Duci Gandiae oblato, mense Aprili; Ignatius Duci Gandiae, de eodem officio, etc., 14 Junii; eidem Polancus, *ex com.,* de litteris Generalis Franciscanorum, eadem die.

Digitized by Google

P. Baptista functus est. Pater autem Andreas de Oviedo, cum die Jovis Sancti de Mandato Domini in templo nostro concionanatus esset, sequenti nocte de Passione Domini concionem cum multis lacrymis habuit; sub aurora autem in Ecclesia Sancti Josephi, alio themate proposito cum alio discursu, de Passione Domini est concionatus, ubi frequens tam veterum christianorum quam novorum habuit auditorium et plurimas lacrymas in utrisque, ut non parum aedificationis neophyti, ad planctus commoti et misericordiam Domini petentes, praestarent.

232. Eodem die Veneris Sancti sub vesperam in loco quodam Gandiae vicino aliam de Dominica Passione concionem per tres horas habuit, cum tamen matutina praedicatio ultra duas protracta fuisset, et quae nocte habita erat, ultra tres; in ultima autem hac concione illius pagi magna etiam fuit in neophytis commotio multaeque lacrymae et admiratio, ut ipsi quasi attoniti de re tam nova obstupescerent. In prima concione illud thema sibi proposuit: *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Jer. 6.°; in secunda illud: *quare fremuerunt,* etc.; in tertia: *quomodo sedet* sola civitas, etc., etc.

233. Hoc tempore cum litteras quasdam regias, quas *executoriales* vocant, in favorem Universitatis Gandiae Dux accepisset, P. Andreas illas simul cum litteris apostolicis Valentiam tulit, ac illi civitati intimavit, prout ad bonam existimationem Gandiensis Universitatis pertinebat, et omnia recte sunt transacta. Erat autem scholasticorum concursus non poenitendus; et secundum philosophiae cursum inter alios Dominus Alvarus de Borgia, qui postea Marchio de Alcagnices fuit, priorem Dominus Joannes de Borgia, etiam Ducis filius inter alios audiebat; et exercitatio disputationum ac positionum, tam in philosophia quam in theologia, magis vivida studia reddebat [1].

234. Cuidam viro gravi spiritualia exercitia ipsemet Dux Gandiae dedit, qui Societatis institutum sequi decrevit. Duo alii Scholastici per similia exercitia idem animi propositum confirmarunt. Inter alios Marchio ipse de Lombay et Marchionissa, ejus uxor, eisdem exercitiis spiritualibus a P. Baptista de Barma exculti sunt, et magnum in via Domini progressum fece-

---

[1] Ignatius Andreae de Oviedo, de Constitutionibus Universitatis Gandiensis, 15 Januarii.

Digitized by Google

runt. Alii etiam complures studiosi eadem ratione adjuti sunt, ex quibus aliqui ad institutum Societatis animum applicuerunt.

235. Confraternitati Sanguinis Christi, de qua superius actum est, quae hoc anno fuit inchoata, quidam ex Patribus nostris concionatus est; alius neophytis in suburbio; alii aliis in locis hoc munere sunt functi; et praeter quatuor concionatores, qui studia absolverant, fratres nostri theologiae auditores diebus dominicis, per pagos neophytorum sparsi, semen verbi Dei compluribus in locis jecerunt. Multorum annorum, et aliquando totius vitae, confessiones in Collegio Gandiensi diligenter et magno cum fructu audiebantur; et ex his tam multae confluebant, ut scholastici Sacerdotes saepe suas lectiones theologicas posthabere huic proximorum auxilio deberent.

236. P. Baptista de Barma in pauperibus quaerendis etiam in xenodochio ad eorum audiendas confessiones tam sollicitus fuit, ut plures jam quam ipse posset audire convenirent; unde P. Joannes Covilonius ad haec socius ipsi adjunctus est, et multos quotidie audiebant. Addebat hoc et P. Baptista ut pauperibus, quos audierat, eleemosynam et necessaria ad victum quaereret, et ad xenodochium ipsemet ollam in eorum cibum deferret, quod non ipsis tantum pauperibus sed et aliis magnae aedificationis fuit; tamque afficiebatur ad pauperes juvandos ut acciderit, cum primarius vir eum rogaret ut filiae suae confessionem audiret, respondit ei P. Baptista ut sineret prius pauperibus satisfieri et tum demum ipsius filiam auditurum; quod pater cum satisfactione Duci referebat. Vestes etiam idem Pater in usum pauperum aegrotantium, cum lecto surgerent, confici curavit; et excitavit piam consuetudinem, quae intermissa fuerat, per vices hebdomadatim hospitali serviendi; unde et hospitale ordinate procedit, et aegroti pauperes consolationem et auxilium accipiunt. In hebdomada Sancta, quae obtigerat Marchioni de Lombay, pauperibus ipse inservivit, et multum charitatis aegrotantibus exhibuit non sine proprio spirituali fructu; multum enim divina bonitas gratiarum ejus animae communicabat; et cum juvenis non amplius quam viginti annos natus esset, et jam jam in ducatu successurus patri, non parum admirationis ejus maturitas et cani sensus eum cognoscentibus afferebant. Sed cum eorum pater tam bene a Patre Aeterno institueretur, mirum non est si suorum domesticorum

Digitized by Google

et praecipue filiorum bonam curam haberet unde optimum sui liberi odorem et aedificationem praestabant, et ejus patris filii videbantur, qui patrem pauperum, protectorem viduarum, consolatorem afflictorum, et servorum Dei vere amicum se exhibebat; nec minus in contemplationis elevatione ac omnium virtutum exercitatione eminebat [1].

237. In palatio praeter aliquos, qui spiritualibus exercitiis sunt exculti, voluit etiam Marchio de Lombay, ut officio patris familiae satisfaceret, christianam doctrinam doceri, quam in sacello quodam palatii, quo etiam aliqui externi conveniebant, quotidie P. Andreas docere coepit; et cum jam essent instructi, diebus dominicis, ne obliviscerentur, quod bene coeperat est prosequutus.

238. Accidit ut Pater quidam, Magister Benedictus nomine, cum in refectorio concionem haberet, silentium magnopere commendaret; et cum adderet in congregatione generali se existimare silentii legem praescribendam, ut peregrinus nec Societatis germanus hic spiritus judicatus est, et concionator reprehensus, qui, naturali propensione taciturnus, plus aequo ad silentium propensus erat [2].

239. Omnes peccatrices foeminae, quae Gandiae erant, praedicante P. Baptista, turpem vitam reliquerunt; et non solum spirituale sed temporale etiam auxilium eisdem impendit.

240. In aestate hujus anni complures ex nostris, inter quos Magister Joannes Guttanus, gallus, et Albertus, mutinensis, aegrotarunt; et tam sollicitam curam eorum Dux haberi voluit, ut si ipsemet aegrotasset; unde domi duos medicos ad eorum auxilium habebat.

241. Dotem ut in matrimonio aliquae collocarentur pauperes foeminae nostri curaverunt. P. autem Andreas, ad comitatum Concentainae a Duce missus sub Junii finem, comitissarum et aliarum personarum confessiones, adjuvante etiam P. Caesare, audivit, et communionis Sacramento ac verbo Dei populum refecit; inde ad comitatum Albaidae se contulit, et verbum Dei praedicavit, et Gandiam rediens laetos invenit nostros quod ju-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Jacobo Miron, de viris, qui ad hospitale, ut noctu aegrotis assistant, se conferunt, mense Februario.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, de Magistro Benedicto Pereira, ejusque doctrina circa silentium 14 Junio.

Digitized by Google

bilaei gratiam per Patrem Ignatium a Summo Pontifice impetratam esse intellexissent. Eo autem tempore, scilicet sub finem Julii et Augusti initium, Dux Gandiae, qui ad profectionem romanam properabat, plurima negotia confecit ut expeditus sub finem Augusti vel Septembris initium itineri romano se daret, ad quod P. Provincialem urgebat; nam P. Strada jam praecesserat et Barcinonae eum exspectabat.

242 Relictus fuit Gandiensis Collegii Rector P. Baptista de Barma, qui refert de Gandiae Duce, cum ab Aegypto sua recederet et filiis et consanguineis ac subditis valediceret, summam in eo animi laetitiam observatam fuisse, quae nostros Gandiae manentes mirum in modum est consolata, et ad mundi verum contemptum et abnegationem carnis et sanguinis omnes animavit, ut magno cum fervore sua desideria Deo inserviendi et omnia pro eo patiendi omnes renovarent; et prosperum successum hujus itineris, aucta oratione, a Domino impetrare nitebantur; multas etiam corporis castigationes ad hoc ipsum et ad sui victoriam obtinendam subierunt [1].

243. Cum esset Compluti quidam scholasticus, nomine Alphonsus de Eneao [2], nobilis abulensis, et qui regressum ad quamdam dignitatem in cathedrali ecclesia abulensi habebat, et ad Societatis institutum magno affectu anhelaret, nemine suadente, ut peregrinus Compluto egressus est, quo Romae Societatem ingrederetur. Quod cum Doctor quidam Complutensis intellexisset eum est consecutus; et cum animi propositum in eo firmum esse comperisset, quae necessaria erant ad iter commode instituendum, longe aliter quam ipse coeperat, donavit. Cum autem de profectione Ducis Gandiae intellexisset, ut in ejus comitatu Romam pergeret Gandiam se Alphonsus contulit. Quia tamen opportunum adhuc non erat Duci iter aggredi, substitit Gandiae; quo pervenit quidam ejus frater cum litteris matris, quae tenere ipsum diligebat, querelarum plenis et execrationum, si Societatem non desereret, et prolixarum promissionum a consanguineis factarum, si rediret. Quamvis autem has tenta-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Duci Gandiae, an bonus futurus Rector P. Franciscus Saboya, 15 Januarii; eadem die eidem et Andreae Oviedo, ut videant an melior aptiorque Rectoris officio futurus Joannes Baptista de Barma.

[2] Sic; communiter tamen *Henao.*

Digitized by Google

tiones ille facile superasset, et frater, exemplo Collegialium et verbis emollitus, ejus propositum comprobasset et de rebus spiritualibus agere et in eis exerceri statuisset, quia timebatur ne mater ipsa Gandiam veniret, Romam dimissus est.

244. Marchio de Lombay, post patris discessum, quoddam Collegium, quod Conceptionis Dominae Nostrae invocationem habuit, et inchoatum jam erat, absolvit; in quo theologi ad incrementum et conservationem Universitatis excipiendi erant [1].

245. Circa litterarum exercitationem fervor non exiguus in scholasticis omnium facultatum fuit. Additus est linguae graecae lector in studiorum renovatione in festo Divi Lucae, cursu pro more inchoato, ubi oratio latina tam pulchra est habita, ut eam Marchio de Lombay typis excudi voluerit. Idem interfuit positionibus omnium facultatum per triduum disputatis cum Rectoribus et primariae ecclesiae capitulo ac aliis nobilibus viris. Sustinuit logicas conclusiones D. Ferdinandus de Borgia, Ducis filius, et tam externi quam domestici egregie sunt argumentati, nec minus bene illis est responsum; et cum concionem habuisset P. Baptista et scholasticos hortatus esset ut, postquam ingenia disputationibus exercuissent, novam disputationem cum voluntate propria inchoarent, et quia in malevolam animam non introibit sapientia, ut conscientias per confessionem purgarent admonuisset, fere omnes scholastici Universitatis sunt confessi.

246. Dominicis ac festis diebus, praesertim accedentibus festis Natalitiis, cum jubilaei gratia, quae obtenta fuerat, promulgaretur, multi admodum ad confessionis et communionis Sacramenta accesserunt; et admiratione fuit digna sollicitudo qua pauperes et divites se ad hanc indulgentiam obtinendam compararunt; nec mirum, cum ad pietatis opera populus ille valde propensus esset, dum quale caput tales et subditi sint. Licet autem fratres nostri in litterariis exercitationibus quotidie domi et decimoquinto quoque die publice in scholis disputando distinerentur, hoc tamen tempore, qui sacerdotes erant, proximis suam operam denegare non potuerunt. In invisendis etiam aegrotantibus et juvandis iis, qui morti propinqui erant, utilem operam navarunt; et in hospitali copiosam habuerunt

[1] Ignatius, Carolo de Borgia, Marchioni de Lombay, 13 Junii (Eas habes in tomo II, pag. 227, *Cartas de San Ignacio);* idem eidem, 1 Novembris.

Digitized by Google

messem. Sed ille fructus prae caeteris momentum habere videbatur, quod omnes fere scholastici ejus Universitatis vel octavo quoque die vel quinto confiteri volebant; quorum desiderio satisfieri non potuit, quia sine detrimento magno studiorum et sanitatis corporalis tantum subire onus nostri non poterant. Custodiam publicam etiam visitarunt [1].

247. Cum in concubinatu quidam per duodecim annos exstitisset, curavit P. Baptista, licet mortis periculum ei pendere diceretur, ut per matrimonium legitimum alterius partis peccatum cessaret; alios etiam divisos ad communem vitam ducendam reduxit; et cum Comitissa de Oliva et gener ipsius, Marchio de Lombay, aliquas multae offensionis occasiones haberent, ad eam se contulit P. Baptista et, Deo juvante, non solum pacatum socrus animum sed spirituali laetitia perfusum reliquit.

248. Coepit idem concionari secunda dominica Adventus, cum in prima propter adversam valetudinem id non fecisset; et eodem dia alteram habuit concionem de rebus ad catechismum pertinentibus in quadam pia domo, quae Divae Mariae de Loreto sacra est, cum auditorio frequenti. Eodem etiam die tertiam habuit concionem apud religiosas Divae Clarae. Binas etiam in tertia dominica conciones habuit, et propter valetudinem eas in quarta non est prosequutus. Inter alios per Dei verbum peccator quidam, qui quatuordecim annos in mortali quodam delicto insorduerat, ad sanam mentem revocatus est; illicitis etiam quibusdam matrimoniis remedium adhibitum.

249. Ut superius dictum fuit, concesserat Summus Pontifex ut quod olim fuerat Collegium virginum Caesaraugustae et auctoritate apostolica dissolutum fuerat, in Societatis Collegium converteretur. Hujus rei cum litterae in forma Bullae expeditae et Caesaraugustam missae fuissent, Domina Aldonzia Gonzalez, religiosissima mulier, et ejus frater, Ludovicus Gonzalez, Conservator Aragoniae, et Melchior, laetissimis animis eas acceperunt; sed Archiepiscopus et Abbas Virgüelae [2],

---

[1] Ignatius Duci Gandiae, patentes litteras communicationis facultatum seu gratiarum a Summis Pontificibus Societati concessarum, 15 Januarii; eadem die Andreae de Oviedo de eadem communicatione gratiarum. Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, de jubilaeo, confirmatione gratiarum et tertia Bulla confirmationis Instituti Societatis, 14 Junii; idem Patri Araoz, ut videat quibus conferenda sit potestas confessiones audiendi, mense Julio ineunte.—Ducis Gandiae litterae ad Ignatium.

[2] Sic, pro *Verula,* insigni ordinis cisterciensis monasterio in Aragonia.

Digitized by Google

Vicarius ejus generalis, qui Caesaraugustae Societatem radices agere non aequo animo ferebant (ipsi viderint quo spiritu ducti), litterarum exsecutionem impedire voluerunt; immo, cum P. Mendez, loco Patris Francisci de Rojas, qui Romam cum Duce Gandiae venturus erat, Caesaraugustam se contulisset, facultatem ab eis obtinere non potuit in scriptis, quamvis privilegia Sedis Apostolicae eis ostenderet, ut Sacramenta confessionis et communionis ministraret. Viva tantum voce confessiones audire permiserunt. At quantum fieri posset, si non expellere Societatem, manus ejus saltem ligare velle videbantur. Non potuit tamen impediri quominus usum ecclesiae nostri haberent, quod eis auctoritas Summi Pontificis concesserat. Domum ipsam ecclesiae conjunctam relinquere quidem nostris Domina Aldunzia volebat, immo magno id affectu petebat; sed eam Societas non admisit, partim ne cogeretur alibi domum quaerere Domina Aldunzia, partim quia ejus soror, Domina Anna Gonzalez, aut cum suis fratribus aut cum Societate litigaret, cum illud Collegium, olim virginum, sibi restitui vellet. Interim tamen, etiam recedente Patre Francisco de Rojas, Pater Roman, qui Caesaraugustae substitit, copiosam confitentium et communicantium messem in suo templo habuit. Destinatus quidem fuerat P. Saboya ut Caesaraugustae cum P. Alphonso Roman versaretur; sed Tortosae [1] in febrim incidens permolestam, Caesaraugustam non pervenerat. Alia etiam spiritualia exercitia, postquam intellectum est ecclesiam illam Societatis esse, ibidem crebro exercebantur [2].

250. Redierat Caesaraugustam ex Cantabria P. Araoz, Provincialis, et Gandiam iter instituebat ut Ducem Romam versus comitaretur, sed oculorum aegritudo, ipsi familiaris, in quam incidit, in causa fuit ut potius Barchinonam recta pergere et ibi Ducem exspectare debere videretur.

---

[1] Sic ex hispano pro *Dertusae*.

[2] Polancus, *ex commissione,* Patri Francisco de Rojas, de domo Caesaraugustana, ut exspectet donec electio fiat Pontificis, et ad Ducem Gandiae recurrat, 15 Januarii; idem Patri Araoz, de Rojas et rebus Caesaraugustanis, mense Februario; idem Dominae Alduncíae Gonzalez, de Bulla pro dissolutione collegii nobilium foeminarum, ab ejus patre Caesaraugustae erecti, jam obtenta, 14 Junii et 30 Julii; idem Patri Mendez, de requisitis ut in nostra et in aliena ecclesia nostris possimus uti privilegiis, etc., 2 Septembris; idem Joanni Gonzalez de Villasimplez de Domina Anna Gonzalez, eadem die; Ignatius Dominae Alduncíae, de domo et collegio Caesaraugustano, eadem die; idem Joanni Gonzalez, de iisdem, 1 Decembris.

Digitized by Google

251. Erant aliqui ex nostris sacerdotibus Barcinonae, qui domum aliquam propriam nondum habebant, quamvis in aliena benemereri de proximis studerent. Et licet P. Araoz aliquando ibi concionatus esset, quia tamen inde cito recedebat, incalescentes amicorum animi ad domum Societatis instituendam facile tepescebant, et ideo concionatorem aliquem stabilem nostri exoptabant; quod cum non facile ipsis concedi posset, injunxit P. Araoz Magistro Francisco Strada ut, donec Gandiae Dux eo perveniret, suis concionibus civitatis ejus homines consolaretur, et ad meliora promovere studeret; quod quamvis ille praestare studuerit, brevi tamen pium concionum opus intermittendum, et iter romanum cum Duce prosequendum illi fuit [1].

252. Non omittebant interim illi Patres curam domus alicujus, quae idonea esset, comparandae. Hi, praeterquam quod confessionibus audiendis incumbebant, cum ad theologicas lectiones, quae ibi praeleguntur, se conferrent, scholasticos colloquiis piis ad spiritualia exercitia adducebant, et quibusdam ea cum spirituali fructu magno proponebant; quatuor ex illis Societatem ingredi decreverunt, sed unus tantum admissus est a P. Joanne Cheralt [2], cujus opera in domestico ministerio erat necessaria; tres alii per litteras a Provinciali id obtinere curaverunt; alii etiam praeter hos, qui bona desideria conceperant, exspectabant donec alios admitti viderent. Quemdam alium juvenem in philosophia doctum et optimo ingenio praeditum admiserunt; sed ejus pater ad Pro-regem confugit et ab eo obtinuit ut sibi filius restitueretur, et aliquot menses domi suae cibum caperet et dormiret, quamvis interdiu apud nostros versaretur. Sic enim quia nostrae Societatis privilegia authentica eo missa non erant, saecularis potestas nostris rebus sese eo modo immiscuit. Sed postmodum missa sunt. Interim ipse juvenis, qui Joannes Oliva dicebatur, stabilis manens, vota Societatis ad majorem stabilitatem emisit et cum suis litteris Romam ad P. Ignatium transmisit [3].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Joanni Queralt, de concionatore Barcinonae procurando, mense Februario; eidem de monialium cura, initio Martii.

[2] Sic, pro *Queralt*.

[3] Polancus Patri Francisco de Rojas, oportere ut cum Gandiae Duce Romam veniat, 15 Januarii. Ignatius Joanni Queralt, de Pontificis electione, de domo Barcinonensi, 8 Februarii; idem Antonio Gou, an exire debeat necne Barcinona, ut judicio

Digitized by Google

253. Hoc anno nostri, qui Salmanticae versabantur, multorum confessiones (augebatur enim numerus in dies) audierunt; et aliis alios invitantibus, frequens admodum communicantium numerus domi nostrae erat; quamvis aliquid impedimenti interdictum attulerit, quo cessante, turmatim multi conveniebant; et praeter eos, qui crebro confitebantur, in festis solemnioribus alii multi nostrorum opera utebantur.

254. Per exercitia spiritualia accessit hoc anno ad Societatis institutum P. Ferdinandus Alvarez del Aguila, nobilis abulensis, et P. Pegnalosa; uterque theologus et concionator, quamvis posterior in eo munere magis esset versatus.

255. Cum Comes Melitensis [1] et alii viri nobiles toletani Patrem Araoz Provincialem rogassent ut aliquis de Societate nostra Toletum accederet, ad id potissimum ut Archiepiscopum Toletanum Siliceum de Societatis instituto instrueret, destinatus est ad id P. Michaël Torres, qui cum esset Archiepiscopum allocutus, multis ultro citroque disputatis (diligebat enim Archiepiscopus P. Torres et nec in prandio nec in coena a sua mensa eum abesse patiebatur, nec a colloquendo, nisi post multam noctem, dimittebat), id visus est de ipsius animo collegisse, quod non improbandum ille censeret institutum Societatis, sed ejus facultates ei displicebant, cum omnes confessarios a praelatis examinandos et approbandos censeret; beneficia etiam curata a nostris suscipienda esse dicebat. Et cum rationes redderet P. Torres juxta instituti nostri formulam, unusquisque suam sententiam retinuit. Admiratus tamen est Archiepiscopus Patris Torrensis constantiam, quem cum, magnis reditibus oblatis, a Societate avertere niteretur, firmiorem in sua vocatione quam invenerat relinquebat. Et cum quoddam Virginum monasterium, in quo antequam in matrimonii statu collocarentur, ejus expensis instituebantur, erexisset, et opimis reditibus dotasset, nec aliis perinde ac nostris ejus curam tuto se posse committere crederet, ad ejus curam suscipiendam Torrensem adhortabatur. Non tamen id onus subeundum nostris erat. Sed,

---

stet Patris Antonii Araoz, eodem mense; Ignatius Dominae Elisabethae Roser, approbans ejus in religionem ingressum et se commendans Abbatissae Elisabethae Durala (Duran?), 2 Septembris.

[1] Id est, non *de Malta*, sed *de Melito*. Vide *Cartas de San Ignacio* passim, sed praecipue volumina III, IV et V.

Digitized by Google

antequam ex ea urbe recederet, decrevit clare interrogare Archiepiscopum an contentus foret, si Societas nostra Toleti domum et victui necessaria admitteret, si quis inveniretur qui ea offerret. Hic substitit Archiepiscopus, et dixit aliquid se praecogitasse et brevi ad effectum se deducturum sperare, et donec videret an institutum nostrum cum eo conveniret, se nolle respondere. Existimabat Dr. Torres aliquam reformationis ideam mente Archiepiscopum pertractare, aut etiam exterius curare, et ideo suspendere responsum; sed id potius verisimile est in causa fuisse dilationis, quod de quodam decreto excludendi aliquod genus hominum a canonicatibus ecclesiae Toletanae meditabatur, quod et postea impetravit.

256. Antequam Toleto egrederetur P. Torrensis, Inquisitorem haereticae pravitatis est alloquutus et nostri instituti, cum magna ipsius aedificatione, cognitionem, litteris Apostolicis ei communicatis, dedit. Cum Gubernatore etiam et comite de Fuensalida et aliis nobilibus de rebus nostrae Societatis egit, quos omnes optime ad illam affectos reliquit. Apud comitem melitensem aliquot diebus fuit, qui tamquam Societatis nostrae professus de rebus nostris loquebatur et agebat.

257. Rediit P. Torrensis Salmanticam, ubi undecim ex nostris erant, et ipsemet hoc anno patentes litteras accepit, quibus ejus Collegii Rector ad triennium creabatur. Ibi intellexerunt annexionem esse factam cujusdam Capellaniae Cauriensis, quae fere octingentos ducatos annui reditus valebat, et ad possessionem capiendam nomine Collegii procuratorium instrumentum confecerunt et Cardinalis ministris dederunt. Res tamen litibus erat obnoxia, unde nunquam ullos ejus fructus Collegium percepit; et rei eventus verum esse ostendit quod Joannes de Vega, Siciliae Pro-rex, Patri Laynez dixerat, cui cum referret Laynez Cardinalem Cauriensem Collegium Salmanticae erigere, subdidit ille: non credo; at, inquit Laynez, res jam pacta est et applicatio redituum facta; addit ille: etiam si factum sit, non credo. Perseverabat nihilominus Cardinalis in aliqua pecuniae summa ad sustentandos duos vel tres ex nostris, et agebat etiam de quadam capellania, cujus domum conductitiam Collegium inhabitabat, eidem obtinenda [1].

[1] **Vide annot. infra sub n. 309. Ignatius Domino Muñon (Muñoz?) gratulatoria de iis quae in favorem Societatis Salmanticae agit, mense Februario. Eodem tempore Po-**

Digitized by Google

258. Cum translatus esset Cardinalis Dominus Franciscus de Mendoza ad ecclesiam burgensem, commendavit Doctori Torrensi hoc ipso anno ut ad illam dioecesim, quae latissime patet, visitandam se conferret, vel aliquos idoneos mitteret; qui comites hujus visitationis delegit, cum fratrum consilio, Patres Baptistam Sanchez et Magistrum Joannem Alvarez cum Ferdinando Alvarez del Aguila et P. Pegnalosa. Praemisit autem 23 Augusti duos priores ut Methymnae Campi et Vallisoleti aliquid, quod ad propriam abnegationem et aliorum aedificationem pertineret, agerent, atque ibidem eum exspectarent, qui Salmanticae exspectare decreverat Dominum Antonium de Cordoba, Rectorem Universitatis, initio sequentis mensis Salmanticam rediturum; et dies 15 Septembris condictus erat ut Burgis omnes adessent [1].

259. Cum autem Methymnae Campi concionari in plateis magno cum spiritu et doctrina coepissent, oppidum illud, quod insigne satis est, magnopere ad pietatem commoverunt, et velut semina quaedam Collegii, quod postea ibi est institutum, jecerunt. Vallisoleti autem Magister Joannes prope palatii regii portas quadam in platea concionatus est, quem multi de palatio, ac praecipue nobiles foeminae, ex fenestris magna cum attentione audierunt; et magnus ibidem rumor de ejus solida doctrina ac pietate increbescere coepit. Aliquas praeterea conciones et in plateis et in custodia publica, hospitalibus, et parochiis habuerunt; et in omnibus his locis frequentes auditores et magna cum commotione animorum ac profectu audierunt. Cum autem Doctor Torrensis eo pervenisset, simul omnes Burgos se contulerunt; qua in civitate eodem die, quo pervenerant, P. Baptista in platea magna concionatus est, ad quem ob rei novitatem frequentes auditores et admirabundi confluxerunt, qui postea, cum eorum et doctrinam et spiritum viderent, multo magis mirabantur et Dominum laudabant. Magister Joannes

---

lancus, *ex commissione,* Doctori Michaëli de Torres, de beneficiorum resignatione et unione, de privilegiis Societatis; idem Araoz, ne Doctorem Torres, contra Cardinalis Cauriensis voluntatem, Salmantica multum abesse permittat, eodem mense et 2 Septembris.

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, de promotione Cardinalis Cauriensis ad Episcopatum Burgensem, de Abbate de Salas, de fundanda Burgis Societatis domo, de mittendo Doctore Torres cum aliis, postquam ibi per aliquot dies concionatus sit ipse Araoz, 7 Maii.—Cardinalis, antea Cauriensis, nunc Burgensis, litterae ad Ignatium.

Digitized by Google

Alvarez adversa valetudine laborare incoeperat; ideo concionari non potuit. Sequenti die, cum P. Baptista ad custodiam publicam se contulisset et sacrum celebrasset, ibi detentis concionatus est, et mirum in modum auditores commovit, qui magnis precibus ut ad se consolandos saepe veniret petebant, et pecuniam, si eam admittere vellet, offerebant. Cum autem latius bonus odor patere coepisset, evocatus est P. Ferdinandus Alvarez del Aguila a quodam monasterio religiosarum *(muratás* vocant) Sti. Egidii, ut veterem quamdam inter ipsas dissensionem extinguere niteretur. Adiit ille et postquam omnium audisset confessiones, ad concordiam animorum inter se eas adduxit ac pacificas reliquit. Tunc Sacerdos quidam, illo in monasterio notus, Patrem Ferdinandum iracundia plenus adortus est, et expostulare coepit, quod illi negotio concordiae, se inconsulto, suam operam impendisset; quem cum patienter audivisset Ferdinandus, genua ante illius pedes flectens, veniam ab eo petiit; qua de re mirum in modum attonitus ac confusus ille fuit.

260. Relicto igitur Burgis apud quemdam amicum, qui magnam humanitatem ei exhibebat, Magistro Joanne Alvarez aegrotante, existimavit Doctor Torres expedire ut tres, qui sani erant, ipse, scilicet, cum P. Baptista ac P. Ferdinando, per varia Episcopatus loca se conferrent. Ipse autem tractum quemdam ejus dioecesis, quem *quinque oppidorum* vocant, et vallem *de Aschali,* sibi selegit; et in quatuor ex his oppidis, ubi juramentorum abusus insignis erat, confraternitatem quamdam instituit, in quam omnes oppidani nomina sua dederunt, et caverunt ne quis jurare posset sub certa quadam poena pecuniaria in opera pietatis pro confraternitatis, quae nominis Jesu dicebatur, arbitrio; et si quis non accusasset quem jurantem audisset, ad eamdem poenam tenebatur. Cum autem rediisset, aliis locis visitatis, ad haec oppida idem P. Torrensis, magnam in illo abusu emendationem invenit. Profectus fuerat 22 Septembris Burgis Dr. Torres, adjuncto sibi P. Ferdinando, et saepe concionatus est, praeter exhortationes particulares, quas permultas habuit; et inter aliquos pacem conciliavit, et multum aedificationis in populis illis ejus zelus et charitas reliquit. Quam autem esset necessaria visitatio res ipsa docuit; sed tamen magnam famem verbi Dei illis in locis deprehendit, et

Digitized by Google

magnam ad fructum spiritualem producendum dispositionem, si huic operi serio vacaretur.

261. Recessit ab eo P. Ferdinandus Alvarez versus Pyreneos ad oppidum, quod *Methymnam de Pomar* vocant, et pervenit usque ad Castrum de Ordiales [1]. Inde rediit Portugaletum et per vallem de Salcedo Burgos venit. Concionatus est multis in locis et spirituales exhortationes permultas habuit, in singulis videlicet ecclesiis, cum sacerdotes visitaret, qui multi erant; et avide verbum Domini audiebatur ubique, et complures sacerdotes ad Dei obsequium excitati atque commoti fuerunt, et tres aut quatuor eorum Societati nostrae se adjungere, omnibus relictis, parati erant, si in eam admitterentur. Correptus fuit P. Ferdinandus febribus et adversa valetudine in Castro de Ordiales, ubi non minus sollicite quam si in patria et in domo propria fuisset, curatus est; et quodam catapocio sumpto, non solum febres et adversam valetudinem ibi contractam expulit, sed ab aliis etiam affectibus, quibus prius laborabat, cum in ultimum morbum incideret, cum magna admiratione sua et nostrorum, quibus notus erat, sanus rediit.

262. P. Baptista versus aliam partem oppidorum de Aguilar et Laredo, quae, sicut priora, generali nomine *Montagna* dicuntur vulgo, profectus, et ipse in febrim tertianam incidit; et emisso sanguine et quodam alio catapocio sumpto, liberatus, quamvis debilis esset, ad conciones et labores visitationis rediit; et saepius quam alii concionatus est praeter multas spirituales exhortationes et colloquia passim habita. Invenit et ipse spirituales ac temporales necessitates maximas in sacerdotibus, et in templis, et plurimos populos consolatus est, qui eum retinere peroptabant; et tam ipse quam praedictus P. Ferdinandus magnum sui desiderium et aedificationem in illis gentibus reliquerunt. Inter caeteros sacerdotes, qui per P. Baptistam sunt adjuti, unus erat, qui propter vitam parum honestam non levi infamia in quodam populo laborabat; qui cum eum Patrem hospitio excepisset et cum eodem de rebus ad animae suae profectum pertinentibus contulisset, sic se collegit ut admirationi magnae multis fuerit. Cum etiam in oppido Sanctillanae quater concionaretur magna cum frequentia auditorum, canonicus quidam

---

[1] Nunc *Castro-Urdiales*.

Digitized by Google

magnopere motus, cum decem annos a sacro dicendo abstinuisset, P. Baptistam adiit, et ut suam audiret confessionem rogavit, et eodem praesente cum aedificatione populi sacrum celebravit.

263. Cum ergo Burgos rediissent, D. Ferdinando de Mendoza, Cardinalis fratri, non solum verbo retulerunt, sed scripto etiam quae remedio indigebant comprehensa reliquerunt, qui Ferdinandus zelum optimum bene gubernandi Episcopatum sui fratris non exiguum ostendebat.

264. Cum tandem Salmanticam Doctor Torres rediret, secum Patres Baptistam ac Pegnalosam (qui Vallisoleti infirmus substiterat) adduxit. Burgis autem P. Joannes Alvarez et cum eo P. Ferdinandus Alvarez mansit. Invenerunt enim Burgis aliquos tam ecclesiasticos quam saeculares viros, qui eis omnem humanitatem et charitatem impenderunt. Inter caeteros autem fuit Gonzalvus de Tamayo, qui quamvis matrimonio conjunctus esset, vitam admodum religiosam ducebat, et in sacris doctoribus ac piis valde versatus et ad opera pietatis valde propensus erat. Hic utrumque Patrem praedictum hospitio exceperat et aegrotantis P. Joannis diligentem curam egerat. Inter alios etiam Benedictus Uguccionus, burgensis quidem, sed florentia oriundus, vir vere pius ac doctus in sacris litteris et in oratione ac charitatis operibus exercitatus, et alioqui copiosus, omnes nostros in domum suam deduxit et suammet habitationem percommodam eis reliquit, cum bene instructa bibliotheca et egregie ornato sacello. Is caelibem vitam agebat. Cum intellexissent hi boni viri inter caetera paupertatem ecclesiarum ejus dioecesis, quod attinet ad res, quae ad decentem Dei cultum pertinent, aliquos designarunt, qui a civibus burgensibus eleemosynas peterent, ut praedictis necessitatibus ad Dei gloriam subveniretur; et Dominus Ferdinandus de Mendoza suam etiam partem obtulit [1].

265. Dum ergo iis Burgis haerent, P. Torres cum duobus sociis Salmanticam iturus, Methymna Campi transire debuit; ubi cum primario quodam viro mercatore, qui Rodericus de

[1] Polancus patruo Alphonso de Polanco, ei jubilaei gratiam mittens, qua uti poterunt et Polanci pater et alii novem, quos designat, de ejus familia; item de Collegio Burgis instituendo ut suam omnes operam conferant, 14 Junii; idem Patri Michaëli de Torres patrem suum, Gregorium de Polanco, patruumque Alphonsum, aliosque commendans, 2 Septembris.

Digitized by Google

Duegnas dicebatur, locutus est, qui instanter admodum ab eo postulavit ut ad Adventum sequentem duos Patres Societatis Methymnam mitteret. Cum enim nundinae celebres eo tempore celebrarentur, per conciones et confessionum ministerium posse multorum animas juvari affirmabat. Non potuit illi Doctor Torres hoc negare, unde P. Baptistam cum alio sacerdote ad condictum tempus Methymnam misit ut saltem ibi quindecim dies manerent.

266. Sed quoniam brevius quam par erat transitum P. Baptistae et Joannis Alvarez per haec oppida, cum Salmantica discedentes Burgos pergerent, perstrinximus, paulo diligentius quomodo res gesta fuerit, declarabo.

267. Cum die Sabbati 23 Augusti Salmantica recederent Patres Joannes Alvarez et Baptista Sanchez cum sociis Ferdinando Alvarez ac Pegnalosa, per loca viae vicina, dominica die sequenti concionari constituerunt. Tres ergo ex illis in tribus locis sunt concionati, ubi magna cum charitate fuerunt excepti; et quamvis egregio cum fructu omnes laboraverint, copiosiorem caeteris retulit P. Joannes Alvarez, cui obtigit major quidam populus, in quem, cum festum quoddam celebraretur, multi etiam externi confluxerant; et tanta cum gratia ac spiritu concionatus est, ut omnes magna admiratione perculsi fuerint; et primarii ex populo ut penes se eum retinerent laborabant; et cum dona multa offerrent, eis non admissis, ad hospitale se contulit; quo cum primores tam ecclesiastici quam saeculares convenirent, et ad suas domos vellent deducere, non admisit ille quidem, sed in remunerationem hujus bonae voluntatis spiritualem exhortationem ad eos habuit, tam dulci spiritu ut multos ad lacrymas commoveret; et aliquorum corda sic tetigit Deus, qui statim confessionem fecerunt; et eodem die tres concordiae inter dissidentes viros peractae sunt, quae multis diebus peragi non potuerant. Eadem die Dominica ad alium se populum contulerunt sub nocte, ubi magnum etiam quoddam festum agebatur; cum autem P. Baptista tumultum populi rebus vanis dediti videret, zelo maximo honoris Dei et salutis animarum in ipsa via publica vocem elevando coepit eis concionari; unde quasi aliorum obliti homines, quibus prius vacabant, ad eum audiendum se contulerunt admirabundi et Dominum laudantes.

Digitized by Google

268. Die Lunae sequenti sub nocte Methymnam Campi sunt ingressi. Die autem Martis, sacro celebrato ac praemissa oratione, bini patres illi sine calceis ac pileis ad plateam se conferunt; et P. idem Joannes Alvarez in quodam ejus extremo loco mensam conscendens, ubi frequens erat hominum multitudo, socio ad pedes ejus sedente, coepit concionari ferventer admodum ac devote. P. autem Baptista e regione ejusdem plateae aliam mensam conscendens, et socio ad pedes ejus sedente, eodem modo concionari coepit. Fuit autem prorsus admirandus fervor, zelus, ac spiritus quem Dominus utrique dedit; qui tantus fuit ut totum oppidum commoveretur. Cum autem sesquihoram aut amplius praedicassent, ad templum quoddam se contulerunt, ut Deo gratias agerent; et tanta hominum multitudo eos est consequuta, ut ecclesiam, licet magna esset, replerent; et pro magno Dei dono ducebat, qui vestem illorum osculari poterat. Multi copiosam eleemosynam offerebant, et deducere ad suas domos cupiebant; sed nihil admissum est; persuadebant autem eis, qui offerebant, ut aliis pauperibus donarent; se tantum Dei honorem et animarum salutem, non privatam aliam utilitatem, quaerere. Cum ergo nec eleemosynam acciperent nostri, nec hospitium oblatum, ad hospitale eos deduxerunt; sed tanta hominum turba eos sequebatur, ut se expedire non possent; et quamvis aliqui boni viri portas occluderent ut aliquid quietis nostris relinqueretur, id parum profuit; multi enim viri nobiles ad eos videndos et loquendum cum eis ingressi sunt. Cum autem P. Joannes Alvarez tantam multitudinem tamque primariam et avidam eos audiendi videret, peculiari ac suavi Domini spiritu commotus exhortationem tam inflammatam ac plenam Dei amore apud eos habuit ut tam ipse quam auditores magnam lacrymarum vim effunderent. Et cum importuno quodam modo urgerent, ut Patres illi Methymnae conquiescerent et verbum Dei ipsis praedicarent, non in ecclesiis sed in plateis, ut a pluribus eorum doctrina audiri posset et latius utilitas pateret, tandem ab hospitali recesserunt, postquam ministris ejus injunxissent ut copiose nostris omnia, quae peterent, praestarent. At nostris, ut possent die sequenti Vallisoletum ingredi, visum est expedire ut ibi non pernoctarent, et ad pagum quemdam vicinum se sub vesperam contulerunt, nec enim aliter a Methymnensibus se facile expediri potuissent, nec obedientiae

8

Digitized by Google

Doctoris Torrensis satisfacere, qui eis injunxerat ut die Mercurii Vallisoletum ingrederentur; et sic Methymnenses cum magna fame ac aedificatione sunt relicti.

269. Antequam redeam ad ea quae P. Baptista, sub Adventum missus, in praedicto oppido Methymnensi egit, attingam quae Vallisoleti tam ipse quam P. Joannes Alvarez cum sociis egerunt. Pervenerat eo P. Joannes cum socio hora una ante meridiem et uterque pedibus nudis et sine pileo sicuti Methymnae ad plateam, ut concionaretur, se contulit; et cum occurreret in ipsa via publica unus ex magistratibus *(Algoaziles* vocant) rogat eos cur ita incederent; et Joannes Alvarez: propter mea peccata, respondit. Subdidit ille: in quae peccata tu potuisti incidere, ut sic incedas? Respondit ille: vel unicum mortale sufficit ad condemnationem in inferno. Tunc magistratus submisso capite praeteriit. Ipse vero P. Joannes, ad plateam contendens et locum aliquantulum eminentem conscendens, magno cum spiritu ac fervore et frequenti auditorio equestri ac pedestri concionari coepit. Audiebant et eum ex fenestris palatii magno cum silentio, et cum sesquihoram praedicasset, magna hominum turba eum sequebatur et eleemosynas obtrudebat, quas tamen omnino recusarunt. Quarta hora post meridiem P. Baptista cum P. Ferdinando Alvarez Vallisoletum perveniens ad aliam se plateam contulit; ubi dictu mirum quanta hominum turba confluxerit ut audiret concionantem sane ferventer ac devote. Uterque inter auditores multos habuit monachos, qui perattente audiebant.

270. Deinde duas alias conciones habuerunt in plateis, et P. Joannes Alvarez ad palatii portam cum praedicaret, multi nobiles ac etiam illustres et ex fenestris multae nobiles foeminae cum magna admiratione rei tam novae eum audierunt. Interim Praesidens et magistratus, qui justitiae exercendae praesunt, cum ad palatium venirent, et prae turba vix illud ingredi possent, cum existimarent aliquem esse, qui facetiis vulgus detineret, prout fieri solet, jusserunt ut inde concionatorem expellerent, et ipsi palatium ingressi sunt. Multitudo tamen urgebat eum ut denuo locum editum ad concionem prosequendam ascenderet; quod cum fecisset, majori quam antea fervore concionem est prosecutus; cumque et ipse inflammatus esset vehementer et auditores attentissimi, tamdiu protraxit sermonem,

Digitized by Google

donec magistratus egrederentur; qui, nulla re alia considerata, quemdam ex ministris primariis ad eum deducendum in carcerem mittunt. Minister ad eum audiendum paululum subsistens et tam sanctam doctrinam animadvertens, rediit ad magistratus et ait: nullam invenio in eo causam ut in carcerem deducam, nec unquam sic locutus est homo ut ille. Tum magistratus alium ministrum misit, qui tam modeste se gessit ut concionanti auditorem se praebuerit usque ad finem; in quo exclamans P. Joannes cum desiderio patiendi eo die, quo B. Joannes fuerat decollatus propter praedicationem veritatis, multos ad lacrymas commovit. Minister ille nostros secum deduxit, et cum turba Patrem Joannem vellet defendere, immo et ex palatio Admirallus et nobiles Reginae virgines ministrum illum reprehenderent quod eum, qui tam sancte locutus esset, duceret; ipse P. Joannes supplicavit ne impedirent beneficium quod eo die a Domino accipiebat, ut propter praedicationem divini verbi in carcerem conjiceretur; et ipse cum socio, Patre Pegnalosa, magna cum consolatione ministrum illum vel executorem sequebantur, qui magis captus erat nostrorum doctrina et humilitate quam ipse nostros captos deduceret; sed non ad carcerem, quin potius ad domum nostram deduxit, donec turba, quae satis commota erat, recederet; et sub vesperam ad magistratum cum eis venit. Illi cum perturbatione petierunt an essent ex illuminatis. Respondit cum magna mansuetudine Joannes, dicens esse illud genus hominum sibi ignotum; se de Societate Jesu esse et Ejus Evangelium praedicare. Illi, cum non invenirent quid reprehenderent, ad Vicarium (*Provisorem* vocant) mittunt, qui cum de nostrorum et doctrina et zelo constaret, in pace ad domum nostram eos remisit. Et omnino pauculis illis diebus, quos Vallisoleti exegerunt, dum P. Torrensem exspectant, latius patuit Societatis nomen et cognitio quam aliquot annis, quibus nostri Vallisoleti resederant. Unde tam P. Joannem quam Baptistam urgebant ut denuo ipsis concionarentur, et ita in quibusdam parochiis et in custodiis publicis ac in hospitalibus frequenti cum auditorio concionati sunt; et die Martis sequentis cum ipso P. Torrensi Burgos, ut superius diximus, se contulerunt. Quia tamen plus satis in itinere laborarunt, cum incideret in morbum P. Joannes, missioni praecipuae, ad quam deductus erat a P. Torrensi, vacare non potuit,

Digitized by Google

sed Burgis aegrotans et valetudinarius, ut supra dictum est, substitit.

271. Ut ergo redeamus ad secundum nostrorum adventum in insigne Methymnae Campi oppidum, a redeunte P. Torrensi impetratum, P. Baptista Sanchez mirum dictu quanta cum aedificatione suis concionibus populum illum commoverit. Concionabatur crebro in platea, quo negotiatores conveniunt; et cum ille incipiebat, omnibus aliis negotiis relictis, omnes ad eum magna cum attentione audiendum confluebant et quidem devotionem audientium fluentes lacrymae testabantur. In prima concione, quam ibi habuit, accedens qui summi magistratus locum tenebat, dixit P. Ferdinando Alvarez, qui comitabatur concionantem P. Baptistam, ut ei significaret ut ex eo loco, ubi concionabatur, descenderet et ad ecclesiam vicinam se conferret, nam eo auditores eum secuturi erant; et id se dicere significabat, quia ne aliqua furta in platea fierent, verendum erat, dum illi audiendo conferti homines vacabant. Erat inter auditores monachus quidam augustinianus, concionator, qui magistratui pro Patre Ferdinando respondit illam esse ecclesiam, ubi erat congregatio fidelium, et bene facere P. Baptistam quod ibi concionaretur, ubi plures eum audiebant quam duo templa capere possent. Alii multi similes rationes adducebant, unde magistratus auditorem se quietum concionis praebuit; et pacifice, peracta concione, recessit, nec unquam alias ullo verbo interpellavit. Concionabatur et P. Baptista Dominicis ac festis diebus in variis parochiis, quarum templa, licet maxima essent totius oppidi, frequentia confluentium tanta erat ut ea ingredi non posset; et tanta cum animorum commotione populus a concione recedebat ut res magna omnino admiratione digna esset.

272. Bis negotiatores nuncios ad P. Torrensem Salmanticam miserunt ut praefixam quindecim dierum obedientiam prorogaret, et ita usque ad ultimum diem festorum natalitiorum ea protracta fuit, et antequam ea exspiraret, nuncium alium ad eumdem miserunt nomine omnium nationum, quae ad nundinas *(feriam* vocant) Methymnam convenerant, ut usque ad dimidiatum mensem Januarium eam extenderet, quia tunc nundinarum finis erat futurus, et usque ad Epiphaniam eum obtinuerunt. Concionatus est etiam in monasteriis monachorum ac monialium; multae inter primarios viros dissidentes amicitiae conciliatae sunt;

Digitized by Google

et in vestium sumptibus, qui modum excedebant, reformatio est adhibita; bis etiam in custodia publica concionatus est, et ejus socius tam eorum, qui in praedicta custodia detinebantur, confessiones audivit quam aliorum multorum; inter quas multae generales multorum annorum exstiterunt, atque hominum ejusmodi qui tali auxilio valde indigebant. Magna vis pecuniarum et donorum eis offerebatur a negotiatoribus; sed nihil prorsus admiserunt; et quamvis Rodericus de Duegnas, qui eorum missionem a P. Torrensi impetraverat, hospitio eos excipere voluisset ac tentasset, sicut et alii, nihilominus hospitale nostri praetulerunt.

273. Urgebant autem negotiatores toletani, segovienses et alii ut ad suas civitates concionandi gratia veniret. Tunc etiam Rodericus de Duegnas de domo Methymnae instituenda, sicut Salmanticae instituta fuerat, serio agere coepit; magnum enim fructum inde consecuturum, cum nundinarum gratia ex Hispaniae regnis eo tam multi convenirent, sperabat; et ipse, qui copiosus admodum et in eleemosynis largus erat, domum et omnia necessaria obtulit. Quamvis non tunc vel id optare vel offerre coepit, sed P. Petro Fabro, cui confessus erat, obtulerat etiam sumptus necessarios singulis annis ad unum scholasticum Salmanticae sustentandum; et ad librorum supellectilem parandam nostris pecuniam etiam dedit. Inter mercatores duos juvenes ac divites ad omnia propter Christum relinquenda moti fuerunt et, nundinis absolutis, spiritualibus exercitiis excoli petierunt. Duo etiam sacerdotes Societati se addixerunt, quorum alter humaniores litteras docuerat.

274. Salmanticae interim et bonus odor et fructus in dies augebatur, et tam multi confessionis gratia confluebant, ut cum non posset omnibus satisfieri, desolati multi recederent.

275. Recessit autem ultimo festo Natalitii P. Torrensis ad Comitem de Oropesa, qui eum simul cum Domino Antonio de Cordova evocaverat, ut ageret de domo Societatis in illo suo oppido instituenda. Ex aliis etiam duobus locis domus offerebantur; sed messis multa, operarii pauci.

276. Praeter binas lectiones, quas domi fratribus idem Pater Torrensis praelegebat Salmanticae, alteram logicis, alteram confessariis, numquam non occupabantur charitatis operibus, ac inclusis carcere patrocinium suum, judicibus autem consi-

Digitized by Google

lium, pauperibus subsidium curabat. Dabat etiam operam ut interdicta, quae frequentissima erant Salmanticae, revocarentur. Multorum etiam audiebat confessiones, hominum praesertim, qui gravibus negotiis aut officiis implicati, ejus uti doctrina atque opera in confessionibus optabant. Et quamvis alii collegiales nostri studiis suis et spiritualibus etiam profectibus vacarent, in festis tamen solemnioribus et in dominicis etiam confessionibus vacare debebant. Aderant nonnumquam morituris, inter quos cum duo mutuis vulneribus lethalibus confossi essent, accersiti ab eis ad felicem migrationem ex hac vita et magna conformitate cum voluntate Dei post confessionem adjuverunt. Eorum alter fratrem habebat canonicum, cui graves cum matre sua inimicitiae intercesserant; cum igitur, matre ad ejus domum veniente, ejus aspectum canonicus fugiens in intimo recessu domus se abderet, dum unus ex nostris vulnerati confessionem audit, ejus socius canonicum aggreditur adducitque ut a matre sua genibus flexis supplex veniam ac manum deosculandam petat; matre autem vultum avertente, idem, qui filium adduxerat, sic verbis eam emollivit, ut filium amplecteretur et omnino ei reconciliaretur. His autem aliisque rebus gestis factum est ut ne ipsi quidem, qui non bene affecti erant erga nostros, omittere possent quin fructum a Societate provenientem magni facerent.

277. Ex his, quibus spiritualia exercitia sunt tradita, alii in nostram Societatem, alii in alias religiones se receperunt.

278. Cum P. Joannes Alvarez et quidam alius fratrum Granatam, quae illi patria erat, valetudinis gratia missi essent, non solum eam recuperavit, sed conciones aliquot cum magno applausu totius civitatis tum in summa ecclesia, tum in scholis Universitatis habuit. Invenerunt aliquos in ea civitate satis idoneos, qui ad Societatis nostrae institutum valde propensi erant. Praeses autem regalis Consilii granatensis, Episcopus abulensis, per litteras a P. Araoz, Provinciali, postulavit ut P. Joannem Alvarez Granatae diutius remanere permitteret, quod ad Dei obsequium et civitatis magnam utilitatem futurum esse affirmabat.

279. Ex decem collegialibus Salmanticae quatuor erant Sacerdotes, quinque theologiae auditores, et quidem in eo studio satis diligentes, sed in studio seipsos vincendi diligentiores,

Digitized by Google

ut fraeno potius quam calcaribus indigerent, dum ad castigationes corporis et affectuum propriorum abnegationem ferventer admodum contenderent, magna interim animorum conjunctione et unione mutua charitatis viventes, et in solidarum virtutum studium incumbentes. Dubitabat P. Torrensis an scholastici sua suffragia collaturi essent, cum ageretur de cathedris, quae per oppositionem huic vel illi essent assignandae; sed visum est nostris suffragia hujusmodi minime convenire. Cum jubilaei gratiam a P. Ignatio impetratam intellexissent, cum magna animorum consolatione ea, quae necessaria erant ad indulgentiam obtinendam, praestiterunt.

280. In domo nostra Vallisoletana pauci de Societate etiam hoc anno versabantur, egregii quidem Dei servi et operarii utiles, sed quia in nullo formato Collegio vixerant, exiguam instituti nostri cognitionem et minorem praxim, quod ad domesticam attinet disciplinam, habebant; nec mirum, cum traditione potius ad id usque tempus quam scriptis constitutionibus aut regulis, quae nondum erant promulgatae, nostri vivebant. Verum cum Vallisoleto P. Torrensis transiret, et animadverteret hoc ita se habere, et a P. Provinciali, Romam recedente, nostrorum Hispaniensium cura ipsi esset demandata, misit Salmantica Petrum Sevillanum ut Vallisoletanae domus curam haberet, et venire Salmanticam jussit P. Joannem Gonzalez, qui aliis ibi praeerat, qui eximia probitate praeditus quidem erat et utiliter admodum proximis juvandis per consueta Societatis ministeria vacabat, ut videret eam gubernationis rationem, quam in Collegium Salmanticense P. ipse Torrentis induxerat. Licet autem aliquot menses eum retinere Salmanticae cogitasset, non tamen id potuit efficere; cum Sevillanus ipse scriberet necessarium esse Joannis Gonzalez reditum in oppidum Vallisoleti ante festa natalitia, quod multi, et quidem non exiguae auctoritatis personae, ab eo dependerent; unde compendio eum exercuit in rebus ad domesticam gubernationem nostrorum opportunis.

281. Facultatem acceperat P. Araoz a P. Ignatio admittendi ad professionem solemnem etiam P. Torrensem, quam cum ei obtulisset, pro sua humilitate ille recusavit, ac dixit optare se ante professionem virtutem obedientiae melius addiscere; qua in re multum omnibus aedificationis dedit; et

Digitized by Google

quamvis paratus esset obedire, datus est excusationi humilitatis locus, et professio aliquamdiu dilata.

282. Agebatur de domo adjungenda nostro domicilio Vallisoletano, eo quod satis arcte habitarent, sed tunc res non est ad affectum deducta. De SSmo. Sacramento in ecclesia nostra reponendo cum ageretur, parochus vicinus sese illis opposuit; sed litteris apostolicis ac privilegiis Societatis ante Vicarium adductis, tandem id, quod optabant, obtinuerunt. In confessionibus tam in proprio templo quam aliis in locis satis occupati nostri erant, sed cum pauci essent et propemodum omnes tyrones, non tantum auctoritatis habebant, quantum ad insigne augmentum Societatis opus erat [1].

283. Curam illam monialium Poenitentiae, quam anno praecedenti P. Mendez earum lacrymis victus susceperat, ex obedientia deposuit et in quemdam bonum Sacerdotem non sine difficultate magna rejecit, spem monialibus relinquendo, quod earum confessiones posset audire aliquando et easdem in Domino consolari, non id facturus si non illum Vicarium admitterent.

284. Compluti jam nostri domum a Doctore Hieronymo de Vergara [2] emptam et ad Societatis usum accommodam habebant, qui nihil magis in votis habere videbatur quam ut reditus etiam ecclesiastici ad collegialium sustentationem auctoritate Sedis Apostolicae applicarentur. P. Antonius Araoz, Provincialis, cum Vallisoleti catarrho vexaretur, Complutum se conferens valetudinem recuperavit, et officio suo ibi functus Salmanticam et ad alia loca suae provinciae iturus erat, ut ante profectionem in Urbem res Societatis bene constitutas relinqueret. Hic admissus fuerat sub finem anni praecedentis P. Baptista de Barma; quem cum audirent Universitatis Rectorem esse relinquendum Gandiae, quod ejus virtus et doctrina atque prudentia illi oneri sustinendo par videbatur, nihilominus Complutenses admonuerunt non aedificationis futurum, si tyro paucorum mensium ei muneri praeficeretur; sed P. Araoz tamen Collegii curam, in quo multum auctoritatis sibi comparaverat, ei reliquit.

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Mendez, ne sperent Roma Vallisoletum mittendos sacerdotes, et ut curent temporales coadjutores habere, 3 Septembris.

[2] Hic esse videtur, quem alibi saepius ipse Polancus *Alphonsum* nominat. V. *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 21, not. 2.

Digitized by Google

285. Res Societatis Compluti progressus insignes faciebant. P. Franciscus Strada non minus hic quam Salmanticae gratus fuit, nec minus hominum animos ad Dei honorem et benevolentiam erga Societatem commovit; in omnibus ecclesiis complutensibus concionatus, in omnium oculis et auribus gratiam inveniebat. Per ejus conciones, accedentibus etiam confessionibus et familiaribus colloquiis, multos scholasticos, ut valedicerent rebus hujus saeculi, Dominus permovit; et quamvis P. Provincialis cum delectu magno admittendos eos existimaret, aliquos tamen admisit, ex quibus duos Gandiam destinavit. Alii quinque, egregiis talentis praediti, mense Februario ut admitterentur instabant; sed domus ac rei familiaris angustiae id non permittebant; brevi tamen, aucta habitatione, aliquos erant admissuri [1].

286. Universitatis Complutensis Rector exigebat a nostris, quoniam in jurisdictione Collegii, quod *majus* vocatur, domum habebant, ut in licitis et honestis, quemadmodum dominicani et alii religiosi, qui frustra exemptionem tentaverant, ipsi subjicerentur; et nostri complutenses, ut quiete ac sine litibus viverent, id non esse recusandum censuerunt [2].

287. Cum autem multi, concionibus commoti, ad confessionis et communionis Sacramenta confluerent et alii spiritualibus exercitiis exculti suas generales confessiones vellent instituere, scrupulus injectus est nostris quod facultates omnes propter annum jubilaei cessarent, et augebat Archiepiscopus difficultatem, qui prohibuerat ne quis Sacramento Eucharistiae amplius quam semel singulis annis communicaret. Sed P. Ignatius, confirmationem facultatum nostrarum a Summo Pontifice obtinendo etiam in anno jubilaei et quoquoversus ad loca Societatis communicationem transmittendo, scrupulum omnem exemit.

288. Erant domi nostrae semper aliqui, qui in spiritualibus

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Francisco de Villanova, de studiis, quibus incumbere oportet Petrum Tablares et N. Lozano; nostros, qui doceant, non debere accipere stipendium, mense Februario.

[2] Ignatius, Francisco de Villanova, patentes litterae ut contra Societatis detractores agere possit, 15 Novembris; eidem, ne patentibus litteris contra Doctorem Ruiz Compluti utatur, si is scripto aut alio modo publice retractet quae adversus Societatem dixit, eadem die.—Similes per Patrem Antonium de Araoz aliis in Hispania missae sunt.

Digitized by Google

exercitiis versarentur, quorum egressum alii spectabant; et ita plurimi hac ratione proficiebant, et ad Societatis institutum alii atque alii adspirabant, et ad alias etiam religiones animum aliqui adjiciebant. Tam autem scholastici quam populares, et tam viri docti, quibus abundat ea Universitas, quam reliqui, conciones P. Francisci Strada sequentes, egregium prorsus fructum ex ejus piis laboribus reportabant.

289. Inter alios mense Martio duo Sacerdotes et alii tres scholastici, ex quibus duo promoti ad gradus erant, ad consilia Christi sectanda et quidem in Societate nostra majori ex parte constituerunt; et tres admissi sunt. Demum multo copiosior erat messis, quam ut ei colligendae operarii nostri sufficerent. Et cum ex trilingui Collegio et ex aliis, qui ingenio prae caeteris pollebant, tam frequentes in dies ad Societatem adspirarent et in ea admitterentur, non immerito aliqui admirabantur et dicebant nos, quasi habito delectu, florem Universitatis in Societatem admittere. Et magis mirati essent, si intellexissent quam minimo vel nullo potius negotio nostro ad Societatem Deus illos vocasset. Duos theologos Salmanticam mittere, alios dividere constituebat P. Villanova, donec Deo placeret de domo et de rebus necessariis largius Societati nostrae Complutensi providere.

290. Sub finem Julii profectus est Concham P. Villanova ut cum Doctore Vergara Gandiam se conferret; ubi Doctor ille, qui et canonicus et concionator erat ecclesiae conchensis, ut alibi dictum est, in Provincialis, Patris Araoz, manibus deliberationem sui status relinquere constituerat; dubitabat enim an expediret, omnibus relictis, Deo in Societate servire, an retentis suis reditibus mille et sexcentorum ducatorum, Collegii Societatis complutensis sustentationem ac dotationem juvare, nam illud multorum operariorum seminarium futurum omnino existimabat [1].

291. Quamvis domui Complutensi perutile fore videbatur sacellum ad Sacramenta administranda et Missae officium celebrandum habere, donec facultates Societatis authenticas acciperent, ut etiam in foro exteriori fidem facere possent, rem distulerunt.

[1] Polancus, *ex commissione,* Doctori Alphonso de Vergara, de domibus Conchensi et Complutensi, 1 Decembris.

Digitized by Google

292. Cum P. Ignatius intelligeret multos esse idoneos ad Societatis institutum ex his, qui magistri Joannis de Avila auctoritatem sequebantur, P. Francisco de Villanova per litteras injunxit ut de illis cum Societate uniendis, vel potius ad ejus institutum adducendis, cum ipso P. Avila ageret, non Patris Ignatii sed suo nomine; quod cum ille non posset, nisi post Pascha sequentis anni, praestare, interim cuidam amico toletano, viro ecclesiastico, qui Patrem Joannem de Avila aditurus erat, negotium hoc commisit, ut eum satis propensum propensiorem adhuc efficeret, et cum ipse post Pascha eumdem Magistrum Joannem de Avila conveniret, minori negotio, quod P. Ignatio videbatur conficeret.

293. Inter occupationes, quae hoc autumno Patrem Villanova Compluti detinebant, illud erat quod cum quinque simul viros non vulgaris notae, cum has litteras accepisset, id est, sub finem Octobris, in exercitiis haberet, toti postea monasterio cuidam ordinis S.[ti] Hieronymi eadem exercitia traditurus erat. Convenerat enim cum illis religiosis ut bini domum nostram venirent ex domo quadam vel Collegio quod habent Compluti, ex quo Superiores domorum aliarum educi solent, nec ab alio quam ab ipso P. Francisco de Villanova ea libenter accepissent, nec exiguum ea ex re fructum proventurum sperabatur.

294. Cum P. Villanova Gandiam iturus Concham pervenisset, magnis conatibus eum retinere aliqui nitebantur, ut aliquot dies vel audiendis confessionibus vel tradendis spiritualibus exercitiis impenderet. Ille autem quo se expediret, ut Complutum singuli aut bini se conferrent admonuit; unde nobiles aliqui et canonici Complutum, ut exercerentur, venerunt; qui magnis virtutum accessionibus aucti redierunt. Coeperunt autem Conchae cives de Collegio Societatis instituendo agere, cum viderent veluti modestiae ac virtutis exemplum eos esse, qui Societatis exercitiis exculti fuissent, quamvis prius deliciis ac rebus vanis dediti cernerentur. Et quidem ex canonicis quinque vel sex erant hujusmodi, praeter saeculares non paucos. Eremitorium ergo quoddam muris civitatis vicinum oblatum est cum domo sua; nec deerat qui aedificandi curam susciperet; sed res sequentibus annis solidius et tractata et confecta est, quamvis etiam tunc ea domus est admissa.

295. Belmontenses etiam jam tum aliquem de Societate dili-

Digitized by Google

genter expetebant, ubi postea temporis successu Collegium est inchoatum. Tunc autem illi et domum et sumptus concionatori, qui etiam consiliis et confessionibus ac spiritualibus meditationibus mentes eorum in Dei amore accenderet, necessarios obtulerunt.

296. Inter eos autem, qui in spiritualibus meditationibus se exercuerunt, unus fuit Doctor Torrensis, canonicus Segontinus ac postea Chanariae Episcopus, qui cum magnopere profecisset et ad monasterium D. Hieronymi, de quo paulo ante mentionem fecimus, divertisset, sic evexit horum exercitiorum fructum, ut illi religiosi, cum ad se non possent P. Villanovam propter occupationes, quibus distinebatur, adducere, decreverunt ipsi Complutum venire; et inter caeteros eorum Prior, vir venerandus et senex, fuit, qui aliis prius in eo ordine dignitatibus functus fuerat. Quidam autem dicebant non decere tam graves viros ut, relictis suis institutionibus, alienis se imbui paterentur, et cum Priori ac Procuratori semel ac iterum talia suggererentur, responderunt viri religiosi ac prudentes se non his animis huc accessisse ut Sancti Patris Hieronymi dogmata desererent, sed ut suae religionis statuta melius observare docerentur. Et cum honorem et auctoritatem ipsorum apud populum periclitari admonitores illi docerent, responderunt illi nihil aeque ipsorum saluti conducere ac si quod honorem ipsi vocabant, penitus interciderent, multumque se emolumenti consecuturos, si ex his exercitationibus fastus honorisque despectionem reportarent, cum illa religiones pene in Hispania evertissent. Obmutuerunt illi admonitores ac veritatis ponderi cesserunt. Prior etiam alterius monasterii ejusdem ordinis Patrem Villanova rogavit ut aliquem de Societate ad se mitteret, qui in spiritualibus his meditationibus omnes suos monachos exerceret. Prius monasterium Tendillae, hoc Expegiera burgi de Osma vocatur.

297. Scripsit autem de se Torrensis ille Dr. Canonicus, tanto se lumine apud nostros illustratum in spiritualibus exercitiis fuisse, ut existimare compelleretur ante illud tempus vere se christianum non fuisse, licet omnibus, quae Sacrosancta Ecclesia credenda proponit, semper crediderit; et hoc ipsum omnibus affirmabat quod divini spiritus afflatus sentiebat; et vix se posse temperare asserebat quin in concionibus hoc ipsum

Digitized by Google

praedicaret. Referebat autem quidam vir gravis quod non solum canonicus ille utilitatem incredibilem reportasset, sed quod fructus ex vitae et doctrinae illius novitate (erat enim concionator ecclesiae cathedralis) insignis ad cives emanavit; spiritus enim in eo novus ac fervor auditoribus se etiam communicabat.

298. Ex oppido Consuegra invitabatur etiam Societas a sene quodam divite, qui domos praeclaras offerebat et ecclesiam magna ex parte erecturum pollicebatur, vineas etiam et campos feracissimos, unde septingentos modios tritici *(fanegas* vocant) colligerent, et, cum liberos non haberet, sine cujusquam injuria Collegium instituere posse. Sed ad tam multiplicem messem operarii pauci in Societate erant.

299. De ecclesia Compluti designanda jam tunc Dr. Gregorius de Vergara agebat. Hoc tamen de Complutensi Collegio addam quod, cum variis modis animas proximorum juvarent, in tradendis tamen exercitiis fructum uberiorem referebant, cum septem vel octo semper haberent, licet initio tres tantum commode haberi posse P. Villanova judicaret; nec enim poterat tam piis multorum desideriis hoc spirituale auxilium denegari [1].

300. Mirum est cum quanto doloris sensu Complutensis Universitas recessum P. Araoz ac P. Strada tulerit, et quantam illi Societatis famam ibi reliquerint ac concionatoris praesertim ex eadem Societate desiderium, qui, quod bene coeptum erat, prosequeretur. Concionatus fuerat P. Strada in templo S.[ti] Alphonsi, quod primaria est Universitatis ecclesia, tam frequenti auditorio, ut ad locum capiendum mane satis surgendum esset; et ex eorum numero, quos templum non capiebat, alii concionatores tam multos auditores habebant, ut frequentius esset eorum auditorium quam fuisset, antequam P. Strada concionari coepisset. Affirmabant omnes tantam animorum commotionem ea in Universitate visam numquam fuisse. Nec facile fuit populo simul et Universitati satisfacere; cum enim tempore Adventus in ecclesia S.[ti] Alphonsi concionatus esset, Rector et Doctores instabant ut in quadragesima sequenti ibidem concionaretur. Cum autem illis hoc concederetur, aliis ecclesiis, quae idem petebant, negandum erat; unde Vicarius et canonici

[1] **Polancus, *ex commissione,* Francisco de Villanova, de facultate audiendi confessiones, absolvendi a quibusdam casibus, administrandi Eucharistiam, de usu altaris mobilis et de officio romano, mense Februario.**

Digitized by Google

primarii templi complutensis expostulabant cum Universitate et Rectore et injuriam sibi fieri conquerebantur, et saltem diem unum singulis hebdomadis extorserunt ut in summo illo templo Pater Strada concionaretur.

301. In civitate Guadalaxara tantopere urgebant et magistratus, propriis ad id nunciis destinatis, et Comites de Saldagna, Corugna et Melito, missis litteris ac nunciis, ut erubescerent nostri quodam modo quod nec eorum desideriis nec Ducissae del Infantazgo satisfacere possent. Sed cum Universitas promissas sibi conciones quadragesimae nollet amittere, ut aliquo modo petentibus satisfieret, ante quadragesimam duas apud illos conciones P. Strada habuit, quibus populus valde fuit commotus et multi tanto affectu Societatem prosequi coeperunt, ut Complutum confessionis gratia venire ad nostros constituerent. Ibidem etiam intellectum est ad religiosos solito multo frequentiores poenitentes ad Sacramentum confessionis accessisse. Comes de Melito, qui ibidem tunc erat, cum videret non posse Guadalaxaram abduci P. Stradam ut in quadragesima ibi concionaretur, decrevit ipse cum tota sua domo Complutum venire, ubi assiduus concionum ejus auditor fuit. Ventitabat interim domum nostram et octavo quoque die confitebatur; quod etiam Comitissa, ejus uxor, et multi ejus domestici fecerunt. Optaverat hic Comes spiritualibus exercitiis excoli et saepius ea postulaverat; cum autem Compluti hoc tempore versaretur, sibi ea proponi facile impetravit et magno cum fructu suo spirituali peregit; et cum post confessionem generalem res suas omnes ad Dei gloriam constituere vellet, ad oppida et loca sibi subdita misit virum quemdam jurisperitum, qui in spiritualibus exercitiis Compluti profecerat, ut cum auctoritate ampla ditionem ipsius visitaret, et injunxit ut, si quae essent subditorum querelae contra ipsum Comitem, pro suo arbitrio quod aequitas postulabat faceret et erga se potius quam erga subditos rigorem ostenderet, etiam in illis, quae per incuriam vel residentiae defectum mala accidissent in subditorum detrimentum, ut id compensaret et quidem gratis hoc officio fungeretur nulli ex subditis onerosus; expensis enim suis Comes omnia fieri voluit.

302. Ex aliis locis expetitus etiam fuit P. Strada, inter quae fuit Ocania, quae domum Societati commodam offerebat.

Digitized by Google

303. Hoc anno P. Montoya, cujus ingenium Compluti mirum in modum celebrabatur, simul cum aliis Societatem ingressus est.

304. Concionabatur Conchae D. Hieronymus de Vergara, et populum illum valde commoverat; et tam ipse quam Inquisitores, qui ibi resident, Patrem Strada diligenter postulabant; quo cum pervenisset, in bene disposita messe fructum uberem collegit; et inter alios, qui ad optima quaeque promoti fuerunt, Pater Petrus Parra, qui Sacerdos erat, Valentiam ut Societatem ingrederetur se contulit. Tanta hominum frequentia Conchae concionatus est P. Strada in diversis templis et tanto et doctorum hominum et populi applausu et commotione ut apostolicam doctrinam in eo relucere affirmarent. Tres viri ecclesiastici prae caeteris insignem vitae mutationem fecerunt, et Gandiae in spiritualibus exercitiis magnopere profecerunt; quorum exemplum, cum rediissent Concham, non minus quam conciones P. Strada Conchenses movebat.

305. Sed ut Complutum redeam, Vicarius et Gubernator cum magistratibus oppidi magno affectu Societatem prosequebantur, et cum Collegium novum inviserent ac viderent murum oppidi latus Collegii claudere, facultatem dederunt P. Francisco de Villanova ut ipso in muro portam aperiret, et ita situ quodam, in quo hortus conficiendus erat, commode frui posset; et ex proprio situ urbis aliquid etiam adjecerunt, ut commoditati Collegii magis consuleretur.

306. Hac aestate ad sacerdotium promotus est Franciscus de Villanova Vallisoleti et scribit ex obedientia se ordines sacros suscepisse, quos propter mundum universum ipsi oblatum, si ea non compelleretur, non suscepisset.

307. Privata colloquia Patris Araoz et assiduae confessiones, simul cum vitae exemplo et concionibus Patris Strada, sic Doctorum complutensium fastum dejecerunt, magistrorum ac scholasticorum turbam immutarunt, ac populi affectus sedarunt, ut veterum gymnasiorum splendori reducta Universitas videretur; unde nomen Societatis, licet antea non obscurum, novo fulgore illustratum est; quare plus solito ad confessiones et communiones scholastici accedebant; viri etiam aetate ac doctrina graves in Societatem cooptari cupiebant.

308. Ex Collegio, quod vocant trilingue, quinque in Socie-

Digitized by Google

tatem sunt admissi; inter quos P. Dionysius fuit; quidam etiam Didacus Vazquez, qui praeter linguarum peritiam ac philosophiae, in facultate medicinae jam Doctoris lauream se adepturum sperabat; fuit et P. Joannes Pradanus, qui theologiae curriculum erat emensus; fuit et Marcellus de Salazar, Burgensis, Gandiam inde missus. Praeter hos quinque fuit inter alios admissus P. Martinus Guterius [1], vicinus et ipse ut medicinae doctor fieret, sed in egregium concionatorem evadens, spiritualibus morbis curandis utiliorem operam impendit. Et quia magnus adhibebatur delectus a P. Villanova, alii complures petentes id non obtinebant.

309. Hoc anno P. Ignatius Congregationem nostrorum Salmanticensium, in loco designato vel designando per Cardinalem D. Franciscum de Mendoza, in Collegium Societatis auctoritate Apostolica erexit; quae tamen erectio locum non habuit, cum dotatio praedicti Cardinalis non fuerit consequuta, immo nec domus ipsa comparata [2].

310. Liberum reliquerat idem P. Ignatius P. Michaëli Torrensi ut Romam, si ei videretur, veniret; sed quamvis non parum ille optaret Congregationi aliorum patrum interesse, ne significare quidem illud est ausus P. Ignatio, ne aliquid suum placitis obedientiae immisceret; et ut ex obedientia Salmanticae manebat, donec illa alio avocaret, se ibi mansurum dicebat [3].

311. Inter eos, qui extremo supplicio afficiendi erant, unius confessionem audivit, qui tantopere fuit compunctus ut quinque vel sex horas post confessionem ante imaginem Crucifixi oraverit; quem cum comitatus esset, eumdemque ad mortem subeundam ut christianum decet animasset, eoque mortuo, cum multis lacrymis Deum rogaret ut animam illam ad se reciperet, magnam adstantibus aedificationem praebuit.

312. Cum Abulam ad quoddam negotium a nobili viro sibi commendatum, quod cedebat in magnam Dei gloriam, venisset, rogatus fuit ut in nobili quodam urbis illius monasterio pa-

---

[1] Gutierrez.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Antonio de Araoz, de beneficiorum unione in favorem Societatis quid fieri liceat, mense Februarii. (Similes litterae missae sunt, post agnitam de hac re Julii III voluntatem, in omnes fere Societatis domos.)—Vide etiam annot. supra sub n. 257.

[3] Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, an in ejus absentia expediat Doctorem Torres in Hispania ut Provincialem praepositum relinqui, 30 Julii.

Digitized by Google

cem inter moniales, quae super centum et viginti erant et magnis dissensionibus diu laboraverant, conciliare studeret. Adivit monasterium ille et unica exhortatione habita, sic mentes monialium penetravit gladium verbi Dei ut, incipiente Abbatissa, omnes se prosternerent et veniam ab invicem peterent; et ad magnam charitatis unionem reductae sunt. Hoc et alia pietatis opera, quae Doctor Torrensis ibi praestitit, tantopere multorum animos commoverunt, ut ea in urbe quid simile accidisse homines non meminissent; et aliquos de Societate petere coeperunt, domum et omnia necessaria offerendo.

313. In locis Salmanticae vicinis christianam doctrinam pueros nostri docebant, et populis concionabantur. Cum autem vir quidam uxorem gravidam ex adulterio reperisset, et eam interfecturus esset, quidam ex nostris admonitus hominem adivit, et sic sermonibus fregit ac emollivit ut veniam uxori dederit; et tam ipse quam illa, post confessionem peractam, ad vitam pacifice et simul agendam convenerunt. Alius quidam deprehensam cum adultero uxorem accusavit; et cum capitalis sententia illis immineret, quod vir quidam primarius et complures religiosi non impetrare potuerant, idem jam dictus Pater ab offenso marito impetravit, ut, scilicet, tam adultero quam uxori veniam daret; et ut confiterentur tam maritus quam uxor eo die, quo illa ad cohabitationem admittebatur, effecit.

314. Hoc anno cum P. Christophorus de Mendoza, qui Romam venerat, in Hispaniam rediisset, in civitatem Xerez se contulit, ubi invenit P. Gasparem Lopez, in civitate etiam tunc theologiae cursum praelegentem, qui optimum successum habere ipsi videbatur, cum D. Thomae ac Bonaventurae doctrinam cum Conciliorum et canonici juris eruditione conjunxisset. Aliquos etiam discipulos ad hoc ipsum disponentem reperit. Agebat autem P. Christophorus simul cum ipso de Collegio immo et de Universitate in ea civitate instituenda, et cum litteras a Rege Bohemiae et ejus uxore Maria, Caroli Imperatoris filia (penes quos erat tunc Hispaniae gubernatio), ad senatum civitatis tulissent, civitas respondit ut in nomine Domini Societas eo accederet, libenter se illam excepturam significans. Multi etiam id optabant et cum aliquos reditus ecclesiasticos ibi P. Christophorus haberet, et civitas aliquid etiam Magistro Gaspari tribueret in singulos annos, statim venire posse aliquem de Socie-

Digitized by Google

tate virum gravem existimabant, qui cum quodam concionatore initium operi daturus videbatur; nam, quod ad praeceptores attinet et theologiae et philosophiae, P. Gaspar cum discipulis sufficere videbatur [1].

315. Hispali etiam cum ejusdem Regis litteris ad Archiepiscopum perrexerunt; sed ille de suo nihil ad fundationem Collegii promittebat; quamvis si Societas Hispalim veniret, sibi molestum non fore significabat. Has Regis ac Reginae Bohemiae litteras Dux Gandiae scribi ab eis curaverat, et ad P. Christophorum miserat. Itaque ad tam gravia negotia docuit ipsa experientia alios majoris auctoritatis homines mitti oportere, vel qui insigniori aliquo talento sint praediti. Ipse P. Ignatius auctor non fuerat ut de his duobus Collegiis ageretur; quamvis Gandiae Dux forte ut petenti P. Christophoro, in re alioqui honesta, satisfaceret, ut rem tentaret permisit, et praedictas litteras adjiciendas curavit. Neutrum tamen Collegium tum quidem successum habuit; nam qui in civitate Xerez versabantur, prius quam Societatem ingressi et in ea probati fuissent, non debebant praeceptores theologiae ac philosophiae constitui, sed inde prius educi et in Societatis aliquo loco probari; immo et Romam mittendum esse Magistrum Gasparem quidam Garzias Arias, cujus ille consiliis utebatur, sentiebat, vir ille optimus et valde doctus; et tandem ex illa civitate absoluto theologiae cursu se contulit. Nec mirum est quod Hispali messis tam parum esset alba, cum conciones Egidii sic infecissent multos ut quodam modo confiteri et ad communionem accedere vel de spiritualibus rebus loqui pertimescerent, et, cum Inquisitionis Officium diligenter omnia exploraret, ne suspecti haberentur, multi etiam a verbis ad pietatem pertinentibus abstinebant.

316. Amici Societatis, ut admonuit P. Araoz, Provincialis, durum satis existimabant quod nostri aliquando soli ad missiones varias destinarentur, ad quod tamen operariorum paucitas

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Gaspari Lopez, de ministeriis in civitate Astensi, et an putet melius suam operam alibi collocandam, mense Februario; idem Patri Araoz, ut Christophoro de Mendoza socium qui eum comitetur et adjuvet provideat, eodem mense (Redibat Christophorus Roma in Hispaniam); idem Patri Araoz, de fovendis Societatis ministeriis in civitate Astensi et de Gaspare Lopez et Christophoro de Mendoza, 14 Junii; idem Christophoro de Mendoza, de ejus beneficiis, etc., 2 Septembris; idem Gaspari Lopez, eadem die, officiose; eidem, de sociis quos postulaverat, de beneficiorum unione, 1 Decembris; idem eadem die Christophoro de Mendoza, de concionando, de ecclesia in usum Societatis convertenda, de morte Cornelii Croci.

Digitized by Google

in messis summa amplitudine quodam modo cogebat. Nomina etiam religionum, ut Provincialis, quandoquidem monachi non sumus, refugiebant. Sed non potuit nec debuit hoc nomen evitari, cum res ipsa esset omnino necessaria; et socios nostris addere semper in votis fuit, nisi necessitas, quae legi non subjacet, vel charitas in aliquo dispensandum suaderet [1].

DE REBUS PORTUGALLIAE [2]

1550

317. Sub hujus anni initium cum P. Simon constituisset Romam venire juxta P. Ignatii praescriptum, et aliquos secum adducere, ut de rebus illius provinciae lucem majorem adferre posset, praemisit quinque Sacerdotes, qui Valentiae vel Gandiae eum exspectarent; inter quos unus erat P. Gonzalvus de Sylveira; alter P. Joannes Covillon; tertius, P. Georgius Morera; quartus, Lupus Leyton; quintus, Antonius Brandon. Hi ergo, cum multis fratrum lacrymis eis valedixerunt, et in Castellam ingressi, in urbe finitima, quae *Ciudad Rodrigo* vulgo dicitur, coeperunt mendicare; et, cum in hospitale se contulissent, multi et quidem ex primoribus eos inviserunt et usque ad mediam noctem pia colloquia protraxerunt. Die autem sequenti rogatus P. Gonzalvus in ipso hospitali concionatus est, et Marchionissa quaedam, quae ibi degebat cum sua matre, et magna nobilium hominum multitudo eum audierunt. Consequutae sunt multae confessiones, nec ullus fuit ex sacerdotibus, qui eis non occuparetur. Marchionissa illa mirum affectum erga Societatem prae se ferebat; et vix poterant donorum, quae quodammodo importune offerebantur, multitudinem evadere.

318. Salmanticam pervenerunt, ubi multum consolationis a P. Torrensi et aliis fratribus acceperunt. Et cum Complutum ire vellent, per Abulam iter fecerunt, ubi magna nivium vis quatuor vel quinque dies eos detinuit; ibi P. Ferdinandum Al-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Araoz, de regula socii et an oporteat nostros aliquo externo signo ab aliis religiosis clericisque saecularibus distingui, 14 Junii.

[2] Ita nunc primum ipse Polancus, qui saepe deinceps materiem partitur partesque similibus huic inscriptionibus distinguit.

Digitized by Google

varez del Aguila, magnae existimationis virum, qui jam Societatem ingredi decreverat, invenerunt. Is paulo post, Salmanticae admissus fuit et probationis gratia ad missionem burgensem, de qua supra, fuit adductus. Concionatus est Abulae Pater Gonzalvus cum magna auditorum consolatione et satisfactione; inde ad Marchionissam de las Navas, amitam Ducis Gandiae, invisendam, per nives perrexerunt; id enim Dominus Antonius de Cordova Salmanticae rogaverat; a qua summa cum hilaritate fuerunt excepti, et major pars domus ejus nostris confessa est; et de rebus Societatis, quod magnopere optabat, abunde fuit edocta et sic ad eam affecta ut omnino admitti se in numerum eorum expeteret, quibus Societas bona sua communicare solet. Aliquis etiam ex Patribus concionatus est; et unus ex Marchionissae filiis sequi nostros volebat; ipsa Marchionissa vix recedere ab eis poterat biduo quo ibi haeserunt; et cum alia munera non admitterentur, compulit ut jumenta in viam acciperent; et hominem, qui expensas in itinere omnibus faceret, Complutum usque misit, qui etiam peccata confessus vitam in melius mutavit. Unum ergo diem Compluti ad mutuam consolationem cum fratribus quiescentes, Guadalaxaram progressi sunt; ubi Comes de Melito humanissime ac familiarissime cum eis egit, qui paulo ante spiritualibus exercitiis excultus fuerat.

319. Valentiam deinde, ac demum Gandiam, venerunt; ubi paterno affectu a Duce Gandiae sunt excepti; et cum Collegium Societatis ibi absolutum viderent, mirum quantum consolationis acceperint. Ibi tres eorum, scilicet, Gonsalvus, Joannes ac Georgius, ut superius tetigimus, gradum in theologia acceperunt, et cum deinde Valentiam rediissent, cum fructu P. Gonzalvus ter in hebdomada concionatus est. Sed cum jam Pascha accessisset, visum est Patri Gonzalvo, sub cujus obedientia alii veniebant, quandoquidem P. Simon ad condictum tempus non eo venerat, in Portugalliam esse eis redeundum; quod et fecit cum sociis. Et non multo post litteras accepit P. Franciscus Borgia, quibus intellexit Regem Portugalliae non dedisse facultatem veniendi Romam P. Simoni. His etiam litteris quinque illi Sacerdotes in suam provinciam revocabantur; et quamvis ostensae fuissent litterae P. N. Ignatii nomine subscriptae, quibus retineri Gandiae P. Joannes ac Georgius praescribebat, cum ad theologicas lectiones esset eorum opera ibi necessaria, ali-

Digitized by Google

quam tamen interpretationem qui eorum habebat curam invenit; et creditum est a P. Simone eum fuisse instructum ut suos omnes in provinciam reduceret. Porro ipse P. Simon, cum jam valedicturus ad Regem accederet, ab eodem impeditus fuit, ut scribit, ne hoc iter romanum institueret; et, cum multas rationes Regi proponeret Simon, nihilominus Rex in sua sententia perstitit. Et quamvis aegre admodum id ferret P. Simon, non existimavit contra Regis voluntatem ex ea provincia recedendum esse, cum praesertim negotia quaedam magni momenti ad stabiliendum Collegium Conimbricense tractanda essent. Sed ad P. Ignatium scripsit ut aliquam iniret rationem, qua ipse posset Romam venire; et interim Patres superius dictos in suam provinciam revocavit. At P. Ignatius sic curavit adventum P. Simonis, ut tandem bona cum venia Regis, sub finem hujus anni, ex Portugallia Italiam versus recesserit. Interim tamen dum haec tractabantur, totum fere annum in Portugallia peregit [1].

320. Multi in Societatem nostram hoc anno admissi sunt, adeo ut ad centum quinquaquinta Collegiales Conimbricenses pervenerint. Multae praeterea missiones ad varios Episcopatus Portugalliae factae sunt, ubi multa ad animarum aedificationem per eos divina bonitas operata est. Cum autem arctius habitarent Conimbricae (quia domus nondum erat omnino aedificata) et aliqui adversa valetudine laborarent, cumque experientia docuisset quod apud Sanctum Felicem (quae Abbatia erat, Conimbricensi Collegio auctoritate apostolica unita) prospera nostri valetudine uterentur, judicavit P. Simon eos ex nostris, qui anno praecedenti philosophiae cursum inchoaverant, ad Sanctum Felicem esse mittendos, quamvis domus illa triginta sex leucis Conimbrica distaret. Sic enim et valetudinariorum saluti consulebatur, cum tamen de studiis nihil eis deperiret, quod ad scholas publicas non accederent; et qui relinquebantur commodius habitabant; et populis interim Sancti Felicis monasterio vicinis nostrorum opera in rebus spiritualibus multum erat

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Araoz, de iis qui ex Lusitania Gandiam advenerant, 14 Junii. Ignatius Regi Portugalliae, ut veniam det Simoni veniendi Romam, mense Julii *(Cartas de San Ignacio,* t. II, pag. 241); Polancus, *ex commissione*, Simoni Rodericio *(ibid.* pag. 236); eidem, de quinque lusitanis Gandiam missis eorumque ibi gestis, ut iis, praeterquam Georgio Morera, facultatum Societati concessarum usum prohibeat, qui nonnisi obedientibus concedi debet, 3 Septembris.

Digitized by Google

profutura. Est monasterium illud in confinio regni Portugalliae atque Galleciae, quae regna intermedio Minio flumine dividuntur. Populi autem inculti admodum et rudes, nec exemplis nec doctrina parochorum aliorum adjuti, tantopere spiritualibus auxiliis indigebant, ut creditum sit Dei providentia effectum esse ut hi reditus Collegio Conimbricensi applicarentur; ut, dum illud temporalia metit, spiritualia documenta serendi occasionem et charitatis quamdam obligationem haberet. Et ut ex principiis colligi poterat, uberrimus fructus ex hoc labore in futurum sperandus videbatur. Quinque parochiae Abbatiae jam ab antiquo annexae fuerant; sed populi ac oppida alia plurima sunt praeter illa in quibus verbum Dei et Sacramenta confessionis ac communionis perutiliter exerceri coeperunt. Cum igitur triginta quinque ex nostris ibi degerent, voluit P. Simon eo se conferre ut novam illam domum, prout oportebat, constitueret. Quamvis autem in aestate tantum tam multi fuerint, quia sub autumnum scholastici Conimbricam redierunt, ibi nihilominus aliqui ad temporalem Collegii et spiritualem populorum illorum utilitatem semper manserunt; qui locus et amoenitate et salubritate sane eximius esse deprehensus est.

321. Hoc ipso anno secundus philosophiae cursus in Collegio nostro est inchoatus, et ex his, qui in latinis et graecis litteris versati fuerant, quatuordecim ex nostris in eo positi sunt. Conciones, quae a Collegialibus fieri solebant, hoc anno moderatae fuerunt, ne studiorum progressum impedirent. Theologi frequentibus disputationibus exercebantur. Lectio itidem ex conscientiae casibus tredecim Sacerdotibus domi praelegebatur, qui non videbantur in cursu theologico vel philosophico constituendi; qui, partim his lectionibus, partim collationibus assiduis, partim propter decissiones Doctorum Universitatis, quas prae manibus habebant, periti admodum ad confessiones audiendas reddebantur; et fructum ex hujusmodi Sacerdotibus maturescere multo citius quam ex aliis scholasticis videbatur; et ex his in Indiam, et Brasiliam, et alia loca fieri missiones utiliter consueverunt [1].

322. Qui admittebantur ad Societatem, in variis abnegatio-

[1] Polancus, *ex commissione,* Simoni Rodericio, de gradibus a nostris in Universitatibus Portugalliae suscipiendis titulo paupertatis, quid fieri possit, quid promittat Balthasar de Faria, 15 Januarii.

Digitized by Google

nis exercitationibus probabantur. Cujusdam viri, qui, cum saecularis esset, valde honoratus fuerat, visendum fuit humilitatis studium, qua a minimis de Societate doceri cupiebat, et, cum ad quosdam porcos emendos missus fuisset extra Conimbricam, quamvis alia via secretiori potuisset egredi, per mediam tamen viam publicam, sine pallio, altera manu funem, altera baculum portans, exire voluit; et in reditu porcos fune alligatos per mediam urbem ipse in Collegium deduxit; et sic alia plurima. Optabant autem omnes nostri magnopere litteras a P. N. Ignatio accipere, quae instructionem simul cum exhortatione continerent, et magno studio eas postulabant. Cum autem, amoto P. Ludovico de Grana, hoc autumno P. Urbanus Collegio Conimbricensi praefectus fuisset, sollicite a P. Ignatio regulas atque instituta ut ad eorum normam totam gubernationem et spiritualem et temporalem exigeret, et visitationem etiam sollicite postulabat, ut oves suas agnosceret ac regeret; vel si occupationes id non permitterent, ut per litteras saltem id praestaret, quo uniformes in spiritu omnes incederent: quidquid enim ibi observabant, ad tempus se habere sciebant; quod si P. Ignatius alia documenta mitteret, observaturos se ea recipiebant. Suo autem tempore P. Ignatius utrumque praestitit; nam eo constitutiones, et regulas, et etiam visitatorem, misit, ut inferius videbitur [1].

323. Ulyssiponae cum aberat P. Simon, praeerat aliis Magister Gonsalvus, qui in confessionibus audiendis ac piis aliis exercitationibus perpetuo occupatus erat. Quatuordecim in ea domo ex nostris erant. Numerus autem quandoque augetur, ut cum classis in Indiam, vel Brasiliam, vel alia loca, mittitur, ad quae nostri mitti consueverunt. Quamvis autem haec Ulyssiponensis domus Collegii nomine etiam tunc censebatur, professorum tamen domus officia non Collegii exercebat, cum ministeriis Societatis obeundis et non studiis operam nostri darent. Multi quotidie Poenitentiae ac Sanctissimae Eucharistiae sacramentis in nostra ecclesia Divo Antonio sacra reficiebantur; et si operarii satis multi fuissent, major pars ejus urbis ad eos confluxura credebatur. Et tantum habebant fidei nostris ut accideret cum

---

[1] **Ignatius Simoni Rodericio de duobus in Indiam mittendis, de admittendis ad professionem et de jubilaeo, sub finem Februarii.**

Digitized by Google

vir quidam bonus ad quoddam pium ac spirituale opus mille ducatis indigeret, et quidam ex nostris verbum unum diceret diviti cuidam viro ut mutuo illi daret, statim licet ignoto dederit. Spiritualia exercitia plurimis conjugatis proposita fuerunt, qui in examinandis conscientiis, oratione mentali, ac frequenter sumendis sacramentis ac aliis pietatis functionibus magna cum puritate Deo serviunt. Illi etiam, de quibus superius dictum est, quod diebus Veneris ad flagellationem domum nostram conveniebant, magno cum fervore procedebant, praecedente cujusdam ex nostris concione, et litaniis cum aliis orationibus post flagellationem consequentibus; quod, quamvis noctu fiat, Regina et Princeps id videre voluerunt, cum ad pietatem ac devotionem excitandam non parum facere intelligerent [1].

324. In Indiam hoc anno 1550 tres ex nostris mittebantur; et cum jam in oneraria navi cum rebus necessariis essent collocati, tantopere illa in alteram partem pendebat, ut ad portum redire necesse fuerit. Et quamvis tribus illis patribus in morbum incidentibus, alii tres in eorum locum substituti sunt, deficiente navi, qua in Indiam navigarent, in Portugallia omnes substiterunt [2].

325. Urgebat hac aestate Rex ut sex Sacerdotes in Africam mitterentur, duo Ceutam, totidem Tingin, ac duo alii Mazaganum (quas civitates vel praesidia in Africa Rex Portugalliae tenet). P. Simon duos Tingin misit ut concionando, confessiones audiendo, et alia charitatis opera exercendo, nobiles ac alios milites juvarent, qui quotidie in magno non solum temporalis vitae discrimine, propter continua cum Saracenis bella, sed etiam aeternae, propter incolarum ignorantiam et spiritualis auxilii penuriam, versarentur. Die ergo vigesima nona Julii Conimbrica discesserunt PP. Emmanuel Fernandez et Petrus de Parada et secum Ulyssipone Patrem Georgium Vaz deduxerunt. Hic unus erat ex eis, quos ad regnum Magni Congi missos anno 1548 diximus, qui, cum animadverterent nec Regem

[1] Polancus, *ex commissione*, Abbati Petro Domenech, Ulyssiponam, de unione et resignatione beneficiorum in favorem domus orphanorum Ulyssiponensis et domus Societatis Barcinonensis, 15 Januarii et mense Februario; idem Simoni Rodericio, de absolutione cujusdam homicidae, non posse nec velle Ignatium, nisi forte indirecte et per alios qui de Societate non sint, eam impetrare, 15 Januarii, mense Februario et 14 Junii.

[2] Ignatius Simoni Rodericio, de duobus in Indiam mittendis sub finem Februarii.

Digitized by Google

nec alios, praesertim nobiles, ad vitam christiana fide dignam adduci posse, in Portugalliam redierunt. Hic autem P. Georgius, postquam redierat, semper adversa valetudine laboraverat.

326. Versabatur adhuc Tituani P. Joannes Nugnez, quam civitatem in Africa prope Ceutam esse diximus, simul cum socio Ignatio Bogado. Noctu horam cum dimidia orationi, ante auroram tantumdem impendebant. Mox, sacrificio Missae a P. Joanne peracto, reliquum diem ad noctem usque captivorum ministeriis tribuebant. Ea autem plurima erant tum in his quae ad corpus, tum in his quae ad animas juvandas pertinebant; nam quod ad corporis necessitates attinet, ipsi aegrotantibus medici, vulneratis chirurgi erant, et commode domi captivum quemdam hujus facultatis gnarum habuerunt, qui eos unguenta varia conficere et multa medicinae remedia edocuit. Haec illi parantes, cum captivi ad eos veniunt ut plagis suis et inflationibus ex catenis contractis remedium accipiant, diligenter illis adhibent. Est etiam instituta alia hospitalis domus Tituani, quam *Misericordiae* vocabant, cujus domus nostri et gubernatores sunt et ministri, et omnibus aliis officiis necessariis in ea funguntur. Multum etiam pecuniarum corradunt a Christianis, licet procul existentibus, ut eas in aegrotantium subventionem impendant; nam praeter captivos, qui Tituani detinebantur, aliis ex locis Saraceni captivos suos aegrotantes, audita diligentia, qua Tituani curabantur, eo mittebant; et praeter hos, qui in hospitali *Misericordiae* curabantur, aliquos domi suae propemodum incurabiles habebant, et inter alios senem quemdam caecum et tinea plenum ac vehementer iracundum, demum satis ad probandam patientiae virtutem idoneum. Et cum magna undecumque messis in corporalibus hujusmodi miseriis captivorum occurreret, eis, qui pauperiores ac miseriores erant et magis humano praesidio destitutos, majori cum studio curam impendebant. Sollicite etiam de eorum redemptione agebant, et per litteras partim ad captivorum parentes et uxorem, qui ex bonis suis redimere poterant, ut id facerent, instabant, partim eleemosynas ex multis Hispaniae locis, ut his calamitosis hominibus subvenirent, conquirebant.

327. Spirituales autem miseriae majori adhuc commiseratione dignae erant. Audiebant enim et videbant non paucos

Digitized by Google

christianos, captivitatis miseriam non ferentes, Christi fide abnegata, ad Mahometi perfidiam transfugere; sed hi multo plures fuissent, si divina bonitas per nostros in fide eos non continuisset. Multos alios, non sine gravissimo suae vitae aut saltem captivitatis periculo, si deprehenderentur, paratos ad eam impietatem revocant; cum enim intelligunt eo esse animo ut Christi religionem velint deserere, ad eos advolant, hortantur, rogant ne tam grave peccatum et malum in se admittant, et vacillantes stabiliunt; immo et multos, qui jam fidem christianam abjuraverant, in Ecclesiae gremium reduxerunt. Quod negotium prae caeteris, ut magni momenti, somnum boni P. Joannis discutiebat, dum millies in lecto huc et illuc se vertit, quomodo illis subveniat cogitans. Audiebat idem P. Joannes confessiones ipsorum; pueros, qui ex captivis nascebantur, baptizabat; Sanctissimum etiam Eucharistiae Sacramentum quibusdam impartiebatur; praedicabat itidem; sed potissimum in curandis redemptionibus puerorum ac puellarum, quia animae periculo viciniores erant, diligentiam adhibebat; et praesertim ex impiorum manibus, quia eis publice abutebantur, eripiebat; quamvis eleemosynarum, quas colligebat, minor erat copia quam ut omnibus sufficeret.

328. Quidam judaeus ab eo instructus fuit, cui Christus et Beata Mater ejus apparuerunt et intellectum ejus mirum in modum illustrarunt. Nec deerat nostris patiendi meritum, cum oporteret tum verborum injurias ferre, tum et colaphos; et interdum eos in faciem conspuebant, lapidibus aliquando etiam impetebant ac vulnerabant, praecipue fratrem Ignatium Bogadum, cujus patientia omnibus admirationi ac stupori fuit. Sed omnia propter Christi honorem aequo animo, immo et hilari, ferebant.

DE REBUS INDIAE

329. Bonam partem hujus anni Cangoximae P. Franciscus cum Sociis exegit, quo pervenerat vigesima die Augusti anni 1549, et ultra annum ibidem est commoratus; et tamen non amplius quam centum Christiani effecti sunt; omnes tamen ad

Digitized by Google

fidem, ut videbatur, conversi fuissent, si Bonzi, Deo permittente, progressum Evangelii non impedissent. Hi enim ducem ejus provinciae adierunt ac ei persuaserunt ne permitteret aliquos ex subditis suis Christianos fieri; si enim Dei legem susciperent, non solum ea civitas sed alia multa loca quae eidem duci parebant, ab ipsius obedientia se substractura, et ministros, quos praeficeret gubernationi, auctoritatem necessariam cum subditis non esse habituros, quia Dei lex, quam Christiani praedicabant, ipsorum legibus erat contraria, et qui illam susciperent, japonenses leges esse contempturos. Impetrarunt itaque bonzi ab hoc duce ut sub poena capitali juberet ne quivis Christianus efficeretur; quamvis initio, cum quaedam munuscula a nostris ex India allata accepisset, ut superius diximus, benevolum se exhibuerit et obtulerit navigium, quo nostri Meacum ad Regem, inter japonenses maximum, se conferrent. Sed quia bellis id regnum agitabatur, consuluerat ne ab ipsius ditione nostri recederent, donec tumultus conquievissent. Hoc tempore linguae japonensi addiscendae vacarunt; et praeter instructionem eorum, qui fidem susceperant, multa ex his, quae ad christianam religionem pertinent, in linguam japonensium conversa fuerunt, ut, scilicet, unum esse creatorem rerum omnium, et quae de reparatione per Christum et Incarnationem Verbi intelligi oportebat; mysteria etiam Vitae et Passionis usque ad Ascensionem Christi, addita etiam declaratione judicii extremi. Hunc ergo librum magno cum labore scriptum in lingua japonensi, sed latinis characteribus, his, qui Christiani fiebant, praelegebant, ut scirent quomodo Deum adorare et credere in Jesum Christum, Filium ejus, deberent, ut salutem consequi possent. Tam ergo christiani quam gentiles haec libentissime audiebant et vera esse illis videbantur, cum rationi maxime consonarent, cui japonenses quam maxime obediunt, cum egregiis ingeniis sint praediti. Quod autem fidem non susciperent, timor Principis in causa erat, cum tamen veram esse Dei legem et japonensium falsam agnoscerent.

330. Anno igitur elapso, cum videret P. Franciscus Xavier non posse numerum christianorum augeri, inde alio recesserunt, Christianis valedicentes ac eos Paulo (qui prius Angerus dictus fuit) commendantes, ut docendi atque instituendi eos curam haberet. Christiani autem multis cum lacrymis et cum

Digitized by Google

actione gratiarum de labore, quod propter ipsos susceperant, sunt eos prosequuti [1].

331. Ad alium igitur locum, centum leucas inde distantem, cum portu ad quem Lusitani venire soliti erant, in navicula perexigua navigarunt, nec sine gravibus periculis, tum maris ventis agitati, tum latronum, eo pervenerunt, et humaniter admodum a duce illius provinciae fuerunt excepti. Erat tunc ibidem navis quaedam Lusitanorum, et cum duos menses ibi egissent, centum fere homines ad Christi fidem adduxerunt. Utebantur autem libro illo japonensi. Sed cum frater noster Joannes Fernandez idioma vernaculum, quod universis provinciis japonensibus commune est, recte didicisset, relicto ibidem P. Cosmo de Torres cum his qui christiani effecti erant, interiora ejus provinciae P. Franciscus, comite eodem Joanne Fernandez, perlustrare voluit, et ad civitatem quamdam insignem, quae de Gamanguzi [2] dicitur, iter direxit, ut quaenam esset in illis hominibus ad suscipiendam Christi fidem dispositio exploraret. Sub finem ergo Octobris hujus anni ab eo loco recessit, cum frigora vehementia jam illa in regione inciperent; sed nec frigoris ac nivium molestia, nec timor gentis incognitae nec iter magnis periculis tempestatum ac latronum obnoxium retardarunt eum, quem sitis evangelii Christi manifestandi urgebat. Aliquando sub navigiorum tabulato se abscondere, ne cognoscerentur, debuerunt; et in itinere terrestri nobiles aliquos equitantes, et quidem velociter valde, sequi pedites tamquam eorum famuli debebant; et quia itinera ignorabant, saepe noctu ad populos perveniebant, in quibus madidi consolationem nulla inveniebant; et cum ningeret et plueret, in viis publicis ac plateis consistebant, ubi lapidibus aliquando a pueris petebantur; et tamen fidem nostram catholicam ibi praedicabant. Et demum, postquam quatuor menses in ea peregrinatione exegissent, ac magnam provinciae partem perlustrassent, cum magno suo emolumento quod vituperia, famem et frigus passi essent et semper pedites, aliquando etiam nudis pedibus propter flumina aut torrentes crebros, cum fere semper ibi pluat, et cum aliquarum etiam animarum lucro, quas in Christo P. Franciscus ge-

---

[1] Pauli Japonensis litterae ad Societatis Patres et fratres in Seminario Goënsi, 5 Novembris 1550.

[2] Alibi ipse Polancus, rectius quidem, *Amanguchi*.

Digitized by Google

nuerat, ad P. Cosmum cum socio rediit; quo tempore multi christiani, praeter centum illos quos reliquerat, effecti erant.

332. Decrevit ergo P. Franciscus quasdam litteras, quas ab Indiae Gubernatore et Episcopo ferebat cum quibusdam donis, ad ducem civitatis Samanguzi, quae decem millia domorum plus minus habebat, eo se conferens, afferre. Sed quia non nisi sequenti anno 1551 eo pervenit, non ulterius haec narratio hic progredietur [1].

333. Interim in tractu Comorinensi (*Pescharia* vocant) Pater Henricus Enriquez cum quatuor aliis sociis versabatur, et fructus spiritualis in dies ibidem augebatur. Optimos quosque neophytos ejus regionis elegerat P. Henricus ut eorum opera in catechismo docendo uteretur, qui etiam, si quid peccatum esset a christianis, ad ipsum referrent, et, si necessitas urgeret, parvulos, nostris absentibus, baptizarent; multi enim hujusmodi parvuli moriebantur, adulti pauci. Consolatione autem maxima hi homines Henricum afficiebant, quod hi officio suo egregie per Dei gratiam fungebantur magnoque desiderio Deo serviendi et magna cum promptitudine Patribus obediendi et, si oporteret, etiam pro amore Christi moriendi, commissa ministeria exercebant; ut merito propter eorum virtutem tamquam fratres a nostris haberentur, immo et lusitanis et gentilibus multum aedificationis praestabant. Novem au decem numero hi erant, et alii adjungi eis optabant, sed tantum eos P. Henricus admittebat, qui sine ulla propriae utilitatis intentione ad Dei obsequium idonei videbantur; et ita in singulis locis curatum est etiam praeter hos ut esset qui homines congregaret et christianam doctrinam doceret; et ad eorum sustentationem aliqua pecunia annua designata est. Puellae per duas horas mane, pueri a prandio veniebant; sed postquam praedicti homines, quos nostri *fratres* vocabant, coeperunt catechismum docere, multo copiosior quam antea fructus capiebatur; quae enim necessaria erant ad salutem, in malavari lingua addiscebant, quamvis *Pater noster* et *Ave Maria* latine discerent, et non

---

[1] Francisci Xaverii litterae ad Patres et fratres Societatis Goae degentes, 3 Novembris 1549; idem fratribus Collegii Conimbricensis, 5 ejusdem mensis; idem Petro de Sylva, Malacae Gubernatori, eadem die; idem fratribus Patribusque Goae degentibus, 20 Novembris 1550.—Ignatii Francisco Xaverio patentes litterae, quibus ei omnem, qua ipse gaudet, potestatem circa Societatis privilegia communicat in India exercendam, 15 Januarii.

Digitized by Google

sine labore ut id bene pronunciarent instruerentur. Et hi pueri, qui sine idololatriae cultu educantur, in religione Christi optimam sui spem praebent; et ipsimet nostros incitare solent ad idola comminuenda.

334. Hoc anno magna sterilitate ea provincia laboravit ob pluviarum defectum; nihilominus multae ecclesiae refectae, aliae et novae confectae sunt, quas pro locorum qualitate bene extructas lusitani libenter videbant.

335. Ad majorem instructionem, postquam aliqua verbo P. Henricus de Incarnatione et mysteriis Christi dixisset, eadem in malavari lingua scripta in foliis, quae pro papyro illis sunt, relinquebat; unde cum postea eorum rationem exigeret, optimam reddebant.

336. Decrevit idem Pater ad singula tractus illius loca se conferre et in singulis mensem unum plus minusve haerere, ut fidei nostrae mysteria exactius ipsis declararet; quod plurimis in locis magna hujusmodi mysteriorum ignorantia laborarent. Et ita id facere coepit, et cum magna sua consolatione lectionum rationem exigebat, cum et credere et intelligere quae fidei sunt, eos homines videret. Quia vero necessarium erat sectarum, quibus adhaeserant, errores ostendere, rationibus et Deo juvante clare ostendebat, et coram christianis cum sapientibus gentilium ac saracenorum de his disputans, quamvis procul essent hujusmodi homines, ad eos se conferens, sic convincebat, ut omnino illi confusi, christiani hilares semper manerent, ac talibus disputationibus nostrae fidei veritatem magis elucescere, seque illam firmius credere faterentur; et *aedicta,* qui sapientes esse videbantur inter infideles, disputationes hujus Patris valde timere coeperunt. Licet autem cognoscerent veritatem, mendacia magis amabant; quia eorum opera mala erant. Magno dono spiritus ac eruditionis hic Pater a Domino donatus fuit; sed et alii ejus socii malavarem etiam linguam didicerunt; nec loqui tantum sed legere et scribere; quod facilius illis fuit propter grammaticam ejus linguae, quam P. Henricus confecerat, cujus exemplum in Europam misit. Juvabat etiam quod inter nostros cautum erat ne alio idiomate quam malavari uterentur.

337. Jogus quidam (sic vocant eos, qui eremitae sancti apud gentiles habentur), de quo superius scriptum est quod

Digitized by Google

vita et sapientia caeteris praecellebat, quique nostris familiaris erat, tandem a Deo illustratus, ipso die Pentecostes, Punicali (ubi residet praefectus militum lusitanorum ejus provinciae) fuit baptizatus, et omnibus ejus virtus et in orationibus devotio ac lacrymae multum aedificationis praestitit; et ejus exemplo novi christiani in fide suscepta confirmabantur, cum ejus et virtus et sapientia et aetas summam apud suos auctoritatem ei conciliassent. Ipse etiam, magno zelo, idololatriam apud infideles reprehendit et ad fidem christianam eos adhortatur. Ejus etiam filius cum uxore et liberis baptizatus est; socer etiam ac socrus cum aliis consanguineis ad religionem christianam se accessuros promiserunt.

338. Emmanuel Rodericus Coutignus, militibus lusitanis ejus regionis praepositus, magno favore novos christianos amplectebatur, et, quamdiu ejus officium durasset, eximius fructus sperabatur. Punicali, ubi hic residet et ubi P. Henricus diutius quam alibi commorabatur, hospitalem domum ad usum aegrotantium indigenarum institui P. Henricus curavit, et partim eleemosynis, partim poenis criminum a praeside ad pium opus applicatis, et etiam a nostris, sustentabatur, et tam gentiles quam christiani ejus regionis opus hoc, ut insolitum nec unquam ibi visum, et tamen summe necessarium, cum pauperes subsidio destituti perirent, mirum in modum probabant. Fratres autem nostri, dum in omnibus ministeriis pauperibus inserviunt, aedificationem homines id spectantes miram accipiebant. Est etiam inventus unus ex illis neophytis, qui prius catechismum quodam in loco docebat, qui huic hospitali praefici posset, qui cum et medicus esset, et simul cum uxore sua pietati deditus, eo officio egregie fungebatur; et tam rara mariti et uxoris virtus fuit, ut intellectum sit, postquam unicum filium ac filiam unicam suscepissent, eos castitatem omnino servare. In lusitanorum usum aliud hospitale, cum in tota ora Pescariae nullum esset, institui etiam curabat.

339. Omnes fratres nostri Dei protectione et auxilio sic se in ea regione gerebant, ut eorum bonus odor non solum apud lusitanos ac christianos indigenas sed etiam apud gentiles et saracenos late spargeretur. Eorum autem labor assiduus in discurrendo per varia loca, cum penuria victus et incommoditate somni, virtuti patientiae non modicam occasionem praebebat;

Digitized by Google

nec solum verba sed exemplum eorum et admirationi et aedificationi hominibus erat. Quia tamen occupationes, licet sanctae et necessariae, aliquid vel distractionis vel impedimenti ad mentalem orationem adferebat, quam tamen cum examinatione conscientiae conjunctam nunquam omittebant; domus tandem quaedam Punicali instituta est, quo se recipere certis quibusdam temporibus possent, ut meditationi atque orationi et collationi de rebus spiritualibus magis vacarent.

340. Cum P. Nicolaus Lancilottus, sub cujus obedientia P. Henricus et ejus socii erant, scripsisset ut aliquos juvenes ad se mitteret, quos in Collegio Caulani cum aliis institueret, rem contulit Henricus cum christianis, et multi filios suos obtulerunt, aliqui etiam adultiores se offerebant; sed ex illis duodecim tantum Henricus elegit. Olim avelli a parentibus filii non poterant; sed jam longe aliter erant affecti. Aliquos etiam juvenes quatuordecim vel quindecim annos fere natos, quorum ingenia bona et ad Dei obsequium propensa videbantur, domi suae P. Henricus instituebat et alebat, quorum profectus spiritualem consolationem ei adferebat.

341. Circa matrimonia neophytorum, difficilem admodum inveniebant prohibitorum graduum observationem, cum pro more vetusto non solum in quarto et tertio sed in secundo etiam gradu conjungi soliti essent. P. Franciscus Xavier, qui ut Nuncius Apostolicus missus est, voluit ut primores gentis, *Patangatis* vocant, accerserentur, et ut caverent a secundo gradu admonerentur; unde in tertio et quarto gradu dispensare cum eis tacite videbatur. Sed cum P. Antonius Gomez juberet ut etiam a tertio et quarto gradu abstinerent, nec talium matrimonia admitterentur, graviter illi tulerunt; unde ad talia matrimonia contrahenda facultatem a Sede Apostolica petendam censebat, quam ad aliquot annos Summus Pontifex concessit [1].

342. P. Nicolaus Lancilottus Caulani meliuscule quidem habebat, sed tamen paulatim ejus vires consumebantur; laborabat nihilominus in vinea Domini diligenter, et tam catechismo

---

[1] Miserat Xaverius hoc tempore Ignatio scriptum quoddam, in quo facultates, quae ipsi pro Indiae populis necessariae videbantur, enumerabat. Scriptum hoc, re diligenter cum Patribus domi discussa, quibusdam etiam animadversionibus propria manu adjectis, obtulit Ignatius Pontifici, qui benigne facultates omnes Ignatio, et per Ignatium Xaverio concessit.

Digitized by Google

docendo et concionibus ad lusitanos habendis, quam in pueris doctrina christiana ac litteris instituendis vacabat, et in Collegio Caulani instituto quinquaginta hujusmodi pueros alebat quamvis nullus reditus stabiles id Collegium haberet. Multos etiam ad Christi fidem adducebat, et vix, licet strenue laborans, decimae parti occupationum quae occurrebant, satisfacere poterat.

343. In civitate Cochinensi nostris praeerat P. Franciscus Enriquez. Ibidem et P. Balthasar Gagus tam lusitanorum quam indigenarum spiritualibus utilitatibus inserviebat; et magnum numerum infidelium ad Christi religionem adducebant. Vicarius, nam eo tempore sub Goënsi Episcopatu Cochinum erat, postea Episcopum proprium a Sede Apostolica accepit, magna charitate nostros complectebatur; et scripsit ille P. Ignatio rogans ut a Summo Pontifice aliquas facultates spirituales, ad auxilium Christianorum in India maxime necessarias, obtineret. Hic primus fuit sacerdos, qui comurinenses coepit baptizare, et, ut ipsemet scribit, uno die mille ac mille et quingentos baptizabat, et tribus annis, quos ibidem exegit, super centum et viginti millia se baptizasse testatur. Nec mirum est quod id Vicarius et sacerdos fecerit, cum etiam milites, qui circa annum millesimum quingentesimum suis classibus oras maritimas perlustrabant et multis in locis arces condiderunt, hominibus illarum regionum, quos captivos ducebant, baptismi Sacramentum conferebant; et alii etiam, qui ad Christi fidem vel metu, vel spe alicujus emolumenti, vel alias ob causas parum decentes adducebantur, persaepe baptismum recipiebant; doctrina autem christiana pene nulla apud hos christianos erat, unde propter ignorantiam et pravas consuetudines ac peccata quodammodo melius eis fuisset baptismum non accepisse, quam, eo accepto, gentilium more vivere. Nec id tantum initio in usu fuit, nec tantum a militibus factitatum, sed usque ad id tempus, quo nostri in Indiam missi sunt, hic abusus duravit, et Sacerdotes militarem in modum infideles baptizabant, qui parum admodum vel nihil eorum, quae ad articulos fidei pertinent, eos docebant. Cum hoc P. Ignatius intellexisset, singulare remedium fore existimavit si puerorum Collegia et domus catechumenorum pluribus in locis instituerentur; quod et nostris, qui in India versabantur, magnopere placuit; nam experientia eos docebat,

Digitized by Google

quod cum non recta via ad fidem plurimi accederent, aliqui post baptismum ad idololatriam redibant, et qui inter christianos vivebant, aegre admodum ad christianam doctrinam audiendam adduci poterant, et mores infidelium mordicus retinebant. Nostri igitur, haec considerantes, catechismo praecedente utebantur, et pauciores quidem sed melius instructos ad fidem adducebant, et ad vitam fidei consonam traducendam hortabantur.

344. Idem P. Franciscus in tractu Comurini vel Pescaria, et P. Nicolaus in locis, ubi versabatur, faciebant; et aliquando tres menses et amplius catechumenos detinebant, antequam sacro fonte baptismi abluerentur. Et cum interrogati cur fieri vellent christiani, dicerent quod ad tyrannidem suorum dominorum evadendam, vel ob paupertatem, vel quid hujusmodi, docebantur quid esset christianam fidem profiteri et cur fieri Christiani deberent; et qui non ovile per ostium intrare volebant, non admittebantur. Nondum tamen ferre posse neophytos omnia praecepta ecclesiastica eo tempore satis constabat.

345. Et P. quidem Nicolaus Lancilottus non in ea sententia fuit ut tantum virtus in operariis ad Indiam mittendis, si doctrina non adesset, sufficeret; immo in naturalibus scientiis exercitatos eos esse debere existimabat, ut rationibus convincere possent eorum errores [1]. Aliqui enim inter ipsos tenent quod non sit Deus, alii quod multi sint Dei, alii quod sunt boni Dei et mali Dei, et bonos adorant ut ipsis bene faciant, et malos ne ipsis noceant; alii animas hominum, bestiarum et plantarum ejusdem rationis esse sentiunt, et cum homines moriuntur, pro meritis renasci, vel feliciores, ut filios alicujus reginae, vel dominae, vel nobilis foeminae, vel infeliciores, ut bestias, aut arbores, aut homines miseros. Adorant omnia elementa ut viventia, astra et animalia; quae omnia et alia hujusmodi rationibus convincenda sunt; et eo diligentius quod inter eos aliqui sunt, quos

---

[1] Cosmi Annes Regi Portugalliae de rebus indicis, epistola, Bazaini, 30 Novembris 1547.—Nova erat in mundo Societas, ignotae Europaeis Indiae regiones et in pluribus ab Europa dissimiles: unde mirum non est tot in illis initiis de mittendorum in Indiam conditionibus seu qualitatibus motas fuisse controversias, immo non unam apud omnes fuisse de Francisci Xaverii et aliorum in India agendi ratione opinionem. Citatae supra epistolae auctor haec verba scripsit, quae lusitani scriptores aliique Societati infensi ad nauseam usque repetunt: "Porque os Padres que ça vierão da Ordem de Jesus, tirando Mestre Francisco, todolos outros não são capazes para isso."

sanctos vocant, quorum exterior modestia et paupertas tanta est, ut etiam religiosi arctissimam vitam ducentes eis inferiores videri possint; cum nudi fere tantum perizomatis circa pudenda utantur, vel ex panno vel ex herbis confectis; immo et vulgus hominum hoc fere modo vestitur, et fructibus palmarum ac herbis vescuntur et piscibus; aliqui autem divites oryza victitant; carnibus etiam quibusdam in locis utuntur. Virtutes tamen omnes laudant et admirantur, praecipue castitatem. Tam subditi sunt temporalibus dominis ut eos possint vendere pro suo arbitratu, immo et filii, et nepotes, et fratres a parentibus, patruis et fratribus vendantur; et hoc genus servorum venditur ita ut eorum greges utriusque sexus perinde atque ovium vendantur. Quidam etiam seipsos vendunt, vel ex animo ut postea fugiant, vel quia fame urgentur; et quia nostri emptiones hujusmodi servorum improbabant, nec licite exerceri posse asserebant, in multorum lusitanorum offensionem saepe incurrerunt. Hinc etiam tanta licentia in quibusdam veteribus christianis ortum habuit, cum fuerit qui viginti et quatuor concubinas hoc modo emptas domi haberet. Et remedium magnum fore P. Nicolaus censebat, si Summus Pontifex decerneret ut quiqumque servam hujusmodi violaret, ejus dominio illa excideret, et libera omnino esset. Et haec de abusibus sint dicta.

346. Goae in praedicatione P. Antonius Gomez cum magno fructu se exercebat; et viginti sex lusitanos admiserat, quos et in virtutibus et in litteris exercebat. Sed fere totidem ex pueris vel adolescentibus indis, qui in Collegio Sancti Pauli instituebantur, ex Collegio ejecit, ac postea omnes hujusmodi, alium alio dimittens. Hujus autem ratio haec erat: quia ille zelo bono plenus, sed non secundum scientiam, onera graviora neophytis imponeret quam ut ferre possent, et renasci denuo eos oportebat ut ad institutum nostrae Societatis, ut P. Gomez cupiebat, sese accomodarent. Et quidem ex Lusitanis ipsis dilabebantur aliqui; cum cibum, potum, somnum, lectionem et orationem in nostris quidem ad normam Collegii Conimbricensis vellet exigere; in indis vero, cum eos inquietos et sine spiritu videret, coepit eos variis mandatis et constitutionibus arctare et horas contemplationis, orationis, et examinis indicere. Admonebat quidem Antonium P. Nicolaus non esse vinum novum in utres veteres mittendum, et pedetentim cum illis procedendum esse, qui non

Digitized by Google

parum facturi erant, si christianorum vitam tenerent; sed in sua sententia Antonius perseveravit. Recedente autem P. Nicolao Cochinum, prout P. Franciscus Xavier injunctum reliquerat, coeperunt inde adolescentes diffugere [1].

347. Cum autem P. Franciscus, qui id temporis nondum in Japonem profectus fuerat, animadverteret P. Antonium valere quidem concionandi et confessiones audiendi sed non gubernandi talento, mittere in Insulam Ormuzi, ut superius dictum est, eum constituerat. Sed quia valde gratus erat in concionando Goae, amici impetraverunt a P. Francisco ne eum inde removeret; unde, mutata ille sententia, Patrem quidem Gasparem in Ormuz, ut diximus, misit, Antonium vero Gomez in Collegio Goënsi sic reliquit ut curam aliorum haberet, excepto P. Paulo, quem in eodem Collegio omnium, qui de Societate nostra in India versabantur, Superiorem esse voluit, eorum, inquam, qui extra Collegium Goënse versarentur; sed quoniam Goae curia Pro-regis semper esse solet, eumdem P. Paulum Goae residere voluit; et sic jussit ut Superiorem eum haberi, donec P. Ignatius aliquem mitteret professum, qui caeteris de Societate in India praeesset [2].

348. Cum autem P. Ignatius anno 1549 per patentes litteras P. Franciscum Xavier Provincialem praepositum suo loco in India constituisset, et, eo absente, Rectori Collegii Goënsis vicariam auctoritatem ad gubernationem nostrorum in India dedisset; cum perlatis patentibus litteris in Indiam, abesset longe P. Franciscus, qui jam eo tempore apud japonenses versabatur, dubium exortum est an P. Antonius Gomez, cui tantum collata erat auctoritas in collegiales nostros Goënses, quos ipse in Societatem admiserat, an P. Paulus, cui totam suam facultatem P. Franciscus in omnes alios Societatis homines reliquerat, pro Superiore habendus esset. Ad litteram quidem P. Antonius Gomez, ut Rector Collegii Goënsis, vices P. Ignatii habiturus videbatur; et ipse sic sentiebat, et affirmabat; sed alii intentionem P. Ignatii eam esse videbant, ut non everteret quod P. Franciscus praesens constituerat; unde juxta mentem P. Ignatii Paulo

---

[1] Ignatius Magistro Didaco, de iis quae a Societate in Europa gerebantur, addens quaedam pro India monimenta, 15 Januarii 1550.

[2] Franciscus Xaverius Patri Antonio Gomez, de iis quae Goae praestare debet, et de modo subditorum amorem sibi conciliandi, 5 Novembris.

Digitized by Google

obediendum existimabant, donec P. Franciscus, certior de omnibus factus, pro auctoritate sibi data rem declararet. Cum autem pro Rectore se gereret Antonius, usus est ea potestate, quam P. Simon in Portugallia amplam ei dederat; tum demum omnes pueros indos expulit, et lusitanos in Collegio admissos tantum retinuit; et reditus illos annuos, quos Portugalliae Rex Joannes in usum puerorum indorum alendorum assignari jusserat, in usum nostrorum, qui operarii futuri erant, convertit, ratus quidquid ipse statueret id Regem ratum esse habiturum.

349. Et hoc anno 1550 ita res Goënses habebant. Quid autem postea sit consequutum, adveniente P. Francisco, suo loco videbitur. Nostri quidem, expulsis indorum filiis, quietius domi agebant, et ipse P. Antonius extra domum neophytis diligenter favebat, et tam Pro-rex quam Episcopus et alii primarii viri quod ab eis petebat ad utilitatem indorum concedebant. Multi etiam christiani in dies efficiebantur [1].

350. Bazainum, quae civitas est regni Chambaiae, opera P. Melchioris Gonzalez hoc anno diligenter exculta fuit; et dici vix posset quam copiosus fructus in neophytis ex ejus exemplo et doctrina provenerit, ut litterae tam praesidis illius arcis quam civitatis ac personarum particularium testabantur. Plurimi ad Ecclesiae gremium accesserunt.

351. In civitate Sancti Thomae, *Chiromandel* vulgo dicta, P. Cyprianus cum alio fratre nostro diebus dominicis et festis concionabatur, et quotidie christianos indigenas catechismum docebat, et utrumque ministerium ad magnum animarum profectum cedebat. In operibus etiam pietatis ac misericordiae totus erat, ut testarentur lusitani ne unam quidem horam quietis bonum senem habere, cui tamen corporis vires divina bonitas conservabat. Civitas ea magna est, et multas habet lusitanorum familias; numerus etiam eorum, qui fide Christi illuminabantur, magnopere per ministerium P. Cypriani augebatur; sed et lusitani non parum proficiebant, et *Patris Sancti* ap-

---

[1] Joannis de Alburquerque, Goënsis Episcopus, Ignatio, de rebus Societatis, 1550. Idem Regi Portugalliae, de conversione et baptismo nobilis cujusdam; de indorum, sacerdotum praesertim, libris; de rebus per Patres Praedicatores et Societatis Jesu gestis; de interponenda Regis auctoritate ut Patri Antonio Gomez concionandi in cathedrali ecclesia munus decernatur; de tribus lusitanis Societatem Goae ingressis, 28 Novembris 1548.

Digitized by Google

pellatione quam bene de illo sentirent testabantur. Quemdam habebat socium, cujus opera in ministerio utilis ei erat.

352. Malacae P. Franciscus Perez cum fratre Rocho de Oliveira, tam exemplo quam verbo, et lusitanos et neophytos mirum in modum adjuvabant. Qui in Indiam Malaca veniebant, reformatam esse civitatem illam, quae prius summa licentia abutebatur, P. Francisci opera testabantur. Concionabatur et ipse dominicis ac festis diebus lusitanis et totam hebdomadam confessionibus audiendis, doctrinae christianae et aliis operibus pietatis impendebat. Rochus autem quadringentos pueros legere et scribere et catechismum ac mores bonos docebat; et incredibilem omnino fructum ex hujus Patris opera ejusque socii provenire affirmant.

353. In Molucis insulis septem ex nostris hoc anno in consuetis laboribus, qui, supra quam dici facile posset, magni sunt, versabantur, ad conservationem christianorum et infidelium reductionem. Collegium illud P. Vincentii in arce *Chranganor* nuncupata, non visum est P. Ignatio interposita Regis autoritate vel alia ratione procurandum, nec onus illud subeundum, quod illi boni religiosi ordinis S.[ti] Francisci hactenus ad Dei gloriam subierant. Quod P. Ignatii responsum tamquam divinitus datum nostri acceperunt, nec de eo amplius quicquam egerunt [1].

354. Fuit in insula hoc anno 1550 P. Gaspar Franciscus. Vivevat ac familiariter agebat cum saracenis, turcis, arabibus, persis, abexinis, gentilibus ac judaeis, ex his qui post captivitatem babilonicam illis in locis manserunt; ex his etiam, qui ex Castella et Portugallia fugerant, permulti erant, quorum aliqui ad Christum conversi sunt. Disputabat crebro tam cum illis quam cum saracenis. Magna judaeorum multitudo in montem Sion convenerant, nam a tribus annis suum Messiam venturum exspectabant, et convicti ac suos errores confitentes, veritatem tamen admittere nolebant, quia corrupti et abominabiles facti sunt in studiis suis.

355. Armenios etiam quosdam semichristianos, quia sara-

---

[1] Ignatius Rectori Collegii Goënsis, de Episcopo Cochinensi et Fratre Vincentio, et de usu privilegiorum Societati concessorum, 15 Januarii 1550; Frater Vincentius Regi Portugalliae, de Collegio, quod in urbe Cranganor erexerat regebatque, Cranganori, 1 Januarii 1549.

Digitized by Google

cenorum etiam erroribus infecti erant, sicuti et ruthenos, unghares, et aliquos, qui fidem abnegaverant, janiseros, graecos ac italos, et aliarum nationum homines reducere ad Ecclesiae sanctae gremium conabatur. Provocarunt [1] eum saraceni ut cum quodam suo philosopho in quadam rupe sterili, utpote salis, sine aqua aut re ulla viridi, maneret, nec ullus hominum eos adiret; ut qui diutius famem et sitim sustinuisset, ejus lex potior haberetur. Quibus respondit Gaspar Deum non esse tentandum et per doctrinam hanc quaestionem melius decidi posse; quod si non posset elucescere hoc modo veritas, tunc id quod illi proponebant fieri posse. Sed illi disputationem omnino reformidabant [2].

356. Cum tamen victus esset anno superiori in disputatione doctor quidam eorum magni nominis, et ejus uxor et filiae Christi fidem suscepissent, saraceni multi ad Christi fidem animum adjecerunt; et quod prius ignominiae loco apud ipsos erat, scilicet, christianum fieri, honori esse coepit. Unde quotidie aliqui convertebantur. Aliqui tamen cum illi occurrebant in via publica, dum, tintinnabulo pulsato, ad christianam doctrinam homines congregabat, aures obturabant, quia non solum in gestis et verbis, sed etiam in tinnitu campanulae vim incantationis esse dicebant, ne forte audientes et ipsi converterentur. Tam late christiana doctrina patebat, ut etiam saraceni eam addiscentes cantarent. Cum autem christiani magno fervore processiones facerent, et litanias recitarent, et flagellationibus uterentur, et cum eis incedentes pueri christianam doctrinam cantarent, saraceni timentes ne multi ex ipsis ad Christi fidem accederent, et ipsi imitari processiones voluerunt et cantum, dicentes: *Deus est unus solus; est Deus*. Semel tamen accidit ut non verbis solum sed etiam lapidibus christianos impeterent, qui in campum fugiendo egressi sunt, prout catholicis tempore Sancti Chrysostomi accidit, cum ab arianis persecutionem paterentur.

357. Inter disputationum fructus ille fuit, quod jogus quidam, magnis abstinentiis, castitate, et paupertate et mortis praedica-

---

[1] Sed prius Gaspar Saracenos ad disputationem nitebatur allicere. Vid. MAFF., *Hist. Ind.*, l. 14 *(Sic in margine)*.

[2] Haec pertinere videntur ad annum superiorem *(Ita in margine)*. Pertinent autem tum ad superiorem tum ad praesentem annum; ea enim suis Gaspar in litteris enarrat quas dedit anno 49, eaque repetit in binis hoc anno 50 datis.

Digitized by Google

tione sanctus ab omnibus habitus, ad Christum conversus est. Is monasterium quoddam aedificaverat extra urbem. Cum autem se captum esse dilectione disputantis P. Gasparis diceret, triginta dies postulavit ad deliberandum de religione christiana assumenda; cui suasit Gaspar ut quinque ictus flagelli propter Christi amorem quotidie assumens, ab eo peteret illustrari quam legem esset secuturus. Cum autem nocte quadam pro more suo Dei perfectiones contemplaretur, vocem magnam audivit, quae dicebat: *quid agis?, quid agis?, ingredere viam quam te docuit; sola christianorum lex vera est.* Vidit deinde velut ornamenta quaedam ecclesiastica, qualia in solemnioribus Missae sacrificiis cerni solent. Cum igitur die sequenti Rex Ormutii saracenus eum quaereret, se abscondit, ne inveniri posset, et propere ad P. Gasparem profectus baptismum petiit; qui magna cum solemnitate ei collatus est, et cum magna gentilium confusione, qui aquam bibebant, ut reliquias sacras, qua ille pedes lavabat. Et eo baptizato, per mediam civitatem saracenorum cum cruce elevata transierunt, ut eam in monasterio jogi hujus constituerent; et idolis confractis, ecclesia ibi facta est; ubi et ipse P. Gaspar substitit, et, populo id petente, Collegium ibi Societatis instituere voluit, ubi quadraginta collegiales possent sustentari. Erat autem tantus populi fervor in eleemosynis ad hoc opus conferendis, ut esset qui quingentas et qui quatuor millia contulit [1]; alii quidquid habebant, largiebantur. Sed Dominus Emmanuel de Lima, Praeses arcis, solus sine aliorum opera collegium hoc dotare voluit, cum fructum uberem ad Persidem, Arabiam, Aethiopiam, et alias regiones ex eo proventurum speraret.

358. Non autem facile erat ex India operarios in regnum Ormutiae mittere; quare eorum seminarium ibidem instituendum videbatur. Cum autem ipse P. Gaspar ad Sinarum regna se cito evocandum crederet, aliquos seniores et scholasticos aliquos ex India mitti cupiebat, et praeter domum ac dotem Collegii, etiam domus supellectilia et ecclesiae denodia et instructisimam bibliothecam relinquebat. Plurimi Societatem ingredi cupiebant; sed sex tantum admisit; ex quibus unus post quamdam concionem P. Gasparis in publicum egrediens, in

[1] Sic in mss., non designata pecuniae specie, quae offerebatur.

Digitized by Google

platea vestibus se spoliavit et pauperi dedit, et prope crucem dormiens pauperum ministerio vacare coepit; et postquam in Societatem admissus est, martyrium affectans, sub obedientia P. Gasparis in Persiam mitti cupiebat; alter post concionem ad ejus pedes provolutus cum lacrymis dicebat se velle cum ipso mori propter Christum; tertius, cum in platea blasphemiis gravibus et inauditis uteretur ludi gratia, et a P. Gaspare reprehenderetur, sic est compunctus ut se velle cum eo mori testaretur, et ne se desereret precabatur. Tres alii modo simili ei ad convivendum et commoriendum seipsos obtulerunt. Sic alii fere duodecim omnia bona sua in ejus manus resignare, ut pauperibus distribueret, parati erant et eumdem sequi; sed praeter sex praedictos, nec hos nec alios, qui id ipsum optabant, admittere voluit, donec de Collegio admittendo quidquam certi P. Franciscus constitueret. Si tamen ad Sinarum regnum eundum ipsi esset, eos ut coadjutores, licet non in Societatem nostram admitterentur, adduci posse cogitabat. Interim et in spiritu et in litteris sex illos domesticos excolebat; et aliqui praeter illos ad lectiones accedebant, quos in desideriis patiendi propter Christum omnes inflammabat.

359. Cum concionaretur in ecclesia P. Gaspar, evocatus est a rege Ormutii, qui cum eo contulit animum suum ad Christi religionem propensum; se timere tamen primores regni ne tumultuarent significabat. Ad id visum fuit expedire ut disputatio quaedam coram ipso institueretur, cui cum primores dissimulanter evocati adessent, sperabat P. Gaspar, hac ratione detectis erroribus, non aegre laturos esse saracenos si Rex Christi fidem amplecteretur. Et fere viginti millia saracenorum commota erant ut eodem die, quo Rex baptizaretur, et ipsi etiam baptismum susciperent, et multi ex nobilibus jam de nominibus christianis et de patrinis agebant. Sparsit interim humanae generationis inimicus famam quod Rex jam christianus erat; unde id, quod cum Rege Gaspar constituerat, ad effectum non venit. Et cum aliqui ejus subditi Regem a suo proposito removere blanditiis non possent, quosdam ex suis sapientibus (*casizes* vocant) ad eum miserunt ut dogmata Mahometi praedicantes eum a christiana religione revocarent; quos Rex lapidibus caesos in exilium misit. Sed tandem quinque ex primoribus Regem adeuntes ac ei minitantes quod ipsum essent deser-

Digitized by Google

turi, et quod regnum esset amissurus, id obtinuerunt. Unde Rex quod promiserat P. Gaspari non praestitit; et magna pars eorum, qui moti ad religionem Christi fuerant, in suis tenebris persistiterunt. Interdictum est etiam Gaspari, ut malefico, qui suis incantationibus Regem seduxisset, ne ad palatium accederet. Conquesti sunt etiam apud Reges Persiae et hortabantur eos ut contra christianos arma caperent; et dum P. Gaspar supplicationes institueret, in quibus quinquaginta et sexaginta simul se flagellis caedebant, decreverunt saraceni nullum suae sectae hominem ad Christi fidem accedere permittendum esse; unde aliquos ad id propensos abscondebant, aliis pecuniam dabant ut a Christi fide revocarent. Multis etiam contumeliis P. Gaspari illudebant et ex quadam eorum Moschea, quae erat in editiore parte montis et Collegio imminebat, vocibus magnis adversus eum clamitabant. Judicavit autem Gaspar hanc Dei injuriam non ferendam, et cum noctu de Passione Domini concionatus esset, crucem magnam accepit, et ad montem illum ascendens, ubi crucem injuriis afficiebant, in ea ipsa Moschea crucem constitui fecit, et tantus terror saracenos invasit, ut mane multa illorum millia vociferarentur, et Mahometum ut injuriam a Christianis factam ulcisceretur, invocabant. Statim omnes moscheas, quas in campo habebant, deseruerunt; ex illa autem moschea eremitorium Btae. Virgini sacrum confecit et virum bonum, qui ibidem poenitentiae operam dabat, constituit [1].

360. Cum saraceni ut sectam suam meliorem quam christianam doctrinam et religionem ostenderent, varias inter suos populares conciones haberent, et in quadam Moschea, quae in medio christianorum erat, magnis clamoribus omnia implerent, unde populus christianus a P. Gaspare remedium adhiberi

---

[1] Clariora haec fient. si consulas Trigault, cujus verba hic habes: "Ergo in aciem egreditur Gaspar; copiae fuerunt, doctrinae christianae auditores, pueri ac puellae; arma crux una, quantam duo possent sustinere. Cum ea cohorte postquam noctu, ut feria quaque sexta solebat, de Dominicis tormentis verba fecisset, inspectantibus mauris (noctes enim Armuziae rebus agendis aptiores fere vigilabantur) in montem subit et per otium in misquitae summo apice, unde potissimum crucem consueverant detestari, opere caementario crucem figit. Terruit ea res (mirum dictu) et saracenos ita obstupefecit, ut ne mutire quidem illorum quisquam ausus fuerit. Matutinis vero horis, ubi ex alto patuit vexillum fidei nostrae, aliquot mahometanorum millia concurrerunt, et non secus ac si, capta civitate, hostium pro muris vexilla conspicerent, refugerunt, Mahometem porro ad ista caecum, ad suos ejulatus surdum, lamentabiliter inclamantes, aediculam Gaspari reliquerunt; qui jam expiatam Virgini Mariae victrici, a Monte cognominatae, dedicavit, et pium hominem loci custodem, qui suorum scelerum poenas

Digitized by Google

postulabat; misit ille ad Regem qui suo nomine peterent ut clamores illos prohiberet saltem quando ipse quod promiserat non implebat. Cum autem saraceni non curarent magnopere postulationem P. Gasparis nec suos clamores omitterent, significavit illis Gaspar quod, nisi desisterent, cum suis discipulis pueris, qui christianam addiscunt doctrinam, ad Moscheam iturus esset, et crucem in ea collocaturus; et eodem die quinque cruces confici jussit; et die sequenti, instituta supplicatione ac litanias decantando, erectas omnes has cruces deferebant. Cum ergo ad portas Regis accessissent, tantus terror saracenos invasit ut fugientes omnes dilaberentur. Rex autem ipsum Gasparem accersivit, qui ei occurrit usque ad gradus domus et deducens eum cum interprete Garcia de la Peña coëgit ut in ipsius regia sede sederet, ipse autem Rex genua flexit, ut ejus manum oscularetur et veniam peteret, et se aliquando impleturum quod promiserat, affirmavit; jussitque statim ne amplius in Moschea jam dicta clamaretur nec in tota insula in honorem Mahometi; et locum, ubi alcoranum habebant, in quo voces illae personabant, occludi muro jussit. Dedit etiam P. Gaspari aliqua dona in usum Collegii. Primores autem saraceni minabantur bella et insulam in solitudinem redigendam; tamen floruit magis quam unquam, et vectigalia, quae ad quadraginta millia coronarum prius ascendebant, ad centum et vinginti millia ascenderunt; et naves, quae Mecham pergebant, Ormuzii vectigalia solverunt. Nec displicuit principi persarum quod prohiberetur illa Mahometi praedicatio, quia illi saraceni legem turcarum, a qua secta persarum diversa est, profitebantur; totus autem cultus saracenorum in hujusmodi clamoribus in laudem alcorani positus est.

361. Sed quod per principes saracenos vicinos obtineri non

---

a se repetebat, ibi collocavit. Eum locum Gaspar coelestium rerum contemplationi aptissimum affirmabat. Et sane dubitandum non est eum ibi frequenter suos cruci triumphos, tantum terrorem hostium, ex animo gratulatum. Nec saraceni solum hanc nobis aedem reliquerunt, sed caeteras in agris omnes, et praesertim majorem unam, *gilabatam* dictam, ubi quotannis impios suos ritus et foedas novaculis lacerationes magna pompa peragebant.„ (L. C., lib. II, cap. XIX.)—Haec autem si cum iis conferas, quae jejune admodum scripsit Barzaeus, mire amplificata adjunctisque vero similibus exornata videbuntur. Aliud tamen, praeter Gasparis litteras, habuisse prae manibus documentum ii historici credendi sunt; ipse enim Polancus, dum aliud nihil agit quam ex documentis excerpere scribenda, quaedam addit, quae in litteris Barzaei haud reperiuntur.—Orlandinus autem caute in iis, ut in caeteris, agens, Barzaei enarrationem nedum amplificat sed decurtat, et Polanco ipso brevior est.

Digitized by Google

potuit, per aliquos christianos tentatum est; et cum novus Praeses in arcem Ormuzii missus esset, viginti millia ducatorum ei offerebant ut aperire occlusum alcoranum juberet. Ille tamen, inconsulto P. Gaspare, noluit id permittere; cum ergo eum invitasset ad prandium et rationem ei reddere coepisset, cur aperiendum alcoranum censebat, gravi quodam syntomate correptus, ex quo mori timuit, destitit omnino a tractatione restituendi alcorani, immo ad Moscheam evertendam operam suam obtulit. Aliqui etiam mali christiani, qui praesidem subornatum a saracenis excitabant, vel statim mortui sunt, vel in eas calamitates inciderunt, ut deleta eorum memoria videretur.

362. Pax itaque magna consequuta est, et Christi Ecclesia magnopere tam numero quam virtutibus et operibus pietatis crescebat. Singulis diebus Veneris in campo, ut frequentior auditorum multitudo juvari posset, noctu de aliquo mysterio Passionis Christi praedicabat, non intermittens quotidie catechismum pueris declarare; dominicis autem diebus ter concionabatur, mane quidem in summo templo populo; post meridiem autem servis utriusque sexus, quamvis multi de populo etiam veniebant; postea demum aegrotantibus in hospitali. Magnus autem erat christianorum fervor ut speciem quamdam primitivae Ecclesiae referret; plurimi ad Christi fidem accesserant et quotidie accedebant, inter quos baptizavit neptem cujusdam principis, qui *giariffe meze* dicebatur, Arabiae Regis, quae cuidam viro primario persae nupserat; qui, cum legatus esset Regis Persiae, conquestus est quod vis illata fuisset uxori ut christiana fieret. Hac de causa Persiae Rex retinuit Henricum de Macedo, Legatum Regis Portugalliae, qui apud ipsum erat foederis ineundi gratia; et injunxit ut Praesidi Ormuzii scriberet, ut mulierem illam, quae jam christiana erat, ad se mitteret, ut ad fidem Mahometi rediret; alioqui se bellum statim illaturum minabatur. Cum autem consilium inirent christiani de responso Regi Persiae reddendo, rogatus sententiam P. Gaspar: nolite, inquit, sanctum dare canibus, nec tradatis bestiis animas confitentium Deo; et ita constituerunt omnes potius mortem subire quam quod Rex Persiae (*Jatamaz* vocant) postulabat, efficere. At Dei bonitas furorem principis illius compressit, et Henricus de Macedo, confirmata cum eo pace, incolumis rediit; foeminam autem illam viro cuidam honorato nuptui

Digitized by Google

P. Gaspar dedit, quae mirum in modum in christiana pietate profecit. Ex eis qui baptismi lavacro regenerati sunt, magna pars miraculis fuit excitata; alii enim videbant Beatissimam Virginem, alii Christum, alii noctu voces audiebant, quibus ad christianam religionem movebantur; ut videatur Dominus ex turba illa saracenorum suos elegisse et ad Ecclesiae caulam adduxisse.

363. Dum cogitaret in provincia Arabiae felicis, quae Aman vocatur, ubi quatuor civitates magnae ex primis, quas Mahometus seduxit, sunt, fructum uberem provenire posse, quod gens illa simplex sit, et valida, et ad bonum propensa (*amonitas* Scriptura vocat), venerunt ad eum ex eadem provincia duo viri baptismum postulantes, qui, dum instruerentur in catechismo, commotos multorum animos in ea provincia referebant, et P. Gasparem in ea spectari. Sed P. Francisci praeceptum non permittebat ex regno ac civitate Ormuz per triennium egredi; cum enim timeret ne in Persidem desiderio martyrii se P. Gaspar conferret, in virtute obedientiae id ei praescripserat. Ex sociis tamen, quos habebat, aliquos eo mittere cogitabat. Regio illa aestibus maximis obnoxia est, et palmarum fructibus ac piscibus sine pane incolae vescuntur.

364. Cum multis morbis hoc anno populus vexaretur, et omnes sacerdotes maximi templi graviter simul cum Vicario laborarent, confessionum pondus ac sepulturae labor P. Gaspari fuit subeundus, immo et vicario Vicarii officio fungi debuit. Misit autem in Portugalliam Paulum, qui olim jogus fuerat, quem Praeses, Emmanuel de Lima, in regnum illud deducere voluit [1].

365. In Brasilia interim christianae religionis negotium aliquos progressus faciebat, et opera nostrorum tam christianis, qui ex Portugallia venerant, quam indigenis, qui ad fidem convertebantur, erat valde necessaria, cum tamquam oves non habentes pastorem essent; et utrique multas et magnas molestias, plusquam verbis facile explicari possit, tam corporales quam spirituales nostris inferebant; unde patientia valde illis necessaria erat. Nam neophyti magnas persecutiones a gentilibus ferebant; et cum quemdam juvenem occidissent christiani, armis

---

[1] Gasparis Barzaei litterae ad fratres Conimbricenses, 10 Decembris 1549 et sub finem anni sequentis 1550.

Digitized by Google

arreptis, aliquos ex his vulnerarunt, et consequuta fuisset caedes ac devoratio mutua captorum vel occissorum, nisi pacem nostri conciliandam inter eos curassent. Id autem expedire visum est ut, sicut fide, sic etiam habitatione christiani a gentilibus segregarentur [1].

366. Veniunt christiani dominicis ac festis diebus ad Missae sacrificium audiendum; quod aliis et odii et invidiae causa erat, propter favorem, quem nostri christianis neophytis merito praestabant. Manebat inter eos Vincentius, frater noster, ut eos in fide accepta conservaret; quod non sine labore fieri poterat. Aliqui tamen ex neophytis nostros consolabantur, tam viri quam foeminae, quod studiose viverent, dum profestis diebus in laboribus occupantur (quod prius mulieres solae praestabant), festis autem diebus diligentius quam christiani veteres ab opere abstinebant. Quodam die accidit ut puella quaedam, ad opus die festo ignoranter egressa, magno ventris dolore corriperetur; unde cum domum reversa esset, et intellexisset festum esse diem, se accusare coepit, et Patrem quemdam ex nostris adivit, rogavitque ut misericordiam a Deo impetraret, quia ignoranter servile illud opus festo die fecerat; et statim dolore liberata sanitati restituta fuit. Desinebant hujusmodi homines christiani in suis morbis ad sortilegos, ut soliti prius erant, recurrere; sed nostros accersebant ut pro eis orarent, et Dei verba super eos dicerent. Templum quoddam prope ipsos confectum est, scilicet, prope arcem, quam Spiritus Sancti vocabant, ubi sacrum fieri a P. Joanne de Azpilcueta et christiana doctrina in vernacula ipsis lingua explicari possit, in quam idem Pater, quae ad creationem mundi et Incarnationem spectant et fidei articulos ac praecepta et orationes, praesertim dominicam, traduxit; unde tam in Brasilica quam in Lusitanica lingua eos haec omnia docebat, ac pueros praesertim, quos ut super infirmos eas orationes dicerent, hortabatur; et experentia docuit quod in morbis per hujusmodi orationum medicinam melius haberent.

367. Coeperunt etiam christiani veteres filias brasiliensium,

---

[1] Patris Emmanuelis de Nobrega Conimbricensibus Sociis, informatio de rebus moribusque Brasiliensibus, anno 1550.—Petri de Goes Martino Ferreira, de rebus Brasiliae, 18 Augusti 1548.—Plures Patris Emmanuelis de Nobrega litterae reperiuntur in codice $\frac{\text{CXVI}}{2-13}$ bibliothecae Evorensis in Portugallia.

Digitized by Google

qui conversi erant ad Christum, uxores ducere; unde fructus non exiguum augmentum sperabatur, accedente praesertim Regis erga hujusmodi neophytos favore. Offensi quidam erant gentiles vehementer ex christianorum veterum injuriis, quae ipsis fuerant illatae; baptismum nihilominus ex sex aut septem pagis, ubi P. Joannes concionabatur, petebant. Licet autem domos suas in praecipuis brasiliensium populis designatas ad christianam doctrinam tradendam haberet, duabus tamen rationibus praecipue sibi persuadebat baptismum non esse illis facile administrandum. Prima est, quod regem seu ducem, cui obediant, non habent, nec fixas habitationes, cum eas destruant fere singulis annis, dum ipsi mutantur, et aliquando prius, ut, si quis vel ebrietate vel ira commotus, ignem injecerit propriae domui (quod non raro fit); nam ex illa prosilit flamma in vicinas domos, ex palmis confectas, et ita facile totus pagus comburitur. Unde accidebat hoc P. Joanni persaepe ut pagos, ubi concionabatur et quibus magis confidebat, post paucos dies non inveniret. Quod ex parte etiam ab eorum sortilegis procedebat, qui suggerebant illis populis ideo eos doceri a P. Joanne ut in servitutem eos redigeret; nam cum in servitutem essent redacti, ibi minus haberet in eis docendis negotii; et fossam civitatis Spiritus Sancti et puteum in ea factum dicebant ad eos includendos et suffocandos facta esse, et qui majores erant inter illos, malitia majore praediti erant magna ex parte, et in aranearum morem, quidquid boni eis dicebatur, in venenum convertebant. In pueris res aliter se habebat; quos in bonum propensos inveniebat, si tamen a parentum domibus abduci possent, aliquo Collegio in ea civitate in ipsorum usum erecto; sic enim fieri sperabat ut fructus ex institutione puerorum proveniens perversis moribus et malitia parentum non corrumperetur.

368. Altera causa differendi baptismum erat quod in gentilibus illis altas admodum egit radices vescendi carnes humanas consuetudo, usque adeo ut decessuri ex hac vita eam petere soliti essent ac dicere aliam se consolationem ex hac vita non reportare praeter istam, vindictam, scilicet, suorum inimicorum; et quando humana caro non invenitur, dicunt se afflictissimos ex hoc mundo recedere; et cum reprehenderet eos Pater Joannes, alii respondebant suos avos vesci solitos humana

Digitized by Google

carne et se etiam vesci debere; alii quod hujusmodi erat apud ipsos ultionis sumendae consuetudo, quodque ipsorum inimici devorare etiam suos solebant; et conquerebantur quod verum cibum vellet ipsis prohibere. Cum in illis pagis, ubi docebat P. Joannes, aliqui ad bellum cum adversariis essent progressi, multi ex his, quos docebat, interfecti fuerunt ab adversariis, et ut vicem illis redderent, redeuntes ad praelium, multos ex ipsis interemerunt, et magnam vim humanae carnis secum retulerunt. Et cum in pagum quemdam Joannes veniret, in magno cacabo multum hujusmodi carnis coquebatur, et eo ipso tempore quo pervenit, projiciebant in lebetem brachia, pedes et capita hominum, quod visu horribile erat, et sex vel septem vetulae, quae vix pedibus subsistere poterant, choreas ducebant juxta cacabum et ignem concinnabant, ut prorsus daemones viderentur ac daemonum officium factitare [1].

---

[1] Quaestio haec de Baptismo indorum in Brasilia, sicut et alia de eorumdem indorum matrimoniis, multum diuque, tum in Brasilia tum etiam in Europa, agitata fuit; quare non abs re fore judicamus hic indicare quae de iis exarata documenta in Evorensi publico archivio reperiuntur. Sunt autem sequentia:

PARECERES sobre os baptismos dos indios do Brasil, e outras duvidas, que se offerecem nas missões, são as seguintes: Cod. $\frac{\text{CXVI}}{1-33}$.

Fol. 159.—Sem declaração de autore.

Fol. 174.—Parecer sobre o baptismo dos indios, pelo P. Tolosa.

Fol. 177 v.—Cousas que se debe ensinar a gente que tem capacidade, antes de ser baptizado.

Fol. 181.—Como se podera saber se receberam verdadeiro baptismo os gentios do Brasil e os que vem de Guiné.

Fol. 175.—Resoluções a varias duvidas sobre o cumprimento do preceito de ouvir missa no Brasil.

Fol. 182.—An aliquis in extremis positus possit sine notitia explicita mysteriorum fidei baptizari.

Fol. 179.—Pratica para aparelhar a ben morrer.

PARECERES sobre os cazamentos dos indios do Brasil: Cod. $\frac{\text{CXVI}}{1-33}$.

Fol. 100.—Pareceres latinos dos jesuitas Fernão Peres, Gaspar Gonçalves, e Luiz de Molina.

Fol. 130 v.—Parecer portuguez pelo P. Jose de Anchieta.

Fol. 133.—Outro do P. Francisco Pinto.

Fol. 133.—Outro latino do P. Arminio.

Fol. 136.—Outro portuguez, sem declaração de A.

Fol. 138.—Outro latino do P. Tolosa.

Fol. 163.—Outro latino, sem nome de A.

Fol. 167 v.—Enformação dos cazamentos de Angola, pelo P. Balthasar Barreira.

Fol. 109.—Sententiae circa resolutionem aliquorum casuum, qui in Brasilia frequenter occurrunt, a P. Ferdinando Peres.

Fol. 113.—Aliae a P. Gaspare Gonçalves.

Fol. 130.—Aliae a P. Molina.

Fol. 126.—Aliae a Doctore Navarro.

Digitized by Google

369. Die Lunae et Martis tres vel quatuor ex his pagis P. Joannes visitabat; die Mercurii et Jovis duos vel tres alios remotiores; die Veneris ad civitatem redibat, ut concionem haberet apud confraternitatem quamdam, ibi institutam, hominum, qui se flagellis poenitentiae gratia caedebant tempore illo quadragesimae; quorum exemplum et aspectus alios ad pietatem non parum promovebat. Multi ad consilia Christi sectanda commoti fuerunt, ex quibus aliqui in Societatem admissi, Brasilicae linguae periti erant; alii, ut parum idonei ad institutum Societatis nostrae, non in ea admittebantur. Die vero dominica post sacrum vel in civitate concionabatur, vel in populo quodam vicino, ubi filios et mancipia Christianorum catechismum docebat. Horum autem maximus erat numerus, quos deduci ad sacrum audiendum per ipsorum dominos curabat (id autem prius inusitatum erat); et in ipso Missae sacrificio concionabatur; et tantumdem post meridiem. Supplicationes etiam singulis diebus dominicis fieri ad quaedam eremitoria tunc confecta curabat. In matrimoniis etiam celebrandis eorum, qui servas pro concubinis habebant et in uxores ducere persuaserat, occupabatur.

370. P. Emmanuel de Nobrega cum classe profectus fuerat aliquot antea menses cum P. Leonardo Nugnes et Didaco Jacomi, ut christianos praesidii Sti. Vincentii inviseret, et provinciam quamdam gentilium, quae *tharisi* dicebatur, in qua, quia fructus inter gentiles sperabatur, duo ejus socii mansuri erant; nam illius orae brasilienses prae caeteris commendabantur, ut qui inter gentiles optimi censendi essent. Reliquit suo loco P. Antonium Perez in civitate Salvatoris eidemque commendavit ut domum ac ecclesiam in usum nostrorum conficiendam curaret, quam ille manu propria, cum industria non vulgari a Domino praeditus esset, confecit; neque id impediebat quominus et aegrotantibus in hospitali et ad confessionem accedentibus operam daret.

371. Aliqui etiam ex Portugallia missi, praeter primos, perutiles operarii futuri censebantur. Litterarum peritia, multo minus quam charitas ac castitas et vires corporis, eis, ut cum brasiliensibus illis degerent proque eorum bono laborarent, erat necessaria; quamvis ad casus conscientiae discernendos doctrina etiam esset opportuna. Propter absentiam Patris Nobrega

Digitized by Google

minus poterat quam ante P. Joannes in gentilium conversionem incumbere; siquidem christianis conservandis vacare debebat, qui melius quam antea se gerebant [1].

ANNUS 1551

1. Ineunte anno 1551 non erat Societatis status, quod ad provincias attinet Societatis, immutatus; tres etenim hoc nomen dumtaxat provinciae habebant: India scilicet, Portugallia et Hispania; in reliquis Italiae, Siciliae, Germaniae, et Galliae locis nullus erat Provincialis et ab ipso P. Ignatio per litteras locorum superiores et instructionem, et auxilium et consolationem accipiebant. In eisdem etiam locis residebat Societas, quibus initio superioris anni; duobus tamen locis coloniae deductae sunt, Venetiis, videlicet, in Italia, et apud Sanctum Felicem in Portugallia. Missiones complures in diversis locis factae fuerunt; et tam nostrorum numerus anno proxime elapso fuit auctus, quam etiam bonus odor et existimatio Societatis; res etiam temporales auctae diversis in locis fuerunt; et ita hoc anno 1551 complures coloniae deduci potuerunt, ut inferius dicetur. Constitutionum approbatio facta quidem est anno proxime elapso, sed earum promulgatio extra Urbem posterius, ut suo loco adnotabitur, facta fuit.

2. Jam ab initio hujus anni Dux Gandiae, D. Franciscus Borgia, recessum in Hispaniam parabat. Optabat ille quidem vocationem suam ac professionem, ad illud usque tempus secretam, manifestare; sed cum id graves ob causas aliquantulum differendum et non nisi in Hispania publicandum P. Ignatio visum esset, properabat ille non minori animi affectu statui suo ac rebus temporalibus se abdicare, quam alii ejusmodi bona acquirere percupiunt. Retinuit tamen illum P. Ignatius usque ad quartam Februarii diem, qua Roma profectus est.

3. Prius autem, mense scilicet Januario, P. Alphonsus Salme-

---

[1] Emmanuelis de Nobrega Regi Portugalliae, Patri Simoni Rodericio et Patribus fratribusque Societatis in Portugallia degentibus, epistolae sex, anno 1549 scriptae, et nuper, una cum Informatione de rebus Brasiliensibus, in ephemeride *Revista do Instituto Historico e Geographico do Brasil* editae.

Digitized by Google

ron, perfunctus concionibus Adventus et festorum consequentium, Verona Romam venit et cum P. Ignatio et reliquis Romae congregatis de constitutionibus quid in Domino sentiret dicere, et consolationem mutuam non vulgarem dare aliis et ipse accipere potuit. Sed et P. Simon, qui ex Lusitania profectus fuerat, ut postea dicetur, sub anni praeteriti finem, sub hoc tempus Romam venit et redeuntem jam in Hispaniam Ducem Gandiae, in monte Viterbii obvium habuit cum sociis Lusitanis, cum quo Viterbium rediit, ut ejus convictu et colloquio saltem ad breve tempus frui posset. Est autem ea civitas quadraginta milliaria ab urbe Roma sejuncta. Romam progressus P. Simon tanto desiderio officia humilia exercendi tenebatur, ut multo libentius ex flumine aquam deportaturus domum videretur, quam officio confessarii ac magistri Principis, prout hactenus fecerat, functurus.

4. Sed ut ad Ducem redeam, antequam ex domo romana recederet, miram suae solidae abnegationis, obedientiae ac humilitatis profundae aedificationem reliquit. Habitus ejus externus ejusmodi erat ut nec Ducem Gandiae dedeceret, et tamen non honestus solum sed et humilis esset, cum ob viduitatem talari toga et pileo non admodum a clericali distante uteretur. Ante recessum obtinuit a P. Ignatio non solum ut in refectorio cibum caperet, sed etiam in parva mensa, quae in medio refectorii in usum poenitentiae ponebatur. Assidebat ei D. Joannes de Borgia, ipsius filius, et quidam alii nobiles, nec pepercit eis quidam ex laicis fratribus, Antonius Rion nomine, qui solitus erat prandentium in illa mensula culpas dicteriis aut capellis, ut vocant, carpere sicque poenitentes exercere. Quia enim cum primo in refectorio cibum Dux coeperat in capite mensae, nimis honoratus sibi fuisse videbatur, id voluit alio die in mensa compensare. Ipso die Purificationis, id est, biduo ante profectionem, coenam omnibus, qui domi erant, exhibuit in refectorio, et ipse sine pileo mensae inservivit simul cum filio suo, et quidem usque ad finem. Et in recessu, post acceptam P. Ignatii benedictionem, omnes fratres amplecti sigillatim voluit cum peculiari charitate ac devotione. Voluit quodam ex illis ultimus diebus coquo in culina servire eam verrendo et lances lavando, et quia Dominus Joannes, qui in omnibus his comes erat patri, scutellam terream casu confre-

Digitized by Google

gerat, jussus est in suggestu culpam dicere. Quamvis frigus propter nives eo tempore non exiguum esset, quod Duci, temperatis locis assueto, satis molestum erat, tanto patiendi desiderio tenebatur, ut auctoritate ac obedientia P. Ignatii opus fuerit, ut chirothecis in itinere uti vellet [1].

5. Cum triginta equis tandem ex domo romana recessit, secum ducens P. Michaëlem Ochioam, qui Tybure anno praeterito fuerat, ac P. Andream de Oviedo Romae relinquens. Deduxit etiam secum P. Franciscum de Strada, qui ipso die Sancti Ignatii Romae professionem solemnem quatuor votorum, triduo scilicet ante recessum, emiserat. P. Antonius Araoz, Hispaniae Provincialis, et P. Jacobus Miron cum eodem rediere ac P. Petrus de Tablares et alii nonnulli ex nostris, qui cum eo ex Hispania venerant. Comitatus est etiam eumdem Senas P. Andreas Frusius, qui Venetias recta perrexit. Ipse autem Dux Genuam se convertit, quousque P. Jacobum Laynez deduxit et ipse Genuam perrexit *(sic)*.

6. Aliqui existimarunt Ducem Gandiae multum pecuniae domui nostrae romanae dedisse, et verum quidem est quod, Romam veniens, dixit P. Ignatio se nescio quot millia ducatorum adferre, quae P. Ignatio offerebat, subdens ut mensa ipsum ac suos exciperet et de illa pecunia, prout vellet, disponeret. Noluit tamen P. Ignatius ne unum quidem aureum in usum quidem accipere. Jam pridem, cum esset Gandiae et intellexisset mortuum esse P. Petrum Codacium, procuratorem domus, piae memoriae, et debita reliquisse octingentorum vel mille ducatorum, id debitum dixit se velle solvere, et ad id pecuniam misit, quae non fuit recuperata Romae usque ad ipsius adventum. Sed praeter hanc eleemosynam, ut dixi, ex Hispania missam, nihil ab eo P. Ignatius voluit accipere; quamvis ad lectos et supellectilia ad ejus et aliorum, qui ipsum comitabantur, usum debitum aliquot centenorum aureorum domus conflavit. Quamdiu etiam domi nostrae Dux fuit, ut habitationem habuit horto intermedio separatam, ita et culinam et penum; nec voluit P. Ignatius ut domus nostra aliquid vel ad victum vel ad vestitum ab hospite acciperet; et id non propterea quod dubi-

[1] Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Natali, de iis, quae Romae gesserat Gandiae Dux, 21 Februarii.—Similes hoc tempore missae sunt ad omnes fere Societatis domos ac plures Societatis amicos et benefactores.

Digitized by Google

taret libentem et magna cum charitate Ducem necessaria omnibus fuisse suppeditaturum, sed aedificationis gratia id P. Ignatio visum est non esse accipiendum. Dedit quidem Dux quatuor millia quadringenta triginta duo scutatorum in auro, in usum fabricae ecclesiae inchoandae et domorum quarumdam emptionem pro Collegii erectione, quod Romae institui cupiebat, et praeterea ad reditus annuos, duorum filiorum suorum, scilicet, Marchionis de Lombay, successoris, et Domini Joannis de Borgia, litteras, ipsorum manu subscriptas, reliquit, quibus mille aureos se daturos, quingentos scilicet Marchio et totidem Dominus Joannes promittebant; sed pecuniam numeratam voluit P. Ignatius a tribus procuratoribus Collegii futuri recipi, nec penes aliquem de Societate servari; et ex procuratoribus duo romani erant. Fuit autem hoc consilium Ignatii: ut, cum essent emendi census in usum futuri Collegii ex ea pecunia et si quae alia postea missa fuisset, constaret aut pecuniam aut reditus emptos non ad domum pertinere, sed ad Collegium, inter quod ac professam domum magnum chaos intermedium esse P. Ignatius volebat; et id ita intelligi necessarium omnino videbatur, cum jam domus nostra romana, quae ex eleemosynis perpetuo vivere debet, detrimentum non in existimatione solum sed etiam in eleemosynis sentiebat. Coeperat enim rumor spargi quod domus nostra a Duce ditata fuerat, et rumor eo usque percrebuit, cum praesertim principium ecclesiae inchoatum cerneretur, ut Cardinalis quidam primarius nobilem quemdam in necessitate constitutum ad domum nostram mitteret, ut ab ea sublevaretur pro charitate nostrorum; et P. Ignatius emptorem et procuratorem domus nescio quot nummis argenteis spoliavit, quos habebant ad sustentationem domus, ut aliquantulum subsidii ei suppeditaret, quem Cardinalis ad ipsum direxerat. Haec ergo causa fuit cur P. Ignatius pecuniam a Duce donatam ab externis procuratoribus voluit recipi, et per eorum manus in Collegii futuri usum expendi [1].

7. Hoc igitur ipso mense, postquam Dux profectus erat, 18.ª Februarii, Collegium Romanum ab exiguis admodum initiis in-

[1] Polancus, *ex commissione,* Rectori Collegii Gandiensis, respondet rumoribus, qui de Romano Collegio spargebantur, 1 Maii 1551.—Ejusdem longum scriptum, in quo declarantur ea quae a designatis Procuratoribus facienda expetit tum Gandiae Dux tum Ignatius, ne quid detrimenti domus romanae paupertas subeat.

Digitized by Google

choatum est; nam in conductitia domo in Via Capitolina quatuordecim numero sub P. Joanne Pelletario, gallo, primo Rectore Romani Collegii, colonia ex domo professa romana deducta fuit. Ex pecunia a Duce Francisco relicta non sunt emptae domus, sed potius aliqui reditus, ex quibus numerus ille exiguus sustentari posse videbatur; et scholae litterarum humaniorum tam latinarum quam graecarum, hoc anno apertae sunt; addita etiam fuit hebraicae linguae lectio, et, crescente tam nostrorum numero quam externorum scholasticorum, hoc ipso anno post primos sex menses alia domus nobilis romani, Marii scilicet Capocii, multo major conducta est in via, quae a domo nostra recta in monasterium Sanctae Mariae supra Minervam ducit. Et cum census empti nullo modo sufficerent ad scholasticorum sustentationem, nec filii Ducis mille aureos promissos in singulos annos mitterent, venditis ipsismet reditibus Collegium aliquandiu sustentatum est; et tamen numerus collegialium in dies augebatur, cum omnino Societati necessarium esse videretur ut velut seminarium Romae formaretur, ex quo tam operarii ad varias missiones, quam coloniae novae ad alia collegia inchoanda vel fulcienda mitterentur. Unde P. Ignatio pro reditibus spes in Deo fixa et communis boni promovendi desiderium fuit; et quamvis ab humili principio ortum habuerit hoc Collegium, non fuit omnino ab invidia vel aemulatione aliorum immune, et ludimagistri trivialium scholarum ac paedagogi molesti esse coeperunt; sed hanc molestiam et alias graviores a majoris auctoritatis professoribus excitatas patientia et perspecta eruditio tandem superavit [1].

8. Hoc anno Tybure initium illud Collegii nostri mutationem aliquam fecit; nam in loco illo, ubi fuerat inchoatum, scilicet, Divae Mariae del Passo, nostri male admodum valere coeperunt; unde schola alium in locum intra civitatem translata fuit; quamvis aliquis ex nostris in praedicta domo aliquandiu mansit, donec et ille ipse, in morbum incidens, intra civitatem a P. Andrea de Oviedo receptus est, qui, cum Romae a Duce Gandiae relictus esset, aliquot hujus anni menses Tybure exegit. Ipsa

[1] Longam scripsit Ignatius constitutionem de Rectoris officio in Romano Collegio, dum ei Patrem Pelletarium praefecit. Ecce titulum ipsi ab Ignatio superscriptum: *Haec sunt quae in Collegio Romano Rectoris cura atque industria veniunt observanda.*

Digitized by Google

quidem civitas a Cardinali Sanctae Florae monasterium Sancti Benedicti, quod non solum habitatoribus desertum sed magna ex parte collapsum erat, obtinere conati sunt, ut ibi nostrum Collegium erigeretur, ne filii ipsorum tam procul ad scholam Divae Mariae del Passo ire cogerentur; sed minime quod petebant obtinuerunt. P. autem Andreas, qui ministeriis Societatis aliquandiu functus ibi fuerat, ad initia neapolitani Collegii jacienda in autumno fuit evocatus.

9. Jam inde ab initio hujus anni aliqui ex amicis Societatis, quorum pia desideria litteris P. Ignatius fovebat, rationem inire instituendi ibidem Collegii nitebantur, inter quos Montis Leonis Dux et Comes de Montorio et Dominus Hieronymus de Fonseca diligentem operam huic negotio navabant; et Lupus de Mardones, domui Pro-regis praepositus et in administratione universa illius regni primarius minister, etiam huic operi favebat, et P. Dionysius de Caesena, monachus Sancti Benedicti, et Dominus Hieronymus Vignes peculiari sollicitudine et charitate id curabant. Rogaverunt autem amici P. Ignatium ut aliquem de Societate Neapolim mitteret, qui in quadragesima jam imminente simul et spiritualem profectum juvaret et ea, quae ad Collegium pertinent, sua praesentia promoveret. Sub idem ergo tempus, quo Dux Gandiae recesserat, P. Alphonsus Salmeron Neapolim missus est; et cum in civitate non esset Pro-rex nec amici primarii, qui ejus curiam sequebantur, sed Puteolis, eo se contulit P. Salmeron. A Duce Montis Leonis ac Domino Hieronymo de Fonseca amanter exceptus et ad Pro-regem adductus est, cui etiam litteras Cardinalis Sti. Jacobi fratris P. Salmeron obtulit. Benigne a Pro-rege, Domino Petro de Toledo, exceptus est et de rebus ad Societatem pertinentibus ipsum diligenter edocuit, ac Dux Montis Leonis ac Mardones opportune Collegii negotium commendabant; quod cum Pro-regi placuisset, curam illis dedit ut ipsius nomine de quodam monasterio in usus Societatis applicando ageretur, ex quo quidam monachi, qui alia loca Neapoli habebant, transferendi ad illa dicebantur; quamvis nec id successum habuit, nec quod de alio loco Divae Marthae postea tractatum est. P. Alphonsus Salmeron hujusmodi negotia amicis tractanda relinquebat; ipse autem ad Societatis munera obeunda se convertit. Sed quia, cum Neapolim pervenit, quadragesima jam erat inchoata, et optimi quique suggestus oc-

Digitized by Google

cupati, expedire visum est ut aliquas lectiones Sacrae Scripturae a prandio enarraret [1].

10. Rediens ergo Neapolim et octo dies in hospitali Divi Jacobi commoratus, cum in cathedrali ecclesia integrum non esset propter concionatorem quemdam, qui suo ibi munere fungebatur, decrevit in templo Divae Mariae, quam Majorem vocant, in quo P. Jacobus Laynez, cum ibi tempore adventus esset, et ipse lectiones habere; et ita secunda Dominica mensis incipiens, epistolam Beati Pauli ad Galatas quater aut quinquies singulis hebdomadis post meridiem praelegit; auditores autem in dies frequentiores erant et majori cum affectu ad eum audiendum accedebant. In hospitali etiam incurabilium, ubi sexcenti et amplius pauperes esse solent, concionatus est cum pauperum utilitate et spirituali consolatione. Lectionum autem fructus eo major a piis viris existimabatur, quod magno cum spiritu et doctrina ac veritate haereticorum errores, qui Neapoli multos infecerant, convincebat et magno veritatis lumine tenebras hujusmodi errorum dissipabat [2].

11. In monasterio etiam Conversarum concionatus est, et in quibusdam aliis monasteriis; sed quia Concilium Tridenti a Summo Pontifice Julio III, rogatu imperatoris Caroli, rursus indictum erat, et quidem ad proximum Maii mensem, et idem Pontifex, qui, cum esset legatus Sedis Apostolicae et Bononiae, nostros bene perspectos habebat, P. Ignatio significaverat velle se Patris Jacobi Laynez et Alphonsi Salmeronis ministerio in futuro Concilio uti, scriptum fuit P. Salmeroni ut post

---

[1] Ignatius Domino Hieronymo de Fonseca, officiose et ut Monteleonis Ducis desideriis obsequatur, 21 Februarii; eidem Polancus, quid cum Magistro Sacri Palatii sit actum, eadem die; idem Patri Alphonso Salmeron, ut in agendo de Neapolitano Collegio stet judicio Ducis Montisleonis, nihil tamen absolvat quin prius Ignatium moneat, 14 Martii; idem Dionysio de Caesena, de mediis promovendi Collegii negotium absente Salmerone, et de mittendis, 4 Aprilis; idem Duci Montisleonis, de Collegio, quod si inchoetur, iturum Neapolim Patrem Laynez aut Salmeron aut alium; sed neminem posse ante aestatem Roma proficisci, 18 Aprilis; idem Hieronymo de Fonseca, de rebus ad spiritum pertinentibus, de Collegio, de mittendis post mensem Augustum, etc., 27 Aprilis.—Similes, mutatis mutandis, eadem die scripsit Ignatius Antonio Minturno, Hieronymo Vignes et Fratri Dionysio de Caesena.—Eisdem, mittendos Neapolim ineunte Septembri duodecim, inter quos, ni obstet Concilium, erit Salmeron aut Laynez, 16 Maii; Ignatius Domino Hieronymo de Fonseca, de Collegio officiose, 23 Maii; idem Duci Montisleonis, eadem die; Hieronymus de Fonseca Ignatio, de Collegio, 4 Junii; eidem Ignatius, 13 Junii.

[2] Ignatius Salmeroni ut post quadragesimam in dioecesim Cardinalis Maffei se conferat, et Romam venire paucis post Pascha diebus curet, 28 Februarii; eidem ut Casertae uno alterove die subsistat, 14 Martii.

Digitized by Google

festa paschalia Romam rediret. Cum autem P. Salmeron id suis auditoribus significasset, non exigua molestia affecti sunt; nam mirum in modum et gratus Neapolitanis et utilis esse coeperat; et litteris variis id obtinere amici nitebantur ut saltem aliquandiu Neapoli haereret, cum Collegii negotium sicut ejus praesentia urgebat, sic discessus impedire ac debilitare poterat. Nihilominus valedicens amicis Romam rediit; et eo magis properavit, ne P. Simon, qui reditum in Portugalliam parabat, antequam mutuis colloquiis frui possent, discederet [1].

12. Aliqua non exigui momenti a socio itineris, P. Georgio Morera, P. Simoni Romae objecta fuerunt; sed P. Ignatio rem diligentius elucescere volente, id effectum est ut idem ille, qui objecerat, recantaret palinodiam; unde ob hanc et alias justas causas, quamvis alioqui vir bene doctus et concionator, a Societate, quod nondum professus erat, dimissus est; Simon autem, rebus peractis, ad quas in Urbem venerat, hoc ipso anno, antequam aestus molestus esse inciperet, ex Urbe recedens in Portugalliam rediit.

13. Antequam P. Salmeron ex Urbe Tridentum recederet, Summum Pontificem Julium tertium, cui familiaris erat, est allocutus et aliquas ab eo facultates, quae usui Societati fuerunt, impetravit; fuerunt autem illae ut P. Generalis per se vel per alios, quibus suam auctoritatem communicaret, absolvere posset in casibus haeresis in Bulla *Coenae Domini* reservatis, et ut dispensaret cum iis, qui sub ejus obedientia essent, tam in iis quae ad jejunia quam quae ad delectum ciborum pertinent. Et quia paucis ad Concilium venientibus mense Maio, ad Septembrem fuerat prorogatum, liberanda fides videbatur quam dederat Episcopo Veronensi ad ipsum redeundi, postquam Congregationi Romanae interfuisset. Sed Marcellus, Sanctae Crucis Cardinalis, qui postea Pontifex fuit, cum Augubium ea aestate iturus esset, obtinuit a P. Ignatio ut secum duceret P. Salmeronem et per triginta vel quadraginta dies penes se retinere posset [2].

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Alphonso Salmeron, de Simonis Rodericii Romam adventu, 21 Februarii; eidem Ignatius, Summi Pontificis voluntatem esse ut ad Concilium Tridentum se conferat ibique apud Cardinalem Crescentium degat, 20 Junii.

[2] Ignatius Veronensi Episcopo, de Patre Salmerone Veronam mittendo, 11 Aprilis; eidem ut Augubio Veronam se conferat, 6 Junii.

Digitized by Google

14. Roma ergo profecti ipsa vigilia Pentecostes Augubium pervenerunt, vel potius in monasterium quoddam tria millia passuum Augubio distans (*Vivum* vocant), ubi Cardinalis aestatem exacturus erat; est enim locus et commodus et amoenus et aëris apprime salubris, et urbi tam vicinus ut in eadem quodammodo resideat, qui illo in monasterio versatur. Tria potissimum munia Cardinalis P. Salmeroni injunxit. Primum erat ut tam canonicos cathedralis ecclesiae quam alios viros ecclesiasticos et institueret et ad ea, quae ipsorum decent statum, hortaretur; alterum ut in monialium monasteriis, quae Episcopo subjacent, de rebus his concionaretur quae ad institutum ipsarum faciebant; tertium erat ut domi quotidie lectionem unam D. Pauli praelegeret, cujus ipse Cardinalis et bona pars familiae ipsi auditores erant. Aliqua etiam privatim cum eodem Patre Cardinalis conferebat, et quamdiu ibi mansit P. Salmeron, id est, usque ad festum D. Joannis, cum non poenitendo fructu in his occupationibus versatus est. Ut autem avelli posset suavius a Cardinali, cui gratissimus erat, curavit P. Ignatius ut litterae et ad ipsum Cardinalem Sanctae Crucis et ad P. Salmeron scriberentur, quibus nomine Summi Pontificis injungebatur ut Tridentum versus primo quoque tempore simul cum P. Laynez proficisceretur. Itaque Cardinalis, dato illi viatico, et per litteras gratias agens P. Ignatio, amanter eum dimisit [1].

15. Magnum sui desiderium P. Salmeron Neapoli reliquerat; ejus enim doctrina, ut litteris ipsorum constat, sic civitati Neapolitanae placuerat, ut vix alium avidius et attentius illa audierit. Non est tamen propter ejus recessum tractatio de instituendo Collegio omissa, et duo catalogi ab amicis confecti sunt, in quorum altero Pro-regis et illustrium Dominorum nomina, in altero reliquorum nobilium et copiosorum hominum scripta erant, ut unusquisque quid daret ad hoc opus instituendi Collegii manu sua adnotaret; et cum Dux Montis Leonis primus catalogum priorem subscripsisset, Pro-regi obtulit subscribendum, qui aliquot centenos aureos cum scripsisset se daturum, alii etiam magnates ipsum secuti sunt. Sed in secundo etiam

[1] Ignatius Salmeroni, Summi Pontificis voluntatem esse ut ad Concilium eat, sed prius quam Tridentum proficiscatur, oportere ut sive per Cardinalem Sanctae Crucis sive per Maffeum certior de iis, quae Tridenti agere ipse et Laynez debebunt, fiat, 13 Junii.

Digitized by Google

catalogo, cujus curam suscepit D. Dionysius, Monachus Benedictinus, multi multa obtulerunt, et aliqui perpetuos quosdam reditus, aliqui, dum viverent, se daturos subscripserunt; itaque non mediocris summa hac ratione fuit oblata. Sed omnino ipsius P. Salmeronis reditus vel P. Jacobi Laynez expetebatur; cum autem ad Concilium auctoritate Sedis Apostolicae missi essent, excusationem Neapolitani admiserunt. Patris Bobadilla doctrina et integritas multis placuerant; quia tamen imperitioris linguae visus erat, et in quadam exteriori libertate non ita ad aedificationem sicut alii compositus videbatur, eum mitti non optabant. Nihilominus Patri Ignatio, cum alii non suppeterent aptiores, eos mittere quos poterat constituit; inter quos ipse P. Bobadilla fuit, nec insignis ullus concionator exstitit; et tamen aequo animo id amici tulerunt, qui non tam prudentia humana quam alia spirituali via opus hoc inchoari intellexerunt. Et pergratum illis fuit hoc ipsum intelligere quod in autumno duodecim de Societate se missurum P. Ignatius promiserat [1].

16. Quamvis autem optaret P. Ignatius coloniam hanc Neapolim deduci, et id decentibus modis ne impediretur curabat; ut tamen majori cum aedificatione, tam Summi Pontificis quam Pro-regis, fundamenta Collegii ponerentur, suggessit expedire ut Pro-rex ad Summum Pontificem et ad Cardinalem Carpensem scriberet et ad se mitti Collegium postularet. Quod placuit quidem magnopere Duci Montis Leonis, sed has litteras, propter varias occupationes Pro-regis, non nisi sub finem Novembris obtinuit; nec solum Pontifici et Protectori, sed ipsi etiam P. Ignatio Pro-rex scripsit, et ut Collegium mitteretur Neapolim postulavit. Interim, cum P. Ignatius partim scholarum praeceptores, partim scholasticos, se missurum usque ad numerum jam dictum significasset, Dux Montis Leonis ut commoda domus ad has functiones conduceretur constituit, ut, dum Collegium commodo loco erigebatur, et habitationem nostri et locum

---

[1] Ignatius Duci Montisleonis, de fructu, qui ex Societatis Collegiis provenire solet et de ministeriis in hujusmodi Collegiis ad proximorum utilitatem exerceri solitis, 12 Septembris; idem eadem die, de collegio et de commendatitiis litteris a Cardinali Sancti Jacobi ad Regni Neapolitani Pro-regem scriptis; idem eadem die, Hieronymo Vignes et Fratri Dionysio de Caesena, mittendum Neapolim Nicolaum Bobadilla, ideoque ab ipsis curandum ut qui non bene Neapoli erga Bobadilla affecti sunt, animorum praejudicia deponant. Eadem die jussus est Bobadilla Brixia Romam venire.

Digitized by Google

scholis accommodum haberent. Quae autem conducta fuit, in medio civitatis et in aëre salubri sita erat, et tam cubiculis quam aliis locis ad scholarum et officinarum commoditatem idoneis abundabat. Sed ut proprius locus idoneus quaereretur ac designaretur, dixit Pro-rex Duci Montis Leonis se cum illo simul iturum deambulando in equis, ut mos est, per urbem ut situm idoneum in hunc usum designaret. Suppellectilia interim amici, ut lectos et alia ejusmodi, parabant, ut cum nostri eo venirent, instructa in domo exciperentur [1].

17. Pervenit interim Neapolim sacerdos quidam, natione gallus, Florentius Pauletus nomine, qui impedimento habitus cujusdam religionis suscepti, a qua ante professionem propter morbum dimissus erat, in Societatem non admittebatur, sub obedientia tamen et directione Societatis operibus pietatis in Sicilia operam dederat ac in puerorum orphanorum domibus instituendis versatus erat. Cum hic Neapolim pervenisset eo maxime tempore, quo domus orphanorum hujusmodi magna infamia, non solum ratione morum sed etiam haeresis, quae ibidem grassari coeperat, premeretur; hi autem, qui hujus operis curam gerebant, hunc P. Florentium in hujusmodi administratione versatum et ad reformationem illius domus idoneum intelligerent, Dux Montis Leonis et Comes Montorii suis litteris a P. Ignatio magno cum affectu postularunt ut P. Florentius ad tempus Neapolitanae domus, quae orphanis instituendis dicata erat, administrationem susciperet, quem miraculo quodam modo in tantae necessitatis tempore Neapolim pervenisse dicebant. Quod cum P. Ignatius praedicto Florentio commendasset, utilem ille operam huic domui praestitit, et partim confessionibus omnium auditis, partim exhortationibus apud orphanos habitis, ut meliori loco res esse inciperent per Dei gratiam effecit, et in reformationem tantopere necessariam serio incubuit et in ea non exiguos progressus fecit. Demum sub initium Decembris litterae Pro-regis, cum ducentis aureis in viaticum mittendorum, Romam perlatae sunt; et cum a Summo Pontifice

[1] Ignatius Duci Montisleonis, de iis qui proximo Septembri Neapolim Roma ad collegium inchoandum mittentur, optimum fore si primores neapolitani ad Pontificem scribant, 15 Augusti.—Similes litteras, adjuncta quadam instructione, ad Antonium Minturnum misit Ignatius, itemque Fratri Dionysio de Caesena, Hieronymo Vignes et Hieronymo de Fonseça.

Digitized by Google

benedictionem apostolicam in castro Sti. Angeli atque etiam exhortationem accepissent (deducente eos, simul cum aliis Florentiam mittendis, de quibus infra, Cardinali Sancti Jacobi), itineri se dederunt. Non omittam tamen quod cum utrumque Collegium simul cum aliis, quae alio mittebantur, Summus Pontifex videret, miratus multitudinem novae prolis, dixit, quasi subridens: manebit ne aliquis Romae?; sed facile potuit ei responderi quod nec domus nec Collegium Romanum propter has colonias hominibus destitutum manebat [1].

18. Caput eorum, qui Neapolim mittebantur, P. Andreas de Oviedo fuit; quamvis et P. Nicolaus Bobadilla nostris Neapoli suam operam praestitit. Ab Urbe digressi, cum Velitras pervenissent, quidam ex nostris in platea concionaturus se contulit, et tam ejus quam aliorum verbis aliqui permoti negotium P. Andreae, quamvis defatigato, facessebant ut ipsorum audiret confessiones. Idem aliis diebus ac locis accidit; cum enim aliquis ex nostris concionaretur, magnus semper confitentium numerus praesto erat, et ex his aliqui mercatores, alii quorum erat officium hospitio transeuntes excipere, alii agricolae, et nonnulli usque adeo rudes, ut quodam modo ab elementis christianae fidei esset cum illis inchoandum. Ultimo die discordes animos quorumdam, qui simul iter illud faciebant, P. Andreas feliciter composuit. Neapolim pervenientes, duo ex fratribus cum magno audientis populi applausu praedicandi munus in plateis obiere; demum ad conductitiam domum deducti, a P. Bobadilla praeter exspectationem omnia studiose ibi curante excepti sunt, et sua charitate ac hilaritate defatigatos eo itinere recreatus et consolatus est [2].

19. Postridie quam appulerunt, prout a P. Ignatio instructi fuerant, se ut Ducem Montis Leonis inviserent (ut praecipuum deducendi Neapolim Collegii auctorem) accingebant; sed charitas Ducis erga Societatem hoc ipsorum officium antevertit; edo-

---

1 Molestiae non parum attulit Ignatio Florentius, dum Neapolitanae orphanorum domus pertaesus ut Romam revocaretur curavit. V. litteras ab Ignatio et Polanco datas 27 et 30 Septembris, tum Hieronymo Vignes, Duci Monteleonis, Fratri Dionysio de Caesena et Comiti de Montorio, tum ipsi Florentio.

2 Polancus, *ex com.*, Patri Bobadilla, nostros Neapolim destinatos nondum posse Roma excedere, dum Pontifex aeger est nec eos excipere valet; sed spem esse fore ut sequenti Dominica iter arripiant, et Ignatium cupere ut eos ipse Neapolim ingredientes comitetur, 26 Decembris.

Digitized by Google

ctus enim de nostrorum adventu statim domum nostram salutaturus novos Collegiales advenit, et summa humanitate omnes appellavit, et animi sui propensionem multis verbis ostendit, et in frequenti nobilium virorum corona, se usque ad sanguinis effusionem Collegium hoc protecturum nullisque ejus necessitatibus defuturum est pollicitus, et opere ipso quod promiserat praestitit. Tandem, Duce ipso consulente, Sacerdotes nostri, PP. Bobadilla et Andreas, cum duobus fratribus, Puteolos Proregem salutaturi profecti sunt, quos ipse Dux Montis Leonis est comitatus. Ibi ergo magna cum humanitate et gaudio nostros Pro-rex, Petrus de Toledo, excepit, qui omnia, quae ejus nomine Dux promiserat, liberali animo confirmavit, et e vestigio, in ratam partem eorum, quae promiserat, centum coronatos Patri Bobadilla misit. Unus interim ex fratribus, scilicet, Joannes Franciscus Heraldus, Puteolis, quod in itinere et Neapoli etiam fecerat, strenuum se exhortatorem in platea praebuit. Neapolim redeuntes de exercitio scholastico evulgando agi coeptum est; litteras tantum humaniores latinas et graecas se facturos et quae ad christianam doctrinam puerorum atque adolescentum pertinebant se cum litteris conjuncturos profitebantur; sed haec initio anni sequentis (jam enim Natalitia festa instabant) inchoata fuerunt. Cathedrale templum domui satis vicinum erat, et sacellum quoddam eidem conjunctum, ubi spirituales exercitationes juxta instituti nostri rationem exerceri natalitiis festis potuerunt. Et haec de initio Neapolitani Collegii sint dicta.

20. Antequam de Florentini Collegii, hoc anno etiam deducti, initiis loquar, praemittendum est, quod P. Jacobus Laynez, postquam dominicis et festis diebus mense Januario suas lectiones vel conciones pomeridianas Romae magno cum fructu continuasset, simul cum Duce Gandiae 4.ª Februarii Pisas versus iter instituit. Litteris enim suis, ut superius dictum est, Ducissa Florentiae a Summo Pontifice eum impetraverat, et ea ratione e Sicilia Romam revocatus et demum ad Ducissam, quae Pisis tunc erat, missus est; et in itinere, sociorum, qui in Hispania cum Duce proficiscebantur, et sacrificia Missarum et orationes pro Florentiae Ducibus ac eorum ditione non paucas impetravit, quibus acceptum esse ferendum ille scribit, bona ex parte, si quid ibi Societatis opera bene succederet. Cujusdam viri no-

Digitized by Google

bilis, qui in comitatu Ducis erat, generalem totius vitae confessionem audivit. Exceptus fuit Gandiae Dux honorifice a Florentiae Ducibus et ipse etiam P. Laynez peramanter, cui habitationem et res ad vitam ducendam necessarias in monasterio quodam Sancti Benedicti, quod B. Michaëli sacrum est, Ducissa prospexit; et quia jam quadragesima, cum Pisas pervenissent, erat inchoata, et templa, in quibus conciones habere solebant, ab aliis concionatoribus occupata, existimavit P. Laynez diebus dominicis ac festis in ecclesia ejus monasterii, quod hospitio ipsum exceperat, sibi aliquid praelegendum esse; et ita decalogi expositionem est aggressus. Aderat illi frequens auditorium, a quo avide et attente lectiones ejus audiebantur, et fructum proinde non poenitendum sperare potuit [1].

21. Diebus feriatis in quatuor urbis illius monasteriis (nec enim plura sunt Pisis Archiepiscopo subjecta) est concionatus. Nullum erat eorum, quod, contra professionis institutum, proprietatem non retineret; sed per Dei gratiam in tribus eorum, immo, ut affirmabant, in omnibus, moniales ad vitam communem ac paupertatis professioni congruentem reductae sunt; et in uno, quod caeteris numero monialium ac earum nobilitate praestabat, reformatio fuit magis conspicua. Erat illud palatio Ducissae vicinum (et ideo ad conciones P. Laynez audiendas aliquoties illa accessit), ubi singulae seorsum cibum capere solitae erant, et simulatque panis erat coctus, illum inter se moniales dividebant, ita ut ne religionis quidem umbram retinere viderentur, nec Archiepiscopus aut earum confessarii ab eis ut regulam suam observarent impetrare potuerant; sed, Dei gratia per verbum ipsius operante, non solum in hac parte ad suae regulae observationem ac communem vitam se reduxerunt, sed in omnibus, quae ad institutum ipsarum et spiritus profectum pertinent, magnum progressum fecerunt; ut Dei opus fuisse omnino cerneretur. Post Pascha lectiones decalogi ad populum prosecutus est cum auditorum consolatione et gustu, qui Pisis Societatem perpetuo haerere valde cupiebant.

22. Postquam multorum confessiones etiam generales et quidem personarum primariarum audivisset, post Pascha men-

---

[1] **Ignatii Instructio seu informatio Patri Laynez, Florentiam proficiscenti, data de iis, quae cum Ducibus agere eum oportebit.**

Digitized by Google

dicorum confessiones voluit audire; nam ultra centum eorum confessionem in quadragesima non fecerant; singulis autem eorum aliquid eleemosynae tribuebat, partim ex pecunia, quam distribuere rogatus fuerat, partim ex ea, quae Ducissa ad ipsius et socii expensas dederat. Et quia bona eorum pars dominicam orationem ignorabant, eos docuit partim ipse P. Laynez, partim ejus socius Joannes, partim uterque simul; et plusquam centum, qui hanc orationem ignorabant, didicerunt. Symbolum etiam Apostolorum eos docuerunt, et eis, qui melius discebant, eleemosyna dabatur; quamvis aliqui erant ex mendicis senibus, qui numquam addiscere ne ipsam quidem orationem dominicam poterant, quam tamen dicebant se more Pisano scire, id est, bonam ejus partem omittendo, et inter caetera petitionem illam *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* et cum inculcarentur haec quae deerant, dicebant hispanicum esse morem illa verba dicere, non pisanum. Talibus, ut memoriter discerent, eleemosyna dabatur.

23. Sacerdos quidam aegrotabat, vir primarius, qui quamdam inimicitiam cum aliis ejusdem civitatis viris excercebat; hunc cum inviseret P. Jacobus Laynez, cor ejus emollivit Dominus et pene generalem vitae confessionem instituit, et his omnibus veniam donavit, a quibus offensus erat; postulavit etiam veniam ab his, quos ipse offenderat. In ejus ergo domo Missae sacrificium P. Jacobus Laynez cum Deo obtulisset, ei sacram communionem impertivit, et bene dispositum, ut ferebatur, potius ad migrandum ex hac vita quam manendum reliquit.

24. Ducissa Florentiae, ejusdem Patris hortatu, aliquas eleemosynas pauperibus est elargita, et monialibus ut in communi juxta suum institutum viverent, multum auxilii praestitit, partim pecuniarum, partim rerum aliarum, quae ad vitae usum necessariae sunt. Cum vacabat, aliquos ex doctoribus sacris, partem etiam suorum scriptorum P. Laynez relegebat; quod opportune ab eo fiebat, cum in Concilium jussu Pontificis Summi hoc anno Tridentum iturus esset.

25. Commendatum fuerat Patri Laynez a Cardinali Theatino, qui postea Pontifex Paulus IV fuit, ut Duci Florentiae auctoritatem Sancti Officii Inquisitionis commendaret; quod cum diligenter ille praestitisset, catholicum sane animum et zelum tam

Digitized by Google

in ipso Duce quam in Ducissa invenit, et si recusassent ne ipsorum subditi Romam evocarentur, ideo se fecisse affirmabant quod timerent ne infamiae nota frustra illis inureretur, cum tamen nihil erroris in eis esset inventum, vel contra quod sine punitione ipsos essent dimissuri, licet puniri mererentur; et utrumque incommodum ut evitarent, affirmabat Dux se scripsisse ut mitteretur aliquis Florentiam ab eo tribunali ut ibidem rei veritatem plane cognoscere et se reos, prout Inquisitionis Officium judicasset, egregie puniturum [1].

26. Quod ad Collegium Pisis promissum attinet, locus ille, quem Duces assignare voluerant, quia extra frequentiam et in loco parum salubri erat, non est opportunus iudicatus. Cum autem venatione et piscatione valde occupati essent illi Duces, quamvis in Societatem et ipsum P. Laynez bene affecti, rarius quam voluisset cum eis loqui poterat.

27. Cum die veneris Sancti ejus concioni Ducissa interesset, et aliqua ille tetigisset, quae vera et utilia potius quam jucunda videri poterant, de curiis principum hujus saeculi, non solum illa non est offensa, sed ipsum accersens, specialem ipsi charitatis affectum exhibuit et optare se magnopere significavit ne ex sua ditione recederet; et cum ad Concilium se destinatum ille subderet, etiam ad illud a suo Duce mitti et ejus expensis ibi esse posse respondebat. Cum autem optaret in eremum camaldulensem ad paucos dies recedere, et facultatem a P. Ignatio ad id peteret, si per Ducissam ei liceret, Ignatius concessit [2].

28. Cum vero erectionem Collegii Pisis aut Florentiae cord haberet, et Ducibus in memoriam non semel P. Laynez id redigeret, quamvis frigidiusculos videns eos principes in eo negotio, cui etiam suapte non erat P. Laynez admodum propensus, ex obedientia tamen P. Ignatii Ducem serio est allocutus, et propensionem Societatis ad ejus obsequium et ditionem ejus pro virili parte in rebus spiritualibus juvandam ostendit, et quantum commodi ex instituto Collegio consequi posset explicavit, ac demum ut quod promiserat exsequeretur postulavit, non illo in loco, quem assignaverat, sed apud Sanctum scilicet Frianum,

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, quid ab eo exspectet Theatinus Cardinalis circa Inquisitionis negotium, 14 Martii.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, ne Camaldulam secedat, si id Ducissae Florentiae displiceat, 25 Aprilis.

Digitized by Google

si Pisis fiebat; ad majorem tamen Dei gloriam cessurum et majorem animarum profectum fore autumabat, si Florentiae erigeretur; fructum etiam ex scholis consecuturum ibi uberiorem. Significavit Dux se optime intellexisse, sed quia mos ipsi erat scriptis quae ei proponebantur expedienda negotia committere, Patri Laynez ut scripto, quae dixerat, comprehenderet injunxit. Tandem Ducissa, Ducis nomine, ducentos aureos in singulos annos obtulit, ut Pisis vel Florentiae Collegium fieret, et jussit eidem P. Laynez ut hoc P. Ignatio scriberet et se etiam scripturam recepit, et curaturam ut Dux scriberet oratori suo, qui Romae erat, de re eadem; sed, cum recessurus esset Tridentum P. Laynez, aliquem esse mittendum judicabat, qui hoc negotium ad effectum deduci curaret; et sic Florentiam, relicta curia Ducum Pisis, sub initium Maii concessit, et in cathedrali templo concionatus frequentem populum ad jubilaei gratiam, propter Concilii felicem progressum concessam, est adhortatus [1].

29. Diebus etiam festis et dominicis concionari perrexit; in secunda concionis parte cum frequentem admodum populum ad largiendas eleemosynas hortaretur, in magnam id cessit pauperum sublevationem, qui fame hoc anno non mediocri premebantur, quamvis Dux Cosmus per omnes suae ditionis civitates, ad quas pauperes ex locis vicinis confluebant, singulis pauperibus quotidie panem unum dari praeceperat; quo beneficio Florentiae plusquam mille pauperes reficiebantur, qui vix toto die aliam eleemosynam inveniebant. Dies feriatos confessionibus pauperum P. Laynez impendebat et eisdem sacram communionem impartiebatur, et aliquas eis, qui confitebantur, extraordinarias eleemosynas fieri curabat; aliqui etiam ex viris primariis his Sacramentis ab eo refecti sunt; diebus etiam veneris his, qui in publica custodia detinebantur, qui multi et afflicti erant, cum spe non poenitendi fructus concionari coepit.

30. Cum autem canonici cathedralis ecclesiae ab eo peterent ut in quadragesima sequenti in suo templo concionaretur, P. Ignatius ei scripsit posse per quadragesimae tempus concionari, hac tamen conditione, si Concilii negotia non impedirent; sed cum mense Junio, Julius Pontifex ut Tridentum se conferret

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, ne pro Collegio, sive Pisis sive Florentiae erigatur, locum admittat, cui adnexa sit animarum cura, et ne in iis intercessionem adhibeat cujusdam Marci Braccio, 25 Aprilis.

Digitized by Google

cum P. Salmerone ei injunxisset et id per litteras Cardinalis Maffeus significasset, non se posse hoc concionandi onus subire canonicis respondit [1].

31. Infirmorum confessiones, qui in hospitali D. Pauli erant (in quo ipse Pater habitabat), persaepe audiebat; in octava autem D. Joannis Baptistae etiam hoc anno cum frequenti admodum et attento auditorio concionatus est, et omnes ad aliquam orationem absoluta concione hortabatur et ipse praeibat. Coactus est ad praedicationis commoditatem ab hospitali jam dicto ad Archiepiscopi domum templo vicinam commigrare. Ibi ergo dies, quos Florentiae exegit, antequam Tridentum recederet, non sine magna utilitate spirituali transacti sunt; quamvis Collegii negotium tam frigide procedebat ut non leviter patientiam P. Jacobi exerceret. Tandem decima Julii, cum jam Tridentum cum P. Salmerone esset recessurus, quod ultimis illis diebus cum Ducibus egerat, scribit; quorum summa haec erat: Collegium Pisis saltem eo tempore inchoandum, ad Collegialium expensas ipsum Ducem ducentos aureos esse daturum, Ducissam autem quinquaginta et usque ad centum, et demum quia Pisis et frumentum et vinum in reditibus annuis habebant, quae necessaria erant duodecim Collegialibus se daturos pollicebantur; domum etiam se daturos receperunt, et tempore renovationis studiorum posse Collegiales mitti; sed ipse omnino aliquem praemittendum censebat, qui habitationem et res necessarias venturis praepararet; et suggessit P. Laynez P. Elpidium ad hoc idoneum fore. Cum Ducissa etiam egit P. Laynez ut ad Summum Pontificem scriberet vel ad suum oratorem ut Pontificem alloqueretur et Patrem etiam Ignatium. Litteras etiam Apostolicas velle se obtinere Ducissa significabat ut P. Laynez ab ejus ditione sine Ducis aut ipsius venia non recederet; et sic, accepto viatico ab eadem Ducissa, Tridentum cum P. Salmerone profectus est, unde opus non habuit viaticum illud, quod P. Ignatius obtulerat, accipere [2].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, Summi Pontificis voluntatem esse ut ad Concilium eat; ideo nihil, quoad concionandum Florentiae attinet, promittat, 13 Junii.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, ut in memoriam Ducibus Florentiae revocet eorum promissa circa Collegium, et Romam eorum nomina mittat qui Perusii Societati favebant, 7 Martii; eidem, ut omnino opportunam quaerat arripiatque occasionem agendi cum Ducibus de Collegio Societatis Florentiae erigendo; eidem Polan-

32. Cum Octobri mense P. Elpidius ad hoc negotium urgendum venisset, hanc esse voluntatem Ducissae intellexit ut Collegium non inchoaretur, donec P. Jacobus Laynez rediret; clare enim significabat se ad Collegium instituendum ea ratione moveri, ut Patrem Laynez in sua ditione haberet; et ita, re infecta, P. Elpidius Patavium rediit [1].

33. Facile intellexit P. Ignatius hanc Ducum tentationem esse, et ab ea proficisci quod negotium utile ad Dei gloriam et animarum multarum salutem vel impediretur vel differretur; expresse enim ne scholastici venirent, quamvis aliter prius scriptum esset, P. Elpidio responsum est. Hanc ergo rationem iniit P. Ignatius, ut, sequendo priores litteras, duodecim illos Florentiam destinatos, habita, ut superius dictum est, Summi Pontificis benedictione, Florentiam mitteret. Et hoc ejus fuit consilium, ut, cum eo pervenissent, ex illis quatuor Pisas se conferrent, ubi Dux cum sua uxore versabatur, et litteras ferrent ad utrumque, quibus significabatur quod Collegiales mittebantur, prout Jacobus Laynez cum suis Excellentiis constitutum significaverat, nulla mentione facta de ultimo illo responso, quod P. Elpidio per matronam quamdam cubiculo Ducisae praefectam datum fuerat. Cum enim Collegium novum venisse Florentiam publice constaret, conscio et benedicente Pontifice ac praesente et deducente Cardinali Sancti Jacobi, Ducissae patruo, non integrum fore videbatur Ducibus amplius procrastinari. Externas vestes novas tam eis, qui Neapolim quam illis, qui Florentiam mittebantur, P. Ignatius confici jussit, ut ad auctori-

---

cus, non *ex commissione*, sed amice, an si nemo Roma Pisas proxima aestate mitti debeat, velit ipse Genuam, aut Perusium aut Bononiam ad tempus ire, 18 Aprilis; eidem, ut paratus sit, juxta Summi Pontificis voluntatem ad Concilium Tridentum ire, 25 Aprilis; eidem, de domo pro Collegio intra urbem Florentiae oblata, 22 Septembris.

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Elpidio Ugoletti, ut ad proficiscendum Florentiam et ibi manendum se accingat, 15 Augusti; eidem ut in ditione Ducis Florentiae subsistat, quia, si Collegium tandem Pisis erigetur, illud ad tempus aliquod regere debebit, 19 Septembris; idem Patri Laynez Tridentum ut commendatitias litteras ad Ducem et Ducissam Florentiae scribat, easque Elpidio Ugoletti ferendas mittat, 22 Septembris; idem Elpidio Ugoletti, quid dicendum et quid silentio praetermittendum, quando Ducem Florentiae et Ducissam Pisis conveniet, 17 Octobris; Ignatius Elpidio Ugoletti, ejus diffidentiam reprehendens eique injungens ne a ditione Ducis Florentiae recedat, donec admoneatur; et cum Romam scribet, quos progressus in longanimitate in dies faciat, Ignatio declaret, 24 Octobris.—Litterae, quas Elpidius de toto hoc negotio ad Ignatium scripserat, missae sunt Tridentum Patri Laynez, ut, iis visis, Duci et Ducissae, si videretur, ipse scriberet et Elpidio.—Polancus, *ex com.*, Elpidio ut Florentiae domum pro Collegio sine mora quaerat, dum litteras Patris Laynez opperitur, 7 Novembris.

Digitized by Google

tatem et aedificationem majorem primo in aspectu facerent; quod eo magis erat necessarium quia omnes juvenes et nullus inter eos concionator nec doctrina insignis mittebatur. Rector constitutus fuit P. Ludovicus a Coudreto; et pedites, quamvis quibusdam uterentur conductitiis equis ad onera ferenda et debiles sublevandos, iter confecerunt. Quatuor ex illis in oppido Aquaependentis male habere coeperunt, sed jumentis sublevati progressi sunt cum aliis. Sub vesperam aliqui semper concionabantur in hospitiis, et diebus festis etiam mane in pagis, qui in itinere occurrebant. Eleemosynam etiam petebant, et aliquos ad bene vivendum hortabantur; et ex his, qui per exhortationes ad confessionem faciendam movebantur, aliquam messem tam ipse P. Ludovicus quam Philippus collegerunt [1].

34. Vigesima septima Novembris Senas pervenientes, quemdam fratrem ad hospitium mittentes cum sarcinis, quatuordecim alii per civitatem ordinati ingredientes ad hospitale se contulerunt, ubi tres alios fratres nostros ex Hispania venientes invenerunt, ex quibus unus erat Philippus gandiensis, alter magister Albertus mutinensis, qui cum Viterbum progressi es-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Francisco Palmio, ut videat an expediat Christophorum Laynez et Petrum Ayllon cum Pantaleone Romam, Laureto transeuntes et peregrinantes, priusquam Florentiam se conferant, venire aut Bononiae ad praefinitum tempus subsistere; item ut bono animo sit onusque sibi impositum alacriter subeat, cui portando adjutores Roma, si fieri possit, mittentur, 5 Septembris; idem Elpidio Ugoletti, eos, qui ad Collegium Florentiae inchoandum mittentur, Roma excessuros secunda Novembris, qui, si Collegium tandem non stabiliatur, in alia Collegia erunt distribuendi, 24 Octobris.—Non secunda sed vigesima prima Novembris et quidem primo mane Roma profecti sunt P. Ludovicus de Coudreto cum aliis quatuordecim. Portabant autem secum sequentes litteras: 1.°, Ignatii commendatitias litteras ad Joannem de Rossis, medicum, Florentiam; 2.°, Ignatii Patri Elpidio Ugoletti; 3.°, Polanci commendatitias fratri suo Ludovico; 4.°, Polanci similes Doctori Astudillo Florentiam; 5.°, commendatitias item Cardinalis Sancti Jacobi Duci Florentiae; 6.°, ejusdem, Ducissae; 7.°, ejusdem Domino Ludovico (de Toledo?); 8.°, Cardinalis Burgensis Duci Florentiae; 9.°, eidem Cardinalis Maffei; 10.°, eidem sui Romae Legati.—Datae insuper eis sunt ab Ignatio tres instructiones seu informationes, quarum prima modum continebat, quo se gerere debebant, donec statueretur Collegium; secunda quid praestare deberent statim ac Collegium fuerit statutum; tertia, quam Ducibus ostendendi, si necesse foret, venia eis dabatur, causas declarabat quibus motus Ignatius fuerat ad eos hoc tempore et modo mittendos.—Altera die missae per tabellarium sunt Ludovico de Coudreto Ignatii litterae, quibus ei nunciabat admonitum se Ducum nomine fuisse ne Collegium hac hyeme Florentiam mitteret; re tamen cum Cardinali Sancti Jacobi collata, existimare non esse eos ab incoepto itinere revocandos; ideo alacri animo progrediantur, Ducibus se sistant et Domino fidant. Quartam etiam addidit instructionem seu informationem, Ducibus, si oporteret, ostendendam.—V. in ORLANDINI, *Hist. Soc.,* l. XI, n. 12, "praecepta et monita, quae B. Pater tradebat iis, qui novas in colonias per id tempus dimittebantur, et vim legum, nondum aliis promulgatis, habebant, et his quoque sunt tradita qui Florentiam abiere„.

Digitized by Google

sent, in aegretudinem incidens Albertus in hospitali diem clausit extremum. Dederat hic litteris operam Gandiae et pietate ac eruditione non vulgari praeditus erat; sed laboribus itineris, quos augebat paupertas, cum alioqui esset valetudinarius, brevi consummatus explevit tempora multa. Die sequenti, cum post sacrum celebratum a P. Ludovico fratres Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum accepissent, duo ex fratribus, Christophorus Laynez et Petrus Ayllon, Dominum Didacum de Mendoza Gubernatorem adierunt ac salutarunt. Qui cum intellexisset Collegium adesse Senis, quod Florentiam pergebat, voluit omnes videre, et viatico etiam eos sublevavit, quod eum tribus illis, quorum aliqui male habebant, diviserunt, ac eis valedicentes, Florentiam ultima die Novembris pervenerunt, et ad domum magistri Joannis de Rosis omnes se contulerunt. Post unum vel alterum diem P. Elpidius, qui nondum recesserat Florentia, cum duobus ex his, qui Roma missi erant, Bononiam discessit. Missi sunt etiam Pisas Christophorus Laynez cum Petro Ayllon, reliquis apud magistrum Joannem de Rosis manentibus, qui magnam eis charitatem impendebat, nec inde recedere permittebat, quamvis domum jam conduxisset P. Elpidius, quia non constabat Pisisne an Florentiae Collegium esset instituendum. Sed in vicino templo Divi Pauli Missae sacrificium celebrabant.

35. Dominus Ludovicus de Toledo litteras adjunxit illis, qui Pisas mittebantur ad Ducissam, et viaticum; et antequam illi hoc iter aggrederentur, duodecim simul Cardinalem Farnesium, qui tunc Florentiae versabatur (quod Pontifex ipsi et Duci Parmensi offensus esset, unde, invitato Imperatore Carolo V, Parma obsidebatur ab exercitu pontificio et caesareo) adierunt, ac nomine Societatis officiose salutarunt, quos cum amanter excepisset, voluit ut P. Ludovicus cum uno vel altero socio ad ipsum rediret; quod cum fecisset, de rebus partim spiritualibus partim ad Societatem pertinentibus agere coeperunt; et saepius ad se redire eumdem voluit [1].

36. Interim quatuor illi, qui Pisas se contulerant, quarta Decembris Pisas pervenerunt ea ipsa hora qua venatum egressi

---

[1] Ignatius Elpidio Ugoletti, Florentiam, aut si-is absit, Ludovico de Coudreto, ut Ignatii nomine Cardinalem Farnesium invisant, 29 Novembris.

Digitized by Google

Dux cum sua uxore fuerat; sed in palatio eos exspectantes, Petrus Ayllon Ducem, Christophorus Ducissam aggreditur. Audivit Dux Petrum et litteras ab eo accepit, et se responsum postea daturum dixit. Interim cum videret in lectica palatium ingredientem Ducissam et cum ea Christophorum loquentem, intuendo Ducissam ridere coepit et visus est dicere quod forte non intellexisset P. Elpidius responsum ipsi datum, vel quod non recte illi significata esset eorum voluntas. Simul atque autem dedit Ducissae litteras Christophorus et dixit se fratrem esse P. Jacobi Laynez, dixit ei: certe, a media leuca te cognovi et perlibenter te vidi. Sequenti die cum Duci occurrissent, considerabimus, inquit, et providebimus, quod facto sit opus [1].

37. Tunc solum Christophorum alloqui voluit Ducissa, et ei dixit Summo Pontifici se scripsisse ut ad se mitteret P. Jacobum; deinde percontatus est quot ex nostris venissent et quot ex illis essent hispani. Cum intellexisset omnes esse duodecim, hispanos tantum duos, reliquos partim italos, partim gallos, partim flandros, qui tamen italicam linguam tenebant, ad quid mittitis huc gallos?, dixit, et de istis flandris quid vultis agere?; cur non mittitis eos ad ipsorum provincias?, et alia hujusmodi. Subdit deinde: misistis ad me Sacerdotem quemdam, quem ego nec intelligebam nec ipse me. Tunc subdidit valde se optare ut Collegium fieret Florentiae, sed interim, dum locus idoneus Florentiae inveniebatur, Pisis aliquandiu versari posse. Tunc sicut instructi fuerant a P. Ignatio (qui Florentiae potius quam Pisis Collegium fieri optabat, quod nobis Florentiae domus ab amicis oblata fuerat) [2]... tacuit illa et coepit alia de re loqui, quam scilicet pium ac bonum esset Deo servire, sed quod ipsa nesciebat quomodo id facere posset, cum jejunare non posset; et interrogavit Christophorum quid facere posset ut Deo serviret. Subdidit ille quod, si propter stomachi debilitatem jejunare non posset, aliis multis operibus pietatis id compensare poterat. Rogavit tunc ejus sententiam Ducissa de re, de qua tunc agebatur: cum scilicet parum honeste mulier quaedam viveret et duas filias penes se haberet, quas timeri poterat ne sui imitatri-

[1] Polancus, *ex com.*, Petro Ayllon, ut Elpidio Ugoletti scribat quem modum in alloquenda Florentiae Ducissa Pisis tenuerit, 12 Decembris.

[2] Desunt hic aliqua verba, a librario forte praetermissa; sensus nihilominus perspicuus est.

Digitized by Google

ces faceret, an expediret eas illi auferre. Pium opus fore, ait Christophorus, cum, habitando apud matrem hujusmodi, alterum jam pedem in inferno habere viderentur. Placuit Ducissae ejus sententia et statim misit qui puellas a matre auferret.

38. Dederunt praeterea in scriptis Ducissae rationes quasdam Roma missas a P. Ignatio, propter quas Collegium Florentiae potius quam Pisis esset instituendum, quas illa accepit Duci, ut creditur, ostensura. Interim remissis sociis Florentiam, nostros admonuerunt, quo in statu res essent ac sibi videri in conductitiam domum migrandum, ut dici posset quod jam nostri domum Florentiae inhabitarent. Demum cum Ducissa diu sermonem cum Christophoro protraxisset, haec ejus ultima sententia fuit: quandoquidem nostri jam locum haberent Florentiae, intra quatriduum se eos expedituram; et demum probavit ut Florentiae manerent; et praeter viaticum, quinquaginta aureos dedit, ut expendere in rebus necessariis inciperent.

39. Interea nostri Florentiae lectos et supellectilia parabant; et pergratum illis fuit nuncium et etiam multis externis, cum Collegium Florentiae maturius esset. Et sic consilium P. Ignatii prosperum habere successum visum est. Et quia non exiguae expensae in rebus necessariis comparandis erant faciendae, quinquaginta aureos, ad quos Florentiae capiendos, si opus esset, litteras P. Ignatius dederat, acceperunt; et scamna ac res necessarias ad scholae commoditatem, eodem transcribente, compararunt; quamvis usque ad festa natalitia transacta et anni sequentis initium lectiones non erant inchoandae. Audiendis confessionibus sacerdotes vacarunt, cum tempus ipsum ad hujusmodi messem idoneum esset, et in carceribus hoc pietatis officio sunt functi et piis exhortationibus eos, qui ibi detinebantur, juverunt; et cum non possent omnibus satisfacere, qui ab eis juvari cupiebant, alium sacerdotem Rector postulabat. Coepit idem ante festa natalitia christianam doctrinam in templo Sancti Pauli interpretari, et satis multi aetate provecti, potius quam pueri, ad eum audiendum confluebant [1].

40. Eodem fere tempore ecclesia Sti. Josephi, quae cujusdam est confraternitatis, in usum Collegii oblata est; sed quia

---

[1] **Polancus Ludovico fratri gratias agens pro iis, quae Florentiae in Societatis favorem curat, 17 Octobris.**

Digitized by Google

locus remotus erat a frequentia et domus exigua et aëre parum salubri, non est admissa. Tanta esse coeperat exspectatio nostrorum ut super trecentos vel quadringentos scholasticos statem inchoatis lectionibus adfuturos dicerent; et P. Ludovicus ne non sustineri posset talis exspectatio dubitabat, cum tantum ad grammaticam et humaniores litteras praelegendas aliqui inter illos duodecim missi essent. Et hoc principium tan humile Collegium florentinum habuit, ut magister Joannes, hospes Societatis et ejus amator per litteras non dissimulaverit quod sentiebat, scilicet, in tam insigni civitate non omnes esse juvenes oportere et majori doctrina ac concionandi talento praeditos se exoptasse, cum abundaret doctis et ingeniosis viris ea civitas, tam religiosis quam saecularibus, quibus nec conciones nec lectiones P. Ludovici satisfacere possent. Sed P. Ignatio visum est humile fundamentum ponendum, ut paulatim aedificium spirituale augeretur; nec alioqui magis idoneos, quos mitteret, Societas tunc habebat [1].

41. Antequam neapolitanum et florentinum, ortum habuit hoc eodem anno Collegium ferrariense. Dux enim Ferrariae, ut non semel promiserat, propensum ad Collegii institutionem se ostendebat; quamvis cum erga Patrem Claudium optime affectus esset, erat qui suspicaretur promissum ejus reditum ante Collegii principium exspectari. Sed cum postea intellexisset a Rege romanorum Ferdinando Viennam esse illum evocatum, non admodum aequo animo id tulisse visus est; at non propterea destitit a Collegii institutione. Locum nihilominus designabat Sti. Ludovici, qui ad Collegii functiones idoneus a nostris non est existimatus; et demum in loco commodo conducta domus est, cum P. Paschasius, ab amico Augustino Musto evocatus ut locum videret, comite Joanne de Victoria, nullum alium ex propositis locis probaret. Conduxerant amici domum istam et suppellectilibus mutuo datis instruxerant; Dux autem ipse ducentus aureos singulis annis se daturum promiserat; et quamvis benevolum animum erga Societatem Patri Paschasio ostendisset, non amplius quam dictum est offerebat, et evocari collegiales, et inter eos Sacerdotes quamplures fieri posset, jusse-

[1] **Polancus, *ex com.*, Ludovico de Coudretto, ut scholas sic disponere curet ut non nimium frigoris scholastici experiantur, 17 Decembris; eidem, licere eis quidem emendicare, non tamen quidquam a scholaribus accipere, 26 Decembris.**

Digitized by Google

rat, qui non solum vita sed etiam doctrina praediti essent. Significabat enim eorum opera ad res magni monenti uti velle. Ostendit tamen Duci P. Paschasius difficile posse multos mitti, cum ad alia complura loca essent mittendi; sed facturum esset P. Ignatium quod posset ut Duci gratificaretur, cujus benevolentiae ac beneficiis inde ab initio Societatis multum debere Societatem agnoscebat. Significavit interim P. Ignatio Paschasius septem vel octo et non plures mittendos videri, inter quos aliqui essent Sacerdotes. Scripsit etiam Ducis nomine Dominus Alphonsus Rossettus, prius Comatii [1] deinde Ferrariae Archiepiscopus, collegiales Ferrariam mitti postulans et praeter Ducis subsidium ducentorum scutorum annuorum non se dubitare affirmans quod eleemosynae aliae publicae et privatae non essent defuturae; mediam tamen partem eorum, qui mittendi essent, Sacerdotes esse cupiebat, quibus messem Ferrariae non defuturam affirmabat [2].

42. Misit itaque P. Ignatius septem ex Urbe, quorum caput P. Joannes Pelletarius erat, qui paucis mensibus romano Collegio praefuerat; et scripsit eidem Patri Paschasio ut mitteret P. Franciscum Palmium, vel ipsemet Ferrariam iret et Collegio praesset ut superintendens. Cum autem tentasset animum P. Francisci Palmii, vir ille, alioque valde bonus sed melancholiae obnoxius, sic percussus fuit, ut in febrim incideret, et ea dies aliquot, postquam hoc ei significatum fuerat, laboravit. Eo itaque Bononiae relicto, cum septem sociis Ferrariam quinta die Junii pervenerunt. Cum autem Mutinae absens Dux esset, eo scripsit Paschasius rogans Dominum Alexandrum Fiaschum, qui in domo quaerenda ad usum Collegii et in aliis ad ejus institutionem pertinentibus valde officiosum semper se praebuerat, ut nostrorum adventum Duci significaret. Significavit autem Dux suis litteris ad P. Ignatium gratum sibi fuisse nostrorum adventum, quem ad spiritualem utilitatem sui populi fore sperabat. Scripsit et Alexander gratias agens quod in opere tam pio ejus opera Ignatius uti voluisset. Rogarunt autem tam

[1] Sic; est tamen Comaclum, quod etiam dicitur Cymaclum et Cymaculum *(Comacchio)*, Episcopalis sedes sub Ravennatensi Archiepiscopo.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Paschasio Broet, de loco ad Collegium ferrariense eligendo et de auxilio Domini Augustini Musto adhibendo, 14 Martii; eidem non mittendos Roma scholasticos nisi prius de beneplacito Ducis certo constet, 27 Martii; eidem, an proxima aestate mitti Ferrariam possint scholastici, 18 Aprilis.

Digitized by Google

Dux quam ipse Alexander P. Ignatium ut cujusdam monasterii virginum, quae a Rosa nuncupabantur, a matre ipsius Ducis erecti, curam aliquis nostrorum sacerdotum susciperet. Quamvis autem recens esset Collegium et ab ipso Duce, si humana spectemus, penderet, non tamen P. Ignatius quod petebat concedendum existimavit, sed rationes scripsit nonnullas, et ea erat praecipua quod instituto nostro repugnaret. Excusationem Dux et amici admiserunt, cum praesertim ad audiendas semel ipsarum confessiones vel iterum non defuturam esse Societatis operam intelligerent; et ut aliquem sacerdotem idoneum sibi notum nostri ad hoc opus dirigendum hortarentur petierunt [1].

43. Sed ad Collegium redeundo, postquam in conductitia domo habitare nostri coeperunt, P. Pelletarius coepit cum frequenti ac pio auditorio concionari, quamvis italicam linguam non bene adhuc teneret, in qua ut se exerceret est nomine P. Ignatii admonitus. Coeperunt et confessiones audire quorum multitudinem non minorem quam Bononiae Ferrariae P. Paschasius experiebatur. Legebat etiam a prandio P. Pelletarius epistolam dominicae occurrentis, si non admodum disserte propter linguae defectum, certe erudite ac pie, et rumor bonus sic increbescere coepit ut etiam extra Ferrariam ex locis vicinis aliqui in civitatem venirent, ut Sacerdotibus romanis sanctis (sic enim eos vocabant) confiterentur, et verbum Dei audirent. Cum

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Paschasio Broet, de mittendo Ferrariam Francisco Palmio cum septem aliis qui Roma proficiscentur, 9 Maii; eidem de proficiscentibus Roma Ferrariam ut eis se Bononiae adjungant Franciscus Palmius et Joannes Baptista de Jesu, aut ipse Paschasius, 16 Maii; idem Patri Laynez, mittit summariam informationem de iis, qui Ferrariam mittuntur et per Florentiam iter facient, 23 Maii; idem eos Joanni de Rossis, medico, commendans, eadem die; Ignatius Episcopo Rossetto, Duci Ferrariae et Julio Barbiero de iis qui Ferrariam mittuntur, 22 Maii; idem Patri Joanni Pelletario quaternas patentes litteras, sc., una, qua eum Rectorem caeteris praeficit, altera facultatum et privilegiorum usum ipsi communicat, tertia de facultate absolvendi resipiscentes haereticos, et quarta de dispensando a jejunio, 23 Maii; idem Francisco Palmio, eum, si Ferrariam se conferat, futurum Rectoris adjutorem et Patrem Broet superintendentem, eadem die; Ignatius Alexandro Fiaschi in commendationem nostrorum Ferrariam euntium, 13 Junii.—Eadem die missa est instructio seu informatio Patri Joanni Pelletario de iis, quae Ferrariae curare debebat.—Polancus, *ex commissione*, Patri Francisco Palmio, ratum habere Ignatium quod ipse Bononiae maneat, 20 Junii; idem Paschasio Broet curam domus orphanarum admitti a Societate juxta suum institutum minime posse et curandum ne Dux ad Ignatium ea de re scribat, 4 Julii; eadem die Joanni Pelletario de christiana doctrina docenda et italica lingua addiscenda; Ignatius Ferrariae Duci, de quodam Sacerdote eligendo ut monialium curam Ferrariae habeat, quam suscipere nullo modo Societas potest, 11 Julii (Has habes in *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 362 et 460); idem cadem die Alexandro Fiaschi, vel Fieschi, Ducis ministro.

Digitized by Google

autem commendata fuisset a P. Ignatio christianae doctrinae lectio, ipso die B. Joanni sacro, relictis epistolis, eam enarrare aggressus est.

44. Cum Ducis reditum Ferrariam exspectassent, eo veniente, scholas aperuerunt humaniorum litterarum, latinarum et graecarum simul cum doctrina christiana, quas se gratis praelecturos publicarunt [1].

45. Interim cum foemina quaedam immundo spiritu vexata cum P. Paschasio confessa esset, exorcismos adhibuit P. Pelletarius; et cum sex vel septem homines illam aegre tenerent, tandem per Dei gratiam liberata a daemone ad se rediit et saluti restituta est. Exercitia spiritualia P. Paschasius quibusdam utriusque sexus personis, decem vel duodecim numero, eodem tempore proponebat.

46. Post promulgationem scholarum statim ex urbe scholastici ad nostros congregari coeperunt, quos diligenter P. Pelletarius instituendos curabat, et, crescente eorum numero, inter quos nobilium filii multi erant, in tres classes fuerunt distributi. Primae P. ipse Pelletarius; secundae Baptista de Velati; tertiae Andreas Bononiensis curam gerebat; quamvis postea hoc onere P. Pelletarius sublevatus fuerit. Fuit autem Duci gratum quod de scholis apertis intellexerat; etsi nostri nondum eum salutassent; bellum enim Parmense et sollicitum et occupatum hunc Ducem tenebat.

47. Crescebat scholasticorum numerus in dies, et fere ad centum viginti ascendit; et quoniam in rudimentis grammatices solida fundamenta non jecerant, ut melius in eis instituerentur, non parum in eis erat laborandum. Accedebant et parvuli qui legere aut saltem scribere nesciebant; sed ne illi admitterentur in posterum P. Ignatius injunxit; quamvis enim pia esset occupatio, nostri non poterant operam eis sine magno incommodo navare. Diebus dominicis ac festis unus ex fratribus vel scholasticis externis de aliqua virtute declamabat, quod exercitationis genus pergratum parentibus juvenum accedebat, scholasticis externis praesentibus; sequebatur lectio christianae doctrinae, cui non pauci praeter scholasticos aderant. Singulis

[1] Polancus Joanni Pelletario, de libellis doctrinae christianae, quibus inscripserat Pelletarius Polanci nomen, 3 Octobris.

Digitized by Google

diebus sacrum audiebant scholastici in templo vicino; tam in accedendo quam in recedendo omnes ante imaginem in schola collocatam orabant; et demum facile qui essent scholastici nostri collegii ab aliis in pietate et modestia discernebantur, quorum in melius mutatio miranda prorsus his, quibus noti prius fuerant, videbatur, et cum gratis talem institutionem juventus haberet, non poterat parentibus id non gratissimum esse.

48. Versus finem mensis Julii P. Paschasius cum P. Pelletario Ducem Herculem simul cum Cardinali Hippolito, ejus fratre, salutarunt. Ab utroque humaniter excepti sunt et benevolentiam prae se illi ferebant ac se nostrorum orationibus commendabant. Hanc benevolentiam Alexander Fiaschi non officiis tantum sed eleemosynis testabatur. Ducissam etiam salutarunt, quae Ferrariam mense Augusto venerat; quae audivit quidem eos, sed minime se laetari ex nostrorum adventu significavit [1].

49. Virum quemdam hebraeum et ejusdem generis mulierem in catechismo christiano instruxerunt et mulier quidam in Cathedrali templo baptizata fuit, sed vir, in morbum incidens gravem, ipso in lecto baptizatus est et, Extrema Unctione ibidem sumpta, eodem die ad meliorem vitam migravit.

50. Octobri mense, relicta priori domo, in aliam quae hortum habebat, ad nostram habitationem commodam migrarunt, et ibidem studiorum renovationem more parisiensi celebrarunt. Aliqua praecepta rhetorices et ex lingua graeca praeter grammaticam auctorem aliquem etiam tunc P. Pelletarius enarrabat; addita tamen fuit quarta schola, ut iis, quorum eruditio erat diversa, diversi etiam praeceptores sese attemperarent [2].

51. P. Paschasius praeter confessiones quotidianas tam in ecclesia quam in hospitali, quam etiam domibus privatis, cum ab aegrotantibus accersebatur, per spiritualia exercitia aliquos ut proficerent juvabat. Cuidam gallo, qui philosophiae operam dederat, et in bonis litteris erudito ea proposuit, qui Societatis instituto se addixit. Eisdem excultus fuit Dominus Alexander Fiascus et quidem cum egregio spirituali fructu, et

---

[1] **Ignatius Paschasio Broet, ut Vicelegatum Sauli visitet et Cardinalem Crescentium, ultima die Aprilis.**

[2] **Polancus, *ex com.*, Joanni Pelletario, ut ampliorem domum pro Collegio habere satagat, quo plures in eam admittere possit; et ut Joanni Baptistae de Jesu lectionum laborem minuat, quo is citius concionandi munus valeat obire, 29 Novembris.**

Digitized by Google

virgines aliquae, quae religionem deinde ingressae sunt, et doctor quidam utriusque juris, qui idipsum facere constituit.

52. Mense Decembri instructionem a P. Ignatio acceperunt tam P. Paschasius, superintendens, quam Pelletarius, Rector, ut quomodo se alter erga alterum haberent intelligerent; injunctum etiam illis fuit ne scholasticos propria manu castigarent, sed correctorem ad id adhiberent [1].

53. Omnes scholasticos die sabbati P. Pelletarius, habita exhortatione, ad pietatem ac devotionem inducere conabatur. Et magnopere homines hoc institutum Ducis de Collegio instituendo commendabant ac primarii praesertim viri, qui nihil utilius unquam egisse Ducem affirmabant. Quamdam autem domunculam in usum scholarum et suum priori adjunxerunt; non tamen admittebant ultra centum triginta scholasticos, quia plures commode nec in scholis excipi nec institui possent. Singulis mensibus omnes confitebantur nec deerat qui saepius id faceret.

54. Cum autem P. Ignatius facultatem emittendi professionem solemnem P. Pelletario misisset, et cum ille in festo Sancti Stephani frequenti auditorio concionaretur, ut ejus orationibus juvaretur et quod ad aedificationem id fore speraret, populo significavit se die sequenti juxta praescriptum sui Generalis professionem emissurum, ac eorum postulavit orationes ad Deum ut ipsius oblationem acceptaret et gratiam fideliter observandi quae vovisset impetrarent. Sequenti ergo die fere omnes, qui id intellexerunt, ad templum accesserunt; inter quos fuit Episcopus Rosetus, Dominus Alexander Fiascus et alii viri primarii, et cum aedificatione ipso die B. Joannis Evangelistae res transacta fuit, et multis donis in Collegium missis, benevolentiam suam multi testati sunt; et Ferrariensis nobilitas paulatim nostris magis ac magis affici videbatur et multi boni viri totum diem apud nostros, si eis permitteretur, vellent expendere [2].

55. Nostri, quamvis ultra decem non essent, ut in spiritu

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Paschasium Broet rogans quid de domus Ferrariensis ordine sentiat et superintendentia, 26 Septembris. V. infra annot. sub n. 116.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Paschasio Broet, deliberasse Ignatium ad professionem Pelletarium admittere, 29 Novembris; idem Joanni Pelletario, ei gratulans de emissa professione, eique et Broet injungens ut ampliorem locum quaerant et externum correctorem adhibeant, 26 Decembris.

Digitized by Google

proficerent et in litteris curabatur; aliqui ad institutum nostrum adspirantes, justas ob causas non sunt admissi [1].

56. Inter eos, qui opera P. Paschasii in xenodochiis magno cum fructu adjuti sunt, unus erat qui, cum in gutture vulnus accepisset, per quod cibus sumptus elabebatur, nullo modo inimico offensam condonare volebat; sed illi P. Paschasius ut de peccatis confiteretur persuadens, et ex consequenti ut injuriam condonaret, a daemonis faucibus eum eripuit. Erat et quidam sacerdos, qui ob peccatorum multitudinem et gravitatem de propria salute desperabat, et quamvis multi ejus spem in Dei misericordia erigere tentarent, in sua diffidentia perseverabat; sed quibusdam ex nostris eum invisentibus, divino favore adspirante, resipuit, et post paucos dies bono animo ex hac vita migravit.

57. Ad crebras confessiones magno numero et devotione ferrarienses confluere coeperunt, et inter eos qui crebro communicabant, magna pars in spiritu valde proficiebant, et componendis aliorum dissensionibus, et mulierculis a flagitiosa vita ad honestatem revocandis, et pauperibus sublevandis, et aliis demum charitatis operibus cum aedificatione vacabant. Mulier quaedam, a spiritu malo vexata, a duodecim aliis deducta est in templum; aderat ei quidam sacerdos, qui frustra exorcismis eam liberare conatus fuerat; illa per solam confessionem a P. Paschasio liberata fuit, et post paucos dies ex hoc exilio ad patriam feliciter migravit. Quemdam, qui baptizatus in Lusitania fuerat et, in judaismum recidens, Ferrariae versabatur, Deo et Ecclesiae sanctae reconciliavit.

58. Bononiae hoc anno Collegium non inutiliter in vinea Domini laboravit. Procurator quidam ejus urbis, spiritualibus exercitiis excultus cum magna animi consolatione, ad carthusienses accedere constituit. Miles quidam insignis, de quo superiori anno actum fuerat, postquam pacem cum inimicis conciliavit et sacramenta confessionis et communionis aliquandiu frequentavit, in bono suo proposito, morte succedente, a Domino confirmatus est.

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Paschasio Broet, ut Romam enucleate scribat quibus pietatis operibus et exercitationibus dent operam, et ne quid ut perpetuo duraturum inducant, priusquam de harum exercitationum natura, ordine et modo aliquid certum definitumque pro omnibus Societatis Collegiis ab Ignatio statuatur, 31 Octobris. - Similes litterae missae sunt Bononiam, Venetias, Messanam et Panormum.

Digitized by Google

59. Ex sacerdotibus, qui spiritualibus exercitiis adjuti fuerant, fructus insignis in eorum populis consequebatur; nam illis concionabantur et ad crebram confessionem et communionem excitabant, nec id tantum Bononiae, sed etiam in ejus dioecesi, cum magna aedificatione cernebatur; et sancti a plebe habebantur. Horum duo monasteriis monialium praefecti fuerunt, qui tam egregie suo funguntur officio, ut monasteria ipsis commendata mira religione caeteris praeluceant et in spirituali devotione ac virtutibus proficiunt.

60. Duo ex nostris scholasticis cuidam academiae multorum juvenum se adjunxerunt, et multis exercitationibus scholasticis sibi et illis utiles erant. Unus eorum, cum ad eum lectionis praelegendae (nam per vices id faciebant) locus esset devolutus, sic academiae scholasticos latina oratione ad piam vivendi rationem est adhortatus ut praeceptorem praesentem et condiscipulos non parum commoverit. Demum in litteris diligenter proficiebant, et latino sermone domi, quod in Italia parum erat usitatum, utebantur; ac demum nullum non movebant lapidem ut proficerent.

61. Quod ad christianam doctrinam attinet, aegrotantium visitationes, poenitentium confessiones, ac sanctissimae Eucharistiae administrationem, ut anno superiori ita et hoc perseverabant, novi enim quotidie alii atque alii cum animo vitam in melius commutandi eo confluebant; sed nullum brevius compendium ad insignem profectum experti sunt quam in spiritualibus exercitiis, quibus exculti serio reformationi sui dabant operam et aliis aedificationis erant; ut multi admirarentur et quasi vulgi vox esset: quid faciunt isti sacerdotes, quorum opera, qui eos adeunt, in alios homines mutantur [1]?

62. Concionatus est in quadragesima P. Franciscus Palmius cum frequenti ac devoto auditorio; diebus autem festis a prandio Psalmum *Miserere mei* multis convenientibus enarrabat. Cum in carnis-privio multa pro more cum pietate parum conjuncta fierent, zelo honoris Dei et salutis animarum aliqui ex nostris moti, ad loca illa, ubi ludi publici fiebant, se contulerunt, et scamnum coram omnibus ascendentes magno cum fer-

[1] **Polancus, *ex commissione,* Francisco Palmio, de catechumenorum domo romana, ut Domina Violante Gozzadino directe Jacobo Crescentio scribat; illius enim domus negotiis non amplius se, justis de causis, Ignatius immiscet, 26 Septembris.**

Digitized by Google

vore concionari coeperunt, quibus multi pie affici ac moveri se sentiebant, et alii ad domos suas, alii ad pagos vicinos ut concionarentur invitabant, largas pollicitationes facientes. Complures autem nobiles tam libenter eos audiebant, ut quaererent quo die, loco et hora essent concionaturi, ut illos audire possent.

63. Xenodochia cum pauperum et praefectorum aedificatione visitata fuerunt; quorum praefecti P. Paschasium elegerunt, ad quem singulis mensibus sacramenti hujus suscipiendi causa ventitabant. Ad oratorium etiam, quo illi conveniebant diebus festis, aliquando se conferens Paschasius ad christianam pietatem hortabatur, et cum multis pueris christianam doctrinam edocebat.

64. Multas virgines sic in spiritu promovit, ut aliquae earum religionem ingredi summopere optarent, aliquae virginalem puritatem proponerent, aliquae voto se ad eam, matura tamen consideratione praeveniente, obstringerent, quarum devotionem et in oratione profectum, cui diu noctuque vacabant, explicari non satis posse Paschasius affirmabat; jejuniis insistebant saepius in hebdomada et aliis rationibus corpus castigabant et freno, ne limites transgrederentur, indigebant; sed inter caeteras virtutes elucebat in eis obedientia cum ne latum quidem unguem, ut aiunt, a Patris spiritualis consilio vellent recedere. Erant et viduae, quae Annam illam orationibus et observationibus deditam, et Judith castissimam ac Tabitam pietatis operibus valde deditam imitari conabantur, quae jejuniis et orationibus vacantes pauperum matres se exhibebant, quas vidisses mane ante sacrum Sacramentum per duas horas ferventer orantes; et aliis recedentibus, aliae in templo Divae Luciae succedebant, ut fere singulis diei horis aliquae in ecclesia orarent. Sed et plurimae etiam matrimonio conjunctae, etiam ex nobilioribus civitatis, crebro ad confessionis et communionis Sacramenta accedebant, et in incessu et habitu omnibus admirationi et aedificationi erant, margaritis et sericis vestibus ac torquibus et demum vano ornatu deposito; quod ea in civitate eo fiebat utilius, quod superfluis sumptibus ac vanis ea mirum in modum abundabat; quae res viris magnopere placebat, quia molestias illas, quas ferre ab uxoribus propter ipsarum pompam sustentandam solebant, non amplius sentiebant; unde id consecutum est ut viri ipsi suas uxores ad spiritualem vitam

Digitized by Google

hortarentur. Viri non tan frequenter ad confessionem et communionem accedebant; multi tamen ex nobilibus et scholasticis etiam in spiritu ac pietate proficiebant. Quidam sacerdos bononiensis hoc anno in Societatem admissus et Romam destinatus est [1].

65. Recedente P. Paschasio Ferrariam, P. Franciscus Palmius Collegio praeesse coepit; quia tamen urgebat confessionum multitudo, alium submitti sacerdotem peroptabat, cum vix ad capiendum cibum tempus ipsi suppeteret; bellum enim vicinum in Longobardia et annonae caritas multos dum premebat, ad Deum accedere compellebat [2].

66. Cum P. Simon, ex Urbe recedens in Portugalliam, Bononiam pervenisset, ac procuratores, qui Romae fuerant, scilicet, Patres Ambrosium et Petrum Diaz, secum adduceret, Ambrosius Aprili mense in aegritudinem incidens, Bononiae cum P. Petro Diaz relictus, cum usque ad Julium mensem conflictatus cum morbo esset, demum recuperata sanitate, Bononia 13 Julii Genuam versus profecti sunt.

67. Quamvis optaret P. Ignatius augeri eorum numerum, qui Societati se consecrabant, delectum tamen haberi volebat ac praesertim in aetate, et mensuram longitudinis ad Rectores Collegiorum miserat, ad quam statura eorum, qui admitti optabant, exigeretur; et ita quemdam adolescentem admitti voluit qui ante ingressum nostros, qui in plateis publicis abnegationis gratia exhortationes habebant, comitem et non solum in domesticis sed in externis etiam exercitationibus mortificationis socium se adjungebat, quamvis defectum haberet in altera manu, in qua duo digiti igne, cum esset puer, valde laesi fuerant, propter virtutis tamen specimen hunc defectum, quem ille alioqui satis dissimulabat, suplere voluit [3].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Francisco Palmio, de mittendo Romam Andrea Castrodardo, de admittendis ad Societatem Joanne Francisco et alio, cui manus infirma, si tamen is ad legendum in scholis sit aptus, 9 Octobris; eidem Joanni Francisco, de ejus admissione, probatione, valetudine, etc., 10 Octobris.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Francisco Palmio, ei promittens adjutores, 15 Augusti; eidem, in mentem Ignatio venisse Fulvium Cardulum ad eum Venetiis mittere, si aptus ad Sacerdotium reperiatur et cui aliorum cura possit demandari, 26 Decembris.

[3] Polancus, *ex commissione*, Patri Paschasio Broet, de admittendis et ne plura scribat de eo qui tres tantum digitos in manu sanos integrosque habet, 14 Martii; idem de eodem Patri Joanni de Victoria, 11 Aprilis; eidem, mittens mensuram ab Ignatio

Digitized by Google

68. Proposuit P. Franciscus Palmius P. Ignatio, qui cogitaverat ad multorum utilitatem et Collegii etiam dotationem perutile futurum, ut, scilicet, scholae a nostris Bononiae aperirentur; sic enim et civitas aliquid subsidii datura et privati cives ad nostrorum sustentationem liberaliores futuri videbantur. Res Ignatio placuit, qui ad juventutis bene instituendae in spiritu et litteris rationem semper fuit valde propensus. Inchoatae ergo sunt scholae hoc autumno nomine Societatis sub initium Octobris, quae prius ab externis praeceptoribus prope ipsum Collegium tenebantur. Tres autem classes locis distinctae sunt institutae, et numerus scholasticorum paulatim augebatur; domuncula etiam vicina ad scholarum usum empta commoditatem ad eas aperiendas sine perturbatione domesticae quietis paulo post dedit. Res autem magnopere bononiensibus placuit, et tam pium opus summopere laudabatur. Cum autem P. Elpidius in subsidium Collegii Bononiensis missus esset, ad meliorem scholarum institutionem et ordinem non parum contulit[1].

69. Res interim spirituales sub natalitia festa non parum augebantur et supra quingentos, auditis eorum confessionibus[2], et quamvis usque ad hunc anni finem P. Elpidius confessionibus audiendis operam dedit, quia tamen fluxu capitis molesto vexabatur, Patavium remissus est.

70. Hujus anni initio Mutinae P. Sylvester Landinus versabatur, quamvis ad loca mutinensis dioecesis juvanda etiam excurrebat. Quam utilem operam et illi civitati impenderit ac ejus dioecesi facile ex verbis Episcopi colligi potest, qui cum 7.ª Februarii P. Ignatio gratias ageret quod ei P. Silvestrum coadjutorem dedisset, affirmat populum illum accepisse et in dies accipere tantum utilitatis ac commodi spiritualis, ut post Sanctum Geminianum, ut utar ejus verbis (is autem fuit Episcopus Mutinensis tempore magni Leonis Pontificis), ab alio amplius nunquam acceperit; unde rogabat obnixe ut gregi mutinensi talem ductorem ne auferret.

71. Sed in reliquo hujus anni tempore, quod ibidem exegit,

---

requisitam in admittendis, 16 Maii; eidem, de admittendo in Societatem Joanne Francisco Brunello; de non admittendo nisi forte post annum nepote cujusdam Nicolai Pappi, 26 Septembris.

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Francisco Palmio, de fundatione domus Bononiensis, 26 Septembris.

[2] Sic in mss., sensu, ut patet, imperfecto.

Digitized by Google

otiosus non fuit; frequentes admodum homines ad Sanctissimam Communionem accedebant, diebus praesertim ac martis[1]; quotidie confessiones multae et inter illas generales, praecedentibus spiritualibus exercitiis, fiebant, et quidem a primariis viris, quorum unus concubinam, quam octo annos tenuerat, reliquit, magna cum contritione ad se reversus et cum optimo totius civitatis odore; aliquae etiam foeminae peccatrices, confessione generali facta, in monasterium Conversarum ingredi constituerant. Concionabatur etiam aliquando in hospitali[2].

72. Quidam Abbas, qui, cum esset Fulginii P. Sylvester, spiritualia exercitia cum magno spirituali fructu fecerat, et Societatem ingredi constituerat, Venetiis aliquandiu cum nostris haeserat, et quia Spoleti Abbatiam habebat, et de Collegio ibi instituendo cogitabat, Romam venire constituens, Mutinam prius ad P. Sylvestrum se contulit; sed nimium fervens spiritu, dum se vigiliis et laboribus magnis conficit, peregrinationem hujus vitae brevi explevit; sub finem enim Februarii Mutinam perveniens, vena pectoris aperta super quatuor libras sanguinis evomuit. Exceptus est hospitio ab Episcopo mutinensi et magna ei humanitas est impensa; sed cum sanguis retineri non posset, ibidem ex hac vita decessit et quidem cum magna aedificatione et consolatione fidelium, cum ridentem et laetum viderent dum de morte ageretur, et usque ad ultimum spiritum ad verba Domini quae dicebantur attentus, cum magna suavitate suo Creatori animam reddidit.

73. Apud Conversas, quarum numerus non parum augebatur, multae honestae matronae P. Sylvestro confitebantur et crebro communicabant, inter quas aliquae ex nobilioribus urbis erant; et optimus odor reformationis illius monasterii sparsus est, cum prius male audire solitum esset. Erat ex nobilibus matronis quaedam, Cortesia cognomine, quae domi suae quatuor poenitentes mulieres habebat, quae, cum commode recipi possent, ingredi monasterium Conversarum paratae erant; praedicta autem matrona, vidua, singulis hebdomadis semel et iterum communicabat, cujus institutum et aliae viduae imitaban-

---

[1] Sic in mss., et nullibi alias, nec in Palmii litteris nec in historicis, horum dierum expressam mentionem reperimus.

[2] Ignatius Sylvestro Landino, ut modum in laboribus servet, praesertim cum necessitas non urgeat, mense Martio.

Digitized by Google

tur. Audiebat etiam ab eodem Sylvestro conciones quas apud Conversas habebat. Confirmabat interim Sylvester litteris parochias dioecesis et ad perseverandum in frequenti usu confessionis et communionis et in aliis piis documentis, quae praesens tradiderat, hortabatur [1].

74. Mutinae peccata publica quaedam ablata fuerunt; pax etiam inter discordes aliquos inita; cultus Sanctissimi Sacramenti etiam in ipsa urbe auctus est, et, ubi teneri non solebat, repositum est, lumine continuo adhibito; doctrina christiana quotidie publice docebatur; conciones non solum quotidie fiebant, sed aliquando bis et ter in eodem die diversis in locis. Egressus ad loca, in quibus annis superioribus versatus erat, hoc primo vere, consueta Societatis ministeria ibidem cum fructu simili exercuit; novo etiam monasterio casulensi novas constitutiones misit; aliquos haereticos, ne gregem Domini inficerent, in carcerem conjici curavit; pauperibus subsidium, aegrotantibus autem auxilium ut daretur curabat; modum etiam orandi multis tradidit, ecclesias instaurari compluribus in locis fecit et Sanctissimum Sacramentum in eis reponi, et ornamenta ac vasa ad cultum divinum necessaria comparari; singulis fere in pagis Societatem *Corporis Domini* et consuetudinem communicandi octavo quoque die vel saltem decimoquinto sic instituit, ut saltem ultra primam dominicam mensis differri non liceret; in singulis locis duos homines ad discordias componendas, quae innumerabiles erant, constituit; duos etiam, qui pauperibus prospicerent; in singulis etiam parochiis rationem doctrinae christianae explicandae singulis diebus festis reliquit; ex quibus omnibus egregius sane fructus capiebatur. Quaedam loca, quorum alteri Castellum novum, alteri Foianum nomen est, sic inter se dissidebant, ut nec Episcopus, ut ipsemet testabatur, nec alii magnates, qui ea in re non parum laborarunt, nunquam ad concordiam eos reducere potuerint; haec loca P. Sylvestri studio et charitate pacem inter se firmaverunt; idem contigit duobus aliis locis, scilicet Sti. Almazii et Levizani, qui nullius opera aut diligentia reconciliari potuerant, sed cum P. Sylvester eos urgeret, dum praedicta loca visitaret, omnia discordiarum semina et controversias in duos

[1] V. *Cartas y otros escritos del B. Fabro,* t. I, pág. 21, not. 6.

Digitized by Google

viros bonos, prout ille postulabat, rejecerunt. Conquerebatur fere tota dioecesis quod ex civitate ipsa mutinensi et ex oppido Saxulo haereticae pravitatis auctores egressi multos infecissent [1].

75. Quod supererat aedificandum in monasterio Casulano, in hac visitatione absolvi curavit; quidam fuit ex primariis ejus locis viris, qui patronatum monasterii sibi impetrare volebat, sed in adversam incidens valetudinem brevi diem obiit extremum; et ex eleemosynis, non tantum casulensium sed aliorum etiam locorum, sponte oblatis illud opus confectum fuit. Pacem illam, anno superiori in oppido Chareginae [2] confectam, ut confirmaretur ac stabiliretur, et usurae excluderentur curavit; et ut orationes ac frequentia communionis conservaretur, quosdam amicos Sacerdotes huic pietatis ministerio addixit. Centum fere in locis, ubi Sanctissimum Sacramentum non servabatur, ut cum lumine continuo servaretur, providit et multas Societates in honorem Sanctissimi Sacramenti instituit. Ducentos populos ad frequentem usum sacramentorum adhortatus est, sed fere quinquaginta eum amplexi sunt; reliqui interdum id faciunt, sed non perinde frequenter; in plurimis oppidis diebus dominicis publicae collectae eleemosynarum fiunt in usum pauperum et oratio in communi sub noctem recepta fuit; concubinarii permulti, statu damnationis relicto, per frequentem communionis usum castitatem retinere nitebantur; et praeter illos sex sacerdotes, de quibus alias mentio facta est, qui in spiritualibus exercitiis profecerant, alii multi inducti sunt ad animarum salutem promovendam; a triginta milliaribus confessionis gratia aliqui ad P. Sylvestrum veniebant; et cum in dioecesi mutinensi in centum et quadraginta ecclesiis, quas anno superiore visitaverat, ut fructus spiritualis inchoatus cresceret, ejus praesentia spectabatur, urbanorum tamen preces ut aliquandiu Mutinae retineretur ab Episcopo impetrarunt; et quia insignis etiam erat urbanus fructus, cum Episcopus ad dioecesim vissitandam eum mittebat, pergratum sibi fore affirmabat, si crebro ad urbem rediret, partim propter eos, qui assidue communicabant, partim ut de iis, quae in visitatione accidebant, ad eum referret.

---

[1] Vide CÆSAR CANTU, *Gli eritici d'Italia,* t. II, Disc. XXVII, pág. 148.

[2] Sic; antea scripserat *Charegeni.*

Digitized by Google

76. Cum Mutinam 15 Maii rediisset, litteras Roma missas accepit, quae de rebus ad aedificationem pertinentibus agebant, quibus tantum se consolationis accepisse scribit, ut majorem in hac vita non desideraret. Et hoc obiter addendum visum est quod hujusmodi litterarum ultro citroque missio, quibus alii de iis, quae gerebantur ab aliis, certiores fiebant, eo tempore, quo nondum constitutiones erant promulgatae, mirandum in modum nostrorum animos et uniebant, et consolabantur, et ad optima quaeque, tam proprii profectus quam aliorum, animabant et quodammodo omnium regularum instar erant [1].

77. Septem vel octo diebus antequam Mutinam rediret, quadraginta fere loca mutinensis et bononiensis dioecesis visitavit; quinquies et sexies, aliquando etiam septies, uno die diversis in locis concionando, nec exiguo cum fructu; nam ut omittantur particularia, in singulis locis instituta est *Corporis Christi* Societas, quae octavo quoque die vel ad summum singulis mensibus communicaret, et electi sunt superiores, qui tam viris quam mulieribus in hujusmodi Societatibus praeessent, et ut superius aliis in locis factum diximus, duo qui inimicitias componerent electi fuerunt; tanta enim quibusdam in locis regnabat discordia, ut uno in loco quinquaginta, in alio sexaginta, alibi plusquam centum occisi essent; omnia denique homicidiis, oppressionibus, raptibus virginum et latrociniis plena erant, et adhuc vulnera calebant; et ut unum exemplum, ex quo caetera conjiciantur, referam, quadraginta ex iis, qui occisso cuidam conjuncti erant, quidam Tanarius, cum in carcerem ejecti essent, sigillatim, evocavit et, securim in manu habens, capite truncavit, ne uni quidem parcens, et tamen natu grandis erat. Iis ergo consiliatoribus pacis modum, quem in Domino sentiebat, tradidit, ut hoc officio bene fungerentur; et singulis quibusque festis congregari cum filiis in ecclesia debebant, ut christianam doctrinam utrique addiscerent; versabantur enim in maxima ignorantia Dei et rerum ad suam salutem pertinentium; inde inter montes illos tam gravia mala ortum habebant. Sed et foeminas eligebat, quae infirmorum curam haberent, ut scilicet confessione et communione praemunirentur, et si pauperes illi essent,

[1] Ignatius Sylvestro Landino, ut Mutinam redeat, 22 Augusti; idem eadem die Magistro Hercule Paxino, de reditu Landini Mutinam; idem Beatrici Rangona, rediturum Landinum Mutinam, 29 Augusti.

Digitized by Google

ut ex congregatione instituta aliquos per oppidum mitterent ut necessaria infirmis curarent; ad easdem pertinebat dissidia inter foeminas componere; ad christianam etiam doctrinam audiendam eisdem etiam diebus debebant convenire, filiasque in pudicitia et modestia melius quam antea instituere; ut Missam audirent, et preces suas vel rosaria persolverent, et jejunia Ecclesiae observarent efficere curavit, quae omnia se observaturos omnes promittebant; et multae lacrymae tam sacerdotum quam laicorum ex animo eos loqui ostendebant. In secunda autem visitatione mirandam vitae mutationem factam esse animadvertit, et tam sacerdotes quam laicos magnopere in pietate profecisse comperit, et alicubi fere omnes diebus dominicis communicabant; locus fuit, ubi plusquam mille et quingenta rosaria comparata intellexit.

78. Signa autem mutationis vitae haec erant: quod quotidie, etiam feriatis diebus, ad concionem veniebant, cum prius ne campanae quidem sonus quid sibi vellet intelligerent; quod nemo ab ecclesia, antequam ipse P. Sylvester, recedebat, nec ipsum, donec ab eorum locis recederet, relinquebant; quod nonnulli etiam ad aliqua alia oppida verbum Dei audituri ipsum sequebantur, qui prius vix praedicationis nomen intelligebant; quod ipsum non prius a se recedere patiebantur quam reditus spem faceret; omnia enim, quae aedificata fuerant, si ipsos desereret, propter factiones ruitura; quod occurrebant illi, antequam ad loca perveniret, viri et foeminae, grandes et parvi natu, sacerdotes et laici, cum ad ipsorum loca eum adventare audiebant; a remotis etiam locis sacerdotes nonnulli veniebant oraturi ut ad ipsorum ecclesias ex dioecesi mutinensi accederet, quod libenter faciebat, nec Episcopo aut cuiquam alii displicebat; et magna cum laetitia animi haec munia obibat; quamvis quorumdam sacerdotum contradictiones occultae eam temperarent; quod ad cultum exteriorum attinet et munditiem in suppellectilibus sacris et in instauratione ecclesiarum et ornatu et aliis, omnes ei obediebant. Cibus interim, quo utebatur, panis erat favarum vel castanearum; ingenti enim penuria loca illa eo tempore laborabant. Episcopus quidem libenter pecuniam necessariam ei suppeditasset; sed, eam non admittendo, magis aedificationi se consulere judicabat; cum enim ipsi et pauperibus aliis sufficere non posset, si ipse abundasset, illis egentibus,

Digitized by Google

ne offendiculo ipsis esset timebat; multi fame interibant; alii inedia usque adeo extenuati erant et assiccati ut mortuorum faciem prae se ferrent; unde et P. Sylvester, Deo adjuvante, multum laboris, famis, et sitis, et lassitudinis hilari animo cum afflictis illis populis tolerabat; et usque adeo raucus erat contra peccata clamando, et saepius in dies sudando, et postea refrigescendo, ut vix cum comite viae loqui posset; sed postquam suggestum conscendebat, Dominus, pro charitate summa, qua animas complectitur, vigorem illi et spiritum reddebat, tantumque illi et dulcedinis internae et fortitudinis tribuebat ut auditores in lacrymas resoluti dicerent: hic noster est pater, quem misit nobis Dominus, et alia hujusmodi; et licet feroces homines essent et armati semper incederent, cum a suggestu descendebat, hinc et inde illi assistebant, et defatigato multum charitatis exhibebant, nec satiari ejus conspectu poterant; et tantopere Deus hominem inter labores consolabatur ut mille pro uno in hac vita se recipere fateretur; nec aliam solidam laetitiam experiebatur quam dum fideliter sub obedientia deservire in animarum auxilium poterat.

79. Mutinenses apud Episcopum conquesti erant quod, ipsis relictis, ad visitationem aliorum locorum P. Sylvestrum misisset; sed reditu impetrato, cum fructum animarum, qui extra urbem capiebatur, intellexissent, jam dolebant quod eorum causa impeditus ille ex parte fuerit; unde et redire aequo animo passi sunt. Similia jam dictis in diversis aliis locis, Deo cooperante, praestitit; et ultra Apenninum transgressus, revisit populos Lunensis et Zarzanensis dioecesis cum singulari fructu; nec solum in ecclesia aliqui confessionis gratia totum diem exspectabant, sed, cum ab uno loco in alium transiret, in medio itinere sedere et auditis confessionibus benedictionem illis impendere cogebatur. Recurrens ergo per loca, ubi verbum Dei seminaverat, Junio mense, multum crevisse fructum spiritualem deprehendit. Aliquo in loco major hominum pars singulis diebus dominicis communicabat; in aliquo omnes, ut boni sacerdotes ei referebant; et experientia id docebat; cum enim concionem habuisset et propter temporis injuriam aliquandiu subsisteret, tam viri quam foeminae ipsum circumstabant ut recedere non posset usque ad vesperam; magistratus et officiales locorum ad communionem etiam ipsi accedebant, et magna

Digitized by Google

cum hilaritate affirmabant talem viam tamquam securam et facilem perveniendi ad beatitudinem non esse prius intellectam, eam, inquam, qua utebatur Societas, homines ad confessionem et communionem octavo quoque die exhortando. Redibat octavo quoque die Mutinam, ut eis, qui crebro in civitate communicabant, adesset; id enim Episcopus gratum sibi fore significabat; quamvis populi externi apud se hominem retinere voluissent, cum ex ejus praesentia tam multa bona consequerentur. Sine ulla resistentia jam loca fere omnia usum confessionis et communionis octavo quoque die suscipiebant; et qui ad paces conciliandas destinati erant, magno charitatis fructu suo munere fungebantur.

80. Cum Bononiae Sacerdotis alicujus opera esset valde necessaria, de P. Sylvestro eo mittendo cogitatum est; cum autem Episcopus Mutinensis, qui Tridenti in Concilio versabatur, litteris sibi molestissimum fore testaretur, si ab ejus dioecesi P. Sylvester recederet, cum ejus opera a Domino vineam illam purgandam aliquando tandem speraret ut non jam labruscas produceret...[1]

81. Tam suavis odor ex monasterio Conversarum effluebat, ubi P. Sylvester concionabatur, ut etiam virgines optimae in monasterium illud admitti cuperent. Sacerdos quidam erat divitiis et cognatione ampla fretus, qui concubinam a se dimittere nolebat; hunc P. Sylvester auctoritate Episcopi, quae communicata ipsi fuerat, a divinis suspendit. Quinque filios ille domi habebat et graviter minabatur testibus qui de ipsius vita examinabantur. Cum ergo in illius parochia populum ad frequentem confessionem et communionem et christianae doctrinae ac pauperum curam hortaretur, prout observatum est, publice concubinam illius excommunicavit; sed ne tumultum excitaret, sacerdotem illum non excommunicavit publice; at populo recedente ac pluribus testibus, ut dictum est, a divinis eum suspendit. Muneribus ille oppugnare Sylvestrum tentavit; sed ea nullo modo admisit; alii autem sacerdotes hujus exemplo per-

[1] Sic, in mss., sententia non expleta.—Polancus, *ex commissione*, Patri Francisco Palmio, socium ei assignatum esse ab Ignatio Sylvestrum Landinum, 11 Julii; idem Sylvestro Landino, ut Mutinensi Episcopo valedicat et Bononiam se conferat, eadem die; eidem Ignatius, de iis, quae Bononiae agere debet, 18 Julii; Cardinalis Maffeus, mense Julio, Sylvestro Landino. Eidem Polancus, a quibus ejus opera expetatur, 15 Augusti.

Digitized by Google

territi fuerunt; boni tamen multum aedificationis acceperunt. Rediit sacerdos ille suspensus ad Sylvestrum et verum medicum suum illum esse fatebatur et a nullo praeter ipsum se curari potuisse. Respondit Sylvester se non verbis sed operibus crediturum, et ut poenitentiam Adae, Davidis, Magdalenae, et Petri imitaretur, et tum demum a suspensione se illum absoluturum esse, quam ille sententiam humiliter tulit.

82. Demum centum et viginti loca vel plura P. Sylvester percurrit, et in eis verbum Dei seminavit; et in omnia frequentem confessionem et communionem induxit, uno vel duobus exceptis, in quibus non octavo quoque die sed prima dominica mensis communicabant. Sacerdotes venerationi esse populo coeperunt a quo prius ut sacerdotes non cognoscebantur; ex quibus sacerdotibus multi indecentem habitum, ludos, choreas, venationes, mercaturam, cauponas, arma et concubinas reliquerunt, et audiendis confessionibus et ministrandae communioni et pacibus componendis vacare coeperunt; aliqui etiam diebus festis concionabantur et christianam doctrinam enarrabant, et aliquando haec simul cum eis vel sine illis ipse P. Sylvester praestabat; et pietatis ac misericordiae operibus dare operam sacerdotes tam exemplo quam verbo docebat. Decimoquinto quoque die ad disputandum de conscientiae casibus conveniebant, et quae disputata erant coram P. Sylvestro, scribebant. Plusquam quinquaginta ecclesiae instauratae fuerunt et tabernacula Sanctissimi Sacramenti confecta. Cum ab uno loco ad alium transiret, praesertim in Provincia Garfagnana, ipso in itinere confessiones audiebat, quibus confectis, ad dandam absolutionem in via sedebat. Aliquos ex bonis illis sacerdotibus, per spiritualia exercitia excultis, invenit qui totum suum populum octavo quoque die communicabant, paucis exceptis; et in dies ad vicinorum locorum parochias sancta haec consuetudo se extendebat.

83. Bononiam sub initium Augusti mensis P. Sylvester pervenit, qui aliquot dies Mutinae, postquam evocatus fuerat, substitit, ut generales confessiones quorumdam, qui in spiritualibus exercitiis ab eo excolebantur, audiret; qui octo simul erant. Graviter tulerunt mutinenses P. Sylvestri recessum, et aliqui utriusque sexus homines primarii litteris P. Ignatium urgebant ut suum Patrem ipsis restitueret. Nihilominus mensem Augu-

Digitized by Google

stum Bononiae exegit, et ut scripsit P. Franciscus Palmius, magna cum consolatione auditorum ibi concionari festis et dominicis diebus coepit, et in spiritu et virtute Eliae eum venisse affirmat, reprehensor vitiorum acerrimus, zelo domus Dei plenus. Parum loquebatur, minus comedebat, multum laborabat, ut nostris etiam admirationi esset et eorum, a quibus prius cognitus erat, expectationem in concionandi talento superabat, in confessionibus audiendis infatigabilis erat, et omnes ad bene agendum sic urgebat ut amore aut timore quodammodo ut intrarent in domum Domini compelleret, et tanta ejus fides et charitas cernebatur ut omnia illi bene succederent; nec studium magnum concionibus impendere poterat; immo hoc illi accidit, cum esset Bononiae, ut cum quodam die festo P. Franciscus Palmius eum invitaret ut concionaretur, invitatum se ille non intellexit, unde se non praeparavit. Cum igitur ad concionem esset pulsatum et populus convenisset, simul Sylvester et Franciscus in templum se conferunt et alter alterum concionaturum putabat; cum ergo populus exspectaret concionem, percontatus est sacrista uter eorum esset concionaturus. Dixit P. Franciscus: concionabitur P. Sylvester; ille vero id pertinere ad P. Franciscum dicebat. Demum rogatus Sylvester a P. Francisco, suggestum ascendit et, cum nihil studuisset, tam praeclaram concionem tamque fructuosam ac spiritu Dei plenam fecit, ut quotquot eum audiebant, in fletus resolvi cernerentur, et multi ea concione permoti, relicto saeculo, Deo servire constituerunt, et antequam ab ecclesia recederent, multi sunt confessi.

84. Nec solum hoc tempore, quo Bononiae versatus est, in templo nostro D. Luciae sacro est concionatus, sed frequenti etiam auditorio in templo Stae. Helenae id ipsum praestitit semel atque iterum cum multis lacrymis et commotione eorum, qui aderant. Moniales etiam ejus monasterii per spiritualia exercitia ad magnam sui cognitionem adduxit, et confessiones generales cum magnis fletibus ei fecerunt. Et cum quidam ex quadraginta senatoribus, Romeus vocatus, initio hujus mensis Bononiam venisset, qui contrarium Societatis ministeriis se ostendebat, sic mutavit sententiam, ut aliquem omnino de Societate necessarium esse ad reformanda monialium monasteria diceret et largis pollicitationibus erga ipsum uteretur. Quando autem Bo-

Digitized by Google

nonia sub initium Septembris Mutinam rediit, cum magna mutinensium amicorum consolatione, qui *Te Deum laudamus* in actionem gratiarum cantabant, exceptus est. Ibi visitationem dioecesis resumpsit, et circa confines mutinensium et rhegianorum haereses multas invenit; sed per Dei gratiam veritatem agnitam homines sunt amplexati. Rhegiensis autem Episcopatus populi adventum ad se ejus percupiebant propter falsos prophetas, qui ipsos haeresis veneno infecerant, et orationem, abstinentiam a carnibus, statutis ab ecclesia diebus, Missas et pene omnem religiosum cultum, praecipue in Saxulo, Domini Joannis Baptistae Pii loco, abstulerant. In locis ergo quae visitabat, confessionem et communionem octavo quoque die sumendam inducebat, et rationem discordiarum conciliandarum, et subveniendorum pauperum, et christianae doctrinae tradendae sacerdotes docebat, cum aliis ad ipsorum gradum spectantibus. Quamvis autem cum iter faceret ab uno in alium locum, etiam illi viri nobiles, quos ipse non noverat, ad equos sumendos, quibus ipsi vehebantur, eum compellebant, non tamen eos admisit, sed de charitate gratias egit. Aliquando a via aberrans, ad villam aliquam divertebat, ut viam doceretur, et viri et foeminae eum sequebantur [1].

85. Transivit etiam ad Zarzanensem dioecesim, ut prius, et monasterium illud novum casulanum invisit, in quo quaedam moniales male se gesserant; sed in ejus adventu tantopere compunctae sunt, ut humiliter veniam petentes se in vincula conjici postularent. Omnium ille confessiones audivit, cum magna totius oppidi consolatione, et sanctissimam communionem eis impertivit; et priorissam, quae prius ibi fuerat, confirmavit; et quemdam sacerdotem, Franciscum nomine, ex Garfagnana, monasterio praefecit. Societatem nostram ingredi optabat; immo ille et alii complures sacerdotes, sub obedientia Societatis vivere ac mori optantes, vota Societatis consueta emiserant, quae P. Sylvester Romam P. Ignatio misit; sed cum perutiles, immo necessarii, essent illi provinciae, et alioqui illiterati, quamvis valde boni sacerdotes, non judicavit P. Ignatius eos in Societatem admittendos aut inde revocandos esse.

---

[1] **Polancus, *ex commissione,* Sylvestro Landino ut quae de concionatoris cujusdam erroribus notata fuerint, ab aliis sed fide dignis subscripta, Domino Marchantio Romam mittat, 14 Martii.**

Digitized by Google

Suos etiam domesticos, qui discordiis inter se non parum dissidebant, conciliavit, sorores videlicet et cognatos suos, quorum tamen omnium confessiones prius audivit, et ut se mutuo amplecterentur, et in gratiam redirent, et ut promitterent se octavo quoque die communicaturos adduxit; nam aliquando eam consuetudinem piam illi tenuerunt.

86. Postquam ergo in provinciis Lunensi et Garfagnana verbum Dei praedicando aliquandiu fuisset, et sacerdotes ad perseverandum in pietatis officiis hortatus esset, ad mutinensem dioecesim rediit; et rursus non solum in ecclesia sed etiam dum iter faceret, et in domibus, ad quas veniebat, confessiones audire eum oportuit; et miraculo bonitatis Dei adscribebat quod unica ipsius concione populi, ubi nunquam prius fuerat, sic commovebantur ut ad confessionem et communionem octavo quoque die sumendam adducerentur. Aliquos ad Societatem nostram propensos Ferrariam ad P. Paschasium destinavit. Inter hos tamen labores bonus P. Sylvester tres vel quatuor dentes ex melioribus amisit, unde impedimentum loquenti proveniebat; reliqui etiam non bene habebant, quod ex nimio usu concionandi accidisse dicebant. Cum Mutinam rediisset, tanta hominum multitudo ut ei confiterentur confluebat, ut tempus cibi sumendi usque ad noctem non haberet, inter quos erant aliqui non illiterati nec infimae notae viri.

87. Cum pauperibus eleemosynas Episcopi distribueret, eos hac occasione christianam doctrinam edocebat et ad sacramenta frequenter sumenda adducebat. Numquam ab ecclesia, nisi tempore cibi capiendi recedebat; quotidie concionabatur; in Adventu psalmos etiam praelegebat et in christiana doctrina edocenda et meditationibus spiritualibus tradendis partem aliquam temporis expendebat.

88. Cum autem gratum fore P. Ignatio intellexisset, si Mutinae Collegium aliquod institueretur, ea de re agere coepit; et tam Episcopus, qui Tridenti erat, quam aliqui ex primariis amicis animum ad hoc pium opus adjecerunt; et tam Joannes Castellvetro quam Hercules Purinus [1] P. Ignatio ea de re scripserunt, optare scilicet se, ut hoc semen Societatis Jesu apud se retinerent, aliquod Collegium ejus Societatis ibidem inchoari,

---

[1] Alibi in hac Historia, et saepius in *Litterarum Regesto* est *Paxinus*.

Digitized by Google

ex quo ejus fructus perciperent, quos opera P. Sylvestri capere coeperant. Ipsa civitas centum aureos singulis annis offerebat; privati autem simul cum Episcopo quod reliquum erat necessarium ad Collegium; tunc enim numerus non ultra tredecim vel quatuordecim exigebatur, unde hujusmodi promissiones ad inchoandum sufficere tunc videbantur. P. Ignatius rem cum Cardinali Morono, qui bonam partem fructuum ejus Episcopatus sibi reservaverat, et ut patrem ac pastorem illi civitati se exhibebat, agere voluit. Et quamvis jam tunc aliquos domi suae tenere Benedictus Charandinus ex nostra Societate eo missos paratus esset, in annum tamen sequentem hujus Collegii admissio dilata est. Doctor quidam Patavinus, quinquaginta fere annos natus, cum ad Societatis institutum se vocari videret, P. Sylvestrum per amicum quemdam rogavit ut se in Societatem admitteret, et paulo post Romam venit et admissus est [1].

89. Quaestuarii hebraei molesti erant P. Sylvestro, cum varia per eos mala perpetrarentur; meretrices tenebant, superstitiones inducebant, simplices homines ac mulieres pauperes decipiebant, et res divinas in contemptum, quod in ipsis erat, adducebant; hos inter visitandam dioecesim P. Sylvester ablegabat, nisi litteris patentibus, quarum sigillum exacte inspiciebat, exhibitis se defenderent.

90. Venetiis interim res Societatis paulatim convalescebant; et tamen nostris patientiam exercendi ac institutum paupertatis gustandi haud exiguam occasionem afferebat tam habitatio incommoda et arcta quam rerum necessariarum ad victum, et vestitum, ac libros, et domesticam suppellectilem nimis moderata subministratio, quae non ex defectu charitatis viventis fundatoris, quam fraternam experiebantur, sed ex angustiis, in quas eum conjecerat liberalitas et benefaciendi studium latius multo quam facultates ejus se extenderent. P. autem Andreas Galvanellus, tam in sacello domestico confessionibus dabat operam quam in hospitalibus ac privatis domibus, in quibus infirmos visitabat et quidem cum fructu non mediocri. Vigesima secunda Februarii exspectatus admo-

[1] Ignatius Sylvestro Landino, de requisitis in admittendis ad Societatem, de Collegio Mutinae erigendo ut modus teneatur quem tenuit Salmeron Neapoli, 5 Septembris, idem Episcopo Mutinensi, officiose, 5 Decembris.

Digitized by Google

dum P. Andreas Frusius Venetias pervenit, sed post biduum laetitia, qua exceptus fuit, in luctum fuisset conversa, nisi divina providentia ex magno vitae periculo ipsum eripuisset. Cum enim ad cubiculum ire vellet sine lumine, ad caput cujusdam scalae accedens, et in cubiculum se ingredi putans, nec advertens inde decidit; caput vehementer est allisum, sed divina providentia eum conservavit, et perexiguam laesionem caput ejus passum est. In hoc tamen casu fatebatur se nullo modo mente turbatum fuisse, immo cum consolatione gratias agebat Deo, qui docebat eum suis in actionibus magis circumspectum esse [1].

91. Inter caetera quae contulit ejus adventus Collegio Veneto et Patavino (nam Patavium se contulit brevi rediturus) hoc fuit, quod constitutiones ac ordinationes circa disciplinam domesticam Roma secum tulit ut ad earum normam, quoad ejus fieri posset, praedicta Collegia exigerentur. Bononia et Ferraria transierat, et illis Collegiis aliquid etiam contulerat; quamvis ferrariense nondum esset inchoatum, sed ejus exhortatio amicos ad eum maturandum commovit. Non visum est Domino Andreae Lipomano, Priori, cui gratissimus fuerat hujus Patris adventus, ut statim lectionem aliquam Scripturae vel conciones inchoaret, quia jam quadragesima progressum fecerat et concionatoribus Venetiae abundabant, et cum jubilaei concessio magnam confitentium messem praeparasset, huic potius ministerio vacandum usque ad Pascha videbatur. Et quia ecclesia nostra exigua tunc erat nec satis capax Sanctae Trinitatis templum vicinum, alio in loco aptiori ad hominum frequentiam videbatur amicis concionandum illi vel legendum suo tempore esse, ut fructus animarum uberior caperetur. Tam Patavii quam Venetiis nostri, licet curta esset suppellex et res ad vitam necessaria angusta, contenti et laeti omnes vivebant, et corpore per Dei gratiam valebant; sed confessionum fructum impediebat ex parte reipublicae illius nimia circumspectio et cautela, cum praesertim illis diebus sacerdotes mediolanenses, qui Sancti Barnabae dicuntur, ex toto dominio Veneto publico edicto exire jussi fuerant, cum etiam

[1] Polancus, *ex commissione*, Andreae Frusio, ut in omnibus se voluntati Prioris conformem exhibens, in quibusdam suaviter et modeste quid sentiat exponere audeat, 25 Aprilis.

Digitized by Google

huc accederet sectariorum industria, quae hac occasione frequentem usum sacramentorum libenter impedire nitebatur; et facile ad nostros suspiciones hujusmodi devolvere potuissent, si plures ac praesertim foeminei sexus ad confessionem et communionem admisissent [1].

92. Post Pascha tres lectiones ordinarias totidem in scholis aggredi constituerat; nam P. Ignatius, egregium in juventute bene instituenda fructum ex scholis provenire videns, Venetiis etiam scholas hoc anno aperiri voluerat. Uni quidem scholae, scilicet grammatices, P. Caesarem Helmum praeficere alteri litterarum humaniorum magistrum Fulvium Cardulum tertiam ipse de rebus ad Sacram Scripturam et theologiam scholasticam pertinentibus, si auditores adessent, suscipere cogitabat; quamvis loci angustiae ut non simul inchoarentur hae lectiones effecit. Diebus etiam dominicis ac festis concionari vel ad affectum excitandum aliquid populo praelegere constituerat; sed etiam in aestate aliquid ex mathematicis, qualis est sphaera vel hujusmodi, si auditores id expeterent, legere paratus erat, et, ut erat in omni genere eruditionis institutus et facilis, omnia haec praestare non difficile potuisset [2].

93. Hac ipsa quadragesima nobilis quidam Venetus, Angelus Surianus vocatus, rebus saeculi valedicere et Societatem ingredi statuit. Viginti et septem annos natus erat et utcumque eruditus, et ad omnia quae Societati, juxta suum institutum, consueta sunt, promptissimus erat, et quo de abnegatione, quae in Societate exigebatur, plura intelligebat, magis ad ingressum inflammabatur. Visum est P. Ignatio, cui ipsemet per litteras suam vocationem explicavit, eum esse admittendum, et ut Romam veniret concessit; sponte sua deinde vota emisit; quia tamen de patrimonio suo, quod Dei obsequio consecrare constituerat, prius cum fratribus negotium hoc transigere debebat, toto hoc

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Andreae Frusio de non inchoandis lectionibus nisi post Pascha, 21 Martii; eidem, ut bono animo prosequatur in promovendo in litteris et spiritu scholasticos Venetiis degentes, 11 Aprilis; eidem, de quorumdam dubiorum resolutione, 18 Aprilis; eidem, ne pueros per se in scholis nostri puniant, sed externum, ut Romae fit, correctorem adhibeant, 26 Septembris; eidem de non excludendis a scholis nostris iis adolescentibus, qui non se ad ingrediendam aliquam religionem paratos ostendunt, 17 Octobris.

[2] Polancus, *ex com.*, Caesari Helmi, Venetias, de admittendis cum Prioris venia pueris ad scholas sed non alendis, 3 Januarii.

Digitized by Google

anno dissimulare animi sui propositum debuit et partim Venetiis et partim Patavii haesit [1].

94. Apud monasterium Conversarum etiam in quadragesima conciones habebat P. Frusius, ubi fere ducentae id generis religiosae vivebant. Cujusdam etiam lectoris publici propositiones, quae ad ipsum delatae fuerant a viris religiosis, legit, et de doctrina earum parum sana sic sententiam suam secreto dixit, ut non intelligeretur unde censurae profectae erant, quamvis de erroribus lector convinci posset. Curavit etiam cum Domino Priore non sine labore et dexteritate, ut locum paulo liberiorem ad scholas tenendas daret, et obtinuit; unde non solum commodius scholastici externi excipi potuerunt, sed tumultus etiam ac strepitus, qui aegre tolerari poterat, hac ratione fuit ex bona parte moderatus. In domo ipsius Prioris exhortationem etiam habuit apud quamdam nobilium et civium confraternitatem, quae sublevandis pauperibus, qui publice mendicare erubescebant, vacabat, et cum fructu in hoc et aliis ministeriis se exercebat; et quamvis paulatim procedebant, nihilominus cum fructu in dies majori et res Societatis crescebant [2].

95. Coepit autem post Pascha P. Frusius in ipsa nostra ecclesia, quamvis exigua, dominicis et festis diebus concionari, et ter in hebdomada Pauli epistolam ad romanos enarrare; et quamvis locus incommodus esset et remotus a frequentia civium, satis frequens auditorum numerus accedebat, inter quos et ipse Dominus Prior et quidam Episcopus erant. Eisdem festis ac dominicis diebus, quibus concionabatur mane, pomeridianis horis catechismum pueros docebat. Quam plurimi in domum Prioris convenire soliti erant; unde et nostros fratres juniores,

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Andreae Frusio, de tribus qui in Societatem Venetiis admitti postulabant, ut eos mitteret aut Romam aut Bononiam, 14 Martii; Ignatius Angelo Suriano, ut libere de suis bonis disponat, 6 Junii; idem Andreae Frusio, ut in rebus agendis, primariorum in dominio veneto virorum, Ducis praesertim, consilio se accommodet, 6 Junii; eidem Polancus, *ex com.*, de Angelo Suriano, 3 Octobris.—In volumine V operis *Cartas de San Ignacio*, pp. 333 et 410, epistolam reperies, sub n. DCCXI positam, quam ibi, juxta trassumptum ad nos Roma missum, datam diximus Michaëli Turiano. Est autem illud *Turiano* librarii mendum pro *Suriano*, sive ut alii scribunt, *Soriano*, eratque is Michaël, hujus Angeli frater et venetorum, prius apud Imperatorem Carolum, postea apud Philippum II Legatus. Vide GACHARD, ALBÉRI, etc.

[2] Ignatii patentes litterae seu procuratorium instrumentum in favorem Andreae Frusii ad contractus, etc., 21 Februarii. Idem Matthaeo Dandolo, qui venetorum Legatus Romae nuper sub Paulo III fuerat officiose, 18 Julii; eadem die Polancus Andreae Frusio, ut Matthaeum Dandolo Ignatii nomine visitet.

Digitized by Google

prout P. Ignatius commendaverat, in hac christiana doctrina edocenda exercere commode poterat. Ex illis nobilibus ac devotis mulieribus, quae sacerdotes mediolanenses ex eo dominio abire jussos sequi solitae erant, magnus numerus ad nostros confessionis et communionis crebrae gratia convenit, sed eas non admittendas esse, quamvis optimae matronae essent, praeter paucas, et quidem habito delectu, honestis ex causis constituit; ne scilicet ulla occasio his, qui occasionem quaerebant, daretur, suspectum dominio veneto reddendi Collegium. Aliqui etiam ut in Societatem admitterentur apud eumdem P. Andream instabant [1].

96. Vir quidam primarius, qui se Societati amicum exhibuerat, cum de Prioratus possessione capienda ageretur, persuadere P. Andreae nitebatur ut nullius foeminae confessionem nostri audirent, et, ut videbatur, bonae existimationi nostrorum apud reipublicae illius senatores et securitati consultum volebat. Sed cum instituto nostro tam proprium et germanum hoc munus administrandi sacramenta confessionis et communionis sit, nullo modo P. Andreae Frusio amici illius consilium admittendum visum est; et ejus sententiam P. Ignatius confirmavit. Hinc tamen facile percipi poterat non solum quam diligenter essent cavenda quae contra bonam aedificationem fierent, sed etiam quam caute et quanta cum dexteritate in bonis operationibus procedendum. Itaque lectionem illam D. Pauli sic viris attemperavit P. Frusius, ut nulla prorsus foemina ad eam audiendam accederet. A concionibus autem diebus dominicis et festis excludi non posse nec debere videbantur; et nihilominus non deerant illis initiis qui obmurmurarent et diu foeminas nostro in templo commorari dicerent. Nostris scholasticis et quindecim aut viginti aliis externis idem Pater graecam lectionem domi praelegebat [2].

---

[1] Ignatius Andreae Frusio, de mulierum confessionibus, et de scholasticorum translatione, 9 Maii.

[2] Ignatius Secretario Senatus veneti, ei gratias agens, eumque de ministeriis Societatis edocens, quae tamen, ait, nonnisi juxta Senatus voluntatem Venetiis a nostris exercebuntur, 26 Septembris; idem eadem die Matthaeo Dandolo, eum rogans ut consilio nostros Venetiis adjuvet et patrocinio foveat; idem Andreae Frusio ut Senatus Secretarium et Matthaeum Dandolo visitet eorumque sententiam exquirat de convenientiori agendi modo, eamque sequatur.—Hac die missa est Andreae Frusio longa quaedam enarratio, Secretario et Dandolo, si oporteret, ostendenda, de ministeriis, instituto et modo agendi Societatis, et alia, de qua infra sub n. 102 fit sermo.

Digitized by Google

97. Cum ad salutandum virum quemdam religiosum, hortatu quorumdam nobilium, accessisset, qui et vita et doctrina conspicuus ferebatur, cum duobus viris lutheranis eumdem invenit; unde loco consolationis spiritualis, quam sperabat, cum magno doloris sensu disputare cum illis debuit, qui se satis obstinatos praebebant; et tamen religiosus ille, dum veritatem cum mendacio conciliare, adhibitis distinctionibus parum convenientibus, niteretur, seipsum suspectum merito reddebat. Unus tamen ex iis, qui aderant, quem proselytum facere volebant, ejusdem ordinis, ad partem P. Frusii inclinavit. Coepit autem idem Pater in lectionibus et concionibus, nam ad id se interius incitari sentiebat, sectariorum opiniones ac novitates exagitare ac persequi; sic enim expedire, ne hoc venenum simplicioribus nec opinantibus propinaretur, judicabat.

98. A Vicelegato rogatus fuit ut lutheranum quemdam perpetuo carceri mancipatum alloqueretur, qui, cum novem annos obstinatus in errore maneret, ab haereticis ut martyr habebatur, cum pane et aqua diu vitam sustentare cogeretur; ad eum, inquam, P. Andreas Frusius accessit, et, Deo cooperante, eo adductus ille fuit ut suos errores publice revocare velle affirmaret, quod et postea consecutum est [1].

99. Cum quidam ex nostris infirmos hospitalis incurabilium ad confessionem frequentem hortaretur, diceretque inutilem esse confessionem et necessario iterandam, in qua scienter vel unum peccatum omitteretur, non pauci compuncti sequenti die P. Andreae Galvanello confessi sunt, qui omnes propemodum in eo hospitali aegrotantes audivit. P. etiam Caesar Helmus, tam exhortationibus habitis quam confessionibus auditis, aegrotos ibidem et consolabatur et ad patienter ac libenter ferendam aegritudinem adducere nitebatur, nec frustra.

100. Coepit templum nostrum, quamvis exiguum, remotum, et parum commodum, a multis, inter quos et aliqui nobiles erant, confessionis et communionis gratia frequentari; Scholasticorum etiam externorum et numerus et fructus augebatur; et ad parentes eorum spiritualis utilitas redundabat, qui filiorum occasione frequentes tam praedicationibus quam catechi-

---

[1] **Ignatius Andreae Frusio, de facultatibus per Salmeronem a Pontifice obtentis, ut eis uti possit, praesertim circa absolutionem resipiscentium ab haeresi et dispensationem a jejunio, 9 Maii.**

Digitized by Google

smi lectionibus intererant, crebro confitebantur et in pietatis operibus se exercebant.

101. Societas quaedam piorum hominum, qui quasi ex officio ad pueros in christiana doctrina erudiendos instituta erat, a P. Andrea Frusio precibus impetravit ut diebus dominicis ac festis ad eosdem in docendi modo dirigendos et post puerorum dimissionem ad melius ipsis confratribus explicandam eamdem doctrinam interesset, se dicto audientes fore in omnibus pollicentes; sed quia P. Frusius gravioribus occupationibus distinebatur, P. Caesari Helmo ea provincia demandata est. Legatus Summi Pontificis in rebus ad officium ipsius spectantibus libenter P. Frusii opera utebatur. Ipse etiam Senatus de Collegio se bene sentire ostendit, cum vir quidam, vel levitate ductus vel ut se publici boni sollicitum ostenderet amatorem, suggessit eidem Senatui videndum esse quomodo Collegium nostrum procederet. Cum tamen indicia, quae adferebat, falsa esse deprehenderentur, qui deputati ad hoc officium erant nihil denunciandum esse nostris nec ulla admonitione utendum censuerunt. Post festum Divi Joannis, cum aestus molestior esset, lectionem D. Pauli ad tempus P. Frusius intermisit, non tamen domesticam lectionem vel conciones.

102. Quidam bonus sacerdos hoc tempore in spiritualibus exercitiis Societatis institutum ingredi decrevit. Quidam etiam adolescens turca, qui sub hoc sacerdote inter orphanos fuerat institutus, a P. Andrea Frusio ad ministeria domestica est admissus, qui modestia, obedientia et ingenio ad litteras capessendas cum aliquo initio latinae grammaticae ad Dei servitium aptus videbatur. Admonitus fuit idem Pater quod consuetudo scribendi octavo quoque die Romam aliquam suspicionis umbram et dederat et datura erat in posterum quibusdam [1].

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Andreae Frusio, de quodam sacerdote, qui Venetiis in Societatem admitti postulabat, 20 Junii; de eodem, ut Romam eum ad probationem mittat, 4 Julii; eidem, quid juxta Ignatii mentem et peculiares Dominii veneti difficultates in admittendis ad nostras scholas pueris servandum erit, 26 Septembris.—Missum est etiam hoc tempore Andreae Frusio trassumptum quoddam illius partis Constitutionum, in qua de litterarum Superiores inter et subditos communicatione agitur, declaratione addita de rebus scribendis et modo. Quod ideo factum est, quia ob hanc etiam litterarum communicationem suspecta erat atque invisa Societas veneto Senatui, qui ne litterae illae aliquid ad rationem seu gubernationem status pertinens continerent, verebatur. Trassumptum hoc et declarationem et plura *historicarum* litterarum exempla Senatui veneto, si oporteret, ostendendi venia Andreae Frusio facta est.

Digitized by Google

103. Scripserat P. Andreae Frusio P. Ignatius ut aliquam rationem iniret ad Terentium et alios poëtas purgandos a rebus lascivis, ut juventus sic puritatem linguae latinae et ornatum hauriret ut morum integritas detrimentum non pateretur; et quod ad alios quidem poëtas attinet, difficile non fuit hoc praestare, quum ea quae lasciva essent, sine operis detrimento possen omitti; et ita a P. Frusio id effectum est, ac praesertim in Horatio et Martiali; in Terentio vero perdifficile videbatur rationem aliquam inire ad ea removenda, quae parum essent honesta, cum argumentum ipsum ea necessario continere videretur. Sed id excogitavit Frusius, ut quae de inhonesto amore ibi dicuntur, de honesto et conjugali dicerentur. At P. Ignatio haec ratio purgandi probata non est, cum animis juvenum tam quae de conjugali quam quae de inhonesto amore dicerentur, species turpes ob oculos mentis obtendere possent, et demum ne Terentius legeretur, hanc ipsam ob causam, in nostris scholis prohibuit [1].

104. De grammatica etiam, ac praecipue de rudimentis ejus, ut aliquid scriberet P. Frusius, nostris scholis accommodatum, injunctum ab eodem P. Ignatio est; ille vero grammaticam Despauterii commendavit, aut si prolixior videretur, Pelisonis compendium pro Despauterio legi posse sentiebat; pro rudimentis autem Donatum communem commendabat; quia tamen P. Ignatius ipsi ut hoc opus concinnaret injunxerat, tractatum illum, qui in manibus nostrorum habetur, qui infimis classibus praesunt, confecit [2].

105. Haereticus ille, qui post disputationem P. Frusii ad saniorem mentem reductus fuerat, a Domino Andrea Lipomano, Priore, domi exceptus est, legati Apostolici rogatu. Ille autem, postquam haeresim publicae abjuravit, conciones Patris

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Andreae Frusio, de modo expurgandi Terentii libros, 18 Julii; eidem, ut octavo quoque die Romam scribat quomodo librorum expurgatio progrediatur, 5 Septembris.

[2] Polancus, *ex commissione,* Andreae Frusio, ut Donati librum de re grammatica revisat et iis, quae in aliis bene dicta reperiantur, exornet perficiatque, 22 Augusti; eidem, ut emendatos Terentii libros Romam quamprimum mittat, itemque quidquid paratum habeat de rudimentis grammaticae, 19 Septembris; eidem Ignatii judicium de Terentii libris et grammaticae rudimentis, 3 Octobris; eidem de ejus grammatica et de Clenardi, 14 Novembris; eidem ut tum e veneto tum e patavino Collegio scribendum Romam curet quid circa Societatis ministeria, conciones, confessiones, etc., fiat, et de scholasticorum numero, studiorum ordine, etc., 26 Decembris.

Digitized by Google

Frusii audiens valde in catholica religione fuit confirmatus, eidemque confessus est, et ad communionem in festo Assumptionis B. Virginis admissus. Turca etiam ille, de quo supra, optime se gerebat. Accessit et judaeus quidam ad Christi fidem [1].

106. Cum autem P. Elpidius Florentiam ad negotium illud collegii, de quo superius actum est, evocatus fuisset, ipse P. Andreas tam Veneto quam Patavino Collegio praefuit, quamvis P. Andreas Galvanellus, ut suppleret locum Rectoris, Patavium sit missus. Cum autem intellexisset idem Frusius quod quartana laboraret Tridenti P. Jacobus Laynez et coadjutore aliquo indigeret, quemdam, qui in Veneto Collegio erat, Gonsalvum nomine, ad ipsum trasmisit.

107. Cum nobilem quemdam venetum P. Andreas de ratione nostri instituti alloqueretur, et constitutionem nostram, qua prohibemur ne in rebus ad statum dominorum temporalium nos immisceamus nec de hujusmodi rebus quidquam scribamus, cumque eidem dixisset se noluisse legatum Regis Christianissimi invisere nec Cardinalem Turonensem, qui Venetiis erat, admiratus est ille tantam in nostris circumspectionem, et hortatus est ut bono animo quae nostri instituti essent ageremus.

108. Invisit Octobri mense P. Frusius Collegium Patavinum et quomodo omnia se habuissent post discessum P. Elpidii intellexit, et quae in posterum essent agenda cum omnium consolatione constituit [2].

109. Numerus scholasticorum, qui Venetiis sunt admissi, ultra decem non erat; delectum enim esse habendum nec tam multos admittendos ut irritarentur aliarum scholarum magistri, Dominus Prior sentiebat, cujus voluntati, quoad ejus fieri poterat, P. Frusius se attemperabat.

110. Hebraeus ille, de quo paulo ante quod ad Christum fuisset conversus diximus, tam praeclare se gerebat, ut non solum ad religionem Christianam sed ad statum consiliorum

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Andreae Frusio, de retinendo domi Joanne Baptista hebraeo, si et ipsi prosit et aliis non noceat, 21 Martii; de haereticorum libris non legendis et, si eorum lectio necessaria sibi videatur, ut ad Ignatium scribat, 4 Julii.

[2] Polancus, *ex commissione,* Andreae Frusio, ut videat an ut Collegio Patavino praesit aptus sit Caesar Helmius, 26 Septembris.

Digitized by Google

Christi adspiraret et cum virtutis et spiritus optimum specimem praeberet, et ex manibus lutheranorum, in quos inciderat et a quibus catechismum audire incoeperat, peculiari quadam Dei providentia liberatus et ad religionem vocatus videretur, nec quidquam esset in religione tan difficile, quod non libenter ob Christi amorem subire paratus esset, in Societatem eum P. Andreas Frusius admisit, in qua postea bonus operarius vineae Domini evasit. Memoria firmissima pollebat, ingenio et judicio valere videbatur, et bona corporis habitudine; versatus erat diu in veteri hebraico testamento et quemvis ejus locum prompte memoriter recitabat, Palaestinam fere totam, Germaniam et Italiam peragraverat, et praeter italicum et hebraicum idioma, hispanicum etiam, germanicum et turcicum callebat, cum vigenti annos tantum natus esset [1].

111. Scholastici, qui ad Collegium Venetum ventitabant, singulis fere mensibus confitebantur; die autem veneris post meridiem exhortatio apud ipsos circa christianam doctrinam, praeter illam, quae dominicis diebus fiebat, habebatur; ante initium lectionum alta voce, ut post lectiones absolutas, *Salve Regina* dicebatur; quae enim in Collegio romano utilia esse experientia docebat, eadem aliis Italiae Collegiis proponebantur, et progressus insignis ejusdem romani Collegii alia Societatis loca et consolabatur multum et animabat. Eos, qui legere nesciebant, non admittendos esse in scholis P. Ignatius significaverat; quamvis enim opus illud pium esset, nostri turbae huic puerorum, quae maxima confluxisset, satisfacere non potuissent [2].

112. Crescebat interim confitentium et communicantium numerus, et nostri ad aegrotantium confessiones audiendas et eos, qui morti proximi erant, adjuvandos evocabantur.

113. Scholastici saepius quidem confiteri cupiebant, aliqui praesertim ex eis; sed partim aedificationis, partim occupationum ratione satis esse videbatur si singulis mensibus audirentur. Studium conciones audientium, aedificatio et fructus latius in dies patebat; consilii petendi causa ad normam et methodum

[1] Hic fuit P. Baptista Romanus *(Sic ad oram paginae)*.

[2] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, ut in schola, si videatur, retineat pueros, quos jam admiserit, legere et scribere nescientes; sed ne in posterum alios admittat, 14 Novembris.

Digitized by Google

recte vivendi multi nostros adibant; nonnulli parum catholici, P. Andrea Frusio praesente, suam sententiam parum sanam dissimulabant, sed aliqui, haereseos manifestae morbo laborantes, familiaribus ejus colloquiis et rationibus evicti, ad sanitatem mentis redierunt; eidem Patri legatus Apostolicus libros suspectae doctrinae legendos et discutiendos committebat.

114. De Collegio Patavino pauca hoc anno dicenda sunt, cum scholastici, suis studiis intenti, praecipuam eisdem darent operam. Quidam tamen juvenis in latinis et graecis litteris, logicis etiam et philosophicis instructus, qui expensis Domini Prioris Lipomani studebat Patavii, eodem Priore consentiente, Societatis institutum amplexus est. Julius Honofrius dicebatur.

115. Quia vero aliqui ex scholasticis, qui nostris familiariter utebantur aut eis confitebantur, vel haereticos libros tenuerant vel opiniones aliquas parum sanas, quae libertas id temporis, aequo major fortassis, in ea Universitate fuit, expedire visum est, ut petenti Rectori facultatem ad hujusmodi absolvendos communicaretur, quae Patri Frusio communicata, et post eum deinceps semper aliis, fuit. Numerus confitentium et communicantium, qui nostrorum opera, licet in studiis occupatorum, uterentur, et frequentia mediocris erat.

116. Postquam Collegium Ferrariense, de quo superius egimus, missum est, cum jam etiam bononiense et venetum praeter patavinum essent administranda, cumque etiam florentinum brevi mittendum esset, visum est P. Ignatio Provincialem aliquem in Italia constituendum esse, ad quem ex his Collegiis nostri scriberent et ut vicinum de iis consulerent, quae in dies accidere poterant; et ita hujus anni autumno P. Paschasius Broët primus Italiae Provincialis creatus est; quamvis nec Collegium Neapolitanum nec minus utique Messanense et Panormitanum ab eo regebantur, et, cum facile posset consuli P. Ignatius, quaecumque majoris momenti accidebant, ad eum ex omnibus Italiae locis referebantur [1].

117. Erat hujus anni initio P. Bobadilla Rosani, cujus opera

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Paschasio Broët, Ignatii voluntatem esse eum totius superioris Italiae Provincialem constituere, 29 Novembris; eidem Ignatius, de Provincialis officio, de non mutandis domorum praepositis nisi re cum Ignatio collata, et de Pelletario ipsius Paschasii *collaterali* constituendo, 5 Decembris; eadem die missae ipsi sunt patentes Ignatii litterae, quibus eum Italiae superioris Provincialem constituebat; item scriptum de mutuis Praepositi et Collateralis officiis.

Digitized by Google

quamvis alibi expeteretur, haerere tamen Rosani partim necessitas partim fructus spiritualis illius dioecesis compulit, ut scilicet negotia visitationis coeptae confici et ad statum aliquem convenientem deduci possent; et tam multa ejus auctoritate et industria perfecta sunt, ut ex illa dioecesi multi affirmarent, ne ab ipso quidem Cardinali Verallo, Rosanensi Archiepiscopo, ea perfici potuisse, quae Christus per P. Bobadillam effecit. Significatum ei fuerat P. Ignatii nomine ut vel Theate vel Aquilae, quae praecipuae civitates sunt Bruciorum, in quadragesima hujus anni concionaretur; sed rosanenses oves ne dissipandas lupis sine pastore relinqueret, exspectare debuit, donec aliquem, qui succedere ipsi posset in eo munere, inventus esset; negotiis autem tam multis distinebatur ut quodammodo se obrui conquereretur.

118. Cum inde Romam venisset, Cardinali Duranti, qui in suum Episcopatum Brixiam se conferebat, ad tres menses datus est. Cum eo igitur Venetias et Patavium cum venisset, et brachii dolore, ex lapsu fortassis, valde laboraret, balneis quibusdam Patavio vicinis adjutus melius habuit. Brixiam demum perveniens in febrim incidit tertianam, qua liberatus, dominicis diebus epistolas occurrentes post vespertinum officium enarrare in cathedrali ecclesia coepit, postea epistolam ad Romanos ter in hebdomada et cum frequenti admodum auditorio in palatio, praesente Cardinali ac multis aliis nobilibus, interpretatus est; de reformatione etiam dioecesis agere cum Cardinali coepit, a quo et humaniter et amanter tractabatur [1].

119. De Collegio Brixiae instituendo aliquid, approbante P. Ignatio, agere coepit; sed res id temporis non maturuerat. Romam demum rediens, ut satisfieret Maffeo, Archiepiscopo Theatino, visitator in ejus dioecesim missus est, et quidem cum Vicarii nomine, cum aliter visitationis officio fungi non posset. Sub initio ergo Decembris cum eo pervenisset, et die dominico concionatus esset, absoluto Missae sacrificio ac populo theatino praesente, visitationem inchoavit, a SSmo. Sacramento incipiens. Die sequenti in monasterio Divi Francisci concionatus est; et sequenti, congregato capitulo clericorum, suae missio-

---

[1] **Ignatius Nicolao Bobadilla, ut Brixia Romam, Neapolim iturus, quamprimum se conferat. 12 Septembris.**

Digitized by Google

nis rationem exposuit et officii sui commonefecit; et quamvis non parum ab eis timeretur, fere omnibus tamen satisfaciebat. Cum autem de illo archiepiscopatu obtinendo quidam ageret, quisnam ille esset admonuit, ne parum idoneum elegisse poeniteret.

120. Messanense Collegium in Sicilia cursum solitum hoc anno tenuit, majori tamen in dies profectu et animo juxta vocationem vivendi. Admissus est initio hujus anni in probationis domum quidam filius Vicecomitis de Francavilla, nobilissimi viri Messanensis, non solum cum bona patris venia, sed eodem etiam rogante et commendante. Quatuordecim tunc vel quindecim erant in probationem; in Collegio vero undeviginti; omnes numero quatuor supra triginta; sed cum P. Hieronymus Domenech in Hispaniam profectionem pararet, P. Hieronymus Natalis Proregi adesse et Collegium Messanense sub P. Antonio Vinchio relinquere coactus est a decimasexta die Februarii, qua litteris Proregis evocatus, Messana ille recesserat. Graviter tam Collegiales quam Messanenses, praesertim qui ejus lectiones audire soliti erant in quadragesima, ejus absentiam tulerunt. Cum autem praeter tempus ipsum quadragesimale, jubilaei, propter Concilium concessi, gratia multi ad confessionem moverentur, nostri Sacerdotes, qui Messanae versabantur, ante lucem matutinam usque ad duas horas noctis in confessionibus erant usque adeo occupati, ut quodammodo respirare vix liceret; et tamen eorum, qui ad nostros conveniebant, majori parti satisfieri non poterat; qui dominicis diebus ad communionem accedebant, primis mensibus hujus anni ad centum et quinquaginta fere ascendebant.

121. Cum autem classis turcarum hoc anno ad Africae recuperationem vel ad Siciliae et Apuliae atque Calabriae maritimas oras infestandas adventura esset, homines multi hoc timore adducti ad confessionem peccatorum etiam post Pascha commovebantur. Cum tamen externi turbarentur, qui in probationis domum a Societate admissi fuerant eorum filii, non solum intrepidi in suis exercitationibus versabantur, nec de paternis domibus repetendis agebant, sed ad omnia propter Christum patiendum, et ad servitutem perpetuam et ad mortem magno animo parati erant, et ad exhortandos milites ad moenia civitatis se ituros magno animo offerebant; tanta eos consangui-

Digitized by Google

neorum oblivio ceperat et tam serio affectum carnis et sanguinis exuere nitebantur ut et admirationi nostris veteranis et pudori essent. In studiis etiam litterarum se exercebant et proficiebant. Sed ut ad classem turcarum redeam, auxit orationum propugnacula Joannes de Vega Pro-rex, qui P. Natali (a quo utiliter ipsi suggestum id fuerat) injunxit ut notaret capita quaedam orationum, quae in toto in regno Siciliae contra instantes necessitates fierent. Et ita in quibusdam civitatibus constitutum est (numero quindecim fuerunt), ut continua oratio sine intermissione ad Deum funderetur, divisis diei ac noctis horis inter monasteria ac pia loca et congregationes. Nostris autem messanensibus a tertia noctis hora usque ad quartam fuit imposita. Fuit etiam constitutum ut omnes homines cujuscumque conditionis ac sexus, cum pulsaretur in cathedrali ecclesia campana ad elevationem corporis Christi in solemni Missa, omnes genua flecterent, et ad hunc ipsum effectum orarent; et cum vespere, mane et meridie novem ictus campana daret (quod in Sicilia id temporis inusitatum erat), omnes provoluti genibus eodem modo orarent pro tranquillitate Ecclesiae et incolumitate totius populi christiani; ac praeterea ut in omnibus horis canonicis, publicis ac privatis, commemoratio fieret contra paganos et infideles, ea oratione adhibita, quae contra eos in ecclesia dici solet; ad eleemosynas etiam et jejunia qui populis praeerant, Pro-rege hortante, eos excitarunt. Et diligenter haec sunt observata; ut credi possit flagellum, pro peccatis incutiendum, hac ratione a Sicilia aversum esse.

122. Cum autem Messanam Pro-rex venisset, omnes adolescentes, qui in probationis domo versabantur, ad ipsum salutandum adducti sunt, et orationes aliquas latinas, et carmina tam graeca quam latina libenter et audivit Pro-rex et commendavit ac de prospero illius domus successu se laetari significavit. P. Natalis, qui cum ipso Pro-rege Messanam redierat, ut piis multorum desideriis satisfaceret, lectiones, quas in cathedrali templo facere solitus erat, resumpsit; psalmum autem *Miserere mei Deus* enarrandum suscepit. Resumpsit etiam lectiones die veneris de Christi vita coeptas, quas, ipso absente, P. Antonius fuerat prosecutus; sed quia in Africam, ut dicetur postea, navigavit, non diu hujusmodi lectionibus auditores ejus frui potuerunt. Magister Benedictus Palmius inter concionandum in ca-

Digitized by Google

thedrali ecclesia, praesente Pro-rege et juratis magistratibus, quae de oratione dicta sunt promulgavit, omnes ad peccata relinquenda et confugiendum ad orationis, eleemosynarum et jejuniorum arma est exhortatus, et magnopere auditoribus et gratus et proficuus fuit ejus labor [1].

123. In monasteriis etiam idem et alii nostri concionabantur. Illae autem magno studio orationi vacabant et, cum una hora eis esset imposita, ad duas orationem extrahebant. Si tamen laicis quod in his monasteriis Benedictus concionaretur innotescebat, eo se ad audiendum avide conferebant. Concionabatur etiam apud D. Isabellam de Vega, Pro-regis filiam, quae omnium novitiorum conciones audire voluit; et unus, qui primus inter eos praedicare debuit, sic de mundi contemptu disseruit, ut non parum audientes commoveret; caeteri etiam sunt secuti; illa enim, quae ad perfectionem adspirantibus praedicari solent, sibi et suis praedicari volebat; nec sine fructu pietatis id est effectum.

124. Praeter orationes Pro-rex omnem adhibebat diligentiam ac providentiam in externis rebus, ut tam Siciliam sibi commissam quam Africam praesidiis ac rebus aliis necessariis muniret, cum incertum esset quo tandem classis turcica suos esset conatus conversura. Erat autem tam frequens hominum multitudo, quae ad conciones magistri Benedicti in templum nostrum confluebat, ut non pauciores recedere, quod ingressus non pateret, dicerentur, quam qui eumdem audiebant. Feriatis etiam diebus apud Dominam Isabellam concionabatur, et lectiones vitae Christi post recessum P. Natalis est prosecutus cum consolatione et frequentia magna auditorum. In aegrotantium etiam confessionibus et eorum, qui in custodia publica retinebantur, perutilem operam nostri navabant.

125. Studia vero litterarum tam diligenter Messanae tractabantur ut in Collegii romani usum, hoc anno inchoati, Rector ejus, Bernardus Oliverius, per litteras postulaverit ut de ea ratione, quam in promovendo in litteris suos scholasticos servabant, aliquid scriptum ad se mitterent; quam rationem Magister Annibal de Codretto hac ipsa aestate Romam misit.

[1] Ignatius Natali, 21 Februarii, ut si a Pro-rege vocetur, ad ejus curiam se conferat; eidem, ne Antonium Vinckium Romam mittat, si Messanae sit necessarius, 7 Martii.

Digitized by Google

126. Sed cum classis turcica coram Messanensi civitate prope Rhegium appareret[1], quindecim fere dies studia intermissa fuerunt, ut spiritualibus exercitationibus vacaretur. Induciae inter Carolum Imperatorem ac turcarum Regem id temporis erant; unde dux classis ad Pro-regem Siciliae misit significando se bona cum venia Majestatis Caesareae ad recipiendam Africam venisse, quae si ipsis redderetur, nihil se molestiae nostris illaturum dicebat; alioqui se quidquid posset, ac in primis Siciliam ac Messanam ipsam invasurum. Respondit Pro-rex non esse contra inducias factum quod a piratis Africa recepta fuisset, et sibi non constare quod haec esset voluntas Caesaris ut turcis Africa restitueretur; non etiam esse consuetudinem amicorum dixit, nam illi se amicos simulabant, ut armata cum classe ad confoederatorum provincias, ipsis non praemonitis, accederent; si nolint exspectare consultationem Caesaris aut Pontificis ac Pro-regis Neapolis, ut facerent quod vellent, se ad defensionem paratum ostendens.

127. Recessit classis die sequenti versus Catanam; et ita timore liberati Messanenses fuerunt, et studia nostrarum scholarum resumpta. Quia vero ex laboribus, occasione classis susceptis, morbi frequentes grassarentur, operariorum Christi messis crevit. Auxit autem illam quod cum in arce Rhegiensis civitatis vicinae ignis in pulverem tormentorum bellicorum cecidisset, multi magna conflagratione consumpti, alii gravissime laesi et semiusti ac vermibus scaturientes in hospitale messanense fere triginta deducti sunt, in quibus a planta pedis usque ad caput non erat sanitas, et tam gravis ex eis emanabat foetor ut vix quisquam ad eos accedere posset. Cum ergo non parum incommodi ex defectu eorum, qui libenter et patienter illis inservirent, paterentur, P. Antonius Vinchius invisit atque consolatus est eos. Magister Benedictus etiam pro concione eosdem populo commendavit, ut qua possent ratione eis subvenirent; unde multi ex auditoribus verbo Dei excitati, non solum ad visitandos hujusmodi aegrotantes accesserunt, sed hic gallinas, ille electuaria, ille indusia, ille pannos lineos atque pecunias adferebat, et tam viri quam mulieres, etiam nobiles, magna cum

[1] Rhegium, scilicet, Julii, in ora Calabriae ulterioris, contra Messanam Siciliae a qua duodecim passuum millibus mari distat.

Digitized by Google

charitate foetorem illum sustinentes illis assidebant, muscas ab eis expellebant, ad patientiam hortabantur et omnia pietatis officia praestabant. Fuit inter hos viros medicus quidam magnae profecto pietatis, qui bis quotidie aegrotantes invisebat et ita plagis eorum medebatur, ut manibus suis et vermes abstergeret et lavaret. Et quamvis aliis in negotiis essent occupati, non erat illis molestum aliquid temporis eis adimere, quod membris Christi sublevandis impartirentur. Novem tantum ex triginta mortem evaserunt; nullus tamen fere mortuus est, cujus confessionem prius P. Antonius non audierit, qui laetitia non mediocri afficiebatur, cum eos per Dei gratiam animo contritos ex hac vita decedere videret. Cum autem qui convaluerunt, nudi essent, ex eleemosynis vestimenta illis nostrorum opera parata sunt. Tandem ipso die S. Laurentii ab hospitali egressi ad nostram ecclesiam accessere, ubi post confessionem Sanctissimum Christi corpus eis est communicatum, et cum concioni interfuissent, addito ipsis viatico, quo possent ad suos redire, dimissi sunt. Qui autem hospitali praeerat quique eidem ministrabant, hoc piorum hominum exemplo excitati, majore cum charitate ac sollicitudine pauperibus inservire coeperunt; bona etiam consuetudo hospitale hoc invisendi a piis illis viris in posterum retenta est.

128. Quamvis consuetudo nostrarum scholarum semel tantum singulis mensibus studiosos ad confessionem obligaret, quidam tamen eorum octavo, alii decimoquinto quoque die, confitebantur; quidam etiam ita profecerunt non solum in litteris sed etiam in spiritu ut alios ad frequentem usum sacramentorum secum traherent; et haec industria non infeliciter eis succedebat. Erant autem usque adeo eorum aliqui operibus pietatis dediti ut vespere a scholis dimissi non prius domos suas repeterent quam clausos in carceribus visitarent, aquam et reliqua, quae poterant, eis subministrarent; nam collectas interdum per urbem eleemosynas adolescentuli ad eos deferebant, et ad confessionem hortabantur, et non raro persuadebant, et tanto cum fervore ut inter se de his pietatis officiis contenderent. Aliqui etiam ex iis, inscio praeceptore, in usum aegrotantium eleemosynas petebant, quae res ita parentibus ipsorum placuit, ut eorum quidam, filiorum exemplo moti, tantumdem facerent. Enituit praecipue haec pietas in ulceroso quodam paupere et

Digitized by Google

scabie pleno, qui, cum vix lecto egredi posset, et haberet neminem, a quo vel tantillum sublevaretur, si non morbo fame certe periturus videbatur; hujus ergo illi adolescentes curam praecipuam susceperunt, ut quotidie quantum satis esset, ad illum deferre niterentur. Alios etiam pauperes in maxima annonae caritate horum juvenum pietas sublevavit. Non deerant ex his aliqui, qui ad Societatis institutum adspirarent; sed nostri in admittendis ad probationem hominibus maturo consilio ac delectu utendum censebant; spem tamen, si perseverassent, non amittebant.

129. De confessionum fructu hoc tantum dicam: inter eos qui nostris confessi sunt fuere qui sex annis, vel decem, vel viginti, vel triginta et amplius confessi non fuerant, et tanto studio ut nostris confiterentur contendebant, ut cum illi suaderent nostri ut ad alios se religiosos conferrent, quandoquidem non poterat omnibus satisfieri, respondebant illi potius se per integram hebdomadam a mane usque ad vesperam exspectaturos. Et ut aliquid sigillatim ex multis perstringam, plurimae virgines tam nobiles quam plebeiae, statum illum puritatis se observaturas Deo voverunt, quarum tam multus erat numerus ut totum monasterium, si institutum esset, implere posset, neque quidquam eas ab ingressu religionis detinebat, nisi quod, querelas monialium audientes, reformari monasteria, priusquam ipsae ingrederentur, cupiebant; id etiam inter caetera movebat ne coenobia ingrederentur, quia nollent impediri a frequenti usu confessionis et communionis nec ab audiendo verbo Dei; hoc enim lacte spiritus earum in templo nostro nutriebatur. Progressus interim non exiguos in via Domini faciebant, et quomodo Christo placerent, sollicitae tantum erant. Quibusdam earum parentes repugnabant, sed patientia ac spe in Christo defixa omnia superabant, unde et earum patres, cum eas ex fructibus cognoscerent, quod spiritu Dei ducerentur, et laetabantur et Deo vacare permittebant; et earum aliquae septem vel octo horas orationi sine ullo parentum impedimento tribuebant, jejuniis et corporis castigationi deditae.

130. Viduae etiam continentiam Deo vovebant, et in orationibus et observationibus Deo assidue serviebant; matrimonio etiam junctae sibi ab ornamentis superfluis temperabant, et tam avide Dei verbum audiebant ut quaedam vespere aut eo

Digitized by Google

tempore, quo dormiendum erat, somnum sibi substrahendo, pararent, quae in prandio diei sequentis in usum maritorum erant paranda, ne die sequenti a concione audienda abstinere propter prandium cogerentur. Inter alias una fuit, cui maritus minabatur mortem si ad nostram ecclesiam, ut consueverat, veniret, et ad sacramenta crebro accederet; illa vero humillime respondit: in manu tua sum, quod placet tibi facere poteris, sed tamen a charitate Dei me non separabis; unde vicit ejus patientia et humilitas, quem diabolus contra eam exacerbaverat.

131. Nobiles autem matronae, quae prius pompis et ornatu superfluo summopere delectabantur, torques, annulos, et hujusmodi, quae ad mundum muliebrem pertinent, in usum pauperum, qui magna egestate eo anno premebantur, vendebant; et tantopere jejuniis et orationibus erant deditae, ut fraeno confessarii prorsus indigerent; quae autem manibus elaborare in suum ornatum solebant, ea in cultum Dei, pauperibus ecclesiis subveniendo, convertebant; familiae integrae erant nonnullae, quae mane surgentes simul omnes orabant, simul sacramenta suscipiebant et verbum Dei audiebant.

132. Concubinarii multi, vel ablegando concubinas vel sacramento matrimonii sibi eas copulando, peccatum diuturnum reliquerunt; restitutiones non paucae factae sunt; fuit qui venenum uxori propinandum triduo servaverat, fuit etiam qui funem ad suam uxorem strangulandam paratum habens, viginti dies occasionem eam interficiendi captabat; uterque autem in nostros incidens et apud eosdem peccata per confessionem expians conjugibus reconciliati sunt.

133. Aliqui obsessi a daemonibus ad P. Cornelium adducti et ejus consiliis obtemperantes adjuti sunt. Inter caeteros, quidam ad eum adductus, quamvis, ut credi potest, insidiose id diceret, humilitate illius Patris se comburi dicebat: non tamen eum abire permisit Cornelius, antequam pacato jam animo ipsi confiteretur; cum enim viginti annos natus esset, confessus nunquam fuerat; et melius jam habens dimissus est, et liber ex eo credebatur quod iterum ad confessionem rediit.

134. Inter confessionum fructus et ille fuit, quod superstitionum usus, qui late patebat, aboleri coeptus est; pax item inter multos est composita. Inter alios, qui hac in parte adjuti

Digitized by Google

fuerunt, vir quidam erat, quem, cum scholasticus quidam ex nostris specie truculenta et oculis ac fronte animum efferatum prodente intuitus esset, ad nostros eum deduxit; quem cum familiariter ac benigne nostri alloquerentur, fassus est, pridie ejus diei se tormentum bellicum in fratrem suum exonerasse, quia concubinam, quam diu ipse laute nutrierat, dum abesset, usurpaverat, et quod non effecisset illo ictu bombardae, se alia ratione curavisse, cuidam homini ejus occidendi provinciam demandando. Retentus vir hic domi per aliquot horas multisque rationibus nostrorum emollitus, et ad ineundam cum fratre pacem commotus, sic feritatem animi repente deposuit ut, evocato eodem die fratre, non sine lacrymis pax inter eos inita fuerit; postea confessus est ipse, qui, cum trigesimum tertium annum excederet, nunquam se confessum esse dicebat. Inter alios quoque duos, generum et socerum, qui quatuor annis inimicitias exercuerant et gener socerum occidere tentaverat, pax est facta; sic et alii, ne in singulis immorer, etiam cum mors conjunctorum ad ultionem exagitaret, cum magna animorum mutatione inter se reconciliati sunt. Inter hos duo fuerunt, quibus filii occisi fuerant, qui diu nostris rogantibus restiterant, sed tandem Dominus eorum corda commovit ad veniam occissoribus donandam, et confessionem, a qua multis annis abstinuerant, instituendam; alter horum jam duos annos in oratione dominica partem illam relinquebat *dimitte nobis, etc., sicut nos dimittimus*. Quaedam juvencula, quae turpidini vitam suam addixerat, et Dei benignitate liberata ac nuptui tradita, ad vomitum redierat, sic ad cor rediit, ut Beatam Magdalenam imitari videretur, et ad confessionem ac communionem crebro accedendo habitum tertii ordinis D. Francisci induit. Alia plurima ejus generis omitto, quia his similia sunt; multi prorsus a pessimo statu recedentes ad salutis viam sunt adducti.

135. In familiaribus colloquiis multi sunt adjuti, non solum in hospitalibus et custodiis publicis, sed et alii etiam, qui ad confessionem nostrorum persuasionibus adducebantur; qui tamen hoc piscationis genus (hoc enim nomen in eo pio negotio usurpabant) omittere debuerunt, quia tam multi sponte sua ad confessionem confluebant, ut diebus festis ac dominicis a mane usque ad vesperam in confessionibus occuparentur. Aegrotum quemdam invisere nostri rogati sunt, qui jam duodecim annos

Digitized by Google

alterius uxore pro concubina abutebatur nec ab ea auferri poterat; sed quidam ex nostris a Deo adjutus ut eam relinqueret persuasit; quod cum ille fuisset exsecutus, advocatus est denuo ad confessionem ejus audiendam, qua peracta, eadem nocte ex hac vita migravit; et quidem de ejus aeterna salute merito speratur, cum morte tam vicina singulare hoc beneficium a Deo acceperit. Nec solum aliqui peccata, in quibus multis annis vixerant, relinquebant; sed confessione generali totius vitae cum magna peccatorum detestatione confecta, ad consilia Domini observanda per frequentem usum sacramentorum se comparabant. Et prorsus haec sancta consuetudo tantopere quorumdam saecularium puritatem ac perfectionis studium auxit, ut in illis non jam saecularium sed religiosorum spiritus elucescat.

136. In ordinem digessit P. Natalis quasdam orationes per modum rosarii, in quibus praecipua omnia mysteria vitae ac passionis Christi meditanda menti cujuslibet occurrebant; quod genus orandi perutile multis fore sperabatur. Erant inter conjugatos hujusmodi, qui crebro ad sacramenta accedebant, aliqui, qui ab invicem de utriusque consensu separati erant, ut in magna mentis puritate Deo vacarent ad perfectissima quaeque propensi. Non omittam quod cum familiaris cujusdam senis, qui propinquum haeredem non habebat, falsos testes et notarium quemdam subornasset ut falsam donationem aegrotantis senis conficerent, uno eorum, qui conscientia tactus fuerat, rem ad nostros deferente, curaverunt hi ut omnes contractus hinc et inde facti ad se comburendos deferrent.

137. Auctoritas nostrorum apud vulgus hominum non vulgaris esse Messanae coepit, quorum verbis multi, qui pertinaces initio videbantur in vitiis quibusdam aut peccatis, ea reliquerunt; et cum extra urbem egrediuntur aliqui, qui in pratis ludunt, nostris conspectis, se in fugam vertunt, nonnunquam etiam omissis nummis, palliis et ensibus, unde et redeuntes capiuntur. Sacerdos quidam Ragutius, vir honoratus et dives, hebraicae lectionis auditor, et plurimum nostro instituto affectus, interrogavit saepius quibus conditionibus nostri Messanam essent adducti, optare se significans apud suos cives (qui sunt in Illyrico ad maris Adriatici oram) efficere ut collegium nostrorum eadem ratione evocarent; et cum intellexisset P. Bobadillam eo fuisse evocatum, magnopere laetatus est.

Digitized by Google

138. Tres viri religiosi ordinis Praedicatorum et duo ordinis Minorum una eademque die atque hora ad Collegium venerunt, et alii quidem hebraicas litteras, alii theologiae aliquid sibi praelegi optabant; Franciscanorum autem senex quidam septuaginta fere annos natus, theologus et concionator, nullum ego, inquit, hominum genus hoc melius vidi; utinam repuerascere mihi liceret, quo vitam una cum his transigerem; paulo post Dominicanus eosdem nostros conveniens, beatos esse, cum nihil illis deesset ad perfectam disciplinarum cognitionem, nostros affirmabat, ac potissimum Deum cognoscere docerent, qui est ipsa perfectio; suum etiam monasterium fortunatum dicebat, quod ei contigisset nostrorum Collegium vicinum habere, nam sola via publica illud a nostris dividit; et hic etiam theologi et concionatoris nomen sustinebat; et omnino magnam utriusque ordinis religiosi et charitatem et affabilitatem nostris exhibebant.

139. Hoc anno primitias suorum novitiorum domus probationis Messanensis in coelum misit, scilicet Joannem Antonium, Apulum, quem Panormum mittere, ut cuidam scholae praeesset, P. Natalis cogitabat, nam in litteris graecis et latinis profecerat. Ingressus ille fuerat Societatem ipso die Inventionis Sanctae Crucis anni praecedentis, et tantopere in spiritu profecit, ut socios humilitate, obedientia, simplicitate ac fervore charitatis longo intervallo praeverteret; semper ab omnibus despici voluit, nec quidquam gratius quam si vituperaretur ei accidebat, quia id se promereri sentiebat. Quoniam tamen aliter praefectus novitiorum de ejus profectu in omni virtute judicabat, vices suas illi committere solebat ut alios novitios probaret ac exerceret, et poenitentias etiam injungeret. Quia vero severitatis non nihil et rigidioris animi prae se ferebat, alii conquerebantur interdum; et cum conspirassent ut ejus periculum facerent, num talis esset intrinsecus qualis apparebat foris, eum praefectus novitiorum cribrandum et probandum aliis novitiis reliquit, qui jubendo et statim jussa revocando, et tanquam alterum Proteum in varias formas eum vertendo, exercere coeperunt; sed in his conflictibus tam egregie se gessit ut quae ficta suspicabantur, verissima esse alii novitii deprehendentes, stupere et confundi coeperint; atque patientia et humilitate omnibus silentium imposuit. In

Digitized by Google

morbo autem, quo fuit extinctus, nunquam aut conqueri aut replicare, aut quod sui voti compos non fieret, ullum impatientiae signum demonstrare visus est, ut omnibus, et infirmario praecipue, admirationi esset; et spiritus fervore jam morti proximus accensus videbatur, ut omnes vix alium ei similem vidisse uno ore faterentur. Visitatus est a noverca et sorore pridie quam ex hac vita decederet (talibus enim parentibus permittebatur in eam probationis domum ingredi ad graviter aegrotantes invisendos, quamvis in Collegio nulli id permittebatur); conversus autem ille ad sororem ait: quid hic tu quaeris, soror, aut quid vis? adhuc in mundo es? quid tardas? nonne vides me fere consumptum? vix mihi dies unus vitae superest; propera, quaeso, et curre ad Christum; et cum illa taceret, subdit: quid mihi respondes? illa vero se ingressuram coenobium promisit. Et dabat ei fortitudinem spiritus Domini ut sanus esse videretur, cum tamen postridie ad Deum migraverit. Cum etiam fratres novitios ad se vocasset, habita a Praefecto, P. Cornelio, facultate, ad obedientiam eos est adhortatus eo affectu ut lacrymas omnibus excuteret, et admirationi esset quod, corpore prope modum frigidus, ita caleret animo ut nunquam ferventius verba fecisse videretur. Cum Sanctissimam Eucharistiam ad eum detulissent, quam magna cum devotione suscepit, et extremam unctionem ministrassent, dictum est ei num in obedientia Societatis Jesu mori vellet. In obedientia, inquit, paupertate et castitate et vivere et mori volo, et hoc prae rebus omnibus desidero; et cum prius vota ipsius admittere P. Natalis recusasset, morte imminente, a P. Antonio Vinchio ut ea sibi emittere liceret impetravit. Emisit itaque, ut jam dudum optaverat, unde et scripta apud se retinebat a mense Decembri; et ita P. Antonio tradidit ut P. Ignatio mitteret; et quod viventi non licuerat, in articulo mortis peregit. Et ut videatur quam impressa fuerit ejus cordi obedientia, hoc addam quod, cum rogatus esset a fratribus numquid pro ipsis Dominum in coelo esset oraturus, si, inquit, aditus ad optatam Hierusalem mihi patebit facultasque pro vobis orandi a Christo mihi dabitur, faciam sane id et lubens; non enim sine obedientia Patris coelestis regni coelorum atria ingredi potero, nec ingressus pro vobis orare; nam si hic obediendum, quanto illic magis, unde omnis obedientia ad nos effluit? Haec ille, cujus animi puritatem, obedientiam et simplicitatem

Digitized by Google

non poterant nostri non vehementer mirari. Cum daemones, morte imminente, ipsum oppugnarent, primo quidem crucem arcte amplexabatur; et cum de fide tentationes molestas intentarent atque eas P. Praefecto aperiret, admonitus est ne disputaret cum daemone sed ut ad ipsum Praefectum daemones disputantes rejiceret; quod effecit, ac daemones ad P. Cornelium remisit, ut eorum rationibus pro ipso satisfaceret; unde qui per inobedientiam a coelo ceciderant, per obedientiam ab eodem superati sunt. Praedixerat autem uno aut altero die antequam moreretur, se die veneris ex hac vita migraturum, ut, sicut cum cruce ingressus erat Societatem, ipso, ut supra dictum est, die Inventionis Crucis, ita ipsa cruce comitante ex hac vita decederet. Cum itaque noctem jovis defixus in Passionis Domini consideratione, ut a Praefecto admonitus fuerat, transegisset, die veneris hora decima, spiritum Domino reddidit. Calaber erat hic juvenis, decem et octo annos natus; sed brevi consummatus tempora multa explevisse visus est. Quod ad perfectionis profectum attinet, de aliis novitiis non pauca dici possent; sed haec sint satis [1].

140. Cum magna rei frumentariae inopia Messanensis populus laboraret, et aliqui viri et mulieres, viduae ac pauperes reperirentur, multi filiis onusti, necdum ad laborem aptis, curatum est a nostris sedulo ut eorum necessitatibus subveniretur, et creditum est hac diligentia multis prospectum esse, qui a fame extrema et morte per curatas hujusmodi eleemosynas vindicati sunt.

141. Die 4.ª Octobris coram Pro-rege, et magistratibus, et aliis multis habita est oratio a Mag. Benedicto Palmio, de exercitatione studiorum, omnibus valde grata; qua absoluta, ipse Prorex Collegium ingressus omnia, etiam et culinam, perlustravit et juratis Collegium coram omnibus commendavit. Die sequenti lectiones renovatae sunt, prout alibi scriptum est, et quidem satis frequenti auditorio, praeterquam in lectione Ciceronis *de oratore ad Quintum fratrem*, quam magister Benedictus Palmius enarraturus erat; quod peculiari providentia accidisse existimatum est, ut ille liber esset ab hoc munere docendi, ut

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Natali aut, si is Messana absit, Antonio Wink, de suffragiis pro anima Joannis Antonii Apuli, 22 Augusti.

Digitized by Google

praedicationi vacare et sua studia commodius conficere posset. Cum Cataniam Pro-rex proficisceretur, Ferdinandum, nepotem suum, eo in Collegio reliquit, ut aliorum exemplo in moribus bonis proficeret. Jusserat P. Natalis initio in capite mensae recumbere, et ut servus, quem secum habebat, ei inserviret; sed ille sic in humilitate profecit, ut tam primum locum quam servum recusaret, et inter juvenes infima loca, impetrato P. Natalis consensu, elegit, et in omnibus demum humilitatis functionibus non aequare solum sed superare etiam alios videbatur, ita ut per vices in refectorio concionari et, aliis coenantibus, legere, scutellas abluere, et qualibet nocte, sicut et quilibet, rationem praefecto reddere, ac demum in Societate Deo inservire statuerit.

142. Cum ad carceres aliqui ex nostris se conferrent, et ibidem inclussos consolarentur, aliquos, qui ibi propter parum aes alienum detinebantur, curatis eleemosynis liberarunt, ex quibus morituri aliqui in carceribus videbantur, si hoc illis subsidii datum non fuisset. Fatebantur tam ipsi quam custos carceris, antequam nostri Messanam venirent, aliquando inclusos ob penuriam confessariorum sine confessione mortuos esse; unde gratias Deo agebant, quando ipsis, etiam non petentibus, confitendi facultas offerebatur [1].

143. Pro-rex aliquando concionis gratia ad Collegii templum accedebat; aliquando, eodem praesente, in summo templo cum magna aedificatione magister Benedictus concionabatur; nec incommode id accidebat Collegio, cum, eo concionante, usque adeo templum repleretur, ut ne angulus quidem, in quo possent confessiones audiri, relinqueretur, et longe ante tempus concionandi illud replebatur.

144. Cum Dominus Joannes Osorius Abbatiam, quatuor passuum millibus Messana distantem, haberet, impetravit a P. Natali, ut aliquis ex nostris eo mitteretur, ut populum illum, quae ad salutem illius pertinebant, doceret. Delectus est ad id P. Joannes Philippus Cassinus sub hujus anni finem, cujus conciones populus multus avidissime audiebat et cum magna admiratione et satisfactione discedebat; a meridie doctrinam chri-

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Natali, de visitandis carceribus et de aliis ministeriis, ut suae et aliorum valetudinis conservandae rationem habeat, 11 Aprilis.

Digitized by Google

stianam illis explicabat, et parentes ut filios suos ad eam audiendam adducerent hortabatur; frequens usus Sacramentorum quibusdam etiam ex eo populo persuasus est, quod apud eos eatenus erat inauditum [1].

145. Spiritualia exercitia quibusdam cum fructu proposita fuerunt; unus eorum, Magistri Isidori in philosophia discipulus, Societatem ingredi in eisdem constituit; quod et alius quidam Sacerdos fecit; et juvenis quidam mercator, qui, ut Societati in Marthae ministeriis inserviret, aliquot millia ducatorum reliquisse dicebatur. In festis Natalitiis fere trecenti in ecclesia Divi Nicolai communicarunt; sed in aliis etiam ecclesiis praeter morem numerus confitentium et communicantium est auctus, quibus nostri Sacerdotes, pauci numero, satisfacere non poterant.

146. Cum P. Hieronymus Domenech Valentiam iturus esset, non solum ad domestica et Societatis negotia sed ad quaedam non levis momenti, quae Pro-rex illi commendaverat, suis litteris idem Pro-rex P. Natalem rogavit ut apud se, quamdiu abesset P. Domenech, maneret, ut et opera pia, quibus ille vacabat, prosequeretur, et Societatis etiam negotia conficeret. Sed non animo satis acquiescebat P. Natalis (quamvis ad Pro-regem se contulit) donec P. Ignatii approbatio accessit. Invenit autem Panormi nostros variis morbis laborantes, et eos ut potuit consolatus est; judicabat tamen civitatem illam minus salubrem esse, quam ut graves labores nostri tolerare ibidem possent; ideo non esse suscipiendam provinciam multarum lectionum ibidem existimabat. Quia vero Collegium Viennense tunc mittendum erat, Drepanum perveniens P. Natalis, ubi curia Proregis erat, impetravit ut bona ejus cum venia P. Nicolaus Launoyus Panormo revocaretur. Ibidem autem, inter alia pietatis opera, Dominae Isabellae de Vega privatim cum suis domesticis evangelium praedicabat, quae cum quibusdam ex primariis mulieribus octavo quoque die confitebantur et communicabant; interdum etiam Pro-rex sibi summam praedicationis referri volebat.

147. Accidit ut Drepani nobilis quidam propter delictum

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Joanni Philippo Casino, ei gratulans de suscepto sacerdotio; idem Antonio Vink, ei potestatem faciens ut Magistros Guidum, Benedictum Palmium, Annibalem du Coudrey, et Raphaëlem Riera ad sacerdotium promovendos curet, si tamen ipsi se ad id a Deo moveri sentiant, 17 Octobris.

Digitized by Google

morte mulctandus esset, cui cum res esset significata, desperatione quadam se omnibus daemonibus offerebat, et demum seipsum interficere tentabat. Hunc allocutus P. Natalis ad confessionem adduxit, et ad supplicii locum comitatus est, et usque ad mortem illi adfuit; et sic Dominus ejus opera hominem disposuit ut de ejus salute aeterna bene sperandum esset. Curavit etiam ut in pauperum subsidium eleemosynae ex mandato Pro-regis quaererentur, et id negotii Domino Suero de Vega, Pro-regis filio, cum duobus aliis nobilibus est demandatum; et quadam industria mille aureos in pauperum sublevationem obtinere curavit; aliquot etiam carceri mancipatos propter debita, eis dissolutis, liberandos curavit; et aliquos viatico instructos domum suam remisit.

148. In hebdomada sancta multos ex primoribus palatii peccata confitentes audivit; quamdam meretricem florenti aetate et pulchritudine ad multos homines peccatis irretiendos idoneam, adjuvante Domina Isabella, a turpi vita revocavit, cujus curam eadem Isabella suscepit, donec in monasterium Conversarum admitteretur; curavit etiam simul cum P. Hieronymo Domenech, adhibito Pro-regis et Vicarii favore, ut quicumque in illa navi vehebantur, in qua idem P. Hieronymus Valentiam navigaturus erat, confiterentur. Omnes ergo nautae confessi sunt, nec vector ullus admissus est in navim, qui non prius confessus esset et Sanctisimo Sacramento Eucharistiae refectus; et secunda die Paschatis prospero vento P. Hieronymus cum navi Panormo recessit.

149. Illis etiam sanctis diebus multum eleemosynarum pauperibus distributum est quod, ut superius diximus, auctoritate Pro-regis fuerat collectum, et aliqua etiam pietatis opera fuerunt inchoata. Curavit idem P. Natalis ut Pro-rex omnibus populorum magistratibus per litteras commendaret ut curam ipsi susciperent et quaerendi et distribuendi eleemosynam pauperibus, qui summa penuria in tota insula premebantur.

150. Circa hoc tempus Paschae Gubernator novus Montis-regalis, a Cardinali Farnesio missus, cum Drepani versaretur, nostris obtulerat aliquam Societatis domum in ipsa civitate Montis-regalis inchoaturum; idem etiam Pro-regi obtulit. Contulit ergo se P. Natalis Montem-regalem et vidit domum, quam Gubernator applicaturus erat ad Collegiolum instituendum, quae

Digitized by Google

commoda satis erat et nostris Panormi male habentibus propter aëris salubritatem valde opportuna, cum prospectum et maris et terrae versus Panormum pulcherrimum haberet, cum horto et aqua, et aedificium facile augeri poterat. Egit autem cum Gubernatore Natalis ut tam ipse quam civitas scriberent Cardinali Farnesio ac P. Ignatio, et etiam ad Pro-regem ut ipse Collegium a P. Ignatio obtineret; et reditus aliquos ad sustentandum octo vel decem ex nostris a Cardinali se extracturum Gubernator recepit.

151. Eo tempore, quo Drepani fuit P. Natalis, erigendum curavit monasterium Conversarum, in quo possent etiam conjugatae peccatrices admitti, prout in monasterio Stae. Marthae Romae fit, donec viris reconciliarentur; et ex eleemosynis opus hoc fuit inchoatum, quod brevi dotandum a Pro-rege ex quadam impositione curiae sperabatur. Confecit autem P. Natalis statuta, quae observare Conversae debebant, et congregationem quamdam nobilium instituit, qui curam prospiciendi subsidia temporalia susciperent, et quemdam religiosum ordinis Divi Francisci, qui frater Jacobus de Augubio dicebatur, cujus opera multus spiritualis fructus Drepani proveniebat, huic operi in rebus spiritualibus praefecit; et Domina Isabella ejus loci protectionem suscepit.

152. Curavit autem ut diligenter contra publicos et notorios concubinarios fieret exsecutio, et ut mulctarentur poena pecuniaria, quae monasterio Conversarum recens erecto applicaretur; ubi etiam concubinae constitutae sunt, ut in spiritu juvarentur, donec vel monachae fieri vel certe honestam aliquam vivendi rationem suscipere vellent.

153. Curavit etiam confraternitatem quamdam institui, in qua initio viri nobiles admissi sunt, sed postea etiam plebeji admitti possent, qui saltem singulis mensibus confiteri et communicare tenerentur, et diebus dominicis ac festis quamdam exhortationem audirent, et pietatis operibus vacarent; et statuta etiam huic congregationi idem P. Natalis confecit; et cum de ea ad Pro-regem retulisset, ipsemet nomen suum dare confraternitati voluit, quod conveniebat ut majori auctoritate, qui ejus curam habebant, pietatis negotia transigerent. Inde etiam quae superius dicta sunt de oratione facienda, cum litteris Proregis ad omnes magistratus populorum missae sunt.

Digitized by Google

154. Petiit Natalis informationem a P. Ignatio de Societatis initio et progressu usque ad illud tempus, ut Imperatori Carolo, cum agebatur de Abbatia obtinenda, mitteretur; quae simul cum litteris Apostolicis missa magna ipsum consolatione affecit [1].

155. Hoc anno quidem P. Natalis obtinuit ut civitas panormitana dotationem illam Collegii, quingentorum scilicet scutorum aureorum, perpetuo stabiliretur, quae tantum ad duos annos jam fere elapsos promissa fuerat; et Dominus Joannes Ossorio egregiam operam ad hoc negotium conficiendum praestitit; quia vero in contractu id continebatur ut civitas hos quingentos aureos solveret, ne ab ea singulis annis reditus petendus esset, aliquam iniri rationem P. Natalis voluit; sed res differenda fuit ut occasio quaedam exspectaretur cujusdam gratiae, quam civitas a Pro-rege postulabat, ut dum ea conceditur, hoc onus imponeretur, ut reditus quingentorum scutorum emeretur, quem Collegium auctoritate propria posset exigere. Nulla vero obligatio cum his reditibus admissa est nisi tantum ad duo: alterum, scilicet, ne reditus ad aliud quam ad Collegii usum converterentur, alterum ut juventutis in litteris et moribus institutionem Societas prosequeretur. Quamvis autem jurati contractum hunc stipularunt, non tamen P. Natalis admisit dotationem, donec P. Ignatius et videret formam contractus et probaret; tunc enim et Imperatori Carolo confirmanda, postquam a Pro-rege confirmata esset, mitti debebat, ne ulla ratione mutari posset; et ita effectum est.

156. Itaque, conjunctis his reditibus cum Abbatia, quam Carolus Imperator, rogatu Pro-regis assignaverat, quae quingentos et quinquaginta aureos valebat, et haereditate Ludovici Sanchez, quae jam Collegio fuerat applicata, Panormitanum Collegium super mille et septingentos aureos annui reditus habere coepit, et quia Romae a Pontifice Summo, Julio III, gratia obtenta est ut quaedam pecuniae summa, quam ille Sedi Apostolicae debebat, in usum hujus Collegii applicaretur, plusquam

---

[1] Praeter informationem hanc Carolo V, Imperatori, ostendendam, missae etiam sunt litterae, quas eidem Imperatori sub initio hujus anni, in commendationem Collegiorum Siciliae, scripsit, dum adhuc Romae esset, Dux Gandiae. Harum apographum 21 Februarii Messanam ad P. Hieronymum Natalem missum est, ad nostros Panormi degentes tandem transmittendum. —Ignatius Joanni de Vega officiose, de Ducis Gandiae litteris et de Collegiis Siciliae, 9 Maii; idem Joanni Osorio, gratulatorie, eadem die.

Digitized by Google

quinquaginta aurei annui reditus ex ea empti fuerunt, et quod reliquum fuerat, ad expensas fuit conversum [1].

157. Prima die mensis Aprilis P. Nicolaus Launoy Panormo Romam versus dimissus est, et cum aliquem, qui ejus loco succederet, P. Natalis expeteret, et operariorum penuria efficeret ut non facile tunc temporis alii in Siciliam mitti possent, acquievit P. Natalis et P. Paulo de Achillis Collegii curam imposuit, qui jam totum organum logicae praelegerat, et scholastici, qui perpauci numero erant, eumdem rogabant ne naturalem philosophiam usque ad autumnum aggrederetur [2].

158. Religiosus quidam ordinis Praedicatorum Drepani, ubi curia Pro-regis erat, hac quadragesima concionatus, a Sanctae Inquisitionis Officio in carcerem conjectus est, et timeri poterat ne Hieronymus Domenech et Natalis ipsum accusasse crederentur, et inde aliquid tempestatis contra Societatem excitaretur; non tamen illi accusaverant, licet Pro-regi quam displiceret ejus doctrina significaverant, et P. Natalis coram Pro-rege et aliis cum eodem disputaverat; nihil tamen ejus ordinis religiosi tentarunt; ideo fortassis, quod lege cautum est in regno Siciliae ut sub excommunicationis poena renunciare Inquisitori teneatur, citra ullam fraternam monitionem, quicumque aliquid contra fidem catholicam dicere audiret, et alioqui, juxta theologorum sententiam, quando peccatum vergit in malum corporis vel animae aliorum, non requiritur secreta monitio ante denunciationem, ut in crimine haeresis.

159. Sub idem tempus Episcopus pactensis bibliothecas quasdam bene instructas, tam theologicis libris quam utriusque juris et aliis, Collegio Panormitano donare voluit; et conditionem addebat ut singulis annis omnes sacerdotes, qui in eo Collegio versarentur, pro eodem Missae sacrificium semel celebrarent; haec tamen conditio non est admissa [3].

160. Pueri quidam Africani, qui decem annos non excede-

---

1 Polancus, *ex commissione,* de reditibus Panormitano Collegio assignandis et de Abbatia eidem Collegio concessa, 14 Martii, 9 Maii et 30 Junii.

2 Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali, ut Nicolaum Launoyum quamprimum Romam mittat, 21 Martii; idem Launoyo, ut primam, quae se offerat, navigandi occasionem arripiat et Romam veniat, eadem die.

3 Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali de Episcopi Pactensis bibliotheca et quomodo se gratam juxta suum institutum exhibebit se pro beneficio Societas, 18 Junii.

Digitized by Google

bant, in Collegio panormitano constituti erant, quos P. Jacobus Laynez ibi reliquerat ut, arabicam linguam retinendo, usui nostri esse possent ad interpretum ministerium, si quando in Africam mitterentur; sed eos cum alio adolescente, qui servitii causa in Collegio tenebatur, a P. Natali extra Collegium constituti sunt.

161. Cum hoc tempore, scilicet Julio mense, accedente classe Turcarum, filium suum Ferdinandum de Vega Pro-rex in Africam cum militum praesidio et aliis ad defensionem necessariis mitteret, nam eo classis impetum suum conversura videbatur, P. Natalis spiritu Dei, ut creditur, commotus, quia etiam suis litteris P. Ignatius commendaverat ut Pro-regi in quibus posset gratificaretur, operam suam Pro-regi obtulit, si existimaret expedire ut cum ipsius filio et triremibus in Africam navigaret, ut ministeria Societatis consueta, tam in spirituali animarum auxilio quam in aegrotantium sublevatione exerceret. Placuit hoc magnopere Pro-regi et ut se accingeret, nocte sequenti cum triremibus, id est vigesima septima die Junii, profecturus admonuit.

162. Adjunctus est P. Natali socius Magister Isidorus, qui philosophiam in Collegio Messanensi docebat, et in praedicatione, et colloquiis familiaribus, et aliis in rebus utilis futurus videbatur; cum militibus enim ejus talentum perutiliter expendi solitum nostri experti erant; optavit autem magnopere idem Isidorus hanc profectionem et magna cum sollicitudine eam obtinuerat; paucis ante diebus ille jubilaei gratiam, praemissa generali confessione, lucraverat, et ex eo tempore cum magna animi quiete et consolatione suo officio fungebatur. Dixit autem recedens, vere quidem sed non intelligens divinae providentiae dispositionem, se omnino vitam mutaturum, addens: quando me videbitis, totum spiritualem videbitis; quod alio modo ac ipse cogitabat evenit. Nam quia in quibusdam minus spiritualiter quam oportebat se aliquando gessisset, id pollicebatur. Profectus autem est cum P. Natali, gravique tempestate orta, quarta die Julii, ex quindecim triremibus octo submersae sunt; cum enim ante lucem excitata fuisset tempestas, duas horas tanta erat obscuritas ut unus alium, licet valde vicinum, non videret. Inter alias triremes Praetoria, in qua nostri versabantur, sub Domino Antonio Doria, periit, et fere mille homines

Digitized by Google

naufragio sunt extincti ad Lampadosam inter Melitem et Africam. Cum autem enatare vel, utcumque possent, evadere ad terram vicinam homines niterentur, Magister Isidorus, ex triremi prosilire in rupem vicinam conatus, in mare decidit. Allidebatur saeva tempestate ad rupes illas triremis et brachium Magistri Isidori interceptum abscidit; qui, adhuc per mediam fere horam cum mari luctatus, in triremem admissus est. Ibi, quamvis sic afflictus esset amisso brachio et in summo periculo, nihil omisisse dicebant milites eorum, quae non solum optimum religiosum sed fortissimum etiam virum decerent, et alios adhortando cum magna aedificatione in triremi perstitit, donec illa in mari submersa est, militibus et aliis, qui evadere potuerunt, in terra salutem consecutis [1].

163. Ipse autem P. Natalis non sine miraculo liberatus fuit; cum enim fere ad ultimum usque exspectasset, alios adjuvando et exhortando ut periculum evaderent, fune quodam ex alta rupe dimisso, in illam utcumque evadere potuit, et quidem nudus cum indusio tantum et quibusdam sanctorum reliquiis ad collum appensis. Et cum miles quidam Domini Berenguelii, qui triremium Siciliae generalis erat, super rupe genibus flexis coram imagine quadam orantem videret, percontatus est quomodo evasisset, cui respondit: Dominus me deduxit, nam ego imperitus natandi sum. Vestis quaedam hominis turcae data illi est, ut se operiret, donec ad triremes denuo, quae superfuerant, se recepit, et cum illis in Africam, defatigatus quidem sed incolumis, pervenit.

164. Ibi ergo milites ad poenitentiam adhortatus est, nec cessavit a ministerio concionandi quatuor mensibus plus minus, quos Afrodisii exegit, cum magna multorum aedificatione. Ducis etiam generalis, Ferdinandi de Vega, et nobilium plurimorum confessiones audivit; et cum in exercitu aliquot religiosi versarentur, qui sine facultate suorum praelatorum eo contenderant, ut ad sua monasteria reverterentur curavit. Cum vero apostatas multos inter milites invenisset, qui, relicta religione, militabant, id, Domino juvante, perfecit, ut eos peccati sui valde poeniteret; et ut animae suae saluti consulerent, dimitti

---

[1] Ignatius Isidoro Bellini, de rebus ad ipsius Isidori in spiritu progressum pertinentibus, 21 Martii.

Digitized by Google

eos, ut quam primum ad suas religiones redirent, curavit. Quia vero aegrotantibus hospitale paratum non erat, non cessavit donec illud institueretur, ubi ipsemet aegrotantibus quotidie inserviebat, et ab omnibus valde diligebatur, eisdemque aedificationi erat. Diaconum etiam quemdam apud se detinuit, cujus opera non mediocriter juvabatur. Apostata hic etiam fuerat, sed Patris Natalis admonitionibus resipiscens multum in pietate profecit. Inimicitias multorum solvi et in gratiam invicem restitui eos curavit, qui, ut magno inter se odio flagraverant, ita ex tunc amanter et benevole simul vixerunt.

165. Cogitabat idem Pater de domo Societati ea in urbe instituenda, in qua duo de Societate habitarent, et militibus juvandis in ministerio Sacramentorum ac verbo Dei, et in mortuis sepeliendis, et aliis pietatis operibus vacarent, id etiam quod possent in Saracenorum conversione praestarent, quae ipse magno cum labore id temporis et non minori cum charitate praestitit. Quotidie christianam doctrinam, praesente Domino Ferdinando de Vega, declarabat; Sacerdotibus etiam quae ad casus conscientiae et eorum officium praestandum attinebant multa declarabat; pauperibus parentem se exhibebat; inter se autem cum dissiderent, ejus opera in gratiam redierunt; tres vel quatuor perpaucis post diebus ex hac vita decesserunt.

166. Adeo autem ejus doctrina et pietas apud duces in pretio habebatur, ut cum rediturus esset in Siciliam Dominus Ferdinandus de Vega et secum Natalem reducturus, Dominus Sanctius de Leiva de P. Natali retinendo ageret; et cum ei valedicere P. Natalis vellet, subdebat ille quasi joco quod non posset ex Africa recedere, quia milites, si id faceret, seditionem essent facturi. Dissimulavit autem P. Natalis et quasi non ultimum valedicturus venisset, se subduxit et tacitus ad triremes se contulit. Cum itaque D. Sanctius supra dictus militibus quibusdam commisisset ut P. Natalem in secretiori aliquo cubiculo recluderent, quoadusque triremes ex Africa recessissent, sero illi tentare id voluerunt [1].

---

[1] **Polancus, *ex commissione,* Hieronymo Natali ut curet, quoad fieri possit, ne Pro-rex ad Ignatium scribat aliquem de Societate pro Africa postulans, et ut se ad veniendum Romam accingat, expetitur enim Tridentum a Laynez et Salmeron, 5 Decembris.**

167. Bona valetudine per Dei gratiam in aestibus Africae et laboribus magnis usus est; et ad captivos redimendos eleemosynam a militibus, cum stipendia illis solverentur, obtinere studuit, et quae promissae erant, cum Messanam venisset, recuperavit. Magno zelo tot animas in Africa daemoni inservire dolebat; et non difficile, si pax inter principes christianos retineretur, subjici posse provincias illas et ad Christi fidem adduci sperabat. Tam forti animo praediti erant milites illius praesidii ut optarent classem turcarum ad se venire, ne aliis christianorum regionibus noceret, cum illi se posse resistere confiderent. Optime autem se gessit Dominus Ferdinandus de Vega, qui summi ducis officio functus est, donec Dominus Sanctius de Leiva ab Imperatore eo cum officio in Africam est missus.

168. Non omittebat sollicitudinem Collegiorum Siciliae, etiam cum in Africa esset; nam quae ad scholas Messanenses pertinebant in studiorum renovatione, cum esset Afrodisii, constituit. Quamvis autem dicebatur Tripolim applicuisse classem, unde brevi venturam Afrodisium credebatur, non tamen eo accessit; itaque et concionibus magna cum frequentia et aliis piis operibus expeditius vacare potuit; et quamvis multorum audierit confessiones, plures tamen ad adventum classis rem differebant.

169. Cum undecima die Novembris ex Africa recessissent, triremes christianorum Panormum pervenerunt; ubi libenter P. Natalis aliquot dies substitisset; sed Dominus Ferdinandus de Vega omnino a se eum recedere passus non est. Messanam igitur cum eo navigavit, ubi Collegii res bene constitutas invenit, et cum intellexisset Pro-regem P. Ignatio scripsisse ac sacerdotem aliquem in usum praesidii, quod Afrodisii relictum est, postulasse, admonuit non mittendum aliquem videri, qui non egregio talento esset praeditus, et alioqui fructum insignem inter milites sperari non debere. Nullus itaque in Africam missus est.

170. Postquam Messanam rediit, de fundatione Collegii agere coepit; et quidem non exiguae utilitatis fore tam Siciliae quam Calabriae hominibus, qui spirituali auxilio magnopere indigebant, si Universitas Societati applicaretur, existimabat, et fructum ad Saracenos etiam se posse extendere arbitrabatur;

Digitized by Google

sed cum daemonis in hoc opere impediendo maximus conatus cerneretur, et qui Societatis negotia dirigebant, parum viderentur hujusmodi fructus vel cognoscere vel sperare, Catanensis etiam Universitas rescriptum quoddam a Summo Pontifice, Julio tertio, impetrasset, hoc fuit Pro-regis Joannis de Vega consilium ut, missam faciendo Universitatis mentionem, de Collegii nostri augenda dotatione ageretur; quo peracto, quandoquidem Universitas Societati nostrae subdita erat, cum Messanenses vellent de illa quidquam agere, tum demum nonnisi cum Societate nostra posse eos quidquam transigere. Et id demum effectum est, ut tercentorum aureorum reditus quingentis adjungerent; domum etiam, in qua novitii versabantur, quae optima erat, aliquot millibus ducatorum emerent; nostri autem obligationem quinque lectionum acceperunt, scilicet, grammatices, litterarum humaniorum, rhetorices, graecae etiam et hebraicae linguae; quae transacta ut Concilium civitatis confirmaret curatum est, et ut Societas hos reditus sic reciperet, ut arbitrio magistratuum subjecta non esset.

171. Cogitabat P. Ignatius Patris Natalis opera in Societate visitanda et constitutionibus in ea promulgandis uti; et ita sub finem hujus anni eidem animi sui deliberationem scripsit, ut, redeunte P. Hieronymo Domenech, Romam ipse veniret ut inde ad alias provincias mitteretur. Ad professionem etiam emittendam tam ipsi quam P. Paulo de Achillis facultatem misit; sed significavit ille P. Ignatio, quandoquidem Romam esset brevi venturus, optare se magnopere prius quidem ipsum P. Ignatium convenire et, si professio illi esset omnino emittenda, in ejus manibus emittere; et ita utriusque professio dilata est.

172. Panormi hoc anno scholae Collegii in sex ordines vel classes distinctae fuerunt; et tam in litteris quam in moribus egregie scholastici profecerunt; ne tamen multitudo, praesertim nobilium, magna esset, aliquae causae exstiterunt, inter quas illa non minimi momenti fortassis fuit, quod, cum nobilis quidam ac dives adolescens Societatem esset ingressus, baro quidam, ejus pater, vi quodammodo illata, filium abduxit; quod cum Ferdinandus de Vega, qui praesidens erat Panormi, indigne tulisset, baronem illum in carcerem conjecit; unde aliqui nobiles viri, partim indignatione commoti, partim quod timerent ne ipsorum filii Societatis nostrae instituto se addicerent, suos

Digitized by Google

filios revocarunt vel non miserunt. Paedagogi etiam, qui plurimi erant Panormi, nostris obloquendo, qui alioqui bona ex parte juvenes erant, scholarum auctoritatem apud nobiles imminuere conabantur. Satis multi tamen accedebant, quamvis in supremis classibus numero pauciores erant quam qui in inferioribus instituebantur.

173. Commode autem sic imminutus est numerus eorum, qui philosophiam erant audituri a P. Paulo de Achillis, ut ad duo vel tres redigerentur; itaque occasione inde sumpta, lectio illa fuit ab eo omissa, qui, recedente P. Nicolao Launoyo, ministro (sic enim tunc, qui Collegio illi praeerat, vocabatur, officiorum nominibus non satis tunc declaratis), in gubernatione Collegii debuit occupari; et quamvis pro lectione logices christianam doctrinam interpretari coepit, et epistolam etiam B. Pauli ad Romanos, sic ea explicabat, ut populi audientis captui sese attemperaret. Hoc autem dominicis diebus, horis pomeridianis, ut praestaret, a gubernationis munere non impediebatur. Philosophiae ergo relicta lectione, reliquas nostri pro more sunt prosecuti, adhibitis exercitationibus scholasticis, quae tam utiliter scholasticos incitabant, ut paucis mensibus plus se profecisse in Collegio quam alibi compluribus annis profiterentur [1].

174. Nec minus in morum integritate, immo magis quam in litteris, proficiebant; nec enim prius ad audiendas lectiones accedebant quam Missae sacrificio in templo Sancti Antonii interfuissent; dominicis praeterea diebus audita concio, et diebus veneris doctrinae christianae lectio, ac cujuscumque mensis initio peccatorum confessio multum ad puritatem et progressus in virtutibus adjuvabant. Adde familiaria praeceptorum cum discipulis colloquia et inter legendum spiritualium documentorum interpositio, si quis locus de mundi contemptu, de virtutibus, de vitae emendatione loquendi occasionem daret; hujusmodi enim digressiunculae cum jam dictis colloquiis magnopere multorum animos ad optima quaeque inflammabant; unde multi adolescentes, qui vitiis juvenilibus valde obnoxii fuerant, ex illa faece emergentes, insignem vitae mutationem

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Natali, ut fuse et distincte Romam scribat quem modum teneant in studiis, lectionibus, et in caeteris, quae ad promovendam in scholasticis pietatem et doctrinam faciunt, 27 Junii.

Digitized by Google

fecerunt, et ex eis non pauci vitae religiosae amore accendi coeperunt, ut a tempestatibus hujus saeculi ad portum consiliorum Christi securum se conferrent. In teneris tamen aetate puerorum mentibus omni pietatis genere imbuendis utilius praeceptorum industria laborabat; qui etiam illud observabant non tantum in litteris proficere qui ingenio quam qui pietate praecellebant; et ex his multi saepius quam singulis mensibus ad sacramenta accedebant; et seminis verbi Dei, quod attentissime audiebant, nonnulli hunc fructum retulerunt, ut rebus saecularibus valedicentes in capuccinorum et ordinis S.ti Benedicti familias sint admissi [1].

175. Nostrae etiam Societati primis mensibus hujus anni quatuor juvenes et selecti admissi fuerunt, inter eos qui hoc desiderio flagrabant, qui domus probationis, instauratae opera P. Natalis, primitiae fuerunt. In quadam enim domus parte, ab aliorum habitatione sejuncta, constituti P. Petrum Venustum praefectum probationis habuerunt. Aliorum admissio dilata fuit; quamvis post aliquos menses quatuor vel quinque alii fuerunt adjuncti; qui omnes magno studio ac vigilantia in ea, quae abnegationis amoris proprii et totius perfectionis spiritualis sunt, incumbebant; quorum aliqui nobiles sanguine, alii indole non minus nobiles erant, et diu suae bonae voluntatis, virtutis, et constantiae specimen, antequam admitterentur, dederunt. Spiritualia exercitia quibusdam proposita animos quorumdam, etiam qui ad scholas non accedebant, ad alias religiones adeundas permoverunt [2].

176. Sub Divi Lucae festum studia renovata sunt, quo die Magister Petrus de Rivadeneira in Divi Antonii templo, cum adesset Inquisitor haereticae pravitatis praepositus, praetor, caeterique magistratus, ac permulti nobiles, ac religiosorum ordinum superiores, magna etiam scholasticorum frequentia, luculentam habuit orationem cum omnium applausu; et quidam ex discipulis, ad id electi, primariis viris jam dictis sigillatim quaedam epigrammata venuste recitarunt; et parvulus quidam, unius ex magistratibus filius, tam concinne et apposite oratiun-

[1] Polancus, *ex commissione*, Patri Antonio Winck, ne in scholas admittat qui legere et scribere nondum didicerunt, licet admissos retinere possit, 21 Decembris.

[2] Ignatius Hieronymo Natali, de impedimentis, quae prohibent ne quis in Societatem admittatur, 21 Februarii.

Digitized by Google

culam in actionem gratiarum pronunciavit ut magnus omnium auditorum consecutus sit applausus. Die vero post festum Lucae proxima suas lectiones singuli praeceptorum sunt aggressi. Cum autem Carmelitarum celebraretur congregatio generalis, disputationes ab illis religiosis per octo dies sunt habitae, in quibus P. Paulus de Achillis tam de theologicis quam de philosophicis positionibus sic disputavit, ut eruditio, quam ejus humilitas tegebat, non vulgare specimen cum audientium aedificatione praeberet. Cum etiam Joannes a Bononia, vir nobilis, paulo post in utraque facultate positiones defendisset, ad quas magistratuum, nobilium, monachorum et aliorum multorum concursus est factus, idem P. Paulus perdocte disputantis officio functus esse visus est, nec minus ejus modestia quam doctrina commendari merito potuit. Cui cum diceret, qui disputationi praeerat, optare se quidem primum disputandi locum ei deferre, sed alios doctores dubitare num doctor esset, tunc ille: ego quidem, licet indignus, ad hunc gradum promotus sum; sed quod attinet ad prima loca disputandi, facile aliis religiosis cedo. Unde postquam alii ordinum mendicantium disputassent, nono loco, sed non ideo minus feliciter aut minori cum aedificatione, disputavit [1].

177. Quod ad praedicationes attinet, quamvis classi rhetorices magister Petrus de Rivadeneira praeesset, munere concionandi in templo Divi Antonii, quod anno proximo Societati fuisse assignatum diximus, functus est et conciones, quas in Adventu coeperat, toto hoc anno est prosequutus. Quamvis in quadragesima non quotidie id praestaret, cum nec scholae labor, nec valetudo parum firma id permitteret, sed dominicis diebus ac festis id praestitit, et cum esset templum in umbilico civitatis, multi tam ex nobilitate quam ex plebe, inter quos plures viri eruditi et sacrarum litterarum studiosi erant, confluebant; et frequentius ipso temporis progressu auditorium reddebatur, et auditorum admiratio et approbatio non exigua erat, nec, ut sperabatur, minor fructus. Alii etiam aliis in locis concionabantur; sed ipse Rivadeneira, ut in aliis ecclesiis praedicaret, rogabatur, ut in festo Divi Petri in ejusdem templo accidit, praesente

---

[1] **Polancus, *ex commissione,* Paulo d'Achillis, Ignatium approbare ut ad tempus logices lectiones omittantur, 16 Maii; et nonnisi proximo Septembri resumantur, 6 Junii.**

Digitized by Google

Episcopo pactensi, inquisitore, praetore et magistratibus. Et cum gratia jubilaei promulganda populo esset, rogatus est a Vicario, ut quae ad illud obtinendum necessaria essent, concione habita in cathedrali templo, explicaret; quod cum magna etiam satisfactione et applausu fecit. Magister Michaël Botellus singulis mensibus publicis peccatricibus concionatus est, primo scilicet quoque die sabbati cujusque mensis; dominicis autem congregationi matronarum nobilium, de cujus institutione superius est actum, concionabatur [1]; nec mediocris fructus ex ejus labore collectus est; nam sex peccatrices, turpem sui corporis prostitutionem detestantes, honestum vitae genus delegerunt, et de reliquis ejus notae foeminis saluti viciniora sperabantur, cum multae inter concionandum alta suspiria ducerent, et lacrymas multas funderent, unde et meliora in posterum pollicebantur. P. Daniel, belga, apud foeminas poenitentes, quas Conversas vocant, suas etiam conciones habebat dominicis diebus, quibus ad puritatem vitae et ad optima quaeque eas hortabatur et instruebat, nec sine magno fructu; nam earum multae, memores anteactae vitae carnis voluptatibus deditae, ad vomitum, ut canes, redire desiderabant, sed, Deo juvante, acceptum a Deo beneficium agnoscentes, in bono ac sancto proposito stabilitae fuerunt. Sub autumnum apud easdem P. Paulus de Achillis conciones est prosequutus. Coenobium autem earum, Deo per conciones Patris Botello operante, complures peccatrices, praeter sex illas, de quibus supra, quae viris nupserunt, ingredi cupiebant; quamvis ob penuriam rerum victui necessariarum nondum essent admissae. P. etiam Petrus Venustus, novitiorum praefectus, in coenobio quodam virginum concionatus est; etiam dictus Magister Botellus in alio, quod novam Abbatiam vocant, cujus monachae concionibus illius se mire affici testabantur.

178. Nec Sacramentorum confessionis et communionis minor fructus erat; nam sub anni initium et primis mensibus consequentibus multi ad confessionem accesserunt, qui ab ea aliquot annos abstinuerant, et eorum exemplo permoti alii, qui nullo desiderio confitendi tenebantur; et fama celebri Collegii excitati complures suas conscientias, magnis peccatis diu sordescentes, quas sex, decem, et viginti annis non purgaverant,

[1] Vide supra, t. I, pag. 381, n. 374.

Digitized by Google

per poenitentiae Sacramentum exonerarunt, et hic concubinatum, ille odia et inimicitias, ille desperationem, ille negligentiam et salutis propriae oblivionem relinquendo, de potestate tenebrarum educti, jugum daemonis excusserunt; et poenitentium numerus sub finem Maji ad mille accessit, et multis diebus ante lucem ad confessiones audiendas quinque confessarii nostri accersebantur, et usque ad tertiam noctis horam in confessionibus audiendis distinebantur, ut vix respirandi tempus eis relinqueretur; nam jubilaei gratia homines ad poenitentiam invitabat. Et cum multitudini confluentium satisfieri non posset, multi, quamvis aegre, a templo nostro divulsi alio se ad peccata confitenda conferebant. Per ministerium hujus sacramenti multi, qui inter se acerbissimis ac diuturnis odiis dissidebant et simultates exercebant, inita pace, in gratiam redierunt. Sigillatim autem longum esset de singulis agere; unius tamen dicam emollitam duritiam. Hujus adversarium aegrotantem, cum uni ex nostris esset confessus, quem triennio toto, etiam adhibitis aliorum magnis laboribus, ad saniorem mentem, adducere nemo potuerat, noster ille Sacerdos, Deo adjuvante, ad condonandam offensam adduxit. At, cum ad offensae auctorem, ut idem obtineret, se contulisset, quasi adamantinum cor ejus invenit, quod tamen sanguinis Christi mentione facta emollitum fuit, et ita in gratiam et amicitiam obstinatissimum odium fuit commutatum.

179. Circa festum Assumptionis gloriosae Virginis plurimi ad hoc Sacramentum accesserunt; idem de solemnitate B. Virginis et omnium Sanctorum sit dictum; in natalitiis autem festis multo plures et nobilitate insigniores utriusque sexus confessi sunt et communicarunt, et alias tacita peccata, ut oportebat, confitentes, sentinam complures expurgarunt; et quaedam mulieres, quae divortium cum suis maritis fecerant, beneficio hujus sacramenti in gratiam redierunt. Nec solum illi sunt adjuti, qui ex omnibus urbis locis ad nostros ventitabant, sed moniales cujusdam coenobii summis precibus contenderunt ut eorum confessiones semel ab aliquo de nostris audirentur, quod cum maxima illarum spirituali utilitate perfectum est; in aliis coenobiis quarumdam dumtaxat monialium confessiones sunt auditae, quia universas audire propter occupationum multitudinem nostris non licebat. Meretrix quaedam, quae multos circeis poculis in sues, juxta fabulae sensum, commutare solebat,

Digitized by Google

ex profunda peccatorum voragine non solum emersit, sed ad religionis portum confugere et Deo se consecrare confessionis vi adjuta constituit.

180. Ad infirmorum etiam confessiones crebro accersebantur, ut peccatorum onere et aegritudinis acerbitate, quae plerumque peccata comitatur, juxta spem ipsorum, relevarentur. Aedificationem autem augebat quod gratis omnia et ex charitate fieri cernebantur; nam dona a plurimis missa semper intacta remittebant, ut et illi melius instituti nostri ac procedendi rationem intelligerent, et nostri cum Paulo non quae ipsorum sunt, sed ipsos quaerere propter Christum viderentur.

181. Accedebant non pauci domum nostram ut consilium nostrorum circa res suas audirent ac sequerentur; nam existimatio de nostris ea in urbe concepta erat, nihil nisi rectum, pium atque honestum a nostris profecturum esse. Ex nobilioribus autem aliqui nostrorum consuetudine non mediocriter afficiebantur, eosque singulari studio prosequebantur, et sacerdotum nostrorum, ac praecipue P. Pauli, consiliis velut oraculis acquiescebant. Apparuit etiam studium in universum eorum, qui civitatis gubernacula habebant, cum de confirmandis reditibus ad eos, ut supra dictum est, referretur, ut scilicet perpetui essent. Senatus enim universus usque ad unum eam sententiam secutus est, ut scilicet, Collegium applicatis reditibus stabiliretur. Sed et suum Carolus Imperator erga illud studium ostendit; cum enim multi primates abbatiam illam ab eo impetrare niterentur, quam pro Collegio Pro-rex et civitas postulaverat, respondit Carolus non posse id fieri, cum Collegio Societatis Jesu Panormi proxime erecto esset collata.

182. Cum hospitalis cujusdam bona multi nobiles in usum privatum convertissent, P. Natalis ut in usum pauperum, ad quem legata fuerant, redirent, effecit; curavitque ut procuratores complures in varia Siciliae loca a Pro-rege mitterentur ut in summa annonae difficultate pauperibus consuleretur.

183. Antequam P. Lanoyus Panormo recederet, cum Pater Paulus magnam vim sanguinis evomuisset, de ejus vita dubitatum satis est, nam ex pectore sanguis ascendere videbatur; sed placuit Dei bonitati ut brevi sanitati restitueretur. Nicolaus tamen gallus, juvenis magna virtute praeditus, vitam hanc in eodem Collegio cum aeterna, ut speramus, commutavit. Et ipse

Digitized by Google

P. Lanoyus, ante recessum, in tam gravem incidit morbum, ut quatuor medici, ex optimis civitatis congregati, et de ejus morbo satis solliciti, signa mortis se videre affirmarent, quamvis non omnino desperarent; eodem etiam fere et P. Daniel adductus est; sed placuit divinae bonitati utrumque in hac vita aliquandiu retinere [1].

184. Hoc anno scholae translatae sunt in partem quamdam ejus conductitiae domus, ad quam nostri sub finem anni praeteriti immigraverant; nam prius, cum procul essent, non ad eas ire et redire nostri sine incommodo poterant. Parum autem aedificari debuit in domo quadam Collegio vicina, ut ibidem scholae concinnarentur, conjunctae quidem Collegio sed ab ejus habitatione separatae. Fuit etiam promulgatus ille contractus inter capitulum cathedralis ecclesiae et Collegium nostrum, quod attinebat ad usum ecclesiae D. Antonii, et ita, porta quaedam nostra in domo aperta, statim ad templi valvas nostri accedebant, ut etiam usus illius nostris percommodus esset. Et haec transacta reliquit P. Hieronymus Domenech, antequam Panormo Valentiam versus navigaret, quod undecima Martii consecutum est.

185. Illud non omittam quod, cum P. Ignatius paucos auditores cursus philosophici Panormi esse intellexisset, scripsit ne novum cursum inchoarent, donec ex supremis classibus sufficiens numerus scholasticorum educeretur, qui ad philosophiae lectiones essent idonei; unde cum duo tantum vel tres ad philosophiam audiendam accessissent, et pauci ad logicam maturuisse viderentur, non solum novus cursus non est inchoatus sed quem praecedenti anno inchoaverat P. Paulus, omisit; ejus enim auditores, logica audita, in Italiam ad alias facultates audiendas se contulerant [2].

186. Fuit qui a nostris peteret, si quis vellet filium dare Societati et cum illo aliquos annuos reditus, an vellet Societas ipsum admittere. Responsum illi est hujusmodi pacta a Societate non admitti, sed libere idoneos ad nostrum institutum ac-

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Hieronymo Natali, de adventu Nicolai Launoyi Romam, 26 Septembris; idem Paulo Antonio d'Achillis, ei potestatem faciens ut Petrum de Rivadeneira, Rogerium, Botellum et Forcadamum ad sacerdotium, si ipsi velint, promovendos curet, 17 Octobris.

[2] Vide annot. supra sub. n. 176.

Digitized by Google

cedere et acceptari sine ulla dotatione; licet, si quis vellet suis eleemosynis reditus Collegii augere, id ei integrum esset [1].

187. In ingressu scholarum morem hunc servabant scholastici, ut ante Domini imaginem genua flectendo *Pater noster* et *Ave Maria* tacitę dicerent; absolutis autem lectionibus, unus ex pueris singularum classium, alta voce *Pater noster, Ave Maria, Credo* et *Salve, Regina* pronunciabat. Reliqua similia erant jam dictis de confessione singulis mensibus, etc., etc. [2].

188. Vigesima septima Julii Patres Jacobus Laynez et Alphonsus Salmeron Tridentum, ubi Concilium apertum erat, pervenerunt; et quamvis Cardinalis Tridentinus, antequam Florentia decederent, domum et necessaria ipsis liberaliter obtulerat, et Ducissa Florentiae a suo Duce mitti P. Jacobum vellet, neutrum tamen effici debuit nec potuit, cum summus Pontifex ut suos theologos eos misisset. Adierunt ergo Legatum, Cardinalem Crescentium, qui hospitium et paterna officia ipsis obtulit; salutarunt et assistentes et alios primarios viros, qui tum demum dicebant se credere Concilium futurum, quando ipsi Tridentum venerant; nam omnino ad id usque tempus res Concilii satis frigere videbantur, et pauci convenerant. Audiebant interim aliquorum confessiones ac praecipue pauperum, quos fere omnes ad festum Assumptionis B. Virginis audierunt, et plurimos illorum Sanctissimo Christi corpore refecerunt; ad hospitale etiam se aliquando, ut pauperibus aegrotantibus subvenirent, conferebant, et tamen, si quod temporis supererat, utiliter in studiis impendebant. Sub medium vero Augusti mensem, ne

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Paulo Antonio d'Achillis, si quis aptus ad Societatem non sit, nullo modo esse in eam admittendum; si vero aptus sit et admissus, de bonis suis, ut in Domino expedire judicet, libere disponat; quod si in favorem Societatis quidquam eroget, id libere faciat, nec ullam Societati imponat obligationem, 31 Octobris.

[2] Polancus, *ex commissione,* Antonio Winck, de publicis pietatis exercitiis ne quid ut fixum et stabile inducant, donec quid in omnibus Societatis Collegiis servandum sit, ab Ignatio decernatur, 31 Octobris.—Idem ad omnes fere Societatis domos scriptum est.

Unum est quod ab Orlandino, Aguilera et ipso Polanco, dum de rebus Societatis in Sicilia scribunt, praetermissum videmus, scilicet, actum hoc anno serio fuisse de Collegio Societatis in urbe Sciacca instituendo. Situm et domum offerebat Episcopus quidam, quem Tibuniensem ab Ignatio in *Litterarum Regestò* appellatum invenimus. Locum visurus ivit Panormo Sciaccam, ineunte Julio, cum socio P. Paulus Antonius d'Achillis, qui plenam de toto hoc negotio informationem et loci descriptionem Ignatio misit eodem mense Julio. Res tamen effectum non est sortita, quia, ut ait ipse Ignatius die 22 Augusti, licet nec Societati nec Episcopo voluntas deesset, deerat tamen utrique facultas, illi quidem sociorum, quos ad Collegium instituendum in eoque laborandum mitteret, huic vero redituum, quos ad sociorum sustentationem destinaret.

Digitized by Google

occasio exercendae patientiae deesset, quartana febris P. Jacobum Laynez invasit, nullis aliis praecedentibus febribus. Quibus diebus liber a quartana erat, nam in hebdomada tres tantum dies erat molesta, aliquid se agere posse sperabant. Cum autem sub initium Septembris, venientibus Imperii electoribus, moguntino et trevirensi, et legatis Caesareae Majestatis pro Germania et Belgica, et duobus aliis Regis romanorum pro Ungaria et Austria, res Concilii incalescere coepissent, in sessione kalendis Septembris celebrata indicta fuit sessio sequens ad quadraginta dies, a nativitate B. Virginis computandos, et interim de rebus pertinentibus ad Eucharistiae Sacramentum (de quibus in prima sessione definiendum erat) theologi disputare coeperunt. Et hic ordo institutus est, ut primo loco theologi a Summo Pontifice missi sententiam dicerent, 2.° qui ab Imperatore, 3.° reliqui doctores clerici juxta suam antiquitatem, 4.° religiosi juxta suorum ordinum in praecedendo consuetudinem, et ita ipso die Nativitatis B. Virginis Patres Laynez et Salmeron omnium primi, ut Pontificis theologi, sententias dixerunt, mane Laynez, post meridiem Salmeron, legatis Sedis Apostolicae praesentibus, electoribus, et principum legatis ac praelatis; et quamvis quartana laboraverat die praecedenti P. Laynez, et Salmeron in eo juvando et in aliis rebus fuisset occupatus, cum magna tamen auditorum satisfactione, Deo adjuvante, suas sententias dixerunt. Paulo post doctores lovanienses et inter eos Dominus Roardus, Cancellarius, Tridentum pervenerunt, quos officiose, ac praecipue Dominum Roardum, P. Ignatii nomine et Societatis salutarunt; et suas illi sententias de Sacramento Eucharistiae dicere inter theologos potuerunt. Volebat autem Legatus Crescentius ut nostri semel in hebdomada cum ipso pranderent, nec excusationem quartanae P. Jacobi Laynez admittebat, et multum eis et benevolentiae et confidentiae ostendebat, ac plurimum eorum opera in his, quae ad Concilium spectabant, utebatur. Unde, cum proposuisset P. Laynez Veronam aut alio se conferre ut, si posset, quartanam expelleret, ne ad quindecim quidem dies illi fuit permissum propter Eucharistiae disputationes; nihil enim quartana febris impediebat quominus in his, quae publice dicenda vel privatim tractanda erant, suum ille officium faceret. Inter Praelatos, quos invisebant aliquando, unus fuit Dominus Franciscus Manrique, Episcopus Auriensis

Digitized by Google

ac Ducis Nagerae frater, qui P. Ignatium ex eo tempore, quo adolescens in Ducis domo fuerat (nam Loyolae domus dominos Dux ille ut consanguineos et confoederatos habebat) cognoverat ac dilexerat, quamvis in habitu ac moribus militaribus, et officiosissime eum ex se salutari voluit. Inter alios Praelatos, qui nostros prosequebantur, Episcopus erat Mutinensis, qui inter caetera de prima illa sententia, quam nostri de Sacramento Eucharistiae dixerunt, haec verba scribit: Patres Laynez et Salmeron maximo cum splendore de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento contra lutheranos disseruerunt, et re vera me felicem duco quod in haec tempora tam doctorum quam sanctorum patrum inciderim [1].

189. Fuit autem 21 Octobris sessio de Eucharistiae Sacramento cum magno Praelatorum consensu et sententiarum concordia celebrata. In his etiam, quae ad reformationem pertinent, canones nonnulli decreti fuerunt; et sessio sequens de poenitentiae et extremae unctionis Sacramentis ad 25 diem Novembris fuit indicta. Omnibus autem his concinnandis, quae in sessione promulgata fuerunt, Praesidentes Concilii nostrorum opera plurimum usi sunt. Ad sequentem autem sessionem cum nostri primi sententias dicturi essent, se statim ad id praeparare debuerunt. Venerat jam elector coloniensis, et argentinensis Episcopus, et alii ex Germania Episcopi exspectabantur; et ita jam serio de Concilii rebus agi videbatur, et, si peccata nostra non impedissent, illud feliciter conficiendum sperabant.

190. Vigesima die Octobris, quo die P. Laynez a quartana liber erat, de Sacramento poenitentiae sententias nostri dixerunt et, Dei gratia juvante, nunquam melius dixisse antea visi sunt. Tunc ergo sperabat P. Laynez se facultatem obtinere posse a Legato recedendi Tridento usque ad futuram sessionem; sed eam noluit dare Legatus nisi ad aliquot dies, donec theologi et Episcopi suas sententias dicerent; nam cum canones essent conficiendi, adesse eum omnino voluit. 23ª ergo Octobris, Rivam profectus est, quod oppidum Cardinalis Tridentini Genacho

---

[1] Ignatius Episcopo Calagurritano, Tridentum, de oblatione a Tridentino Cardinali Patribus Laynez et Salmeron facta nihil posse statui, donec eos Pontifex dimittat, 31 Martii et ultima Aprilis. Idem eidem, Patres Laynez et Salmeron, ad Concilium a Pontifice destinatos, apud Crescentium Cardinalem non vero Tridentinum diversuros. Eodem die eidem Episcopo Calagurritano missae sunt historicae litterae de Siciliae rebus et iis quae a Silvestro Landino gerebantur.

Digitized by Google

lacui, quod *de Salo* vulgo dicitur, adjacet; hoc enim magna cum benignitate et animi laetitia Cardinalis ei obtulit, et lectica eum deduci volebat, quam tamen non admisit, sed quemdam ipsius equum. Cum autem P. Ignatium admonuisset se scriptoris opera indigere, Guerricum [1], fratrem nostrum belgam, ad hoc ipsum Tridentum misit; et quia locus ille temperatus erat, melius habere P. Laynez coeperat. Dum autem ipse absens erat, P. Salmeron ejus locum in multis magni momenti supplere debuit, quae a Praesidentibus Concilii imponebantur; et omnibus congregationibus theologorum assistere eum oportebat; quibus absolutis, in tempore illo, quod ad sessionem usque interjacebat, tantum exhibebat negotii ei et P. Laynez redeunti Legatus, ut nulli alii occupationi vacare possent. Allocuti sunt interim electorem trevirensem et memoriam ei renovarunt sancti illius desiderii, quod Augustae P. Claudio anno superiore ostenderat de Collegio Treviris instituendo, quod ille se facturum, cum domum rediret, dixit; nec enim absens id exsequi potuisset [2].

191. Ordo theologorum in Concilio sententiam dicentium usque ad finem Octobris hic erat: nostri duo; decanus lovaniensis Roardus; Doctor Malvenda; Doctor Arce; P. Melchior Cano; P. Ortega, Provincialis Sti. Francisci; sequebantur septem theologi lovanienses, ex parte religiosi, quos sequebantur Doctor Martinus Olave, et alius Cardinalis Tridentini theologus; deinde Doctor Gropperus, qui Concilium coloniense concinnavit, et D. Bellichius, quos elector coloniensis secum adduxit; et post eos duo doctores electoris trevirensis; supererant adhuc triginta alii doctores, qui hoc mense nondum sententiam dixerant, partim saeculares, partim religiosi; et ita Concilium et Episcoporum et theologorum numero augebatur. Venerunt et aliqui ex protestantibus, et Mauritius, elector Saxoniae, suos doctores lutheranos mittebat, et quamvis quadraginta equites essent, duodecim vel quindecim doctores inter illos tantum erant, quibus salvum conductum et Concilium et Impera-

[1] Alibi Polancus et alii *Ghericum*.

[2] Ignatius Patri Laynez ei potestatem faciens ut Tridento propter adversam valetudinem ad tempus recedat et Florentiam, si malit, se conferat, ubi Collegii negotium poterit promovere, 22 Septembris. Eidem de mittendo ejus loco ad Concilium Hieronymo Natali ut curet litteras ad Cardinalem Maffeum a Salmerone et Cardinali Crescentio dari, 5 Decembris.

Digitized by Google

tor dederant. Non tamen multum sperabatur de eorum reductione, quia integrum illis erat et venire et recedere.

192. Cum P. Ignatius intellexisset adversam valetudinem P. Jacobi Laynez durare, de P. Natali ejus loco mittendo, suggerente eodem P. Laynez, coepit cogitare; postea nihilominus visum est id non expedire; nam P. Laynez praesentia, etiam si non diceret sententiam suam, quam tamen dicere poterat, magni momenti, tam ad res quae ad Concilium quam quae ad bonum odorem Societatis pertinebant, futura erat; nec duos aut tres alios, si mitterentur, eam supplere posse P. Salmeron affirmabat. Cum theologi sententias dixissent, tam canones quam doctrina de Sacramentis poenitentiae et extremae unctionis confici coepit; unde nostri coeperunt sub initium Novembris magis in his occupari; nam cum Legati aliorum operam essent experti, quamvis eruditissimi ii essent, nostris tamen plurimum confidebant; et ita in eos occupationum pondus magna ex parte convertebatur.

193. Circa id tempus P. Ignatius scripsit Decano Lovaniensi, Domino Roardo, et participem bonorum operum Societatis eum effecit, qui cum summa animi laetitia litteras eas accepit, ac per suas gratias egit. Curabant autem nostri ut ei honor exhiberetur, et magna ejus ratio haberetur, prout ejus et doctrina et probitas merebatur, et praecipue cum Legato, cui minus erat notus, id est curatum.

194. Ipso die Stae. Catherinae sacro sessio celebrata est et promulgata decreta de Sacramentis poenitentiae et extremae unctionis et alia de reformatione; postea dati sunt articuli de Sacramento ordinis et Sacrificio Missae; et cum se ad dicendas ea de re sententias praeparassent, septima die Septembris mane per tres continuas horas P. Jacobus Laynez de sacrificio Missae, a prandio P. Salmeron de Sacramento ordinis per totidem fere horas disseruit et, Dei gratia adspirante, mirum in modum auditoribus satisfecere. Convenerant jam tam multi theologi doctores ut numerum sexaginta excederent, unde tempus prolixius ad eos audiendos erat necessarium. Paulo ante venerant Episcopus Placentinus, Segoviensis, Mindoniensis et Pampilonensis, qui Doctor Moscosus, P. Ignatio olim familiaris, erat, et Civitatensis, et frater Regula cum aliis multis; et P. Laynez, quamvis quartanarius, cum P. Salmerone salutandi gratia hos et alios

Digitized by Google

Praelatos adibat et de rebus Societatis informabat; quosdam etiam ad Collegia instituenda hortabatur, inter quos fuit, praeter trevirensem, elector moguntinus, et Placentinus Episcopus, et legatus Caesaris pro inferiori Germania, qui libenter nostros audiebant; et ex hoc semine fructus aliquando bonus fuit consecutus.

195. Transivit Tridento, veniens ex Hispania, Maximilianus, Bohemiae Rex, cum uxore Maria, Infante Hispaniarum, quae modo Imperatrix est. Aderat illi Domina Maria de Lara, quae cubiculo ejus praesidebat et Societatem bene cognitam habebat. Hanc ergo adeuntes, per eamdem intermediam, Infantem ac Bohemiae Reginam allocuti sunt, et ei significarunt Regis Romanorum consilium de Collegio Viennae instituendo, et illud eidem commendarunt, et quando se offerret occasio, aliis in locis suarum ditionum Collegia hujusmodi instituere quam utile communi bono foret explicarunt. Regina, cui bene in Hispania nota erat Societas ac nominatim P. Araoz, humanissime omne officium ac favorem suum obtulit in his, quae ad Societatem pertinerent. Haec ipsa, de qua supra, Domina Maria de Lara, illa est quae multos post annos Barcinonae suis impensis Collegium Societatis non promovit solum sed magna ex parte erexit et dotavit.

196. Praeter has visitationes non inutiles, in his, quae ad Concilium pertinebant et a Legato ac aliis Praesidentibus eis committebantur, satis occupati erant; sed aliam ipsis occupationem P. Ignatius addere voluit, ut, scilicet, confirmationem vel approbationem Societatis nostrae a Concilio fieri, si qua ratione id posset, commode curarent. Contulerunt nostri negotium hoc cum Episcopo Calagurritano, Societatis amicissimo, cui videbatur nullo modo id esse tentandum, partim quia nulla hactenus religio ab ullo Concilio generali fuerat approbata, sed tantum a Summo Pontifice, partim quia Praelati omnes de recessu cogitantes, quam expeditissime ea tantum, quae necessaria essent, tractare volebant; unde hanc tractationem non esse admissuros timeri poterat; partim etiam quia constitutiones nondum erant in latinum sermonem conversae, quas tamen et videri et approbari conveniebat; nam de ipso instituto, quod litteris apostolicis continebatur, vix christianum fore eum, cui non probaretur vel qui de eo dubitaret, existimabat. Addebat

Digitized by Google

Episcopus ille prudens et doctus contradictiones, quas patiebatur Societas, pro magna approbatione illi esse et salutiferas admodum esse censendas. Non igitur ulterius haec tractatio tunc quidem progressa est, cum paucis post hebdomadis de dissolutione Concilii agi coeptum fuerit; nam protestantes miserunt quidem Tridentum aliquem, qui domum ipsis conduceret et cum nec domus nec pretium ei satisfaceret, re infecta ille recessit. Nihilominus venturos esse aliquandiu sperabatur; sed postea intellectum est quod omnes doctores lutherani versus Angliam recesserant, et si venissent, nulla spes de ipsorum erat reductione, sed perturbassent Concilium et dilationis causa fuissent et, hospite insalutato, cum eis visum esset, ad sua rediissent. Imperator nihilominus aegre id tulit, cum principes Germaniae lutherani suos doctores se missuros ei promisissent. Cum ergo haec spes cessasset et Praelati ad finem Concilii adspirarent, ad mensem Maium omnia soluta fore sperabatur; quidquid enim supererat, tribus sessionibus confici posse videbatur. Accessit quod postquam exercitus, qui Magdeburgum obsidebat, dimissus est, rumor increbuerat aliquot militum millia equestrium ac pedestrium urgere Lansgravii, qui adhuc captus detinebatur, dimissionem, et aliquot castra electorum, Moguntini et Trevirensis, cepisse. Itaque electores statim a legatis facultatem discedendi petierunt, quamvis Imperator rogavit eos ne recederent, et ipse curam suscepit homines illos seditiose agentes reprimendi. Timebatur autem quod, recedentibus electoribus, alii atque alii recederent, et Concilium esset dissolvendum. Hoc tamen mense Decembri, postquam theologi sententias dixerant, doctrina de rebus propositis confecta est, et Praelati post festa Natalitia de Sacrificio Missae et Sacramento ordinis, quamvis de communione sub utraque specie et parvulorum credebatur tractationem esse differendam... [1] Et haec de Concilio sint dicta, quod ad nostros attinet [2].

---

[1] Sic, sententia, ut patet, non expleta.

[2] Polancus, *ex commissione*, Patri Laynez, de Societatis instituto auctoritate Concilii confirmando dedisse jam litteras Ignatium ad Portugalliae Regem et ad Hispaniarum Principem, et insuper curaturum ab aliis primariis viris, Universitatibus et praelatis testimonia habere de Societatis ministeriis et agendi modo, 29 Novembris; idem Claudio Jaio, de obtinendo testimonio Regis Romanorum, quod ad Concilium mitti valeat, 15 Decembris; idem Patribus Laynez et Salmeron mittit argumenta sex, quibus convincitur non oportere confirmationem Societatis a Concilio postulare, et eorum de iis sententiam exquirit, 21 Decembris.

Digitized by Google

DE NOSTRIS INGOLSTADIENSIBUS

197. In toto hoc anno Patres Canisius et Gaudanus Ingolstadii perstiterunt, et quidem auditorum numerus in theologicis lectionibus auctus fuit, nec major fuit unquam aut melior theologici studii instaurandi spes in Universitate Ingolstadiensi; diligentiores etiam scholasticos in disputationibus reddere curabant; unde ad aedes suas hujus scholasticae concertationis gratia eos adducebant, et in dialectica ac philosophia naturali exercebant, ut extinctus jam fere disputandi usus revocari et reviviscere videretur. Sed in his, quae ad pietatem ac spiritualem profectum pertinebant, non minori studio eosdem excolere tentabant. Ethica lectio, quam in gratiam theologorum praeter morem veterem P. Nicolaus Gaudanus praelegebat, satis felicem habuit progressum, adeo ut juris professores suos discipulos ad lectionem illam audiendam mitterent; tam autem diligens erat P. Nicolaus in suo munere obeundo, ut quo tempore alii feriati erant a publicis lectionibus, nunquam ille ne diebus quidem canicularibus a lectionibus cessaret; immo tunc auditorium solito frequentius habuit. Sic autem ethicam Aristotelis interpretabatur, ut versari in theologicis videretur. In convictu etiam familiari multum efficiebat apud germanos scholasticos, et eo non paucos permovit, ut, quod ante id tempus visum fuerat nunquam Ingolstadii, singulis pene festis diebus ad confessionem et communionem sacram accederent. Tum homiliae quaedam haberi coeptae domi nostrae, quibus iidem studiosi quos magis familiares habebant, sese ad pietatem magis excitarent; adhibebant et nostri lectiones privatas, quo efficacius eos sibi conciliarent, et in bono instituto promoverent, et ii juvenes non parum consolationis nostris nec parum admirationis aliis suo exemplo praebuere. Ex quo autem P. Canisius pro scholastica lectione Evangelium D. Joannis explicandum suscepit, frequentius et constantius auditorium habere coepit, quamvis numerum eorum, qui ethicam lectionem audiebant, non aequarent, quam non solum discipuli sed eorum magistri audire volebant. Licet autem, praeter lectiones D. Joannis ac D. Pauli publicas, reliquae domi praelegebantur, nulli tamen ad eas audiendas denegabatur accessus, et ea praelegebant inter caetera

Digitized by Google

quae promovendis ad sacros ordines usui essent; nam in Germania, dum ad sacerdotalem adspirabant ordinem aliqui, qualis qualis esset aetas et eruditio, passim admittebantur; et canonum neglectum penuria ministrorum Ecclesiae excusare videbatur [1].

198. Latinas conciones P. Canisius in Germanicas commutavit, et sic divina bonitas ejus conatum promovit, ut idiomatis illius perdifficilem pronunciationem assequeretur; unde et perlibenter et a frequenti admodum auditorio ejus conciones avide audiebantur, adeo ut cum prius in templo angustiore concionari coepisset, deinde in aliud amplius se contulit; et tamen populi confluentis studium ejusmodi erat, ut postquam templum fuerat plenum, alii prae foribus et ad fenestras auscultarent. Cum autem daemoni hoc institutum displiceret, quemdam alium concionatorem movit, ut nescio quid contra Canisium obloqui coeperit, quod praeter morem et in loco minime consueto ad evangelizandum prodiisset; sed statim professores totius Academiae collecti concionatorem illum reprehenderunt, et gravem poenam proposuerunt, si amplius in posterum mutire auderet. Accessit Episcopi Eistetensis auctoritas, cujus ditioni Ingolstadium subjacet, qui suis litteris ne supersederet concionibus Canisium est adhortatus, se illi suppetias statim missurum, si opus esset. Sed acrius quid nonnulli de populo tentare voluerunt; qui oblocutoris illius aedem oppugnare et vim inferre volebant; at ipse Pater Canisius turbas sedavit, quae ipso invito concitatae fuerant, et illius concionatoris factum excusare, et iratos animos placare studuit, et aegre obtinuit. Agnovit concionator ille, qui tragoediam moverat, charitatis officium, et in benevolentiam ac familiaritatem nostrorum aemulationem commutavit. Perrexit itaque festis diebus P. Canisius concionari magno cum applausu; aderant optimates civitatis, populus fructum praedicabat, parochus in dies majorem pollicebatur, et admirationi erat, quod non solum attente et integre concionem audirent, sed usque ad Missae finem in templo perseverarent; nam usu nimium receptum erat, ut morae impatientes plerique aut post evangelium cantatum, aut in medio concionis, aut statim ab elevata in altum

[1] Polancus, *ex commissione*, Petro Canisio et Nicolao Gaudano, eorum animos erigens et promittens frequentiores in posterum se ad ipsos litteras daturum, 31 Martii et 2 Junii.

Digitized by Google

Eucharistia, e templo se proriperent, praecepti ecclesiastici de Missa integra audienda parum memores.

199. Duo adolescentes Germani, utcumque in litteris versati, institutum Societatis amplexi sunt, in quorum vocatione digitum Dei nostri suspiciebant, qui juvenes hos ut primitias gentis germanicae ad religiosum institutum Societatis vocasset. Difficilius enim prorsus videbatur in Germania unum quam viginti in Italia vel Hispania ad Societatem accedere; multum enim difficultatis devorandum erat, ut hoc institutum Germani intelligerent et intellectum probarent, probatum autem sectari vellent aut possent, cum aegre multum in catholica religione contineantur, et a sacerdotali ordine abhorreant, et multo magis a religioso; cum nihil in suis regionibus eo tempore viderent vel audirent, quod ad evangelicorum consiliorum observationem frigidos, et in moribus corruptos, et ad omnem fere medicinam nauseabundos incitaret; ut nullus esse religiosorum ordo crederetur, qui non ad interitionem sibi vergere videretur et de instaurandis monasteriis plane desperarent. Illi autem duo adolescentes nihil ardentius optare coeperunt, quam ad aliquod Collegium Societatis mitti, ubi, omnibus semel relictis, Christi obsequio se totos manciparent.

200. Quod ad Sacramentum confessionis attinet, nec pauci nec vulgares homines a nostris juvare Ingolstadii coeperunt immo et mulieres ad confessionem nostri admittebant, cum linguae difficultas eos prius deterreret. Accesserunt inter alios qui nunquam antea fuerant confessi, at ab ipsa quidem sua pueritia in lutheranismo instituti, sub utraque semper specie communicaverant; quos Christi gratia nostri lucrifecerunt, ut jam ad Ecclesiae doctrinam atque disciplinam se rite componerent, saepe confiterentur, ac demum seriam resipiscentiam ostenderent. In carceribus aliquos et verbis et opera nostrorum Christus est consolatus, et de uno praesertim, qui capite mulctatus est, optime sunt meriti; de quo sperare potuerunt omnino quod in meliorem vitam a Domino esset translatus. Collegerunt etiam eleemosynam in pauperum sustentationem, praecipue vero in gratiam studiosorum theologiae, quibus et vitae sumptus in multos annos, Deo adjuvante, procurarunt; quamvis eo ventum erat apud germanos ut ne, propositis quidem stipendiis, ad sacra haec studia adolescentes permoverentur; tam alieni erant

Digitized by Google

ab ea professione, quae vel maxime eo tempore necessaria erat.

201. In exercitiis spiritualibus aliqui adjuti sunt, inter quos parochus quidam qui, relictis ovibus, Ingolstadii versabatur, sic profecit ut multis lacrymis vitam anteactam deflens, ad gregem suum, magno animo illum pascendi et verbo Dei et crebro usu confessionis ac communionis, recesserit. Adjuti sunt et alii studiosi his saltem exercitationibus, quae usque ad confessionem generalem tradi solent; et hi privatim etiam declamationibus, ut dictum est, habendis more coloniensi et germanicis etiam concionibus intra parietes privatos exercebantur; quod in magnam utilitatem populi cessurum videbatur, qui hujusmodi fidelium concionatorum magna laborabat penuria. Hac vero exercitatione absoluta, genua ad orationem flectebant, aliquo ex nostris praeeunte, et aliquas preces Deo offerente, quibus scholastici vicissim respondebant, ut pro felici successu Concilii, pro exstirpatione haeresum, pro pace, etc., et sub finem recitabant litanias; et mirabantur nonnulli qui fieret ut Germani adolescentes, inter quos erant aliqui artium magistri, ad hoc pietatis exercitium ultro domum nostram accederent, quando etiam in templo orare pudendum fere videretur. Sed et in ecclesia, ubi vespertinas decantant laudes studiosi, morem eumdem precandi sequuntur, nostro aliquo incipiente ac praesente Rectore; nec id solum a studiosis est impetratum, verum etiam omnibus concionatoribus persuasum ut populum ad hujusmodi preces hortarentur. Invaluit ergo paulatim hic usus ut flexis genibus, dum ipsi concionatores precationes recitabant, eos populus conceptis verbis recitaret, inter quas erant aliquae pro Summo Pontifice, pro Imperatore, etc. Itaque nulla dum concio diebus festis habebatur, quin publica hujusmodi precatio sequeretur.

202. Sed et illud prorsus inusitatum magnae tamen aedificationis erat, ut multi crebro, multo plures autem in festis solemnioribus, ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum accederent. Professores etiam Universitatis, una cum suis studiosis, in festis Natalis Domini, panem de coelo descendentem ex manibus nostrorum accipere voluerunt, suam erga nostros benevolentiam et fidem vel hoc modo declarantes. Et quamvis tempus frigidissimum esset Ingolstadii, frequentissimi tamen ad conciones accedebant, etsi die vix illucescente conciones in-

Digitized by Google

choarentur. Et bona spes erat de quibusdam haereticis, quorum utinam minor illic fuisset proventus, ad sanam mentem reducendis, cum libenter ad P. Canisium audiendum venirent, et suas opiniones falsas paulatim emendare censerentur, ut merito confidendum esset, abjectis tenebris, ad lucem catholicae fidei eos esse redituros. In populo autem satis constabat mirum in modum pietatem crevisse, ex quo germanice P. Canisius coeperat concionari, et illi ad precationes jam dictas se studiose componere coeperunt, et cum Eucharistia sumenda erat, singulari cultu in genua provoluti quod in Germania rarissimum erat, assistebant.

203. Defunctus est hoc ipso vere P. Canisius sui Rectoratus munere, molesto quidem ipsi sed Universitati valde proficuo. Fatebantur Academici aperte studiosos in hoc magistratu modestius, quam soliti essent, egisse, et tranquillitatem communem etiam feriis bacchanalibus, in quibus licentia major esse solebat, magnam fuisse. Libri haereticorum ne venderentur Ingolstadii, immo etiam ne adveherentur suspecti auctores, prohibitum est, qui, scilicet, grammaticis, rhetoricis et dialecticis libris haeresum venenum commiscuerant. Aliqui, quos disciplina non corrigebat, vel expulsi ab Universate vel in custodiam conjecti sunt; alii variis affecti poenitentiis; inter quas, cum vinum interdiceretur ad multos dies quibusdam, quod abusi fuissent eo plus aequo, et aliis arma auferrentur, aliis ut domi se continerent praeciperetur, et ut singulis mensibus testimonium de vitae suae institutione ad Rectorem adferrent, non exigua morum in melius commutatio consecuta est. Cum autem reddenda fuit ratio dati et accepti, pecuniam Academici numerabant Patri Canisio, quae pro more Universitatis Rectori dari solita erat, sed constanter ille se acceptu rum negavit, Societatis institutum declarando, et ut in pietatis opera eam pecuniam converterent hortatus est, et vix tandem id persuasit; sed facile creditur quod tacite factum hoc valde probandum eis videretur. Contendebat postmodum Eistetensis Episcopus, Universitatis Cancellarius, ut pro-cancellariatus munus idem P. Canisius admitteret, quod post Rectoratum primas in Universitate partes habet, sed perpetuum est; urgebat et ipse Dux Bavariae et tota simul Academia; sed cum detrectare pergens Canisius, eos videret non conquiescere, rem ad

Digitized by Google

P. Ignatium rejecit. Scripsit ergo princeps Bavariae, nec de repulsa in hac parte dubitabat; sed P. Ignatius rationibus solidis id non convenire Duci rescripsit, et P. Canisio ne hujusmodi onus admitteret injunxit, nisi ad tres menses, donec alii officium illud conferretur [1].

204. Scripsit ad P. Canisium semel ac iterum Dominus Julius Fluch, Episcopus in Saxonia insignis, et statum ejus ecclesiae miserandum proposuit, ad cujus instructionem nostrorum adhibere conatus optabat et consilia cum eodem P. Canisio conferre non parum cupiebat.

205. Argentorati (*Argentinam* vulgus vocant) capitulum canonicorum cathedralis ecclesiae, in quo nobilissimi viri, comites etiam ac duces, erant, sed propter lutheranismum prius expulsi, Imperatoris opera restituti fuerant, suis litteris P. Canisio afflictum illius ecclesiae statum scripserunt et ut apud eos concionaretur, vel saltem miseram ecclesiae facem inspecturus, eo se conferret, rogabant, et fore ut susceptae peregrinationis non poeniteret affirmabant. Rescripsit ille se sui juris non esse; si vero a Superiore ipsi esset injunctum, se libenter ipsis gratificaturum. Ad Pontificem ergo Maximum illi et Cardinalem Maffeum et ad P. Ignatium hac de re scripserunt, ut ad sequentis anni quadragesimam eo se conferret Canisius exorantes [2].

206. Sed et suffraganeus Episcopus, et deinde Eistetensis, suo loco ad Concilium mittere, vel deducere ipsi, P. Canisium aut P. Gaudanum nitebantur; cum vero princeps Bavariae timeret ne alio postea hi Patres mitterentur, si Ingolstadio recederent, nunquam suum ad id consensum, qui tamen erat necessarius, praestitit. Nec mirum est, quod hi Patres ad talia munia expeterentur, cum magna prorsus eorum esset existimatio, tam

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Petro Canisio, ejus animum erigens adhortansque ut pluris exiguum id, quod in Germania fit, aestimet quam magna quaelibet, quae ipsi alibi fieri posse videantur, 11 Martii. Idem eidem et Nicolao Gaudano, ne publicum munus admittant, ut Rectoris, etc., 22 Aprilis. Ignatius Duci Bavariae, officiose eique mittens longam quamdam expositionem rationum, quibus mota Societas munera, quibus adjunctum sit honoris aliquid et temporalis emolumenti, subire recusat, 20 Septembris. V. *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 382 et 469.

[2] Polancus, *ex commissione*, Nicolao Gaudano, non posse Argentorati Capitulo morem geri in iis quae circa Canisium postulat, nisi habeatur Ignatii consensus et Pontificis venia; scribat igitur Capitulum tum Pontifici et Cardinali Maffeo, tum Ignatio, 20 Octobris. Idem scriptum est Canisio, 17 Novembris.

Digitized by Google

in his quae ad doctrinam quam quae ad eruditionem pertinebant, unde et ipse Dux Bavariae et Episcopi, quibus noti erant, eorum uti opera merito optabant [1].

207. Quod ad Collegii Ingolstadiensis expeditionem pertinebant, magna quidem initio hujus anni spes erat, quod non solum nostris unum sed et scholasticis alterum Collegium Dux esset erecturus, ut posterius sub prioris obedientia et institutione regeretur; et cum decimae a Summo Pontifice essent obtentae, et duo etiam monasteria, a monachis fere deserta, in Universitatis Ingolstadiensis usum Dux impetrasset, rationi consonum videbatur, ut promissum Collegium ex hujusmodi collectis decimis aut reditibus dotaretur; sed post pollicitationes prolixiores haec tractatio de instituendo Collegio coepit frigescere, et quamvis quinque aut sex ex nostris, ad initium Collegii, significatum esset Ingolstadiensibus a P. Ignatio postulari, in litteris tamen Ducis ad P. Ignatiam nulla de his mentio facta est. Minus utique libenter de stabiliendis reditibus mentio facta audiebatur. Unde coepit P. Ignatius suis ad Ducem litteris innuere quod nostri Ingolstadio revocandi essent, nec exiguam occasionem ad id dabat, quod, praeter viennense Collegium jam coeptum, tam Moguntinus et Trevirensis quam Constantiensis et Eistetensis, ut suis ecclesiis prospicerent, de Collegiis instituendis agebant; immo et facta est P. Gaudano potestas recedendi, quamvis hoc anno illa usus non fuerit, quia graviter admodum offensum iri Ducem ac totam Academiam existimabat. Episcopus quidem Eistetensis, quod intermissum fuerat morte Ducis Guglielmi et occupationibus Ducis Alberti, se promoturum pollicebatur et ipsa benevolentia Ducis erga P. Canisium et ejus Cancellarii spem faciebat. Sed quod non intelligerent Collegiorum nostrorum utilitatem et consequenter non amarent, quia nec experti fuerant in Germania, satis ipse eventus hoc anno declaravit; forte etiam detrectatum munus pro-cancellariae Duci displicuit, nam hujusmodi functiones ne posthac unquam admitterentur P. Ignatius caverat. Itaque, licet spes haec non sublevaret P. Gaudanum, solus spiritualis fru-

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Patri Nicolao Gaudano, Ignatium cupere, quando eorum aliquis Aistetensem Episcopum ad Concilium comitari debeat, ut non Canisius sed ipse Nicolaus eum comitetur; Canisium enim ad negotia religionis et Collegiorum in Germania necessarium esse judicat, 20 Octobris.

Digitized by Google

ctus juvenum, qui publicis ejus lectionibus et privatis exercitationibus multum proficiebant, adeo ut aliqui ad Societatem accederent, ex quibus tres Viennam missi sunt, effecit ut Ingolstadii hoc anno patienter subsisteret. Quidam etiam lutherani ad lectiones, quas de Aristotelis ethicis Gaudanus praelegebat, accedentes et fructum inde aliquem referentes ne tempus Ingolstadii inutiliter tereret efficiebant. Et haec de nostris Ingolstadiensibus dicta sint [1].

DE P. CLAUDIO ET COLLEGIO VIENNENSI

208. Primam hujus anni partem P. Claudius Jajus in comitiis Augustanis transegit et multa praeclara et ad Christi gloriam illustrandam et Societatem multis principibus viris commendandam ibi egit. Prius quidem diu in Germania et majoribus cum laboribus quam alius de nostra Societate versatus fuerat, peregrinando, docendo, praedicando, et conversando; sed in hoc conventu Augustano voluit divina bonitas ut quodammodo praeteritorum laborum fructum referret, et optimum sui ac Societatis odorem apud principes et status imperii reliquit. In ministerio Sacramenti poenitentiae, ob jubilaei concessionem aulae Caesareae factam, messem habuit copiosam. Ejus familiaritatem cum primoribus viris in illo conventu tot germanorum

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, quae Episcopo Aistetensi proponenda sunt circa Ingolstadiense Collegium, in quo non poterit Ignatius detinere Canisium, Gaudanum et Schorichium, ni, praeter externos, quosdam etiam Societatis scholasticos alere Dux constituat, 24 Februarii. Eadem die Ignatius Aistetensi Episcopo officiose eumque ad Claudium remittens. Eadem die Petro Schorichio, ne nimis properet Ingolstadio Lovanium proficisci, sed nec Collegii Ingolstadiensis cura nimium se obstringi patiatur; fore enim ut non diu sit ei Ingolstadii immorandum. Eidem facultas fit alio se Romam, sc., Viennam aut Lovanium propter valetudinem adversam transferendi, at nonnisi post peractam confessionem et communionem susceptam et re cum Canisio et Gaudano collata; quibus si videatur, etiam ad sacerdotium promoveri poterit et de bonis suis ad pios usus, prout libuerit, disponere, 22 Aprilis. Polancus, *ex com.*, Petro Canisio et Nicolao Gaudano, ne Collegii curam, quod scholasticorum Societatis non sit, assumant, 30 Junii.—Hac die ad ipsos missae sunt, Viennam, postquam eas legissent, ad Jaium transmittendae, historicae litterae de rebus romanis et complutensibus et de iis quae a Sylvestro Landino gerebantur.—Polancus, *ex com.*, Petro Canisio, ne Ingolstadio recedat, et ut videat an is in Collegio ibi instituendo teneri queat modus, quem tenuit Neapoli P. Salmeron; et tandem ne Vicecancellarii munus, nisi forte ad tres tantum menses, assumat, 16 Augusti. Ignatius Bavariae Duci, de instaurando in Bavaria theologiae studio et de Collegiis ad commune religionis bonum promovendum erigendis, 20 Septembris.

Digitized by Google

principum tantum praestitisse Canisius scribit quantum ab alio de Societate nunquam in Germania sit praestitum, nec alius sicut ille nomen, originem et progressum Societatis explicavit, et ita germanicis animis infixit, ut auctoritatem nostris et fidem invenerit, quae ad hanc Christi vineam excolendam erat pernecessaria. Ea hominis erat dexteritas ut tam summis quam infimis hominibus se optime attemperaret, et quorumvis animos sibi conciliaret, ut multi mirarentur quo pacto simplicitas et modestia illa P. Claudii cum auctoritate et laude publica conjungeretur, ut nihil non impetrare vel ridendo posse videretur; et spiritus Domini sic eum adjuvabat, ut non catholicis modo pergratus et ad confirmationem fidei commodus adhortator esset, sed praecipuis, qui tunc aderant, lutheranorum consiliariis, qui illum de fide disserentem audiebant, libentissime satisfaceret. Rogabant illum de maximis controversiis et argumenta sua proferebant, quibusdam etiam Episcopis praesentibus; ille vero, qui non solum perdoctus sed et praeclarus artifex in tractandis animis erat, ea modestia respondebat, nodos aperiebat, scrupulos eximebat, et veritatis causam illustrabat, ut non catholici solum sed et haeretici mirarentur, et qui partes agebant Saxoniae Ducis, illius verbis rationibusque permoti ad concordiam de religione ineundam sese convertebant, adibant summos principes, P. Claudium commendabant, et magnopere id contendebant ut in Saxoniam Claudius proficisceretur, ac de rebus fidei cum Philippo Melanctone aliisque sectae lutheranae magistris conferret, plus effecturam apud illos eruditam modestiam ac modestam eruditionem illam, qua ipsi jam essent adjuti, sperantes quam profecissent acres aliorum disputationes [1]. Nec abhorrebat P. Claudii animus ab ea profectione in Saxoniam, si, quod optabat, ipsi adjungi P. Jacobus Laynez potuisset, sed cum alter Viennam proficisci, scilicet, P. Claudius ad Regis Romanorum, et alter in Concilio manere ad Summi Pontificis praescriptum debuerit, profectio illa Saxonica omissa fuit.

209. Prius tamen quam P. Claudius Viennam proficisceretur, quamvis obedientiam P. Ignatii prima dominica quadragesimae ad id acceperit, aliquandiu apud Cardinalem Augusta-

[1] Vide *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. 1, passim, sed praesertim pag. 32 et pag. 295 et sequentes.

Digitized by Google

num haesit; nam ille, post litteras romanas acceptas, P. Claudium Regi Romanorum praesentare voluit, et eidem congratulari quod Viennae Collegium Societatis instituere vellet. Postulavit nihilominus a Rege, ut usque ad pascha secum manere P. Claudium permitteret, ut cuidam operi pietatis hoc medio tempore vacaret, post pascha se Viennam missurum promittens. Romanorum Rex libenter id concessit; et pium illud opus spiritualia exercitia fuerunt, quibus excoli, absolutis jam comitiis, in animo Augustanus habebat. Et pro benevolentia maxima, qua Societatem complectebatur, Collegium Augustae instituere percupiebat, sed tunc viribus destituebatur. Rogabat autem P. Claudius ut hi homines ad fundamenta Collegii jacienda a P. Ignatio mitterentur, qui afflictae et in summa necessitate spirituali constitutae Germaniae, et vitae exemplo et doctrina subvenirent. Si enim Romanorum Regi satisfieret, multos alios principes et episcopos ejus exemplum secuturos; et cum corrupta esset disciplina morum in Germania, et libertas carnis plus aequo invaluisset, nec professores nec scholasticos, qui non essent bene probati et in timore Dei et amore fundati, mitti eo debere; et in humanioribus litteris ac linguis eruditionem illis esse necessariam, cum sine illis parvi doctrina fieret.

210. Profectus est autem 2.ª Martii P. Claudius cum Cardinali Augustano ad monasterium quoddam, duorum dierum itinere Augusta distans, ubi mensem unum spiritualibus exercitationibus impendere Cardinalis cupiebat. Invisit tamen prius nostros Ingolstadienses, et in eundo periculum vitae non mediocre evasit, et in redeundo ad Cardinalem aliud non minus, et utrumque ab aquis profectum. Cum enim Dilingam rediret, et Danubius, alvum egressus, campos inundasset, itinera discerni non poterant; glacies etiam, inundationi superveniens cum summo frigore, difficilius iter fecerat; subsistere itaque debuit non procul a Dilinga, donec liquefieret glacies et aquae subsiderent, et tunc in foveam quamdam ejus equus decidens, et quidem satis profundam, P. Claudium sub se compressit, ut Dei auxilio ad evadendum submersionis periculum opus fuerit, et itineris dux magna cum difficultate madentem et coeno plenum, laeso aliquantulum dextero crure, ex fossa eduxit [1].

[1] Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, ei facultatem faciens ut Petrum Canisium Ingolstadio Viennam secum ducat, 10 Martii.

Digitized by Google

211. Ad monasterium ergo illud perveniens cum Cardinali, non ei solum sed et aliis exercitia proposuit, quae cum maximo spirituali fructu peregerunt. Die mercurii post Pascha voluit Cardinalis secum deducere P. Claudium, cum Baronem de Truchsess, patrem suum, invisere vellet, qui duorum dierum itinere ditionem suam et habitationem habebat; et ut Cardinalis in monasterio otobergensi [1] in concionando et sacramento confirmationis ministrando se exercuerat, ita in ditione illustris patris sui multis piis operibus operam dedit et exemplo suo magnae aedificationi fuit. Consecravit etiam perpulchrum templum ab ejus fratre a fundamentis erectum, et cum quinque horas magno populo praesente eo in officio impendisset, semper Dominus Guilielmus, ejus frater et fundator templi, diligentissime ei inservivit, ut non sine lacrymis devotionis utrumque fratrem in ecclesiastico illo ministerio occupatum populus videret, cum eorum reverentia fidei ipsorum testimonium praeberet. Confirmavit etiam Cardinalis magnum hominum numerum. Ejus pater octoginta et unum annos natus erat; et non minus illustris in pietate quam in sanguine tota ea familia videbatur.

212. Inde P. Claudium per Danubium Viennam, adjuncto ipsi Domino Petronio Zanelo comite, misit. Interim Dominus Martinus Olave commendaverat ei juvenem quemdam natione graecum, corcyrensem scilicet, ut in Societatem admitteretur, qui honestis parentibus natus et non ineruditus erat; et cum P. Ignatium Claudius consuleret, in Societatem admissus juvenis Romam venit; ipse autem Dr. Olave ut procurator Cardinalis Augustani simul cum suffraganeo ad Concilium missus est.

213. Antequam Viennam se conferrent, P. Claudius revisit nostros ingolstadienses. Venerat eo Dux ipse Albertus, quem salutavit Claudius et socios commendavit. Respondit ille latine quod gratum illi fuisset, si Ingolstadii perseveraret, sed quando ex obedientia superiorum Viennam in gratiam Regis romanorum iret, se contentum esse, et socios commendatos habiturum; et ad coenam secum P. Claudium retinuit. Die autem sequenti, assumpto Magistro Petro Schorichio, qui non bene habebat Ingolstadii et ideo exspectatam philosophiae lectionem non in-

---

[1] Ita clare in mss.; veremur tamen ne mendose sit scriptum; nullum enim circa Augustam intra duorum dierum iter monasterium, quod hoc nomine *otobergense* aut alio simili appelletur, reperimus.

Digitized by Google

choaverat, 21 Aprilis Viennam versus est profectus; quo ipso die Sancti Marci pervenit, et die sequenti Regem romanorum salutavit. Qui dextram ei porrigens se laetari de ejus adventu dixit et quod paulo antea ipsi scripserat et viaticum miserat, ut Viennam veniret, quod tamen ipse praevenerat. Designaverat jam aliquos consiliarios, et inter alios Episcopum Labacensem et Universitatis superintendentem, ut locum aliquem idoneum Collegio instituendo eligerent; illi vero nihil magis convenire existimaverant, ubi multa lustrassent loca, quam partem quamdam monasterii S.ti Dominici Universitati vicinam, quae olim quidem in hospitum gratiam aedificata fuerat, cum monasterium floreret; sed cum pars ejus ad fortificationem urbis diruta fuisset, monachi paulatim alio concedentes fere desertum monasterium cum paucissimis monachis reliquerunt et eam partem, quae olim hospitio serviebat, laicis artificibus, qui cum suiis familiis ibidem habitaverant, locaverunt. Non probavit P. Claudius ut sine consensu illius religionis is locus admitteretur; et Ordinis Vicarius gratum non fore sibi nec suae religioni significabat si eo nostri migrarent. Haec tamen inita ratio est, ut nostri ad tempus et quasi hospites ibidem manerent, donec alibi habitationem habere possent; et pretium locationis interim Rex ipse solvebat; quamvis Romae impetrare illud a Summo Pontifice nitebatur, quod nostri non probabant, tum ne offenderentur animi illius religionis, tum quia locus erat angustus, et ubi templum construi non poterat. Affirmabat interea Rex romanorum se Collegium hoc certis reditibus dotare velle, quibus triginta Collegiales possent sustentari. Cum de P. Ignatio loqueretur, sibi notum esse ejus nobile et illustre genus significabat, et quidem dux Loyola, ejus frater, fere octo annos ante hoc tempus, cum contra turcas Regi inserviret, mortem obierat. Libenter etiam vidit magistrum Petrum Schorichium et ad perseverantiam est adhortatus.

214. Praeparabat magna cum diligentia et charitate Episcopus Labacensis quae necessaria erant supellectilia ad instituendi Collegii usum, cum jam orator Regis, Dominus Didacus Lasso de Castiglia, admonuisset suis litteris, quod 28 Aprilis Roma nostri Viennam destinati profecturi erant; et ita res se habuit. Cum enim ad Summum Pontificem Julium tertium accessissent, ut benedictionem apostolicam obtinerent, illa acce-

Digitized by Google

pta et viatico ab ipso oratore, P. Nicolaus Launoy cum octo fratribus Roma profectus est, inter quos fuit Magister Erardus Avantianus, Magister Martinus Stevordianus, Dominicus Menghius, et Guilielmus Elderensis. Hi recta Bononiam pergentes, aliquando in plateis, aliquando etiam in templis, saepius in hospitio et ipso itinere concionabantur, et tam ipsa taciturnitate et modestia quam colloquiis opportunis aedificationi aliis erant. Cum Bononiam pervenissent, adjuncti sunt illis duo, scilicet, Joannes de Victoria et Morales; ibi autem Archiepiscopum Genuensem, Vicelegatum, simul omnes salutarunt, a quo humaniter excepti et ejus benedictione habita, postridie iter prosecuti sunt, patribus ac fratribus bononiensibus per totam urbem usque ad portam eos deducentibus. Cum vero Tridentum pervenissent incolumes, postridie Calagurritanum Episcopum (pauci tunc erant in Concilio Tridentino Episcopi) adierunt, qui singulari charitate omnes complexus est, et ad prandium domi retinuit, et deinde ad Cardinalem Tridentinum nostros deduxit, cum prius aliqui italice et latine concionati essent, et laeto vultu ac magna cum significatione humanitatis eos ille excepit, et pecuniam, et equos, et omnia necessaria obtulit; quamvis litteras tantum ad Senatum oenipontanum commendatitias acceperunt, ut commoditatem ipsis navigandi curarent. Deinde Legatum Concilii, Cardinalem Crescentium, adeuntes, benedictionem ab eo acceperunt; deinde ad Veronensem Episcopum, Societati addictissimum, se contulerunt, apud quem Calagurritanus eos exspectabat, et paternis exhortationibus instructos, in his praesertim quae ad religionem pertinent, dimiserunt, non sua solum sed seipsos ad omnia, quae Societati convenirent, offerendo. Oenipontum deinde pergentes, Senatum in ipso consistorio suo P. Nicolaus Lanoy cum Joanne de Victoria adierunt ac salutarunt, et eorum favore adjuti, postridie Halam se conferentes, 27 die Maii fluvium ingressi, quinque diebus Viennam incolumes pervenerunt [1].

215. Uno itaque mense totum iter confectum est; et sicuti in

---

[1] Polancus, *ex commissione*, de iis, qui Roma Viennam ad Collegium inchoandum proficiscuntur, 22 Aprilis.—De iisdem Ignatius Calagurritano Episcopo, 30 Aprilis, quo die Roma, undecim numero, profecti sunt. Eas habes in t. II, *Cartas de San Ignacio*, pag. 325. Similes datae sunt eadem die ab Ignatio Regi Romanorum, itemque missa est Patri Claudio Jaio informatio de modo quem in Collegio iis initiis tenere debebat.

Digitized by Google

Italia exemplo et verbis non sine fructu proximorum progressi sunt, ita in Germania tranquillitate tantum et patientia, cum lingua ejus regionis destituerentur, aedificationi esse potuerunt. Cum domum, ubi erat P. Claudius, ignorarent, gubernatori civitatis se sistere debuerunt, pro more ejus urbis; qui cum litteras, quas ad Regem ferebant, vidisset, eos humaniter compellavit et bene in hospitio tractari jussit. Ad Episcopum deinde Viennensem, Fridericum Nauseam, salutandum accesserunt, qui, Patris Bobadilla litteris acceptis, quem mortuum audierat, valde laetatus est, et omne officium nostris obtulit. Deinde ad Labacensis Episcopi domum euntes, et paterno affectu charitatis ab eo excepti, ibidem P. Claudium invenerunt, et aliquot dies, dum necessaria in domo ipsis parata concinnabantur, apud eumdem Episcopum manserunt. Postridie quam eo pervenerant, ad Regem romanorum deducti, non humaniter solum sed et amanter ab eo excepti fuerunt, qui singulis manum germanico more porrexit, nulli tamen suam osculandam praebere voluit, et gratissimum nostrorum adventum sibi fuisse significavit, et large omnia necessaria illis suppeditari jussit, et multo pluribus, id est, triginta, se brevi reditus assignaturum affirmavit. Patri Claudio mira apud Regem erat auctoritas, et ejus opera reformationem illius regionis se sperare Rex ostendebat, eumque sic efferebat ut nunquam praestantioris doctrinae concionatorem se audivisse affirmaret.

216. Initio quidem nostri, ut in domo nova, nonnihil incommodatis senserunt, sed brevi suppellectilibus necessariis instructi, duobus etiam germanis ad servitium adhibitis, commodius habere coeperunt; et cum familiae saeculares in illo monasterio habitarent, et tam foeminae quam pueri promiscue in eo versarentur, curatum etiam est ut nostri religiosius ab ea saecularium consuetudine secernerentur. Paucis post adventum diebus, perdocta praefatione habita, P. Claudius epistolam B. Pauli ad romanos explicare coepit et quotidianas lectiones nunquam est prosecutus [1]. P. vero Nicolaus Lanoy quartum librum Magistri sententiarum praelegere coepit; nostri autem fere omnes lectiones theologicas audiebant; quia tamen non jecerant philosophiae fundamenta solida, complures

[1] Ita in mss., sed librarii error est, ut ex sequentibus patet.

Digitized by Google

eorum non expediebat ad publicas lectiones accedere, partim quod praelectores multi catholici non essent, partim ne bona existimatio, quam de nostris conceperant, quod scilicet, in linguis et philosophia eruditi essent, minueretur; domi igitur privatis lectionibus exercebantur.

217. Ipse autem P. Nicolaus Lanoyus, praeter gubernationis laborem et publicam lectionem theologicam, aliam privatam, scilicet dialecticae, nostris praelegebat; Magister Petrus Schorichius Isocratem graecum; magister Erardus aliquid ex rhetoricis; Joannes de Vittoria grammaticam Clenardi et librum *De amicitia* praelegebat; et qui has lectiones enarrabant, alias audiebant; repetitiones quotidie, disputationes vero quibusdam hebdomadae diebus habebantur; stilus etiam in carmine et soluta oratione exercebatur; declamationes diebus festis, dum alii coenabant, de re aliqua pia habebantur; et quia coadjutoribus destituti erant, ne magistris quidem culinae ministerium parcebat. Et quamvis haec diligentia commendanda merito videretur, non tamen P. Ignatio placuit haec diversorum studiorum commixtio, qui prius fundamenta humaniorum litterarum poni, deinde operam philosophiae seriam dari, ac tum demum theologiae, cum in philosophia versati essent, volebat. Sed hoc in initio tempori et hominum ac rerum dispositioni serviendum fuit.

218. Quod ad mores et spiritum attinet, optime omnes se gerebant, ut eorum simplicitas, obedientia, charitas et puritas admiranda et quodammodo angelica P. Claudio videretur. Auctus est numerus nostrorum tribus ex Ingolstadio novitiis Viennam transmissis, inter quos unus fuit Lambertus Aüer; ex duobus etiam germanis ad ministerium admissis, alter, qui studiosus et bono ingenio praeditus erat, Societati se adjunxit, alter etiam idem facere parabat; et jam sub anni finem octodecim erant, quinque novitii, cum undecim, qui ex Sicilia venerant, ac P. Claudio et Magistro Schorichio numeratis.

219. Germanica concio privatim in refectorio a germanis fratribus haberi coepta est, quos flandri in ejusdem linguae studium incumbentes sequebantur, ut sperari posset quod brevi in publicum aliquis eorum prodire valeret. Quamvis autem a lectionibus externorum abstinebant, aliqui tamen publicas disputationes philosophicas, disputaturi ipsi quoque, adibant, ubi

Digitized by Google

eo libentius audiebantur, quo modestius se gerebant; dum enim acute prae aliis argumenta proponebant, pertinaciter non urgebant, ne palmam venari viderentur. Patres etiam, qui publice theologiam profitebantur, ut excitarent aliorum auditorum studia, circa theologiam languentia, disputationes publicas instituendas esse existimarunt. Quae ergo tota hebdomada praelecta fuerant, eorum ratio a nostris, reliquo auditorio assidente, primum exigebatur; deinde argumentis impugnabantur ac defendebantur; et quidem P. Claudius, qui haereticorum opiniones ad unguem callebat, et singulari quadam arte confutabat, non solum valde gratus erat, sed cum egregio fructu in eo munere versabatur. Plerosque enim, qui non leviter lutheranorum sophismatibus irretiti erant, lectionibus et confutationibus P. Claudii liberatos ab erroribus fuisse constabat; et ita ejus auditorium frequens erat et complures viri primarii, ac etiam praelati, lectionibus ejus assidue intererant.

220. Non perinde id accidit P. Nicolao Lanoyo, sive quia scholastica studia Magistri sententiarum apud germanos plus satis erat exosa, sive quod ipse, lentior in pronunciando, magis doctrinae quam gratiae laudem reportare poterat in eo munere. Unde cum ad gubernandum egregium talentum adferre Patri Claudio videretur, et non ita ad docendum, alium ille doctorem theologum a P. Ignatio petere coepit; immo et duos nostri expetebant, ut ipse etiam P. Claudius ad conciones italicas et ad negotia majoris momenti tractanda ad catholicae religionis promotionem liberior esset. Accedere enim incipiebant aliqui etiam nobiles viri, ut eorum confessiones audirentur, qui et sacram communionem una cum nostris suscipere optabant; et horum numerus satis augendus putabatur, si sacerdotes, qui huic ministerio darent operam, accessissent.

221. Cum etiam Rex romanorum provinciales adolescentes, sacrae theologiae studio dedicatos, a suis ditionibus mittendos esse, in conventu, ad religionis reformationem habito, decrevisset, fere quinquaginta ex illis in domo quadam nostris vicina habitabant, et eorum praeceptores ac praefecti cum P. Claudio de ratione institutionis eorum agebant, et omnes leges pro ipsius Claudii arbitrio illis constituebantur; et praeterquam quod eos suis exhortationibus ad pietatem hortabatur, etiam confessionis gratia domum nostram ut accederent eorum praefecti optabant.

Digitized by Google

Sed et professorum Universitatis quorumdam, quos colloquiis adjuverat, confessiones audire debuit. P. etiam Lanoyus suos spirituales filios habere coepit, partim italos, partim germanos, quos in confessionibus instruebat; quorum aliqui in ipso festo Natalis Domini, in templo Praedicatorum, frequenti populo adstante, sanctissimam communionem cum nostris suscepere. Sed cum populo germanico, linguae defectu, id temporis non multum proficiebatur; unde tanto majori cum conatu se nostri per germanicae linguae studium ad id praeparabant. Aegrotantibus invisendis et aliis operibus pietatis libenter nostri dabant operam, quamvis complures ex nostris tentati febribus fuerint; et duo, quorum alter italus, alter hispanus erat, tam male semper habebant, ut tandem inde revocandi, quamvis non hoc anno, fuerint. Quidam in Universitate magni nominis ac eruditionis vir, ob illatam injuriam ira percitus, vindictam sumere pertinaciter decreverat; sed eum P. Claudii verba non solum ut offensam condonaret adduxerunt, verum etiam ut, peccatorum confessione facta, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumeret.

222. Varie illius regionis homines erga novum Collegium affecti erant; hic mirabatur; ille ridebat; alius venerabatur; nonnulli, haereticorum veneno infecti et professioni religiosorum infensi, clam detrahebant atque mordebant; nobiliores autem ac prudentiores satis benevolos ac propitios se exhibebant; quidam tamen ex animo nostros amabant, et sollicitos promotores rerum nostrarum se exhibebant; inter hos erat Sedis Apostolicae Legatus, Dominus Abbas Martinenghus, qui non solum benevolentiam prae se ferebat singularem erga Collegium Viennense, sed etiam, cum in Italiam rediisset, de Collegio Societatis Brixiae instituendo cum P. Claudio agebat. Confessus est eidem cum quibusdam nobilibus suae familiae, et cum discessurus esset cum Rege in Bohemiam et adversa valetudine P. Claudius laboraret, eum domi nostrae invisit et eidem ante recessum confessus est, ac fratres omnes sigillatim magna humanitate complexus est, et ipsis benedixit. Episcopus praeterea Labacensis ut pater prorsus nostrorum se gerebat, domum nostram crebro invisebat ne quid deesset, omnia perlustrabat; nec illud omittam quod ante nostrorum adventum, ipse, suis famulis adhibitis, domum nostram, cum brevi exspectarentur ex Italia fra-

Digitized by Google

tres, purgare voluit. Causam nostrorum cum Rege agebat; aliquando etiam tempore prandii ex improviso cum aliis claris viris, tam religiosis quam saecularibus, adveniebat, ut tenuitas nostri victus quam in refectione corporis observabant, aliis aedificationi esset. Cum recessurus esset Rex in Bohemiam, cum Abbate quodam magnae auctoritatis, mox Episcopo futuro, et cum superintendente Universitatis, viro valde docto, ad prandium cum nostris venit, quibus non tam grata fuerunt ferculorum et vini diversa genera, quae ipsi contulerant, quam ea, quae a nostris apponebantur, germanica scilicet et graeca brevis concio, disputatio etiam in graecis litteris, in dialectica et theologia, quamvis fere impraemeditate fierent; illi tamen ita eis afficiebantur, ut, neglecto prandio, nihil aliud agerent quam audire et exspectare; insolita enim haec ipsis videbantur [1].

223. At regia pietas et benignitas in nostros eo pluris facienda est, quo minus oblocutoribus cessit, qui nihil aut parum utilitatis ex eo Collegio proditurum dicentes, ab ejus erectione eum dehortati sunt; non solum autem benevolentiam retinuit, sed auxit et confirmavit; et cum in Styriam iter esset facturus, die Sanctae Catharinae sacro, reditus Collegio assignavit mille et ducentorum florenorum, ut singulis trimestribus tercenti persolverentur, et litteras ad varios consiliarios suos misit, quibus serio admodum praecipiebat ut illa pecunia fideliter nostris numeraretur. Reversus autem Viennam ex illa provincia Styriae, cum intellexisset deesse nostris vestes sacras sacerdotum, misit omnes hujusmodi vestes duplices, et pallium, qui non tam paupertatem Societatis quam regiam magnificentiam decebat. Paucos autem post dies venit Rex ipse domum nostram, tota fere aula comitatus, ut situm loci, habitationem, refectorium et alias officinas videret, ubi vel ex vultus ipsius compositione facile erat animum ejus erga nostros deprehendere. Cum autem acturus esset gratias Regiae Majestati P. Claudius, tam de assignatis reditibus quam de ejus benignitate, qua domum venire dignatus erat, vix id ferebat, serioque eidem P. Claudio dicebat, si qua re nostris opus esset, ne reticerent, quia eorum protector semper esse volebat, ut humanitas tanti principis ac charitas magis quam ipsa beneficia nostros obstringere videretur.

[1] Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, ut in Regis Romanorum obsequium ea praestet, quae in Domino expedire judicet, 24 Februarii.

Digitized by Google

224. Cum ad promovendum Collegium Lovaniense litterae commendatitiae Regis Romanorum ad Reginam Mariam, ipsius sororem ac inferioris Germaniae pro Carolo V Imperatore gubernatricem, expeterentur, Nuncius Apostolicus, Dominus Abbas Martinenghus, pro suo erga nostram Societatem studio a Rege litteras hujusmodi postulavit, et quamvis illius ditionis rebus non se immisceret, libenter Rex Ferdinandus recepit se scripturum, sed prius velle se P. Claudium alloqui; qui cum Regi ostendisset exemplum supplicationis, quae anno superiori Augustae confecta fuerat, ut Imperatori offerretur, illud idem exemplum simul cum suis litteris ad Reginam Mariam transmisit in Collegii Lovaniensis commendationem [1].

225. Consilium regis de instituendo atque dotando Collegio nostro illud fuit, ut Viennae studium theologicum instauraretur; et cum conventus, in quo capita provinciarum sibi subditarum exstiterunt, Viennae actus esset, in eo constitutum est, ut numerus certus scholasticorum e singulis provinciis Viennam mitteretur qui theologiae darent operam, et ad ordines sacros promoverentur, et parochiis deinde praeessent. Insuper, scopum eumdem intuendo, Collegium Societatis instituere decrevit, ut ex eo et professores theologiae et scholasticos habere posset, qui non solum exemplo vitae aliis praelucerent, sed etiam ut scholasticae theologiae exercitationes, cujusmodi sunt disputationes et actus in Universitatibus fieri soliti, per nostros inducerentur. Et hic erat praecipuus fructus, quem initio Rex ex Collegio sperabat; quamvis alii uberiores ex eo provenerint. Et ideo Patres Claudium et Lanoyum publice praelegere, et alios ex nostris auditores esse theologiae, nam ad eam aptos esse putabat, voluit. Tres Viennae id temporis theologiae lectores erant, et decem tantum auditores habebant, inter quos vix unus ad theologicas lectiones erat idoneus; et cum vellent professores recedere, lectiones, ut superius dictum est, duo Patres nostri inchoarunt. Quia tamen italis P. Claudius concionari et

---

[1] Polancus Claudio Jaio, quid cum Imperatore Carolo et Regina Maria agendum sit pro obtinenda ipsorum venia ut in Flandria et Belgio, Lovanii praesertim, institui possint Societatis Collegia. Addita est brevis enarratio eorum, quae in obsequium Caesaris ab Ignatio ejusque consanguineis bello et pace gesta sunt, 24 Februarii.—Idem, *ex commissione,* eidem, de obtinendis Regis Romanorum litteris ad Imperatorem et Reginam in favorem Lovaniensium.

Digitized by Google

confessiones multorum audire debebat, et P. Nicolaus aliis etiam occupationibus distinebatur, merito ut alii professores a Societate mitterentur optabant.

226. Ex pecunia, quae de viatico non exiguo superfuerat, librorum supellex haud modica comparata est; cum enim nullo in pretio essent D. Thomas ac S. Bonaventura et alii hujusmodi Patres, opportune admodum nostri eorum opera coëmerunt, antequam pharmacopolis, ut coeperant, venderentur. Quare, libris erant, undecumque corrogatis, satis instructi quo die, scilicet 22 Junii, lectiones inchoarunt. Conferebat autem P. Claudius crebro cum Rege de rebus ad provinciarum illarum profectum spiritualem pertinentibus, quamvis bellum turcicum, satis in Ungaria molestum, alio Regis animum avocaret; nam Julio mense hujus anni Solimanus incursionem in Ungariam fecerat, et aliquot animarum millia in captivitatem induxerat.

227. Commiserat Rex consistorio Universitatis Viennensis, ut aliquem theologum eligeret, qui nomine theologicae facultatis Lovaniensis[1] compendium quoddam christianae doctrinae, quam multo fusius tradunt scholastici theologi, conficeret; et quamvis nullus nostrorum consistorium vel consilium illud theologicum fuerat ingressus, Patrem tamen Claudium delegerunt, ut hoc opus conficeret; quod cum Rex intellexisset, Claudium ut manum operi admoveret hortatus est, et Doctor Jonas, ejus cancellarius, tantumdem. P. Claudius ut hoc unus subterfugeret, varia compendia a perdoctis viris confecta significavit, etiam in ipsa Germania, et sub id fere tempus, ut a Patre Petro de Soto, Imperatoris confessario, et a Doctore Groppero, cujus liber auctoritate Archiepiscopi Coloniensis anno proxime elapso impressus fuerat; in Synodo etiam Moguntina aliud paulo ante confectum esse. Sed demum hanc esse regiae Majestatis voluntatem cancellarius ejus declaravit, ut compendium aliud uberius et ubi ex professo de controversis ea tempestate dogmatibus ageretur, et res illae, quae ab omni bono christiano sciri expediebat, continerentur; et hunc librum a theologis Regis componi et Viennae excudi jussu ipsius Regis et praelegi eumdem a magistris scholarum in omnibus suae ditionis pro-

[1] Ita; sed error esse videtur aut in verbo *nomine* pro *exemplo*, aut, quod verisimilius est, in *Lovaniensis* pro *Viennensis*.

Digitized by Google

vinciis volebat. Cum autem nec vacaret P. Claudio in hoc opus conficiendum incumbere, nec detrectare integrum esset, ne Societatis existimatio laederetur, P. Ignatio scripsit rogavitque ut alicui hoc opus conficiendum commendaret; et quia intellexerat cogitasse aliquando P. Ignatium de P. Jacobo Laynez ab aliis occupationibus liberando, ut hujusmodi opus conficeret, hoc ipsi tamquam valde opportunum in memoriam redegit [1].

228. Scripserat quidem idem P. Ignatius Viennam de Academiae illius reformatione, et de omnibus, etiam inferiorum facultatum professoribus, scilicet, philosophiae ac litterarum humaniorum substituendis, mentionem fecerat, quandoquidem publici professores, in fide non sinceri, non videbantur id munus ad utilitatem juventutis obituri; et sic instaurari posse theologica studia Viennae existimabat, si ab inferioribus facultatibus bene instituti in litteris et pietate juvenes auditores theologiae fierent. Has litteras in sermonem latinum versas Domino Jonae, Cancellario, erga Societatem valde benevolo, ostendit; sed durum videbatur, nec Regi aut gubernatoribus civitatis gratum futurum, si tanta et tam subita lectorum mutatio fieret, et in aliorum dimissorum locum Societas succederet; potius professores illos ad saniorem mentem reducere in votis erat et eorum fidem examinari Rex volebat, et si qui nollent resipiscere, tunc demum paulatim a profitendi munere removeri eos optabat. Interim ut in Collegio nostro litterae humaniores ac philosophia docerentur, tum ut aemulatio sancta in saecularibus professoribus excitaretur, tum ut, si expellendi essent, professores nostros illis substituendos ad manum haberet. Et ita de scholis Viennae instituendis agi coeptum est [2].

---

[1] Polancus, *ex commissione,* Claudio Jaio, ut theologiae compendium conficiat ipse aut conficiendum ab Ingolstadiensibus (Canisio et Gaudano) curet; licet ab Ignatio data ea provincia jam sit Patri Laynez, 24 Februarii. Idem Claudio Jaio, ut ipse per se vel per alios faciendum curet theologiae pro Germania compendium, quod facere non possunt ii qui Tridenti in rebus Concilii nimis sunt occupati, 22 Septembris et 17 Novembris.

[2] Ignatius Romanorum Regi Ferdinando, quomodo theologica studia in Germania sint instauranda, 25 Augusti. V. *Cartas de San Ignacio,* t. IV, pag. 354 et 480. Alcuni ricordi per promuovere col mezzo della Compagnia il bene commune nel negozio della religione, specialmente nella Germania superiore et inferiore. Hos tamen *ricordi* bene in anno 1554 positos existimamus et litteras nunc, anno scilicet 1551, Regi Romanorum datas de studii theologiae reformatione similes illis fuisse, quas habes in eodem opere *Cartas,* t. II, pag. 378 et 466. Ait enim Polancus in *Regesto,* die 20 Septembris 1551: 3.° Si scrive (al Duca di Baviera) del mandar Dottori o magistri *al modo che fù scritto a Vienna* e del modo d'instaurar la theologia in Allemagnia, etc.

Digitized by Google

229. Scripserat Romanorum Rex Duci Bavariae eumque adhortatus erat ad Collegium Ingolstadii instituendum; sed cum ab Episcopo Labacensi intelligeret Patres Petrum Canisium ac Nicolaum Gaudanum ibi detineri, nec Societati Collegium institui, eosque aptissimos fore ad res Viennensis Universitatis promovendas, nec esse cur magnam haberet rationem ne Duci incommodaretur, quandoquidem alio essent amandandi, si Collegium Ingolstadiense non erigeretur, commisit Episcopo Rex ut ipsius nomine P. Ignatio scriberet ne huic negotio duorum illorum Doctorum Viennam adducendorum repugnaret; tantumdem Cancellarius Jonas scripsit. Rogabat etiam P. Ignatium Claudius ut si Romanorum Regi satisfaceret, P. Nicolaum Lanoyum Vienna non removeret, cujus et exemplum vitae et doctrinae et prudentia ad gubernationem illius Collegii accommoda in primis videbantur; meliusque existimabat ut Collegium unum Viennae bene tam lectoribus quam gubernatore instructum esset, quam si plura Societas amplecteretur, quae non perinde idoneis hominibus ad finem, ad quem tendit Societas, instrui possent. Et quia coadjutoribus idoneis destituebantur, aliquos etiam hujusmodi ad domesticas functiones mitti optabant. Non libenter intererat P. Claudius examinationi professorum Universitatis in negotio fidei, et tamen Regi hoc officium, licet odiosum, quod eo praesente a ministris regiis exercebatur, negare non potuit, sicut nec illud ut in consilium facultatis theologicae ingrederetur; unde et hoc etiam praestandum fuit [1].

230. Inter alia, quae Rex romanorum ex nostris Ingolstadiensibus ad se accedentibus expeteret, illud etiam esse putabatur, ut P. Canisio pro suo concionatore germano uteretur; nam qui hoc munere prius fungebatur non bene habebat. Cum fundationem ac dotationem superius dictam Collegii Viennensis fecit, mille et ducentos florenos super ferri fodinis Styriae assignavit. Nondum viderat ea, quae Societas erga fundatores Collegiorum juxta suas constitutiones facere decreverat; sed sub finem hujus anni, cum ea, quae praestantur fundatoribus

[1] Polancus, *ex commissione*, Claudio Jaio, curandum ut Romanorum Rex a Pontifice, pro Collegio Viennensi, ad tempus saltem, duos, qui Ingolstadii sunt, sibi mitti postulet, quorum unus theologiae, alter philosophiae docendae operam det, 22 Septembris.

Digitized by Google

Labacensi Episcopo Claudius ostendisset, exemplum ille habere voluit latinum, quod et Regi ostensurus credebatur; non tamen id certo constabat nec Regem illa exigere, quae aliis fundatoribus tribuebantur. Numerus triginta collegialium non erat expletus adhuc; quod tamen superesset, ad habitationem concinnandam expendi volebat, et si quid amplius opus esset, se subministraturum pollicebatur.

231. Non omittam aliqua, quae suggesta sunt a nostris Viennensibus, ac praecipue P. Claudio, Patri Ignatio; inter quae illud est, si quo in loco conciliandi sunt animi hominum et auctoritas paranda per doctrinae demonstrationem, vel maxime in Germania id necessarium esse, quod nullibi magis personae ecclesiasticae ac religiosae, et confraternitates, et exteriores castigationes corporis odio habeantur, contemnantur ac irrideantur, quam in septentrionalibus locis, ubi quasi ex professo quae hujusmodi sunt persequi solent; unde perdifficile est auctoritatem sibi parare, si de humanis rebus loquamur, nisi per scientiae significationem ac praecipue per latinae linguae, hebraicae et graecae eruditionem. Et ideo harum facultatum supellex magis erat nostris necessaria, quod diabolus, cui displicebat hoc Collegium Viennae instituendum, ante nostrorum adventum, rumorem quemdam per flandros quosdam ludimagistros sparserat, quod Rex quosdam jesuitas accersebat, homines hypocritas, qui in cubiculis homines includebant et, clausis fenestris, quaedam ab eis jejunia, per quot nescio hebdomadas, fieri exigebant, ut ita Spiritus Sanctus super eos veniret, et sic juvenes seducebant, et ad vota emittenda compellebant. Et usque adeo quorumdam animis haec opinio fuerat impressa, et quod miris quibusdam artibus et quasi incantationibus scholasticos ad nostram Societatem traheremus, ut cum juvenis quidam, in litteris graecis eruditus, P. Claudium inviseret, et ille, de rebus spiritualibus verba faciens, juvenem ad confessionis sacramentum hortaretur, graviter ille tulerit et apud suum praeceptorem conquestus fuerit quod P. Claudius Jesuitam ipsum facere volebat; et se nunquam eum invisurum affirmabat, quamvis natione ipse sabaudus esset. Et ita caute incedendum esse initio P. Claudius existimavit in familiaribus colloquiis, donec meliorem de nostris existimationem conciperent. Sed postquam viderunt nostros quiete agere et in publicis lectioni-

Digitized by Google

bus disputare erudite simul ac modeste, existimationem prorsus mutarunt, et bene de nostris sentire coeperunt; et quidam aulici, qui quod nobis arrogaremus nomen Societatis Jesu indigne ferebant, postquam a P. Claudio de ratione hujus nominis edocti fuerunt, defensores Societatis effecti sunt; inter quos Doctor fuit quidam theologus et Comes ex primariis regiae curiae.

232. Qui etiam primi in Collegium Viennense transmissi in variis concionandi tonis in Italia consuetis se exercuerant, Romam postea scriptum est illos tonos in Germania gratos non esse, cum gens illa quieto concionatoris sermone gaudeat, sine magnis vel vocis vel corporis mutationibus. Quia etiam commendatum eis fuerat, ut germanicae linguae studerent, admonuerunt perdifficile esse his, qui in italica, hispanica vel gallica lingua educati fuissent, germanicam addiscere, propter ejus valde difficilem pronunciationem; his vero, quibus flandricum idioma vernaculum erat, satis facile esse, cum legere statim et intelligere omnia, et paulatim etiam pronunciare, possent.

DE COLLEGIO COLONIENSI

233. P. Leonardus Kessel toto hoc anno Coloniae versatus est, et quamvis Romam sex juvenes hoc anno miserit, et inter alios Balduinum ab Angelo, Leodiensem, ac Guilielmum Limburgium, facile horum locum alii admissi suppleverunt. Alii enim alios ad spiritualia exercitia et confessiones invitabant, et in animis tractandis egregius artifex P. Leonardus sic adolescentes studiosos et quosdam promotos Lovanii vel Coloniae in spiritu juvabat, ut ad vocationem Domini audiendam et sequendam non pauci se disponerent. In prima enim exercitiorum hebdomada, magno cum profectu, vitae anteactae defectus uberrimis lacrymis diluebant. Inter alios tamen quidam Gerardus, natione Olandus, Lovanio missus, magnas, domi exceptus, tragoedias excitavit, et ex adolescentibus, qui in domo eadem instituebantur, aliquos seditiose commovit, et a profectu spirituali et obedientia P. Leonardi alienare incipiebat. Cum autem pro sua charitate eos juvare tentasset, et illi sinistre omnia interpretarentur, simul ipsum Gerardum cum aliis octo, qui ei adhaerere videbantur, ex Societate et domo sua expulit. Quemdam etiam

Digitized by Google

alium Godefridum prius ob similes causas expulerat. Haec igitur in ejiciendis inutilibus animi magnitudo non solum effecit ut alii in sua puritate conservarentur, sed etiam ut familia bonis et idoneis alumnis augeretur; nam ante decem illos expulsos quindecim vel sexdecim erant numero; et cum, illis expulsis, sex vel septem domi relicti fuissent, ex quibus aliquos sub autumnum Romam misit, sub anni finem nihilominus decem et septem erant; inter quos sacerdos quidam Lovanii promotus magno cum fervore et admiratione omnium se divino obsequio consecravit. Observatum est quod spatio duodecim mensium viginti studiosos bonae indolis Romam miserit, ubi in plerisque eorum experiri licuit quod delectum bonum in cognoscendis et admittendis ad Societatem hominibus P. Leonardus haberet [1].

234. In variis monasteriis concionatus est P. Leonardus et cum magna, ut videbatur, satisfactione. Singulis autem dominicis et festis diebus duas exhortationes duobus in locis habebat. Ipso autem die veneris sancti quatuor fere horas de Passione Domini cum magna commotione hominum praedicavit. Sed per Sacramenti poenitentiae administrationem uberior, Dei gratia, fructus proveniebat. In festo Omnium Sanctorum anni praeteriti nobilis Domina Abbatissa monasterii undecim millium Virginum sub Missa P. Leonardi communicare cum magna omnium aedificatione coeperat, reliquae vera canonicae virgines ad confessionem praeparari et ipsae coeperunt et in dies in Domino proficiunt. In vigilia Natalis Domini, ut etiam in die Coenae Domini ac Paschae eadem Abbatissa cum omnibus monialibus et tota familia ab eodem Patre Sanctissimum Christi Corpus acceperunt. Nobilissimae illae virgines ac praecipue Abbatissa valde Societati nostrae affectas se ostendebant, et libenter ad conferendum de rebus ad spiritum pertinentibus P. Leonardum

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Leonardo Kessel, de quatuor Colonia Romam missis et de mittendis Roma Coloniam, 5 Maii; eidem Arnoldum Hesium ideo Roma Coloniam mitti, quia Romae non satis bene valet et ut Leonardus secum adjutorem habeat, qui in romana Societatis domo aliquandiu fuerit versatus, 23 Maii. Missae sunt eadem die patentes Ignatii litterae communicationis *gratiarum* Societatis et aliae, quibus Leonardo confertur facultas resipiscentes haereticos absolvendi; itemque proficiscenti Arnoldo *instructio* quaedam tradita est de modo iter Coloniam versus conficiendi; et alia pro ipso et Leonardo de iis, quae Coloniae curanda in posterum erant circa valetudinem nostrorum, studia, spiritualia seu pietatis exercitia, Collegii institutionem et eos, qui in Societatem admitti postularent. — Similia fere iis iterum missa sunt 2 Junii.

Digitized by Google

Abbatissa vocabat, eumdemque audiebat, et in coeptis alacriter pergebat.

235. In confessionibus audiendis toto mense Februario valde fuit occupatus, licet corpore debilis esset; nam ad pios labores ferendos Dei gratia roborabatur. Inter alios poenitentes quaedam meretrix ex toto corde ad Christum conversa est, quae multis cum lacrymis postea confitendi gratia saepe rediit. In progressu anni confitentium numerus augebatur, ac praesertim studiosorum, qui ad aedes P. Leonardi vel confitendi, vel consilium capiendi, vel boni aliquid audiendi gratia, praesertim in quadragesima, ad eum ventitabant. Sub Pascha vero diu noctuque confessionibus audiendis vacabat. Cum autem Aprili mense propter corporis imbecillitatem a concionandi labore impediretur, domi nihilominus multis confessionibus audiendis et quibusdam earum generalibus valde occupatus fuit; et valde eum consolabatur vitae malae prius actae in bonam mutatio, quam in quibusdam expertus est. Sub finem etiam anni multi, qui ante plurimos annos confessi non fuerant, ad ipsum confessionis gratia accesserunt; et aliqui sacerdotes et monasteriis praepositi ipsum domi, accepta instructione propter quam venerant, consulebant, quibus per Dei gratiam sic satisfiebat, ut cum quiete et gaudio ab eo recederent; quidam studiosi, ad Christi consilia capessenda inflammati, ad carthusianos etiam se contulerunt; aliqui qui viginti et triginta annis a confessione abstinuerant, vitam omnino corrigere statuerunt.

236. Saepe ad infirmos P. Leonardus vocabatur, qui ipsius adventu, post confessionem factam, melius habere coeperunt; obsessi etiam a daemone, ut ferebatur, cum eis aderat, sublevari ac melius habere videbantur; quidam matronae coloniensis filius, qui aliquot annos usu rationis privatus fuerat, et cum domi nostrae fuisset aliquot dies anno proxime elapso, melius habere coeperat, hoc anno per Dei gratiam sanitati mentis est restitutus, et ad crebram confessionem et communionem, singulis scilicet hebdomadis, cum aliis studiosis devote accedebat [1].

237. Aliquos quidem adversarios habebant, sed plures propugnatores, qui detrahentium ora obstruebant. Scribit idem P. Leonardus quod ex tempore, quo Coloniae versabatur, nun-

[1] Vide supra, anno 1550, pág. 84, núm. 197.

Digitized by Google

quam ei tanta spes affulserat animas Christo lucrifaciendi quam hoc anno; quia bonus odor Societatis ex remotis etiam provinciis valde fragrare Coloniae coeperat, et multi melius de Societate sentire quam antea nunquam incipiebant; libelli quidam impressi de rebus Societatis, inter quas de martyrio P. Antonii Criminalis agebatur, plurimum omnibus aedificationis praestabant, et ut Societati magis afficerentur eidemque faverent efficiebat.

238. Feriis sextis domestici latinam orationem per vices domi nostrae habebant, ad quam audiendam etiam multi externi studiosi confluebant, nec exiguo cum fructu recedebant. Cum tempus ab aliis erga proximos occupationibus liberum relinquebatur, studia theologica P. Leonardus prosequebatur.

239. Benevolentia Abbatissae undecim millium Virginum primo quidem tentabat ut onus praedicandi in parochia, ubi confessiones audiebat P. Leonardus, ei cum pastoris officio imponeretur; quia ejus muneris collatrix illa erat. Et quamvis ad utilitatem spiritualem multorum id futurum erat, et spem augebat Collegii vel in ipsa parochia vel in ecclesia undecim millium Virginum obtinendi, quia tamen Societatis instituto id parum conveniebat, onus illud non fuit admissum. Adjecit deinde animum eadem Abbatissa ad resignandam ecclesiam undecim millium Virginum ut ex ea vel monasterium monialium vel Collegium institueretur, et ita Senatus et alii quidam, inter quos Dominus Gropperus quid de ea ecclesia fieri oporteret, agere coeperunt, quo tempore magnopere P. Petri Canisii adventus exspectabatur (quamvis et aliis in locis inferioris Germaniae alias ob causas expeteretur) ad hujus negotii successum non parum, ut videbatur, collaturus [1].

240. Prior Carthusiae Coloniensis cum crescere familiam nostrorum intellexisset, currum supellectilibus plenum ad usum nostrorum studiosorum ultro misit, et nullam occasionem bonus

[1] Polancus, *ex commissione*, Leonardo Kessel, ei facultatem faciens ut ubicumque ipsi placuerit concionetur et quoscumque velit Romam mittat, ei etiam enixe commendat Arnoldum, etc., 25 Augusti; eidem, ut Canisium Ingolstadio Coloniam ad aliquot dies evocet, si ab eo citius faciliusque confici posse judicet negotium, quod tunc agebatur, de domo, sc., monasterio undecim millia Virginum vicina, Societati commodanda, 17 Novembris. Hac ipsa die facta Kesselio est facultas professionem emittendi et missa professionis formula.

Pater de nostris benemerendi omittere velle videbatur. Nostri scholastici, partim logices, partim philosophiae auditores, in suis scholis quod ad eruditionem attinet, primas tenebant; unde bonus odor Societatis magis augebatur.

DE COLLEGIO LOVANIENSI

241. Pauci etiam hoc anno ex nostris Lovanii versabantur, sed non inutiliter. P. Adrianus Adriani, qui aliis praeerat, tota quadragesima pene singulis integrisque diebus hac fere una occupatione, confessiones scilicet audiendi, distinebatur; et ne unus quidem ab eo discedebat, qui non libenter se ad confessionem crebro rediturum polliceretur. Quidam etiam quod non maturius ea audivissent conquerebantur, quae jam sibi perutiliter dicta sentiebant. Secutum est et hoc, quod pastores parochiarum et concionatores ad frequentem communionem unanimiter et quasi certatim, ille gregem suum, hi auditores, exhortabantur. Gratissimum autem accidebat quod paulatim eodem spiritu, quo Societas moveri solet, et illi moverentur, ut major animarum utilitas ad Dei gloriam consequeretur. Crescebat per Dei gratiam mundi contemptus, vitabantur choreae, vestium pretiosarum luxus nimius resecabatur, conviviorum sumptus minuebantur, eleemosynae liberalius fiebant, et templa majori cum splendore exornabantur. Curabat et ipse P. Adrianus ut quae ipse in confessionibus paucis sigillatim dicere poterat, concionatores multis praedicarent, et ad hoc ipsum eos adire solebat; exercitia spiritualia quibusdam etiam communicabat, et bonum semen in terram bonam jactum secuturum esse fructum pollicebatur. Quidam inter alios theologus, post hujusmodi exercitationem, bis in hebdomada ad confessionem et Eucharistiae Sacramentum accedens, admirationi multis et aedificationi erat, et demum se Societati nostrae adjungere constituit. Quamvis autem aliquando et concionatus fuerit P. Adrianus et christianam doctrinam rudioribus proposuerit, quia tamen Lovanium concionatoribus abundabat, qui vernacula lingua et latina hoc officio fungebantur, ad confessiones ille audiendas et alias charitatis functiones se convertit, et sa-

Digitized by Google

cramento poenitentiae atque communionis plurimos ad Christum trahebat [1].

242. Visum autem fuit P. Ignatio P. hunc Adrianum, cujus puritas ac virtus Romae cognita fuerat, ad professionem admittendum, cum in illis inferioris Germaniae locis nullus, qui professionem in Societate nostra emisisset, versaretur. Suas ergo vices Domino Doctori Ruardo Taper, Decano et Cancellario lovaniensi, ad ejus professionem admittendam commiserat; et trigesima die mensis Maii, in templo magni hospitalis Lovaniensis, cujus ipse Ruardus spiritualis pater et confessarius erat, Virginum enim coenobium, provinciae illius more, hospitale dicebatur, ibi Missae Sacrificio cum magna compunctione ab eo dicto et ab aliis audito, cum ornatu valde splendido tam ornamentorum, quam calicis, ampullarum et patenae, quae argenteae erant et deauratae et nomine Jesu insignitae, professionem suam P. Adrianus in ejus manibus emisit. Prius tamen Dominus Decanus latine concionari, et deinde, ut se frequenti auditorio attemperaret, vernacula lingua, voluit. Et quia vir gravissimus et probitate, doctrina et auctoritate ejus Universitatis facile princeps suo tempore fuit, et ejus scripta contra haereticos in pretio merito habentur, summam concionis ejus, quod ad Societatem attinet, hic inseram, prout ab ipso P. Adriano collecta fideliter et P. Ignatio transmissa fuit; quamvis majorem in dicente energiam habuerit, quia magno cum spiritu et charitate et ex intimis visceribus loquebatur et gestibus ostendebat se animi sui affectum non adhuc satis exprimere quae in scriptis haberet [2].

243. Proposuerat illud thema: *mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos.* Joann, „13. In lege, inquit, carnalibus rudibusque judaeis mandatum fuit: *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hoc vero novo Christi Domini Nostri mandato jubentur discipuli diligere proximum supra

[1] Polancus, *ex commissione,* Adriano Adriaenssens, respondet variis quaestionibus de rebus ad animae profectum et ad ministeria pertinentibus, sc. de frequenti communione, de inspirationibus divinis, de usu rationis et Scripturae in concionando, etc., 31 Martii.

[2] Polancus, *ex commissione,* Adriano Adriaenssens, ei facultatem faciens ut professionem in manibus Ruardi Taper emittere possit, 31 Martii. Ignatius Ruardo Taper, de Patris Adriani Adriaenssens professione, 5 Maii. Eadem die missae sunt Adriano professionis formula, patentes literae, quibus ei potestas fit absolvendi etiam intra Paschale tempus, et historicae litterae de Italiae rebus.

Digitized by Google

seipsos, videlicet, sicut Christus dilexit nos; ut pulchre exponit D. Cyrillus, libro 9. in Joannem, cap. 23. Doctores docent et recte charitatem esse ordinatam, et primo incipere a Deo, secundo a seipso, etc.; sed ipsa natura charitatis in se considerata alium ordinem, scilicet, jam dictum servat. Haec nova Jesu Societas studet non solum communi modo bene vivere, ut omnes christiani tenentur, nec tantum excellenti modo, ut religiosi, sed secundum istud novum Christi mandatum, excellentissimo modo, nihil dilectioni fratrum anteponere, sui nullum habere respectum, seipsum exinanire, demum se totum ad Dei honorem proximorumque salutem effundere, vitam propriam pro salute animarum contemnere, omnem denique laborem atque omne periculum subire pro Christo et animarum salute. Novus sane et inauditus est hic dilectionis modus, quem Christus Dominus, transiturus ex hoc mundo ad Patrem, suis discipulis commendavit. Haec sancta Societas novum istud Christi mandatum pro fundamento ac radice habet; nec ad particulare aliquod charitatis officium seu obedientiam se adstringunt, qui de hac Societate sunt, sicut aliae religiones fecerunt, sed ad ea omnia ad quae mittentur, quae tanquam magis ad animarum salutem utilia sese offerrent. Hoc sane tam excellens et sanctum est, ut omnem intellectum superare videatur. Non ergo mirum est, si haec sancta Societas a paucis cognoscatur, quae merito sane vocatur Societas Jesu, non, ut quidam dicunt, quod nos simus ex Societate diaboli, sed quia excellentiori, immo excellentissimo modo, sequitur Dominum Jesum ejusque Beatos apostolos. Ego omnes eorum bullas, constitutiones et exercitia legi, confirmata et approbata per modernum Pontificem ejusque praedecessorem. In habitu sequuntur morem piorum sacerdotum regionis ubi degunt; in cibis et similibus nulla utuntur singularitate; non cantant in templis; eorum exercitia legi, non magnas poenitentias continent et similia, sed omnia propemodum sunt communia et inde perducunt ad maxima. Nova profecto et inaudita sanctissimaque sunt haec, sicut et novum Christi mandatum. Non quod habitum et alia, quae religiosorum sunt, reprehendamus in eis, quibus haec necessaria et utilia sunt, etc. Quod ad vota hujus novae sanctaeque Societatis attinet, vovent in primis tria vota substantialia more omnium religiosorum, sed longe perfectiori, immo perfectissimo modo, ut

Digitized by Google

ipsorum vita potius coelestis quam humana sit dicenda. Secundum enim bullas et constitutiones Societatis ejusdem in paupertate omnes religiosos etiam franciscanos excedunt; illi namque bona communia saepe habent, et pro Missis eleemosynas accipiendo, in paupertate sublevantur; haec vero Societas nec ulla communia nec privata habet bona, nec pro Missis aut aliis charitatis officiis eleemosynam ullam admittunt, Christum Dominum perfecte sequentes, qui non habuit ubi caput reclinaret. Scholastici quidem ejusdem Societatis sua habent Collegia, idque fere in Universitatibus, ut videlicet, ibidem studeant, praeparenturque ad professionem; sed ex hujusmodi bonis aut Collegiis ipsi professi nihil possunt in utilitatem suam convertere. In sancta quoque obedientia omnes superant; quia sine ulla tergiversatione explicita vel implicita, coguntur agere et ire ad quodcumque gentium mittantur, sive ad indos, sive ad haereticos, sive ad turcas, et quasvis barbarissimas nationes, etiam si praesens mortis immineret periculum. Quod itaque S. Franciscus ex superabundanti Dei zelo semel tentavit, ad hoc hi sancti filii se voto obligant, si eo mittantur, et potius mori quam quovis modo pro reversione sollicitare debent. Hanc quoque specialem curam puerorum in rudimentis fidei recte sane providit ipsorum primus institutor ac modernus praepositus, Ignatius, non posse mundum reformare existimans, nisi pueri rudioresque in fundamentis Christianae religionis bene instituantur. Exponunt alii evangelium et epistolam, et bene faciunt; sed hi sancti filii et domini in longo sed magis necessario versantur officio, cum in dictis documentis occupantur; hoc enim rudi medio plurimum modo in diversis Indiae et Ethiopiae et aliis partibus fructificant. Cum ergo haec Societas tam sit sancta et excellens, non mirum si multos habeat adversarios. Existimo autem quod multi potius ex ignorantia quam malo aliquo animo illis se opposuerint; quibus cum haec innotescent, spero quod melius de sanctis istis filiis sentient. Si quis vero his se opponere pergant, non dubium est quin graviter Dominum Deum offendant, qui eos tam singulariter eligere est dignatus. Sit ipse benedictus in saecula. Amen.„

244. Summam hujus concionis Domini Roardi Taper ideo hic inserendam censui ut quid vir doctissimus ac magnae auctoritatis inter Lovanienses sensit explicarem; et quamvis

Digitized by Google

omnia, quae in ejus habentur concione, agnoscere modestiae ratio non sinat, multa tamen ac fere omnia sunt hujusmodi ut nos commonefaciant quales non esse debeamus, tam altum institutum profitendo. His magna cum aedificatione peractis, idem Dominus Roardus, ne hoc deesset, nostros omnes fratres convivio excepit.

245. Quiete quidem et cum magna benevolentia Universitatis nostri agebant Lovanii, cum oborta quaedam tempestas est, ob quemdam studiosum juvenem, Jacobum nomine, qui brevi promovendus ad magisterium et primas habiturus inter omnes eo anno promovendos credebatur. Nimio ille desiderio ac morae impatiens e Collegio, ubi studuerat, ad nostros se contulit, ad scholam nihilominus cum aliis aditurus, quod reliquum erat philosophiae auditurus. Sed cum aegerrime ferret Jacobi consilium ipsius praeceptor, duobus ex nostris scholasticis, qui ad ejus scholam etiam veniebant, tanquam impostoribus eam interdixit; Jacobum autem ab instituta vitae ratione avertere conabatur. Cum autem P. Adrianus rationibus et precibus agere cum eo praeceptore frustra tentasset, Lovanio emittere Jacobum cum duobus sociis versus Coloniam noctu statuit. Cum autem egressi essent Lovanio, obvius illis fuit nobilis quidam adolescens, qui condiscipulus aliorum et Societatis amator erat; hic, trium fratrum discessum et causam intelligens, quartum se illis adjunxit et quod diu multumque concupierat, quasi a Deo oblata opportunitate, impigre est prosecutus. Horum absentia tanto dolore percussit praeceptorem ut in judicium P. Adrianum vocaret, omnemque movit lapidem, donec ille, qui tantum veritate, humilitate ac patientia se tuebatur, in carcerem est conjectus. Eodem tamen die eductus est ea lege, ut missis litteris adolescentes revocaret. Mittuntur equites et pedites nonnulli ut juvenes variis itineribus insequerentur, et media fere via versus Coloniam, quia pedites ibant, eos assecuti, litteras P. Adriani reddunt; quibus cum parere alii duo cogitarent, negant Jacobus et Otho se posse secundum Deum illis parere, ne in periculum se nimium conjiciant; et alioqui sub obedientia P. Adriani, extra ejus provinciam, se non esse animadvertentes, hoc ipsum rescribendo, simul omnes pergunt Coloniam. Inde vero Viennam ad nostrum Collegium, ut a periculo magis recederent, transmissi sunt. Et miraculo propemodum effectum est, ut patrem

Digitized by Google

Othonis cum aliis equitibus filium suum insequentem (qui Coloniam usque veniens, urbem contra nostros vehementer concitavit) evaderent. Interim Lovanii per aliquod tempus graves injuriae, non tantum nostris sed etiam amicis, fuerunt illatae; sed Dei bonitas per patientiam et spem in ipso sitam omnia superare debuit, et in aedificationem versum est, quod P. Adrianus in carcerem fuerit conjectus. Dolebant enim adversarii se id tentasse, et Rector suo jussu id factum negabat, et quisque culpam a se in alium rejiciebat.

246. Numerus confitentium et ad nostros accedentium multum est auctus et, dum afflictiones urgerent, plura per nostros operatum esse Dominum quam toto elapso tempore constabat. Movit idem Dominus concionatorum, qui majore in pretio habebantur, corda ut latinis et germanicis concionibus ac privatis colloquiis nostros et eorum facta defenderent, immo et ad similia homines exhortarentur. Et licet nunquam de hujusmodi rebus, ne obiter quidem, concionari soliti erant, de iis fuse ac serio jam agebant, puta, de ingressu religionis, de sui abnegatione, de juventute sua Christo offerenda, de audiendis inspirationibus internis nec differenda Christi sequela; unde vere fecit Dominus cum tentatione proventum. Quidam sacrae theologiae licenciatus, cum duobus aliis piis ac doctis viris, tertio invitavit ad prandium P. Adrianum; qui cum tandem ad eum venisset, cur te invitaverim haec praecipua causa est, inquit, vidi patientiam vestram in omnibus his adversis et constitui apud me quod prius cogitaveram multum diuque, nimirum, de Collegio vobis instituendo, si ejus erigendi facultatem obtinueritis, ac reditibus dotando ut ex eis complures ex vestris scholasticis ali possint; et opere me ostendam Societatis hujus fautorem; video enim nihil vos nisi Christum quaerere. Haec et similia dixit, et ut scriberet P. Ignatio injunxit.

247. Nostrorum ad scholas publicas accessus haud inutilis caeteris scholaribus erat, quos tum exemplo tum pia exhortatione ad frequentem confessionem et communionem trahebant. Ex his aliqui ad Societatis institutum sequendum a Domino vocati sunt, ex quibus nonnulli Coloniam versus missi, alii Lovanii admissi sunt. Non tamen omittam quin obiter hic admoneam quod illi, qui hujusmodi tragoediarum in suo ingressu auctores fuerunt, non multum consolationis Societati postmodum attule-

Digitized by Google

runt; et quidem Jacobus ille et alter Rogerius non in Societatis instituto perseverarunt; nobilis autem ille juvenis, Otho, perseveravit quidem, sed scrupulis anxius Societati parum commodavit, et demum Parisiis peste correptus in domum nostram parisiensem eam intulit, ex qua, anno sexagesimo secundo, tam ipse quam P. Paschasius, et quotquot in illa domo fuerant, consumpti sunt. Et re quidem vera, cum non esset admissa Societas in Lovaniensi civitate nec in Belgio, fortassis temperantius in hujusmodi admittendis, praesertim juvenibus, procedi poterat.

248. Hoc ipso anno inter multos, qui spiritualibus meditationibus sunt adjuti, unus fuit Dominus Quintinus Charlart, theologiae licenciatus ac tornacensis cathedralis ecclesiae canonicus, qui, cum jam multis ante annis ad Christi consilia sectanda vocaretur, his tandem spiritualibus exercitiis Societatem ingredi constituit, ac deinde, vota Societatis emittens, P. Ignatio transmisit. Et satis late ex spiritualibus his exercitiis spiritualis utilitas patuit. Admissus etiam est hoc anno Magister Spigha, sardus, qui, cum prius adversa valetudine conflictaretur, post ingressum melius habere etiam in corporis valetudine coepit.

249. Anno superiore scriptum fuerat Reginam Mariam, Flandriae gubernatricem, Doctores Lovanienses consuluisse ut quid de Societate sentirent ad eam rescriberent, et grave testimonium in Societatis favorem a primariis theologicae facultatis doctoribus datum fuisse. Cum autem urgeretur responsum Reginae, illud fuit sub hujus anni initium: Reginam nondum esse ejus animi ut vellet admittere Collegia nostrae Societatis Lovanii, ubi satis religiosorum et collegiorum erat. Nec mirum est tale responsum ab ea acceptum, cum aliqui in ejus aula non exiguae nobilitatis nostris plane adversarentur, et quasdam nobiles foeminas jesuitas factas esse dicebant, quae tamen ne allocutae unquam nostros fuerant, et ut nostri expellerentur Lovanio se curaturos minabantur, ita ut P. Adrianus daemones omnem conatum exerere diceret, ne nostri Collegium Lovanii haberent. Curatae sunt demum litterae Regis romanorum ad suam sororem, Reginam Mariam, cum aliis Cardinalis Augustani, quas cum accepisset P. Adrianus, ipsemet Bruxellas ferre voluit cum litteris commendatitiis decani et cancellarii Lovaniensis ad Praesidentem Viglium, qui in consilio Reginae Mariae

19

Digitized by Google

primas tenebat. Exceptus fuit quidem humaniter ab illo, qui cum ad coenam P. Adrianum retinuisset, plurima interrogavit quibus quam male de nostra Societate informatus esset, satis significavit. Demum dicebat ut antiquae religiones reformarentur, et potius ab Imperatore quam a Regina talia esse postulanda. Cum autem petiiset an approbata esset Societas et compluribus litteris id factum a Paulo III et Julio III intellexisset, eas litteris aliis adjungendas et Reginae offerendas dicebat, cujus animus si tentari deberet, aliquem virum apud eam magnae auctoritatis hoc tractare debere. Quidam amicus Societatis, qui ibidem coenabat, suggessit nullam esse rationem magis opportunam ad negotium hoc tractandum quam si Summus Pontifex Imperatori ea de re scriberet, sic enim successum habitura videbatur; sic et Viglius dicebat, et nisi Imperator praeciperet, se Societatem numquam admissurum. Et ita, re infecta etiam tunc, P. Adrianus Lovanium rediit [1].

250. Dominus Cancellarius, antequam Tridentum recederet cum aliis doctoribus, facultatem absolvendi ab haeresi perpetuam P. Adriano reliquit; et cum ille litteras commendatitias ad nostros, qui in Concilio versabantur, dedisset, pergratae admodum illis fuerunt.

251. Non reticebo cujusdam pauperculae in spirituali vita diu versatae animi affectum ad Collegium, quae, cum quodam modo ex mendicato viveret, corrasit ex parsimonia unde emeret pro futuro Collegio aliquot aureos annuos, orans Dominum ut posset digna esse aliquid ad institutionem futuri Collegii conferre.

252. Cum nondum esset Praepositus vel Rector constitutus, P. Adrianus per patentes litteras hoc anno ad eum transmissas fuit; et P. Cornelio Brogelmans facultas audiendi confessiones data ac Sacramentum Eucharistiae ministrandi; nam eatenus solus P. Adrianus eo munere fungebatur [2].

253. Concessit per litteras P. Ignatius Domino Decano ac Cancellario Lovaniensi omnium bonorum nostrae Societatis

---

[1] Polancus, *ex commissione*, Adriano Adriaenssens, de Lovaniensi Collegio, an expediat Universitati subjici, 31 Martii; eidem ut alacriter in ea, quae ad Collegium Lovaniense erigendum spectant, incumbat, 25 Augusti.

[2] Ignatii patentes litterae Adriano Adriaenssens, eum nostrorum Lovanii degentium praepositum constituentis, 25 Augusti.

Digitized by Google

communicationem, quae cum Lovanium pervenissent, post ejus ad Concilium profectionem, Tridentum a P. Adriano missae sunt et ab eo gratissimo animo receptae [1].

254. Marchionissa de Bergas pro suo Gaudano sollicite adhuc scribebat, sed Germaniae gravior ac praesentior necessitas illum retinebat [2].

255. Ex voto nostro simplici, absente Domino decano et cancellario, apud Lovanienses difficultas orta est; et quod nostri Lovanio dimissi non eo redirent, permolestum esse videbatur. Fatebatur ipsa Universitas congregata se non intelligere instituti nostri bullas nec res Societatis, cum Constitutiones, quarum fit mentio in bullis, non viderent; et quaenam illae essent interrogabant, quodnam tempus probationis, an scholastici possent jus ad sua bona retinere; ubi approbaretur a Sede Apostolica votum simplex, arduum quid esse et nonnisi post diuturnum tempus emitti debere. Hae autem difficultates oriebantur eo quod illo anno nondum erant promulgatae Constitutiones, quae postea difficultatem ademerunt; ac propterea concessum fuit illi praeceptori ut juridice litem constitueret, cum jura habeant ut filii sint sub obedientia parentum, donec professionem emittant. Itaque, si Pontifex Imperatori non commendaret res nostras, ipse autem curiae Bruxellensi et suae sorori injungeret ut Collegium nostrum admitteretur, timebat P. Adrianus ne omnes brevi Lovanio expellerentur, et omnia nostra a fisco caperentur; sed melius omnia suo loco et tempore Dominus constituit.

DE COLLEGIO PARISIENSI

256. Hoc anno 1551 nostri in Collegio Parisiensi quatuordecim erant praeter eos qui serviebant; quamvis cum rerum temporalium penuria laborarent, hic numerus est imminutus; duos enim ex fratribus ineunte anno Romam miserunt, Joannem, scilicet, Tavonum, et M. Joachinum; sub finem autem

---

[1] Ignatii patentes litterae Domino Ruardo Taper, Universitatis Lovaniensis Cancellario, quibus eum bonorum omnium operum per Socios ubique gestorum participem facit, 25 Augusti.

[2] Vide supra, t. I, pag. 416, n. 488.

ejus sex simul, quorum caput erat P. Everardus Mercurianus, alii Magister Adrianus Candidus, M. Eleutherius Pontanus, Franciscus Gordonus et Leonardus Masserus fuerunt, et sextus coadjutor Joannes Artemius fuit, Romam etiam miserunt. Alii tamen, licet non tam multi, in missorum locum recepti in Societatem fuerunt, inter quos P. Oliverius Manaraeus fuit, qui Sacerdos annum fere in Societate petenda perseveraverat. Recedente autem P. Everardo, quamvis eum remitti Parisios ejus Collegii Superior optabat postquam Romae aliquamdiu versatus esset et eos socios perduxisset, quia aptissimus ad augendam et formandam in spiritu juventutem Christo militare volentem habebatur, postulatum est a P. Ignatio ut eumdem P. Oliverium in Societatis coadjutorem admitteret, etiamsi novitius esset, ut ei privilegium audiendi confessiones et sacramenta ministrandi conferretur, cum P. Baptista Violaeus adversa valetudine crebro laboraret, unde aegre labori confessionum par esse poterat, cum praesertim victus in fratrum usum ei quaerendus esset [1].

257. Ultima die Decembris hujus anni P. Everardus Parisiis cum sociis discessit, ingenuis admodum ac bonis ad Christi militiam tironibus quique bono animo et laeto etiam inter angustias jam dictas rei familiaris vivebant; quamvis illud non parum substrahebat consolationis, quod propter tumultus bellicos raras litteras ex Urbe accipiebant, quarum veluti lacte ac jucundissimo fructu diu caruerunt. Hoc anno nihilominus, quamvis plerique in aula regia nostrae Societati obsisterent, Rex Christianissimus Henricus privilegium erigendi Collegii in Academia parisiensi Societati concessit. Tentarunt et illi Cardinalem Lotharingium, Societatis nostrae studiosissimum protectorem, ut ab officio res nostras apud Regem regiumque consilium promovendi revocarent; sed Dei providentia res aliter disposuit. Nam et Cardinalis Lotharingius sese ut murum pro domo Dei hac in re posuit, et privilegium illud non solum a Rege obtinuit, verum etiam ab interiori (quod *strictum* vocant) consilio Regis, et a Cancellario Galliarum obsignatum extorsit, quo facultatem etiam bona temporalia possidendi ad sustentationem studioso-

---

[1] **Polancus, *ex com.*, Joanni Baptistae de Violis, ut quos velit, Romam mittat, praesertim graecum quemdam et Joannem Baptistam Mutinensem, 11 Januarii.**

Digitized by Google

rum Societati Jesu largiebatur. Reliquum erat ut Senatus parisiensis, pro more ac legibus regni Galliae, indultum hoc legeret, et in registrum vel annales redigeret; alioqui quaevis indulta, nisi ab hoc Senatu judicentur e re publica Galliarum esse, non admittuntur [1].

258. Cum ergo privilegium obtentum ad Senatum esset relatum, daemon variis modis negotium hoc perturbare coepit, multis ex senatoribus persuadendo vel religionum tantum numerum esse superfluum, vel nullum commodum ex hac Societate ad Galliae regnum esse emanaturum, quae non tam ad hoc quam ad externas nationes instituta esse videretur; nec deerant quibus videretur non hanc tantum Societatem verum alios ordines de medio tollendos esse; nam venenum haeresis multos infecisse, et inter alios etiam senatores non paucos, dicebatur, ita ut compluribus jam concertatio subeunda esset, nec exiguus molestiarum torrens, antequam hoc negotium conficeretur, ferendus. Quae omnia nostri ad probationem fidei et patientiae a Domino permitti credebant, et orationibus Societatis omnes difficultates superandas esse sperabant.

259. Benevolentia quidem multorum erga Societatem magna erat, et praeter Cardinalem Lotharingium, protectorem Societatis, Bajonensis etiam Episcopus in illo privilegio obtinendo et rebus Societatis defendendis amicissimum se exhibuit. Claramontanus etiam antistes suam erga nostros parisienses benevolentiam retinebat, et cum P. Everardus Romam veniret, litteras ad P. Ignatium illi dedit, quibus studium animi sui ad instaurandam nostrorum opera Academiam Billomensem significavit. Billomum civitas est Auverniae, Claramontano Episcopo in temporalibus et spiritualibus subdita. Et ut magis rem totam declararet, eidem Everardo commisit, ut P. Ignatium certiorem redderet velle se domum ibidem instituere, et aliquos ex fratribus nostris alere, sicut et aliis litteris pridie kalendas Julii promiserat, et eosdem fratres postulabat, donec ipsa urbs Collegio ibidem instituendo de rebus necessa-

---

[1] Ignatius Claramontano Episcopo narrat quae Romae gessit nuper Dux Gandiae et ut strenuum se Societatis fautorem Parisiis exhibeat orat, 10 Januarii. Similes missae sunt litterae eadem die Cardinali Lotharingio, cui etiam de iis scripsit Cardinalis Maffeus in commendationem Societatis, et Gandiae Dux.

Digitized by Google

riis prospexisset. Crevit tamen ejus animi propensio et plus quam promiserat postea praestitit [1].

260. Aliqui etiam theologiae doctores aequiores nostris se exhibebant quam olim fecissent. Cum unus eorum mirari se diceret cuidam ex nostris fratribus cur ingressus esset nostram Societatem, postea eidem dixit se, omnibus bene perspectis, nihil in Societate reperire, quod non redoleat vitam sanctam et apostolicam. Alter cum consuleretur a quodam, qui post exercitia spiritualia magno desiderio Societatem ingrediendi tenebatur, respondit se nihil invenire in hac Societate, cui posset contradicere, cum nihil aliud esset quam quaedam apostolorum semita. Ducis autem Gandiae, qui saeculo vale dixerat et Societatem erat ingressus, suavis odor etiam Parisiis ad aedificationem multum faciebat; et praecipue qui ex natione erant hispanica in ea Universitate, melius sentire de Societate et ei affici coeperunt.

261. In spiritualibus exercitiis aliqui perutiliter exerciti sunt, ex quibus nonnulli in Societatem admissi, alii, quamvis religionem ingressi non sint, cum magno spirituali profectu ex eis recesserunt, et licet in lectulo propter adversam valetudinem recumberet P. Violaeus, ibidem tamen alicui haec ipsa exercitia communicavit. Inter alios quidam fuit religiosus ordinis Sancti Dominici, a quo per dispensationem se subtraxerat; is redire omnino constituit et, si non reciperetur, carthusiam se ingressurum promisit. Sed alius fuit religiosus ordinis Carmelitarum, hispanus, qui aliquot annos Valentiae et Barcinone concionatus fuerat, qui saepius publice et privatim contra Societatem locutus et ad eam propensos alio avertere fuerat conatus, et quidem a convictu nostrorum et exercitiis spiritualibus revocare homines consueverat. Hic ergo cum Parisios venisset, ut altiora theologiae fundamenta jaceret, incidit in manus nostrorum et spiritualia exercitia inchoavit, in quibus per sex hebdomades sic versatus est, ut tantum spiritus fervorem in alio nostri non sint experti, et tam liberaliter divina gratia ei se communicavit, ut ultra tempus consuetum in praedictis exercitiis immorari debuerit. Confessus est cum magna

---

[1] Ignatius Patri Joanni Baptistae de Violis, ut in agendo cum Rege et Regis ministris et Cardinali Lotharingio, Cardinalis Veralli opera uti non vereatur, 17 Octobris.

Digitized by Google

lacrymarum copia P. Violaeo, et ea mutatio vitae in eo animadversa est, ut conventus illius religiosi omnino id stuperent, cum causam tamen non intelligerent. Dixit se in Hispaniam scribere velle his et illis, quibus exercitia spiritualia dissuaserat, ut ad ea accedant adhortando, nec amplius sibi dari verba contra Societatem nostram permitterent. Fatebatur ipse nunquam intellexisse quid esset orare et Deo servire in statu religionis, nisi postquam his exercitiis excultus est, et charitate succensus juvenes suae religionis ad frequentem usum confessionis et communionis hortabatur, et demum ejus opera et familiae, in qua versabatur, et aliis perutilis fore credebatur.

262. Confessionibus dabant etiam nostri operam singulis praesertim diebus dominicis, in quibus scholastici complures nostris confiteri et ab eisdem sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipere perseverabant. Cum autem vir quidam doctissimus, natione hispanus, Societati benevolus, graviter aegrotaret, rogavit P. Baptistam Violaeum ne se usque ad mortem desereret; et semper duo ex nostris diu noctuque ipsi per octo dies continuos adfuerunt, et post ipsius mortem ut sepeliretur honorifice, convocatis omnibus scholasticis hispanis, curaverunt. Hoc autem pietatis officium tantum aedificationis illis praebuit ut complures, qui non optime affecti prius videbantur, non solum amicissimi facti sunt, sed ab eo die singulis dominicis diebus nostris confiteri et apud eosdem sacram synaxim sumere coeperunt. Commendaverat etiam ille qui mortuus est quemdam suum discipulum, qui ab eo tempore usque adeo mutatus fuit, ut in alium conversus videretur [1].

263. Duo laici, qui erant in extrema parte urbis Parisiensis et a domo nostra remotissimi habitabant, non omittebant singulis diebus ad nostros accedere et eorumdem Sacramentorum participes fieri. Aiebat alter eorum ab eo tempore, quo hanc vivendi rationem aggressus erat, adeo in se patientiae spiritum fuisse enutritum ut qui olim cum uxore sua semper discors erat, jam ad maximam concordiam cum eadem esset

[1] Polancus, *ex com.*, Joanni B. de Violis, ne se in monasteriis reformandis occupari nimium sinat, contradicentibus praesertim eorum superioribus, 17 Februarii; Ignatii patentes litterae Patri Joanni Baptistae de Violis, ei potestatem facientis haereticos resipiscentes absolvendi, quam communicare etiam poterit, si id expedire videatur, Magistro Everardo Mercuriano, 21 Julii. Eidem Polancus, *ex com.*, eadem die de librorum haereticorum lectione.

Digitized by Google

redactus. Cum quidam anathematis vinculo quinque vel sex annis retentus esset, curarunt nostri ut eum illi reconciliarent, cujus opera sic excommunicatus tenebatur; et absolutionis beneficio impenso, communioni fidelium est restitutus. In festis majoribus major hujusmodi confitentium et communicantium concursus reddebatur, et quamvis sub autumnum, propter belli imminentis rumorem, multi scholastici ad nostros venire soliti dilaberentur, P. tamen Everardus plerisque matronis nobilibus ad confessionem accedentibus suam operam impendit, nec solum in sacello domestico sed in adjacente ecclesia hoc pietatis officio fungebatur. Erat haec amicorum opinio, si quis ex Societate concionator Parisios accederet doctrina et pietate non vulgari praeditus, vel lector insignis, tunc Societatis nostrae nomen celebre in ea Universitate futurum; donec id non fieret, cum hoc et illo posse quidem multa utiliter fieri, sed non late patere nostrorum operam posse.

264. Cum aegrotaret P. Baptista, Doctor quidam theologus eum cum duobus sociis invisit, licet ei esset incognitus; et cum de rebus spiritualibus aliqua contulisset, petiit ille ut liceret sibi domus nostrae cubicula videre, et cum singulos lectulos super tres asseres pro more concinnatos videret, conversus ad socios, en, inquit, optimam nacti sumus concionem; hac enim in domo isthaec videndo plus profecimus quam si praedicationi interfuissemus; haec enim praedicationum est praxis. Alii etiam viri graves, nostrorum orationes efflagitando, quam bene de ea sentirent explicabat. Nec omittam quod Episcopus Claramontanus tantopere Societatis epistolis, quae de rebus ad aedificationem pertinentibus agebant, delectabatur, et ad aedificationem afficiebatur, ut omnes epistolas in librum quemdam suum redigi curaret, et penes se habere. Cujusdam senatoris, cui nostrorum negotium commissum erat, alumnus, ubi perlegit Societatis nostrae institutum, eam unice diligere coepit, et inde ad exercitia et demum ad Societatem ipsam pervenit; itaque inter molestias hujus negotii hic saltem fructus coeptus est [1].

---

[1] **Die 21 Julii missae Roma sunt ad P. Joannem Baptistam de Violis historicae litterae de rebus Panormi, Messanae, Ingolstadii, Salmanticae per socios gestis et de his, quae in Mutinensi dioecesi gerebat Landinus; quas Claramontano Episcopo ostendendi potestas ei facta est. Aliae de Romanis rebus historicae litterae missae fuere 12 Augusti.**

Digitized by Google

265. Vix enim facile posset exprimi quantum laboris in eo privilegio, quo non quidem ut reciperetur Societas in toto regno sed tantum Parisiis concedebatur, fuerit insumptum. Difficultatem tamen hujus negotii auxisse videtur, quod P. Violaeus, cum ageret de privilegio obtinendo, litteras apostolicas anno 1549 a Paulo Papa III concessas inter alias exhibuit, quod necessarium minime fuerat; ille vero officialis, penes quem haec facultas erat, cum sigillum apponeret regiae concessioni, easdem litteras apostolicas in pergameno scriptas et Episcopi Campegii sigillo obsignatas, cum ipso privilegio Regis conjunxit. Unde accidit ut cum Senatus parisiensis praedictum privilegium legere deberet, etiam facultates et exemptiones Societati a Sede apostolica concessas legere necesse haberet; et cum procuratori generali regis ostenderentur, statim quod consecutum est significare coepit. Nam duo sibi difficilia occurrere significabat, alterum quod in litteris Regis dicebatur nihil in nostro instituto contra sancta decreta inveniri, et tamen in his litteris habebatur quod nostra Societas ab Episcoporum obedientia eximeretur, et quod decimas de bonis datis solvere non teneremur. Haec igitur et hujusmodi privilegia, quae ostendi tunc quidem non oportuit, negotium hoc tam difficile reddiderunt, ut multis annis emergere nostri a talibus difficultatibus non potuerint. Illud tamen notatu dignum fuit, quod cum cancellarius regni quodammodo invitus ob auctoritatem quam Cardinalis Lotharingus apud Christianissimum regem habebat [1], postulavit magnam pecuniae summam pro sigillo, quam forte existimabat, tamquam pauperes, non posse solvere; sed accidit ut eodem tempore ab officio cancellarii deponeretur, et sigillum illi committeretur, qui supplicationem Societatis proposuerat et pro ea locutus fuerat; et ita exigua pecunia sigillum fuit appositum [2].

266. Cum Parisienses se paupertate laborare P. Ignatio significassent, scripsit ille ut publice eleemosynas emendicarent; sed cum id temporis edicto publico caveretur ne quis publice eleemosynam peteret sub carceris poena, unde quotidie

[1] Desiderantur hic aliqua verba ut sensus sit perspicuus.

[2] Ad hoc negotium de privilegio Regis et Parisiensis Senatus in favorem Societatis obtinendo magis urgendum, missae Roma fuere 21 Julii authenticum in *charta pecora* exemplum Apostolicarum litterarum Julii III, et aliae patentes litterae pro Doctore Picart.

Digitized by Google

hac de causa in carcerem conjici aliqui videbantur, ne etiam Claramontanus Episcopus, qui Collegii Parisiensis sustentandi curam suscepisse credebatur, injuriam sibi illatam putaret, consuluit eumdem Episcopum P. Violaeus an ipsi videretur aliquos esse dimittendos alio cum non possent sustentari. Respondit Episcopus ut, cum penuria laborarent, ad se venirent; et aliquid subsidii eis misit; minus tamen incalescere quam necessitas nostrorum postulabat, videbatur. Unde, P. Ignatio annuente, aliquos, ut superius dictum est, Romam P. Violaeus, dimisit. Non omittebat tamen idem P. Ignatius occasionem accendendi Claramontani Episcopi animum, unde curavit ut Dux Gandiae suis litteris eum salutaret, quas se accepisse plenas suavissimae humanitatis et christianae pietatis Episcopus respondit, eidem tantam religionis integritatem congratulando et bene precando. Paulatim tamen suae voluntatis effectus in hac parte demonstrabat [1].

267. Cum autem de mittendis Billomum aliquot scholasticis idem Episcopus scripsisset, explicavit P. Baptista ejus animum, quo ad numerum attinet, ut tres vel quatuor essent, qui scholis Billomensibus praeessent, et alios saeculares praeceptores, si non bene se gererent, docendi officio privare possent. Oportebat autem, cum essent docturi juventutem, ut gallicae linguae periti essent, et unus quidem eorum ad theologiam, alter ad philosophiam, tertius ad rhetoricam docendam idoneus; qui autem theologiam docturus erat, aptus etiam esse debebat ad gallice concionandum; quod si tales mitti non possent, non esse mittendos P. Violaeus admonebat. Et ita hoc quidem anno et modo hoc munus Societas non suscepit [2].

268. Cum Armachanus Episcopus caecus P. Violae significasset se ejus opera uti velle secumque eum deducere in Hiberniam, suggessit P. Viola se sui juris non esse; ad P. Ignatium proinde se converteret. At, inquit ille, nunquam a P. Ignatio quemquam de Societate nostra extorquere potui; sed per Car-

---

[1] Polancus, *ex com.*, nondum tempus opportunum esse ut de domo (professorum) Parisiis erigenda agatur sed de collegio, 21 Julii.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae de Violis ut Claramontanum Episcopum movere curet ut eum in erigendo Billomi Collegio teneri modum patiatur et velit, quem tenuit Salmeron Neapoli, et a fundamento humaniorum litterarum incipiat, 12 Augusti. Ignatius Claramontano Episcopo eadem die, eum exorans ne permittat propter Billomense collegium ut parisiensis domus quidquam detrimenti subeat.

Digitized by Google

dinalem Sanctae Crucis curabo apostolicum Breve ut te mecum deducam. Et prius quidem verum fuit; numquam enim existimavit P. Ignatius expedire ut ex nostris aliquem huic Archiepiscopo daret, qui amicus erat Societatis; sed non videbatur ad Societatis utilitatem[1]; posterius autem non illi successit, quia non illi concessum fuit Romae quod petebat.

DE DUCE GANDIAE AC COLLEGIO OGNATENSI

269. Dictum fuit superius Ducem Pisas simul cum P. Laynez pervenisse, ubi Collegii futuri negotium promovere studuit. Cum autem perhumaniter ab illis Ducibus esset exceptus, triremem quamdam armatam (*galeotam* vocant) Duci Gandiae obtulerunt, ut ex portu Pisis vicino Genuam usque commodius cum sua familia navigaret; et ita 16 die Februarii ad portum illum se contulerunt. Effecit tamen temporis asperitas ut triremis commode navigare non posset, et ideo terrestri itinere non sine labore Genuam pervenerunt. Reliquerat tamen partem suae familiae cum fratre nostro Bernardo Pisis, ut exspectato tempore commodioris navigationis, in illa triremi Genuam navigarent, quod si tempestas id non permitteret, ut terrestri itinere Lericem pergerent, et inde navigarent; quod cum fecissent, tam seria tempestate jactati sunt, ut Pisis dictum fuerit Ducissae omnes fuisse submersos. Postea tamen ejus Secretarius dixit, navigium quidem periisse, sed omnes homines vivos evasisse; et ita accidit, immo ne id quidem, quod secum ferebant, amiserunt, quia opportune illis subventum est.

270. Vigesima secunda Februarii Genuam pervenerat Dux Gandiae cum suo comitatu, quem statim Comes Philippus, nomine principis Doria, salutatum venit; neque enim princeps ipse domum egredi poterat, quia uxor illius paucis ante diebus mortem obierat. Simul ergo cum Legato Imperatoris, qui ad

---

[1] Erat quidem utile Armachano Episcopo ejusque dioecesi ut Pater Viola, aliusve de Societate in Hiberniam se conferret et in ea excolenda bonum Antistitem adjuvaret; sed propter perturbatum maxime reipublicae statum in illa regione nulla spes tunc temporis erat fore ut plures de Societate simul ibi degerent et juxta sui instituti leges et viverent et ministeria exercerent; unde judicabat Ignatius non satis Societatis sociorumque sibi commissorum bono consuli si unus alterve in illam insulam mitteretur. Cons. HOGAN, *Hibernia Ignatiana*, a pag. 1.ª ad 10.am

Digitized by Google

Ducem salutandum venerat, principem Doria invisit, qui statim triremem se daturum affirmavit, nisi commissum ipsi ab Imperatore fuisset ut Neapolim cum classe statim proficisceretur, quia jam tum de potenti turcarum classe, centum scilicet et quinquaginta triremium, dicebatur quod Africam esset invasura; unde Dux reliquum itineris terra conficere decrevit, navigiis interdum utendo si temporis serenitas invitaret.

271. In Hispaniam igitur perveniens ac provinciam Guipuscoae ingressus cum sociis, Azpeitiam ac Loyolae domum eidem vicinam invisere voluit; ac Domini de Loyola (qui ex fratre nepos P. Ignatii erat), jam defuncti, uxorem et filias salutavit. Parabant quidem oppida illa officii gratia multa ut Duci occurrerent honorifice, et eum cum ipsius familia de rebus ad victum necessariis providerent; sed significavit Dux se hujusmodi pompam gratam non habere; et sic tantum aliqui viri nobiles ei occurrebant, qui et hospitio excipiebant, et quidem inter montes illos ne urbanas quidem commoditates desiderari patiebantur. Accedens tandem ad oppidum de Ognate, filius Comitis Ognatensis cum multis equitibus ac peditibus ei occurrit; et quamvis in aliis oppidis, quantum ille poterat, impediebat, viae tamen publicae tam erant plenae hominibus et alacritate, ut imitarentur eos, qui in dominica palmarum dicebant: *Benedictus qui venit in nomine Domini;* et cum Vergaram ad sacrum audiendum se conferebat, omnes propemodum ejus populi viri et foeminae et pueri cum incredibili animi laetitia eum comitati sunt.

272. In oppido autem de Ognate, in propria Societatis domo, a Petro Michaëlez de Araoz relicta, divertit, quae et Universitati, ibidem nuper erectae ab Episcopo Abulensi, et ecclesiae vicina erat; et cum hominum illorum simplicitas et candor magnus videretur, fructum etiam non poenitendum consecuturum esse sperabant. Quod attinet ad locum residentiae Ducis Gandiae, dubitatum est an ipso in oppido de Ognate, an Vergarae fieri deberet, an alibi; ex multis enim locis provinciae illius domus offerebantur; sed eremitorium quoddam B.ae Magdalenae sacrum tandem delectum est, quod uno fere milliari ab oppido de Ognate distabat; et quamvis aliqua domus ibidem extructa erat, aedificium tamen auctum est. Commode enim Dominus Ludovicus de Mendoza, qui Tyburtinam ecclesiam Divae

Digitized by Google

Mariae del Passo Societati dederat, cum P. Simone ad idem oppidum perveniens, curam illius aedificii suscepit, quo se recipere Dux Gandiae cum sex vel octo de Societate volebat. Interim autem dum aedificatur nova domus, in nostra, quae Societati applicata fuerat ad Collegii institutionem in oppido de Ognate, habitabat, quae quidem domus in nobili situ illius oppidi fabricata erat, et turrribus duabus et horto ac platea satis insignis erat. Quia tamen uxor Domini Petri Michaëlez de Araoz usufructuaria relicta erat, cum ea transegit P. Antonius Araoz, Provincialis Hispaniae, ut domum nostris habitandam relinqueret; de bonis etiam ad dotationem relictis agi coeptum est; sed habitatio hujus novi Collegii statim post adventum Ducis Gandiae cum ipso P. Araoz et sociis inchoata est [1].

273. Non est autem visum expedire ut toto mense Aprili Dux Gandiae titulum et ducatum relinqueret, quia de suscipiendis ordinibus agebatur, quos ut extra tempora tribus dominicis vel festis diebus posset suscipere P. Ignatius a Summo Pontifice impetraverat. Interim Ducem homines eum compellabant, quamvis facile omnibus innotesceret quod postea consecutum est, quod summam aedificationem praebebat, et multi commoti hoc ipso exemplo ad meliora et saluti viciniora fuerunt, et hoc tam in ognatensibus, inter quos erat Comitis ognatensis filius, Dominus Enechus de Ghevara, qui cum populi magistratibus omnem suam operam Ducis obsequio obtulerat, quam in aliis ad quos fama Ducis pervenerat et eorum, qui ipsum comitabantur, bonus odor. Concionabatur etiam P. Provincialis Araoz cum magna ejus populi et frequentia et commotione; ipse tamen, sicut et Dux Gandiae, in abstinentia et corporis castigatione modum excedere videbantur, et in tempore quod diu noctuque contemplationi Dux tribuebat; sed utrique providit P. Ignatius, aliis curam ipsorum committendo [2].

274. Antequam ex Urbe Dux Gandiae recederet, de animi sui proposito Imperatorem Carolum V, ac Principem Hispania-

[1] **Ignatius Duci Gandiae, Simonem Rodericium Roma profectum, Ludovico de Mendoza comite, qui in oppido Ognate apud Ducem divertet, 11 Martii; Polancus, *ex com.*, Domino Ludovico de Mendoza, de iis quae Ignatii nomine et in favorem Societatis agere eum in Hispania oportet, 1 Maii.**

[2] **Ignatius Joanni de Borja, de quibusdam negotiis Romae ab ipso inchoatis et praecipue de Collegio Romano, 1 Martii; idem Duci Gandiae de iisdem negotiis, eadem die; Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, de Ognatensi domo, eadem die.**

Digitized by Google

rum Philippum per litteras certiorem fecerat. Quaedam etiam ipsi Imperatori supplicaverat in Societatis et aliorum favorem. Respondit Imperator, cum esset Augustae, die decima Martii[1] hujus anni 1551, gratias agens quod illi communicasset hanc animi sui deliberationem circa ingressum Societatis Jesu, et eam valde probavit et suffragium orationum et sacrorum, quod a Duce offerebatur magni se facere significavit; et quia facultatem petebat ab eo Dux ad exsequendum quod supererat, eam illi perlibenter concessit, ac domus et filiorum ejus se memoriam habiturum ac favore prosecuturum, prout ipsius et Ducissae merita exigebant. Quia vero postulaverat ut quidam reditus mille et ducentorum ducatorum, quos ad vitam Ducis Imperator donaverat, ad quinque annos post professionem expressam ac publicam posset percipere ad pios quosdam usus, id etiam libenter concessit, et litteras regias ejus concessionis dedit. Societatem autem Jesu se favore prosecuturum, tum quod ad Dei honorem id esset, tum in gratiam ipsius Ducis recepit. Princeps etiam Philippus, qui Augustae cum patre suo eodem tempore versabatur, suis litteris 21 Februarii datis probat Ducis deliberationem ut ad Dei gloriam futuram, et gratias etiam agit quod cum eo negotium hoc communicasset. Ratio, quae Ducem movit ad reditus illos in quinque annos sequentes postulandos, illa fuit, ut hoc subsidii Collegio romano daret; et ita eidem, dum poterat disponere de rebus suis, id est, antequam exspiraret tempus administrationis bonorum temporalium a Paulo III concessum, applicavit. Haec autem mens Ducis erat ut reditus ex his sex millibus ducatorum emerentur, qui aedificandae ecclesiae et deinde Collegio juvando impenderentur, cum tamen omnia P. Ignatii arbitrio relinqueret et scholasticorum Collegii romani numerus et sumptus crescerent in dies, visum est eidem P. Ignatio, prout recuperabantur, ad sustentationem eorumdem collegialium hanc pecuniarum summam esse convertendam; et ita effectum est[2].

275. Mense Maio Dux Gandiae, acceptis ab Imperatore lit-

[1] Februarii. Vide not. seq.

[2] Litteras Ducis Gandiae Imperatori datas Romae 15 Januarii, et Imperatoris ad Ducem, Augustae, 12 Februarii, habes in CIENFUEGOS, *Vida de San Francisco de Borja*, l. III, cap. 12 et 13, ubi per errorem datae dicuntur Imperatoris litterae mense Januario.

Digitized by Google

teris, in Ognatensi domo ordines sacros suscepit, barba prius abscissa, et habitu sacerdotali pro more Societatis induto. Ipso festo Sanctissimae Trinitatis primum sacrum celebrare constituerat, nisi P. Ignatii litteras accepisset, quibus ut differret aliquandiu celebrationem primae missae admonuerat; indulgentiam enim aliquam eam audientibus a Summo Pontifice impetrare voluerat, ut majori cum aedificatione sanctissimum illud sacrificium offerre inciperet. Cum etiam podagra pro more antiquo pedem alterum Ducis invasisset, minus difficile fuit aliquot dies exspectare. Prius tamen quam ordines susciperet, ducatum filio suo, Marchioni de Lombay, renunciavit, et omnibus se vestibus antiquis usque ad indusium spoliavit, et in eleemosynam vestes, quibus indueretur, habere voluit; et ita nostri, hic unam partem, ille aliam vestimentorum illi petenti dederunt, et tunc, laeto animo suam ferens podagram, dicebat propter novas divitias paupertatis hunc divitum morbum opportune accedere. Nec solum in illa provincia, sed in curia Hispaniarum et toto regno celebri admodum sermone et cum magna aedificatione ejus paupertas et sanctae exercitationes in ore omnium versabantur. Postquam ad ordines promotus est, statim titulum Ducis et modum loquendi hujusmodi, temporalibus dominis consuetum, commutavit cum communi modo religiosos compellandi; et ita Dominationi Reverentia successit, et nomini Ducis Gandiae Patris Francisci nomen. Nihil enim amplius quam minimi religiosi possidebat ne quidem ex reditibus sui ducatus, quem sine ulla reservatione filio resignaverat [1].

276. Totam hanc aestatem exegit P. Araoz in Provincia Guipuzcoae, non tamen semper in oppido de Ognate, nam aliquando ad proxima ad quaedam pietatis opera et ad concionandum, praesertim Vergaram et Azpeitiam, se conferebat, et Ognatem redibat; et ex ejus concionibus ubique fructus egregius sequebatur [2].

---

[1] Ignatius Duci Gandiae, ut Missam primam, si videatur, non celebret, donec ab ipso Ignatio moneatur, 1 Maii.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, de beneficiis Collegio Ognatensi uniendis, et de moderatione adhibenda in corporis mortificationibus circa somnum praesertim et victum, ne valetudini noceat et impar laboribus fiat, 1 Maii; eidem, ne plus quam semel in mense concionetur, nisi aliud Duci Gandiae videatur, et ut se a medicis circa somnum et victum gubernari sinat, 1 Junii.

Digitized by Google

277. Habitae fuerunt publice disputationes in Collegio Ognatensi ab Episcopo Abulensi instituto, in qua fere trecenti scholastici litteris dabant operam; cum autem P. Franciscus ad eas fuisset invitatus, complures enim religiosi ac docti viri aderant, non id negandum censuit; et tam ipse quam Magister Emmanuel argumentati sunt contra positiones, quae ibi defendebantur, et quidem uterque perdocte eo officio functus est. Ultimo autem P. Franciscus coram omnibus spiritualem exhortationem habuit cum magna aedificatione audientium; et in universum optime de rebus ejus homines sentiebant, immo et Dei dona in illo suspiciebant et reverebantur. Spiritualia exercitia quibusdam cum fructu non modico tradere coepit et familiariter agere cum quibusdam provinciae concionatoribus, ex quibus aliqui ad Societatem accessuri credebantur.

278. In festo D. Petri in oppido de Vergara concionari constituit. Interim autem domi in humilitatis exercitationibus versabatur; omnibus in mensa inserviebat, tam in ferculis apponendis quam in aqua ad lavandas manus infundenda. Ad hospitale etiam ad pauperes consolandos se conferebat, nec ad disputationes, ut coeperat, collegii jam dicti vocatus ire destitit et quidem semper cum magna satisfactione. In oppido de Vergara inter duos nobiles viros inter se dissidentes pacem composuit et utriusque confessionem unus ex nostris sacerdotibus audivit. Inter alios, qui commoti fuerunt in Hispania P. Francisci fama, cum in oppido Ognate versaretur, fuerunt Doctor Hieronymus de Vergara, qui ad eremitorium D. Magdalenae accedere cupiebat; fuit et Dr. Torres, canonicus Magistralis Ecclesiae Seguntinae, qui cum quibusdam discipulis eo se contulit, et spiritualia exercitia, quae jam Compluti fecerat, renovare sub P. Francisco voluit; et quidam ex ejus discipulis ab eodem ea et omnes cum magno fructu acceperunt. Cum tandem sub Julii finem litteras P. Ignatii cum indulgentia a Summo Pontifice impetrata accepisset, primum Missae sacrificium in domo Loyolae, ad quam peculiari affectu afficiebatur, quod in ea P. Ignatius natus esset, impulsus peculiari quodam desiderio ac devotione prima die Augusti celebravit. Die sequenti in oppido vicino, de Azpeitia dicto, concionatus est; deinde ad Sancti Sebastiani oppidum ipso die Sti. Dominici in monasterio Patrum Praedicatorum concionatus est, et die sequenti Transfigu-

Digitized by Google

rationis P. Provincialis Araoz in maximo templo eodem officio est functus.

279. Cum inde domum redirent ac per oppidum Villae Franchae transirent, tantopere illius populi homines P. Franciscum urserunt, ut subsistere ab itinere debuerit, et spiritualem exhortationem apud eos habere ut eorum pio desiderio satisfieret. In omnibus autem oppidis cum magna humanitate et charitate excipiebatur et cum magnis pietatis et devotionis significationibus; et cum nobiliores primi adessent provinciae gubernatores Tolosae, semper illis adfuit; et in multorum animis semen verbum Dei fructum non mediocrem produxisse intellectum est. Omnes autem hujusmodi conciones cum summa audientium, qui frequentissimi erant, consolatione et commotione fiebant.

280. Ad oppidum Renteriae progrediens spiritualem exhortationem habere, ut populi satisfieret desiderio, debuit; id ipsum praestitit in oppido Ernani; Tolosam autem Guipuzcoae pervenientes prima Dominica Augusti P. Franciscus concionatus est, sequenti die Sti. Laurentii idem praestitit P. Provincialis; et sic demum duodecimo hujus peregrinationis die in oppidum Ognate redierunt. Et quamvis ex praedicationibus fructus egregius sit consecutus, uberior tamen longe fuisset, si concionatores cantabricae linguae, et qui messem colligerent, usum habuissent; nec enim omnes, praesertim foeminae, castellanum idioma callent, quod fere in tota Hispania commune est. Profectus est sub finem Septembris P. Provincialis in Castellam et cum eo Dominus Joannes de Borgia. Substitit autem Ognati P. Franciscus cum P. Michaële Ochioa et tribus aliis fratribus, et tam in Missis quam in aliis humilitatis ministeriis semper P. Franciscus se exercebat.

281. Transivit autem in habitationem eremitorii D. Magdalenae cum omnibus sociis [1] Augusti, unde aliquando aedificationis gratia ad mendicandum in vicinum oppidum de Ognate veniebant, et eleemosynas populus cum admiratione magna ac devotione petentibus deferebat; ne tamen gravaretur, non ab eo omnia quae ad victum erant necessaria petebantur, cum praesertim hospites tam frequentes eremitorium ha-

[1] Ita in mss., die non expresso.

beret, qui exercitiorum gratia et de rebus spiritualibus tractandi ad P. Franciscum veniebant, ut ipse aliquando diceret suum eremitorium in curiam quodammodo ipsi converti. Magistratus oppidi de Ognate eremitorium illud cum suo districtu Societati sine ulla conditione donaverat, ubi fere sexcentos aureos in aedificio P. Franciscus illis mensibus expendit; et tunc nullus in Ognatensi domo mansit, cum uxor defuncti Petri Michaëlez de Araoz in ea vellet habitare, donec ipsius patre, qui aberat, veniente, quae ad ejus usumfructum pertinebant transigerentur. Non emisit hoc anno publicam illam professionem P. Franciscus, a qua quinquennium illud ab Imperatore concessum ad reditus superius dictos percipiendos inchoari debebat.

282. Dux Maquedae, qui Pro-rex erat id temporis Regni Navarrae, cum intellexisset discurrere P. Franciscum per varia hujus provinciae oppida, duobus vel tribus nunciis ad eum missis per litteras rogavit ut ad Navarrae regnum accederet, huic provinciae Guipuzcoae vicinum, ut mutuo adspectu et colloquio fruit possent, et se illi obviam venturum ad medium iter vel quocumque P. Francisco placeret, offerebat. Rescripsit ei P. Franciscus ne se Pampilona removeret, ubi residebat, et eo se venturum recepit; et ita cum P. Michaële et alio fratre in Navarram profectus est. Ipso in itinere in monasterio quodam monialium provinciae Alavae cum magna illarum consolatione et aedificatione concionatus est, et tam expedite in hoc munere versabatur tantaque cum gratia ut non novitius sed veteranus miles videretur et qui jam multos annos praedicationi verbi Dei impendisset.

283. Cum Pampilonam, seu Pompejopolim potius, pervenisset, Pro-rex, missis ad eum quibusdam de domo sua, in palatio eum hospitio excepit cum maxima totius domus suae laetitia. Constituerat P. Franciscus octo dies ibi tantum manere, sed tres hebdomadas haerere ibidem debuit; quo tempore quinquies in cathedrali ecclesia et alio monasterio ordinis Sti. Dominici et in duobus aliis concionatus est, et tantopere civitatem illam Dei verbum commovit, et tanto cum fructu eo munere functus est, ut res admiratione et magna Dei laude digna esset. Summa attentio auditorum erat, et doctrina praedicantis, ut alii referebant, excellens et admodum salutifera, et modus ipse concionandi ac spiritus eximius, libertas autem in suggestu perinde

Digitized by Google

ac si nihil aliud unquam egisset. In visitationibus multorum et familiaribus colloquiis tam Pro-regis quam aliorum nobilium, canonicorum, religiosorum et reliquorum, qui in civitate primas tenebant, multum etiam occupatus fuit. Gratias autem ei civitatis magistratus agebant, et officiose omnia offerebant. Quibusdam etiam spiritualia exercitia proposuit. Ultimo autem die Octobris, cum ex calendario sanctos, quorum memoria in mense Novembri fit, pro more Societatis, Pro-regi ac Ducissae, ejus uxori, ac liberis eorum, ac aliis primariis viris de domo Pro-regis dedisset, tantopere res omnibus placuit ut non parum negotii exhibuerint in his intelligendis, quae praestare debebant in obsequium Sanctorum, qui ipsis obvenerant; alii etiam domestici ad suos Sanctos accipiendos veniebant cum devotione ac simplicitate magna; et sane formam distributionis Sanctorum multi nobiles didicerunt ut ad suas domos transmitterent. Confraternitas etiam fuit ibi instituta ad juramenta evitanda, multis rosaria precatoria donata, instructiones aliis ad orandum et ea, quae ad profectum spiritus pertinent, curanda. Itaque cum magno fructu in domo Pro-regis versatus est. Cum autem ipso die Omnium Sanctorum jubilaei gratia Pompejopoli in cathedrali ecclesia obtineretur, eleemosynam petiit sibi a Pro-rege et aliis tribus de Societate, ac nominatim quamdam monetam, quae ad medium realem ascendebat, quae quatuor sociis, cum pauperes essent, in jubilaeo eleemosynam daturis, satis erat. Haec petitio magnae edificationi Duci Maquedae fuit, et respondit sibi beneficium fieri quod eleemosyna a se peteretur, sed displicere quod tam exiguam peteret, qua de re etiam ad curiam Regis scripsit.

284. Significavit Maquedae Dux optare se Collegium Societatis institui in oppido quodam suae ditionis satis numeroso, scilicet, de Torrigos[1], et domum ad illud offerebat, quae fere duodecim millia ducatorum sumptu erecta erat; aliquos etiam reditus frumenti et pecuniae; et applicationem aliorum ecclesiasticorum redituum se curaturum affirmabat. Sed honestis ex causis P. Ignatio visum non est illud Collegium tunc quidem esse admittendum.

285. Ultimo die, quem ibi exegit P. Franciscus, voluit Pro-

---

[1] Rectius *Torrijos*.

Digitized by Google

rex Sanctissimum Christi Corpus de manu P. Francisci in cathedrali ecclesia sumere, et spiritualibus exercitiis se vacaturum promisit in oppido de Torrigos, quo per tres menses, habita a Rege facultate, ire constituerat; audivit etiam confessionem et ministravit etiam Eucharistiam Regenti Consilii Regni Navarrae, qui consanguineus erat Episcopi Melchioris Cani, alio tamen affectu et quidem maximo Societatem complectebatur [1]. Prior monasterii Sancti Augustini informationem Societatis et exercitiorum ejus a P. Francisco habere exoptavit et accepit cum magna sua aedificatione. Tantundem Prior ordinis Praedicatorum, qui, si habitum Sancti Dominici non habuisset, sequuturum se P. Franciscum affirmabat. Aliqui etiam ex familia Ducis Maquedae omnino eum sequi volebant; sed usque ad reditum suum Pompeiopoli subsistere eos voluit.

286. P. Franciscus invitatus erat ut Victoriam, quae civitas Alavae caput est, concionatum veniret, sed in aliud tempus res est dilata. In alio tamen oppido ejusdem provinciae, nomine Salvatierra, cum magna omnium aedificatione verbum Dei praedicavit, ac deinde in illo monasterio monialium, in quo cum Navarram iret, jam concionatus erat, in redeundo idem praestitit; et ita Ognatem rediit, corpore satis sanus et cum magna animi sui consolatione. Antequam recederet ex hoc oppido ipso die Sti. Michaëlis, erga quem oppidum de Ognate devotionem non vulgarem gerit, et die Dominica sequenti in quodam monasterio monialium ordinis minoris bis concionatus fuerat, cum tanta admiratione hominum ut Spiritum Sanctum per ejus os loqui dicerent. Ad eremitorium Divae Magdalenae confessionis gratia ex oppido vicino homines accedebant, ad quod inhabitandum ipso die Nativitatis B. Virginis nostri migrarunt, quo die mane in oppido de Ognate cum magna satisfactione populi P. Franciscus concionatus erat, et statim sanctissimum Sacramentum in templo eremitorii collocatum est, nam jam ab initio P. Franciscus visitare Sanctissimum Sacramentum saepe orationis gratia solitus erat. Pridie autem Exaltationis Sanctae Crucis, qui dies dominicus erat, a prandio cum magna solemnitate reliquias Sanctorum ab oppido Ognatensi, ubi

[1] Dominus Franciscus Cano et Cordido, Patris Melchioris Cano consobrinus, Consilii Regni Navarrae Regens sive Praeses. (FERMÍN CABALLERO, *Vida de Melchor Cano*, cap. IV, Genealogía, pág. 207.)

Digitized by Google

asservabantur, ad eremitorium Divae Magdalenae delatae fuerunt; multitudo autem eorum, qui processionem hanc comitati sunt, et qui die sequenti ad jubilaeum obtinendum eo venerunt, maxima sane fuit et ad millia nescio quot pervenit; nam etiam ex vicinis oppidis Azpeitia, Azcoitia, Vergara et Mondragon homines convenerant, et ex omnibus oppidis provinciae venturos esse creditur, si in illis jubilaeum hoc fuisset promulgatum, cum summo devotionis affectu P. Franciscum prosequerentur.

287. Comes Montis acuti scripsit P. Francisco ad eum se venire velle ut formam ac modum pie vivendi disceret, ejus enim pater morti proximus ei arcte commendaverat ut omnino ab aliquo de Societate nostra institui se in rebus spiritualibus curaret. Significabat P. Franciscus magnam messem amitti defectu alicujus confessarii, qui cantabricam linguam calleret, ut mulieres, quae castellanam non capiunt, audire posset; nam ipse quidem cum sociis castellanam intelligentes audire poterat, et nullibi tam dispositam messem se vidisse affirmabat.

288. Cum 15 Novembris publicata esset Missa, in qua, qui eam audiebant, a P. Francisco variam indulgentiam a Summo Pontifice concessam consequebantur, et quidem in oppido de Vergara, eo se contulit P. Franciscus pridie ejus diei, nec aliud quam hospitalis hospitium habere voluit. Die autem sequenti Missam celebravit cum ingenti provinciae illius concursu. Communis erat indigenarum sententia tam solemnem diem in illis montibus pyrenaeis visum fuisse nunquam; ultra decem hominum millia ad eam indulgentiam accesserunt Missam illam audientes; processionem autem cum confraternitate Sanctissimi Sacramenti fecit, deducendo sanctissimam Eucharistiam et sua manu eam fere quadringentis communicavit; et quia templum tantam multitudinem capere non poterat, quae etiam a viginti quatuor milliaribus et amplius venerat, concionatus est in ipso campo; deinde ad eremitorium Sanctae Annae perrexerunt, P. Francisco deferente Sanctissimum Sacramentum, ubi suam Missam dixit cum summa consolatione audientium, et archipresbyter provinciae, qui reliquias portaverat, in diaconi officio ei inservivit; deinde cum eadem processione ad templum Sti. Petri rediit et, data benedictione, super mille et ducentos sua manu communicavit, et duas horas fere post meridiem ad

Digitized by Google

hospitale rediit. Nec explicari posset quantam consolationem tota ea provincia acceperit et quam magnus fructus sit consecutus [1].

289. Scribit magistratus et congregatio civitatis P. Ignatio 6.ª die Septembris hujus anni deberi ab universo orbe christiano omne obsequium eidem, quod tantum lucis tam necessario tempore attulerit, sed peculiari ratione provinciam illam montium pyrenaeorum quod tam bonum luciferum et mentium excitatorem in illam miserit, P. Franciscum, olim Gandiae Ducem, et nominatim oppidum de Vergara, ubi significatum fuerat quod residentiam esset facturus; et quamvis in eremitorio B. Magdalenae prope oppidum de Ognate postea suam habitationem elegisset (quod cum magno doloris sensu tulisse se fatentur), hoc se tamen gratiae a Deo accepisse quod decima quinta Novembris Missam apud se dixerit, et jubilaei gratiam eis communicaverit cum magna ejus oppidi et aliorum eo confluentium aedificatione. Et quia oppidum de Vergara et nobile et aliorum ordinum monasteriis destitutum majorem occasionem communis boni praebere potest quam prior illa Ognatensis residentia, rogant P. Ignatium ut admittere velit hospitale quoddam insignis aedificii cum ecclesia, ut, relicta in pauperum usum infima parte, in superiori Collegium instituatur, ubi et grammatica et conscientiae casus doceantur; et agros ac villas quasdam ad Collegialium sustentantionem offerebant; et sic demum ut P. Franciscus apud se residere impetrare nitebantur [2].

290. Dominus etiam de Ozaeta, Beltramus Lopez, cujus domus a Loyolae domo pendebat ex parte, scribit gratias agens Deo et P. Ignatio de eodem adventu P. Francisci, quod pro favore singulari tota ea provincia agnoscebat, et tam singularem provenire fructum ea in regione affirmat, ut vix explicari possit; nihil enim tentare vel aggredi P. Franciscum quod illi non succedat, in his quae ad Dei servitium pertinent; factiones ac seditiones quae prius vigebant, extinctas esse in tota ea pro-

---

[1] Ignatius Duci Gandiae, concessam esse a Summo Pontifice indulgentiam iis omnibus qui Missam, quam primo Dux publice celebravit, audient, 1 Julii. Eodem tempore missae sunt patentes Ignatii litterae ad ipsum Ducem de eadem indulgentia.

[2] Vergarensium litteras ad Ignatium habes in CIENFUEGOS, *Vida de San Francisco de Borja*, lib. IV, cap. 3, § IV.

Digitized by Google

vincia et omnes unius animi esse cum optimo proposito Deo serviendi et salutarem P. Francisci doctrinam sequendi, magnam in affectibus hominum et in conscientiis emendationem cerni; quae omnia, si resideret ibidem P. Franciscus, confirmarentur, cum magno labore in reformationem eorum ac spiritualem salutem incumbat, et cum ei nihil non homines deferant, cum intelligant Deo tam esse conjunctum, adeo ut sit persuasum ipsis per hunc sanctum virum velle Deum salutem ipsis conferre [1].

291. Parochialis etiam ecclesiae pastor, Solis cognomine, subdit 14.ª Decembris neminem esse magnum vel parvum, qui P. Francisco non obediat et tantum reformationis Vergarae cerni ut jam Vergarenses vicinis quodammodo concionari incipiant. Quamvis enim jam recesserat P. Franciscus, populus ad pietatem propensus et vitam christianis dignam relictus est; nam ventitabat ex eremitorio Magdalenae eo et concionabatur cum summa aedificatione et plurimis sacramentum Eucharistiae ministrabat; per varia etiam alia loca discurrebat non solum provinciae Guipuzcoae sed etiam ejus, quae Vizcaia proprio nomine dicitur. Affirmat idem pastor eos, qui christianum vivendi modum ignorabant, illum didicisse et qui mediocriter prius vivebant, sic profecisse ut aliis incipiant concionari; et genibus flexis congregatum oppidum a P. Francisco petebat ut apud se resideret. Sacerdotes non pauci, ad perfectiora excitati, propria relinquere quae possidebant et Deo perfectius servire constituebant. Emendicavit publice eleemosynam ibidem P. Franciscus, sicut in oppido de Ognate fecerat, quae omnia augebant apud populum et admirationem et aedificationem. Non est tamen Collegium oblatum Vergarae a P. Ignatio admissum, cum vix ad Ognatense homines, praesertim ejus linguae, tunc quidem temporis sufficerent. Forte aliquid etiam P. Antonii de Araoz propensioni in hac parte donatum est; quamvis Ognatense Collegium progressum prosperum non habuerit [2].

292. Cum aliquid ad conscientiae suae quietem majorem P. Franciscus expeteret, misit ad eum P. Ignatius subscriptio-

---

[1] Beltrami litterarum excerpta quaedam affert CIENFUEGOS, l. c.
[2] Vide parochi vergarensis ad Ignatium litteras in CIENFUEGOS, l. c.

Digitized by Google

nem suae manus ut super illam in alba charta scriberet quidquid ipsi scribendum videretur ad animi sui consolationem ac satisfactionem; quod mira laetitia P. Franciscum affecit. Manebat autem in eremitorio jam dicto, ubi ad instar Hierosolymitani sepulchri cum mensuris eisdem quas Hierosolymis haberet, locum sibi paravit; quae res ad populi devotionem excitandam non parum effecit.

293. Eo pervenit novus Gandiae Dux, Carolus, ejus filius, simul cum Comite de Rivagorza, sororis P. Francisci filio, qui et confessionem peccatorum ibidem fecerunt et de manu Patris Francisci Sanctissimam Eucharistiam ceperunt; et cum Pater Franciscus de quingentis illis aureis, romano Collegio promissis, filium alloqueretur, se satisfacturum recepit et ut sic Romam scriberet dixit; quamvis non ita postea fuerit exsecutus forte ob aliqua impedimenta, sicut et Dominus Joannes, qui tantumdem promiserat, id temporis impedimentum quoddam ostendit; quod impedimentum vel alia perpetua fuerunt. Venerunt etiam Marchio de Alcagnices et Comes de Lerma, gener P. Francisci, ad eum salutandum; nonnulli etiam religiosi Sancti Hieronymi, qui peractis exercitiis spiritualibus redierunt ad sua. Cum autem ferveret P. Franciscus desiderio proximos juvandi, constituit dominicis diebus suos dividere socios, ut hic in uno ille in alio populo confessionibus et praedicationi darent operam, et sic demum non sine fructu ad eremitorium redibant. Ad frequentiam sacramentorum assuescebant aliquae prae caeteris nobiles foeminae, inter quas fuit Domina de Loyola et de Ceraus [1], et aliae complures in oppido de Ognate, quibus P. Michaël Ochoa in hoc ministerio tam confessionis quam communionis suam operam navabat.

294. Sed idem Pater, gratia sanitatum in illis locis, aucta forte propter fidem illorum populorum, fructum uberem referebat, unde et ipsemet scribit: *caeci videbant, claudi ambulabant,* etc.; nec solum qui febribus laborabant, qui hoc anno plurimi ejus opera liberati sunt, sed non pauci etiam, qui pedes inutiles ad suum officium habebant, a Deo per eumdem sanati fuerunt, inter quos fuerunt qui multum pecuniae in medicos erogaverant, nunc autem per solam confessionem peccatorum

[1] Zarauz?

corpore et animo sani evaserunt. Cum autem Vergaram se P. Michaël conferebat, tanta hominum turba eum aggrediebatur ut vix ad pensum horarum canonicarum persolvendum tempus relinquerent. Inter quosdam paralyticos et alios aegrotantes muta quaedam foemina ad eum est adducta et per ejus benedictionem a Domino sanata loquendi vim recepit. Et a multis milliaribus veniebant ut ab eo per benedictionem curarentur; et scribit P. Michaël se multum illis hominibus debere, quorum fides effecit ut et ipsimet fides augeretur; cum enim in Italia tantum ad febres curandas dono illo Dei uteretur et quidem scriptis quibusdam verbis adhibitis (quod tamen ei me dissuasisse, postquam ab eo curatus essem, admonui), sed in provincia Guipuzcoae, praeter febres, dono illo sanitatis etiam ad claudos et mancos curandos utebatur, nullis scriptis adhibitis, sed juxta illud: ***super aegros manus imponent et bene habebunt***, per solam impositionem manus curabat [1].

DE P. STRADA ET INITIO COLLEGII BURGENSIS

295. Inter alios, qui Roma profecti sunt cum P. Francisco Borgia 4 die Februarii, unus fuit P. Franciscus Strada, qui tamen, postulante id Cardinali de Mendoza Episcopo Burgensi, ex obedientia Summi Pontificis ac P. Ignatii in civitatem Burgensem destinatus erat. Postquam ergo in Hispaniam simul omnes pervenerunt, P. Antonius Araoz, Geronam [2], quae Catalauniae civitas est et per litteras aliquem de Societate postulaverat, eum misit, ut postquam aliquos dies ibi exegisset, Burgos proficisceretur, per Barcinonam tamen et Caesaraugustam iter faciens. Perveniens igitur Geronam, ut jurati magistratus P. Ignatio scripserunt, bis quotidie concionari magna cum charitate et aedificatione tam Episcopi quam totius civitatis coepit; et tantopere animos populi commovit ad vitae emendationem ac profectum, ut, si vel idem rediret, vel alius de Societate conciones aliquandiu prosequeretur, magna immutatio ejus civitatis ad omne bonum et ad Dei gloriam esset speranda. Unde illi petere

---

[1] Vide supra, t. 1, num. 232, pag. 269.
[2] Sic; rectius *Gerundam*.

Digitized by Google

et pulsare coeperunt ut aliqui in Patris Strada locum mitteretur, qui cum vellet Gerona recedere, Episcopus cum quodam ex rectoribus urbis ad eum venientes, aliquot dies ut ibidem remaneret impetraverunt; et cum magno proventu spiritualis fructus inde recedens, Barcinonam sub tempus sanctae hebdomadae perrexit, et quotidie concionari incipiens usque ad ultimum paschae diem perseveravit, quo die ter concionari debuit; et civitas magnopere verbo Dei commota est; et inter alios, qui intime compuncti fuerunt, vir quidam erat, qui moleste ferens filii sui in Societatem nostram ingressum, multum negotii, coram Prorege et aliis, nostris Barcinonensibus exhibuerat; qui magna cum humilitate ad Collegium se conferens, omnibus nostris congregatis veniam ab eo postulavit, suam ignorantiam et inordinatum amorem accusans et se ac omnia sua Societatis obsequio offerens, et filium per litteras ad perseverantiam exhortans [1].

296. Prima die Aprilis Barcinona profectus est versus Caesaraugustam, Regni Aragoniae caput, ubi viginti dies mansit; et de eo scribit P. Franciscus de Rojas, quod cum frequentissimo auditorio et majori cum satisfactione, quam a multis annis visum esset, concionatus erat, quodque tota civitas ut plurimum valde commota erat magnoque desiderio ejus reditum ad concionandum in quadragesima futura exoptabat; et tantus cernebatur hominum erga ipsum affectus tamque dispositi animi ut insignis fructus sperandus esset. Sed nihil magis admiratione dignum fuit quam quod Archiepiscopus, qui se nostris ab initio parum benevolum praebuerat, frequenter Patrem Strada rogavit, ut in cathedrali ecclesia concionaretur, et longe aliter affectum se atque prius ostendebat. Haec civitas, post P. Strada recessum, ejus audiendi desiderio ardens, nuncium ad P. Franciscum Borgiam misit ut ad quadragesimam vel saltem ad adventum P. Strada concionatorem habere possent; at Summi Pontificis auctoritas Burgis eum retinuit.

297. Pervenit Burgensem civitatem octava vel decima die Maii, et, multis ejus urbis locis consideratis, visum est Domino Ferdinando de Mendoza Cardinalis fratri (qui magna cum charitate eum cum socio exceperat) nullum melius ad ipsius et civi-

[1] Les Jurats de Gerona Ignatio, 15 Januarii; Ignatius Juratis Gerundensibus nondum posse quemquam ad eos mittere de Societate, 1 Februarii.

Digitized by Google

tatis commoditatem esse quam Sti. Aegidii celebrem parochiam; et ibidem habitatio ei assignata est. Et quamvis fere in parochiali eodem templo concionaturus esset, visum est tamen Domino Ferdinando in cathedrali ecclesia habendam esse primam concionem, et quidem in ipso die Pentecostes. Cum autem canonicorum ejus ecclesiae capitulum congregatum esset ut sufragiis, pro more suo, concionatorem eligerent, qui in cathedrali suggestu concionaretur, quamvis suffragia secreta essent et variare consuevissent, omnia tamen uniformia in eligendo P. Strada in concionatorem exstiterunt. Quater ergo illis festis concionatus est tanta cum satisfactione et applausu ut quodammodo igneus videretur. Primarii autem civitatis utriusque sexus ad eum confessionis gratia magna cum devotione accedebant, et ex duobus fratribus Cardinalis de Mendoza, alter confessus est, alter ut confessionem suam generalem audiret postulavit; canonici praeterea et ex dignitatibus praecipui in cathedrali ecclesia accensi bonis desideriis et valde commoti erant, et expetebant ab illo ut conciones in summo templo prosequeretur; sed cum ille commodius apud S. Aegidium id faceret, ibidem eum invisebant, et spiritualia exercitia accipere nonnulli optabant. Invisebant et eum multi viri nobiles, et omnia felicia Cardinali precabantur, quod P. Stradam in eam civitatem mittendum curasset.

298. Cum antequam Roma recederet, quomodo agendum illi esset cum patre meo et aliis consanguineis, qui nullo modo vocationi meae acquiescere velle videbantur, exquireret, hoc illi fuit consilii datum a P. Ignatio ut sollicitus de illis non esset, sed aedificationi civitatis daret operam; et successit consilium; cum enim ipse non adiret eos, qui tamen ejus concionibus intererant et illis valde emolliti fuerant, frater natu major cum alio ejusdem generis P. Stradam adivit et amanter cum eo egerunt suam operam offerentes; et cum fratrem admoneret ac reprehenderet amanter quod tam diu restitissent, et illud evangelii dictum ostendisset quod *inimici hominis domestici ejus*, responderunt sibi successum Societatis gratissimum esse quodque talem non sperabant, nec quidquam in votis sibi magis esse quam ut magnos progressus in posterum Societas faceret. Opportune autem et facete illis respondit P. Strada: parum debet Deus his vestris desideriis, quae propter vestrum potius

quam propter Dei honorem vos habere intelligo. Denique humiles ac benevolos hac ratione dimisit; et quamvis invitatus ab eis, nec invisere parentes nec concionari in eorum parochia tunc quidem admisit, quia sic illi injunctum erat [1].

299. Erat autem tantus confitentium et quidem primariorum concursus, ut eo die quo concionaturus erat aliquando tres et quatuor prius audiret quam ad suggestum ascenderet; et prorsus magnum ostium apertum ad Dei obsequium in ea civitate invenit. Aliquando in monasterio fratrum S.ti Augustini, ac in monasterio Mercedis (quod ad ea processio corporis Christi se conferret) concionatus est. Nullum fere templum erat, quod auditorum frequentia exiguum facere non videretur; de vitae reformatione et frequenti usu confessionis et communionis multi serio agebant; ad consilia petenda multi etiam accedebant; et quamvis socio Sacerdote prorsus indigeret nec tam uberi messi posset ipse satisfacere, tamen penuria sacerdotum effecit ut P. Provincialis toto fere hoc anno socium Sacerdotem non miserit. Vires tamen augebat in eo divina bonitas, et ad labores animabat insolitus fructus ex verbi Dei ac Sacramentorum ministerio procedens, et quae de ipso circumferebantur a multis, vix modestia dicere permittit, quale illud erat, omnibus quos viderant praedicatoribus eum praeferre et similia.

300. Duos Sacerdotes et deinde totidem alios ad Societatem petendam incensos non admisit, quod doctrina sufficiente praediti non viderentur, praeter unum, quem ad Provincialem ut admitteretur transmisit, qui parochus erat ejusdem ecclesiae S.ti Aegidii. Auditores habebat religiosos diversorum ordinum, praesertim quamdiu processiones Corporis Christi durarunt, et magnam illi benevolentiam exhibebant. In monasteriis etiam monialium S. Ildefonsi, et Sanctae Dorotheae, et quas *Huelgas* vocant, concionatus est; et in ultimo, in quo nobilissimae ex variis provinciis mulieres admittuntur, multi ex civibus interfuerunt. Ex monasterio carthusianorum, Miraflores dicto, et monachorum S.ti Benedicti ac S.ti Francisci urgebant ut in suis templis concionaretur; sed ordinis Praedicatorum religiosi,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Strada, Ignatium approbare quae cum consanguineis ipsius Polanci Burgis gessit, et ut videat in quibus possit eos juvare, 1 Julii.

Digitized by Google

cum festum aliquod in monasterio D. Pauli celebrabant, rogabant eum ne in suo templo Divi Aegidii praedicaret, ut auditores ejus ad eos convenirent, et sic aliquando in eorum gratiam abstinuit [1].

301. Quatuor canonici exercitia spiritualia petebant, et cum eisdem extra urbem recessit; et cum primae hebdomadae meditationes absolvissent, ac generalem vitae confessionem fecissent, in civitatem redierunt, ubi vitae exemplo multum aedificationis praestiterunt.

302. Cum existimaretur ad magnum Dei honorem et animarum profectum fore si Collegium aliquod vel domus Societatis Burgis institueretur, agi de illa coeptum est, et statim Dominus Ferdinandus de Mendoza, Cardinalis frater, ad singulos annos non multo minus quam ducentos aureos, partim in pecunia numerata, partim in frumento emisit; alii etiam addiderunt in singulos annos alias pecuniarum et frumenti summas, inter quos fuit Dominus Benedictus Uguccionius; et hujusmodi esse civitas videbatur ut de eleemosynis ad victum Collegii necessariis dubitandum non esset quin abunde suppeterentur. Et ita inchoandum esse Collegium P. Francisco Strada videbatur; et cum P. Provincialis, ex provincia Guipuzcoae in Castellam veniens, Burgis transiret (cui nota jam erat P. Ignatii voluntas), constituit ut domus quaedam emeretur, et se aliquos fratres missurum, ut illud Collegium inchoarent, promisit. Cum autem Collegium illud, quod ea in civitate Comestabilis aedificabat, ut exsecutor testamenti Episcopi Burgensis, Domini Petri Gonzalez, valde appositum Societatis instituto videretur, quod et ipsis Burgensibus videbatur, expedire judicabat ut Maquedae Dux, Comestabili consanguinitate et amicitia conjunctus, id ei persuadere curaret; ipse autem P. Franciscus, cum Pompejopolim se contulit, ubi Dux Maquedae, Regni Navarrae Pro-rex, versabatur, hoc officio functus est, et jam tunc de illo Collegio Societati applicando agi coeptum est. Offerebatur quoddam hospitale Patri Strada, quod Imperatoris dicebatur; sed quia procul erat a frequentia urbis, non illud admisit [2].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Francisco de Strada, ut in admittendis ad Societatem consilium exquirat et sequatur Provincialis, et, si Cardinalis Burgensis fratribus non displiceat, conciones suas in urbe potius quam in monasteriis extra urbem habeat, 1 Julii.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Strada, de fundatione Collegii Burgensis,

Digitized by Google

303. In oppido Belorado, novem leucis a civitate Burgensi distante, Comitissa de Osorno, quae ibi cum Ducissa de Frias, Comestabilis uxore, versabatur, binis litteris a P. Strada contendit ut eo se conferret; ubi perhumaniter a Ducissa et Comitissa praedictis exceptus est, et cum de spiritualibus rebus diu locuti essent, sequenti die confessionem Comitissae audivit ac duorum filiorum Comitis Osorni, quos ex alia uxore susceperat, ac filiam ejusdem nubilem. Multarum etiam matronarum et virginum Ducissae et Comitissae confessiones audivit, inter quas una virginitatis votum, cum communicaret, emisit. Ipso autem die Omnium Sanctorum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum illis exhibuit; ac eodem die bis concionatus est, mane in palatio, et post meridiem in quodam monasterio monialium, id postulante Ducissa, quae duas sorores religiosas ibi habebat. Postridie Ducissa de Societatis rebus informari voluit; quod cum diligenter P. Strada ab initio Societatis inchoando fecisset, abunde ei satisfecit; et cum de Collegiis Societatis idem ageret, unum se scire dixit Ducissa quod Societati valde conveniret; et suggessit illud esse, quod Burgis a Comestabili aedificabatur; et satis significabat, si in ipsius arbitrio situm esset, illud Societati se applicaturam. Recessit tandem ut Burgos rediret; sed prius petenti Comitissae ut singulis mensibus rediret, socium, quem se habiturum putabat, sacerdotem, se ad earum confessiones audiendas missurum recepit, qui tamen nondum missus erat ad eum sed in dies sperabatur. Qua die autem Burgos rediit, in febrim incidit, cum labor itineris et nebula ei nocuissent; sed post aliquos dies sanus conciones resumpsit.

304. Cum autem mense Decembri Comestabilis per Burgensem civitatem alio transiret, quidam amicitia ei conjunctus de illo Collegio Societati assignando aliquid suggessit, cui respondit Comestabilis se libenter id facturum, si contra voluntatem Episcopi testatoris id non censeretur; sed qui ejus erant conscii nulla ratione magis eam compleri affirmabant; et ita

---

de Joanne Victoria, magistri Joannis de Victoria patre, et ne in superscriptione litterarum dum ad Ignatium aut alium de Societate scribit, áddat verbum: *professum*, 1 Junii; eidem, ut in erigendo Burgis Societatis Collegio modum tenere curet, quem tenuit Salmeron Neapoli, et videat an sint qui beneficia simplicia Collegio unire velint, et quid fieri oporteat ut Comestabilis Collegium Societati applicetur, et tandem quid cum Domino Francisco de Miranda, Abbate de Salas, in negotio hoc Collegii Burgis erigendi sit actum, 1 Julii.

Digitized by Google

P. Strada ad Cardinalem Burgensem scripsit ut tanquam rem ecclesiae suae valde convenientem Comiti Stabili commendaret.

305. Praeter solitas concionum et confessionum occupationes tempore Adventus etiam post meridiem coepit concionari, et tam matutinam quam pomeridianam concionem avidissime et magna cum frequentia homines audiebant.

306. In monasterio superius nominato *de las Huelgas* concionatus est P. Strada, cum Dominus Ferdinandus de Mendoza id multum postulasset, ut importunis quodammodo ipse precibus rogatus erat. In natalitiis autem festis, sequenti die post commemorationem Innocentium, tanta vis lacrymarum et commotionis animorum in nobilissimis illis monialibus fuit, ut cum post prandium priorissam monasterii, rogatus ab eadem, inviseret, tam ipsa priorissa quam reliquae moniales tam cubiculorum quam arcarum suarum claves ei obtulerint, ut reformaret et auferret quidquid superfluum invenisset de rebus omnibus, quas habebant, et ut sibi adhuc in octava Epiphaniae concionaretur instanter postularunt.

307. Christianam doctrinam pomeridianis horis explicare coepit, ab oratione dominica inchoando; et tandem sub initium anni sequentis P. Ferdinandus del Aguila cum socio ad suppetias ei ferendas accessit.

DE COLLEGIO VALLISOLETANO

308. Sex vel septem de Societate nostra in Collegio Vallisoletano hoc anno residebant, ex quibus initio tres, deinde quatuor, sacerdotes fuerunt; quorum caput P. Joannes Gonzalez fuit. Eorum occupationes potius domorum professarum quam Collegiorum erant; dabant enim operam confessionibus, quas multas et magno cum fructu audiebant; et tam homines plebeii quam nobiles et illustres eorum opera perlibenter in hoc ministerio utebantur; quibusdam tamen occasionibus, ut jubilaei et praecipuorum festorum anni, sic crescebat hominum confluentium multitudo ut vix duodecim confessarii eis satisfacere potuissent; et accidebat decem continuis horis confessarium ex sede sua non surgere. Toto tamen anno satis eis negotii exhibebant

Digitized by Google

poenitentes, cum cognitio Societatis et hominum erga ipsam devotio in dies augeretur.

309. Aliqui in Societatem admitti optabant, qui facile nostrorum numerum auxissent; sed tam erat angusta nostrorum in hoc loco, habitatio, ut cum tam pauci essent, binos tamen lectulos cubiculum unum haberet; nec deerat populi propensio ad plures sustentandos nec etiam ad domum ipsam augendam, sed situs erat perexiguus et domibus locupletum hominum vallatus, ut augeri difficile posset; aliquot tamen cubicula hoc anno sunt addita. Et quamvis in pervetusto aedificio, consulebantur ab omnis generis et conditionis hominibus de rebus ad animarum salutem pertinentibus; accersebantur etiam crebro ad eos, qui morti vicini erant, adjuvandos et aliorum aegrotantium confessiones audiendas, nec ulla tam incommoda erat hora, in qua suam operam die noctuque petentibus denegarent; et cum fructu hae et aliae pietatis functiones exercebantur. Cum toto fere anno P. Provincialis absens fuerit, missis Roma litteris, quibus ea quae per nostros a Domino gerebantur intelligebant, in magna animi consolatione continebantur. Litterae etiam apostolicae, et aliae gratiae a Summo Pontifice obtentae eos et recreabant et animabant in Domino; et fructus tam eorum, qui in festis jam dictis, quam qui crebro ad sacramenta accedebant, et studium orationis mentalis, cui horam unam mane et aliam integram a prandio impendebant, eos et laetos et ad Dei gratiam excipiendam aptos et ad proximos juvandos alacres efficiebat [1].

310. Custodias publicas visitabant et ibi detentos per confessionis Sacramentum expiabant; et eos, qui capite mulctandi erant, animabant, eisque assistebant, cum ad supplicium ducerentur, et ad bene moriendum sedulo juvabant. Haec profestis diebus fere praestabant, ut in templo suo diebus festis confluentibus ad sacramenta excipienda ipsorum opera non deesset. Methymnam Campi quidam ex his sacerdotibus, ut satisfieret piis desideriis quorumdam, quibus id debebatur, et pietatis operibus vacaret, se contulit.

311. Die penultima Julii sanctissimum Eucharistiae sacramentum cum consensu fere omnium, qui prius impedierant,

[1] Missa sunt Joanni Gonzalez Vallisoletum similia iis, de quibus infra sub num. 330.

Digitized by Google

magna cum solemnitate repositum domi nostrae est, multis tam sacerdotibus quam laicis certatim et templum et domum nostram ornantibus ut solemnius hoc opus transigeretur; ipse autem Dominus Joannes Poggius, Nuncius apostolicus et de Societate optime meritus, Missam in templo nostro celebravit.

312. Reditus nulli erant id temporis, sed res necessariae nihilominus abundanter ex eleemosynis offerebantur.

313. Ad hospitalia aegrotantium, ubi major necessitas id exigebat, se conferebant, et ibi decumbentium confessiones audiebant et pauperum consolationi dabant operam.

314. Multi Societatis homines, immo et domos, expetebant, et ut obtinerent nostros urgebant, habitationem et omnia necessaria offerentes. Inter hos Episcopus quidam novae Hispania, dioecesis Mechoacan, quandocumque in nostros incidebat, instanter aliquos de Societate sibi dari postulabat, et messem uberem in summa spiritualium operariorum penuria obtendens et omnia necessaria offerens; sed nondum ea missio maturuerat.

315. Comes de Salinas instabat etiam ut aliqui de Societate sibi donarentur ut cuidam oppido suo subveniret, a quo per aliquot leucas monasteria religiosorum distabant, unde magnam doctrinae penuriam patiebatur. Pro Asturica etiam prope Sturias et pro Villafranca Marchio illius, Pro-regis neapolitani primogenitus, nostros expetebat, et ad fundationem Collegii omnia necessaria offerebat. Marchio etiam de Tavara et alii domini pro suis subditis hoc auxilium petebant, sed quibus minime satisfacere Societas poterat.

316. Cum curia Madridium se transferret, quae diu Vallisoleti fuerat, multi aegre translationem hanc ferebant, quod ibi nulli de Societate residerent, et Complutum, sex leucis Matrito distans, ire ad nostros quaerendos proponebant.

317. Concionabatur aliquis ex nostris in quodam hospitali, cujus auditores non parum pauperum ibi decumbentium subventioni conferebant, cum nostri et non solum audiendis eorum confessionibus vacarent, et ministros hospitalis ad suum officium faciendum hortarentur, sed auditores etiam ad hoc opus misericordiae excitarent; unde accidebat ut aliqui, qui satis delicate domi suae vixerant, divino se obsequio in pauperum aegrotantium ministerio dedicarent, magna cum humilitate et diligentia pauperibus serviendo et necessaria illis quaerendo.

Digitized by Google

318. Cum mulier quaedam primaria ultimo supplicio afficienda esset, ut adultera, postquam ejus confessionem P. Gonzalez audivisset, antequam ad supplicium deduceretur, cum ejus marito curavit ut vitam illi condonaret, dummodo monasterium ingrederetur, ut ibi perpetuo viveret; et ita cum jam jam ex carcere educenda esset, a morte hac ratione erepta est.

319. Non parum aedificationis praebebat quod tam pauci tam multis pietatis operibus et cum tam multis hominum generibus sese possent impendere; et quod optime de nostris Senatus sentiret, indicio esse potest, quod, cum de rebus magni momenti ad totius Regni utilitatem acturi essent, antequam congregarentur, ad nostram ecclesiam Missam audituri et se Deo commendaturi accesserunt.

320. Cum P. Provincialis Araoz Vallisoletum Octobri mense venisset, et triduum haerere vellet, tres fere hebdomadas ibi manere coactus est, ut spiritualium amicorum devotioni ac variis piis operibus satisfaceret. Inter alios die Sancti Simonis et Judae venerunt ad Collegium nostrum fratres Joannes de Vivero et frater Joannes de la Pegna, qui eumdem Provincialem, nomine Collegii S.ti Pauli, ordinis Praedicatorum, ad prandium invitarent. Unde non parum utilitatis consecutum est, cum ex his quae tunc tractarunt et ex litteris apostolicis nostrae Societatis, quas videre postridie cupierunt, bene admodum affecti erga Societatem in posterum exstiterunt, quod contra oppugnationem aliorum, etiam ejusdem ordinis, non contemnendum propugnaculum Societati fuit. Quamvis autem Vallisoleto curia regia recessisset, magna tamen frequentia ad nostros confluentium proinde non cessavit. Pax inter discordes non paucos curata est et demum in eo, licet exiguo, Collegio non exiguus fructus hoc anno perceptus est.

DE COLLEGIO SALMANTICENSI

ET INITIO METHYMNENSIS

321. Primis mensibus hujus anni tam Doctor Torres quam alii Salmanticensis Collegii operarii partim studiis operam dederunt, partim Societatis ministeriis in eadem civitate exercen-

Digitized by Google

dis. In spiritualibus exercitiis multi et praeclaris ingeniis ac dotibus praediti scholastici exculti fuerunt, ex quibus nonnulli in Societatem admissi sunt, alii propter angustias nostri Collegii in habitatione ac rebus temporalibus, quamvis ad nostrum institutum fuissent propensi, ad alias tamen religiones se contulerunt. Inter admissos tres sacerdotes fuerunt, quorum duo theologiae cursum ad finem perduxerant; tertius tres annos theologiae dederat operam. Ex his duo publice Salmanticae concionabantur. Alius etiam Collegialis primarii Collegii Salmanticensis erat, qui philosophiae cursus erat emensus. Licenciatus etiam in medicina, Martinus Gutierrez, theologiam hoc ipso anno, postquam Societatem ingressus esset, audire coepit [1].

322. Nec deerant domi praeter spirituales etiam scholasticae concertationes; nam disputationis gratia singulis hebdomadis aliquis positiones sustinebat, contra quem reliqui disputabant [2].

323. P. Doctor Torres hac quadragesima in parochiali ecclesia Sti. Benedicti concionatus est, ubi multi nobiles et scholastici eum audiebant et ad singulas conciones auditorium frequentius reddebatur, et attentissime eum audiebant; post Pascha vero parochia D. Martini, quae inter caeteras illius urbis praecipua est, suum suggestum illi obtulit, rogavitque ut provinciam verbi Dei proponendi apud se susciperet, quod ex ejus doctrina multum utilitatis animarum sperabat et divinae gloriae augmentum; quorum piae petitioni non refragatus est, et cum eruditione ac fervore magno id munus obire perrexit. Cum autem in eadem ecclesia quorumdam primorum hominum instituta esset confraternitas ad puellas ac virgines parentibus destitutas in matrimonio collocandas, ipsum Doctorem Torrensem eidem praefici et omnia ipsius consilio dirigi cupierunt, ut vel sic magis civitas excitaretur ad opus ex ejus eleemosynis promovendum quod D. Torrensis hujusmodi insti-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Michaëli de Torres, de fructibus cujusdam beneficii a Cardinali Burgensi, antea Cauriensi, Collegio Salmantino adscripti, 1 Martii; eidem, ut Romam, quos velit, Salmanticae admissos et exercitatos mittat, 1 Maii.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Michaëli de Torres, de inscribendis nostris scholasticis et magistris in Universitatis albo *(matricula)*, ut quid in eo sit commodi quid incommodi distincte explicet, 17 Martii.

Digitized by Google

tuto faveret et ejus auctoritate ac prudentia res transigeretur. Et quidem non detrectavit hoc onus P. Torrensis, donec P. Ignatii sententiam intelligens, qui nolebat ipsum nec alios ex nostris similibus confraternitatibus admisceri, quamvis eisdem faverent, hoc oneris deposuit; ita tamen ut quotiescumque puellarum hujusmodi nuptiae celebrarentur, concionem ipse, quae ad rem faceret, habiturus esset.

324. Concionatus etiam est in eadem quadragesima P. Baptista Sanchez diebus mercurii et veneris in alia parochia juxta scholas Universitatis sita et frequens admodum auditorum concursus, tam civium quam scholasticorum, tam nobilium quam plebejorum in eo audiendo perseveravit; et ut magno cum fervore ac devotione id praestabat, ita et fructus uberrimus est consecutus; quod testatae sunt confessiones plurimae, quibus septem sacerdotes nostri audiendis cum vacarent, satisfacere tamen omnibus minime poterant, licet paucissimas mulieres admitterent, quia messis scholasticorum ut majoris momenti praeferenda videbatur. Ab eo autem tempore multi singulis dominicis diebus confiteri ac communicare apud nostros coeperunt, quibus expediendis aegre admodum quinque Sacerdotes sufficere poterant. Compensabant autem nonnulli hac crebra confessione tarditatem, qua usi fuerant tribus aut quatuor annis a confessione abstinendo; et haud dubie messis uberior recollecta fuisset si horrei angustiae permisissent; nam sacellum domesticum et ipsa domus satis angusta erant.

325. P. Baptista his etiam concionabatur, qui carcere inclusi detinebantur, quorum confessiones alii ex nostris audierunt, et eosdem visitandi et consolandi curam susceperunt; et si quid gravius accidisset, statim P. Torrensis evocabatur, et cum quidam ob grave facinus comburendus esset, nec posset P. Torrensis ad eum accedere propter corporis adversam valetudinem, alium ex nostris suo loco misit, qui ejus audita confessione et anima Deo commendata per Missae sacrificium, semper illi adfuit usque ad ultimum supplicium cum socio, et animum ejus erigebant et devotione accendere erga suum Creatorem ac Reparatorem curabant; et sic ille Dei gratiam excepit, ut summae admirationi conformitas voluntatis ejus cum divina et fervens in Deum affectus omnibus spectantibus fuerit, adeo ut affirmarent a multis annis tantam animi con-

Digitized by Google

stantiam ac fortitudinem in homine, qui tali in articulo constitutus esset, visam non fuisse.

326. Nulli fere ex fratribus piarum occupationum occasio deerat; alii enim moribundis assistebant, ad eos juvandos evocati, alii graves injurias condonari et discordes animos aliquorum reconciliari, et inimicitias graves extingui curaverunt et per Dei gratiam obtinuerunt, alii consiliis et colloquiis spiritualibus scrupulos et dubia hominum eximebant et spiritualem profectum eorum, quibuscum versabantur, promovebant. Et mirum est quanto dilectionis affectu nostrorum opera adjuvari etiam in spiritualibus exercitiis optarent. Salmanticensis Episcopus omnem benevolentiam ostendebat, operam suam et auxilium officiose offerens; praetor etiam civitatis et cancellarius Universitatis singulari affectu nostros prosequebantur, quem in utilitatem reipublicae convertere nostri studebant. Nam a sic affectis, quae ad commune bonum proponebant, facilius obtinebant. Populus etiam fere totus nostrum Collegium venerabatur et magni faciebat, unde frequentia, de qua diximus, praesertim in festis majoribus tanta erat, ut non possent multi nostris confiteri, qui tamen satis diligenter huic pio labori dabant operam. Cernebatur autem insignis eorum profectus, qui in frequenti usu Sacramentorum perseverabant. Qui morientibus assistebant, de circumstantibus etiam benemereri non frustra conabantur.

327. Et ut de quodam inter caeteros dicatur, cum ex primoribus civitatis quidam in extremis laboraret, P. Torrensis accersitus animum ei addere et contra tentationes daemonis armare diligenter studebat; aderant ei nobiles plerique et multorum ordinum monachi, sed cum illi vel sua modestia vel ab aliis admoniti conticuissent, P. Torrensis magno charitatis igne succensus morientem cohortari, ad aurem clamare aliquando, et adversus tela daemonis arma suggerere, et demum consolari et animare, et circumstantes partim admonere partim terrere per quinque horas continuas perseveravit cum praesentium admiratione, adeo ut complures dies vocem pristinam ob raucedinem recuperare vix potuerit. Perutilem esse civitati Collegii illius operam prae caeteris dum homines affirmabant, suam in eo benevolentiam ostendebant. Tam consuetum erat nostris eos, qui in carcere detinebantur, consolari et confessionibus juvare ut etiam in consuetudinem versum esset, quando aliquis ex-

Digitized by Google

tremo supplicio afficiendus erat, ut nostri vocarentur, quo et confessiones damnatorum audirent et ad locum usque supplicii comitarentur et ad bene moriendum disponerent. In judiciis etiam tam saecularibus quam ecclesiasticis maxima Doctoris Torrensis et Collegii ratio habebatur. Cum de interdictis, quae ibi plurima sunt, et de similibus rebus inter se dissident magistratus, Patris tandem libenter arbitrio se submittunt.

328. Ex nostris Sacerdotibus quidam diligenter curarunt ut uxores aliquae a suis viris repudiatae in concordiam pacemque domesticam redirent, quod, Deo juvante, obtinuerunt. Etiam illi, qui non bene affecti erga nostros erant, profectum spiritualem eorum, qui ad nostros accedebant, magnum esse non negabant; et religiones aliae bonis novitiis, qui apud nostros profecerant, auctae fuerunt.

329. Mense Februario rediit P. Torres ex oppido de Oropesa, ubi cum Comite et aliis nobilibus aliquandiu egerat, inter quos erat Dominus Antonius de Cordoba, et vix avelli ab eis potuerat. Aegrotaverat Dominus Antonius, qui erga Societatem in dies magis afficiebatur nec quidquam ei gratius accidebat quam cum sermo de Societate fiebat. Exoptabat Comes ille, vir non magis sanguinis quam animi nobilitate insignis, Collegium aliquod Oropesae institui, sicut et Domina Marchionissa de Pliego, mater Domini Antonii de Cordoba, de Collegio Montillae instituendo sollicita erat; et de utroque cum egisset P. Torrensis et in spiritu illustres illos viros consolatus esset, Salmanticam redierat, ubi, ut superius dictum est, concionibus vacavit ac pietatis operibus.

330. Sub mensem Maii visum est Patribus Complutensibus ejus operam Toleti apud Archiepiscopum necessariam esse, quia exagitare complutenses coeperat. Unde Toletum se contulit; et quamvis exceptus humaniter ab Archiepiscopo fuerit, re tamen infecta propter quam venerat, rediit. Prius tamen cum quibusdam Toleti egit valde ad Societatem fovendam propensis, inter quos unus erat mercator, Doctoris Baptistae frater, qui duo millia ducatorum ad emendam domum, si Toletum venirent, offerebat. Alius etiam locuples mercator ad alendos triginta ex nostris suis expensis se obtulit [1].

[1] Missa sunt Roma Patri Michaëli de Torres Salmanticam, ut iis contra Societatis adversarios uti valeat, trassumpta authentica tum Bullae confirmationis Societatis a

Digitized by Google

331. Cum autem Abula in redeundo transiret, abulensis Episcopus magnum erga Societatem affectum prae se ferens, simul cum aliis primariis viris P. Torrensem, cui adjunctus erat comes P. Ferdinandus Alvarez, urgebant ut aliqui de Societate ad domum Abulae inchoandam mitterentur, quibus et domum et alia necessaria se prospecturos recipiebant. Idem Episcopus, qui praeses erat Consilii vel Senatus Granatensis, hortatus est eosdem ad aliquot ex nostris Granatam transmittendos; magnam enim ibi messem inventuros judicabat, et, si eo se conferrent, omnem suam operam ac favorem pollicebatur. Torrensis autem haec se cum Provinciali collaturum dicens ab eis se expedivit [1].

332. In itinere etiam in Marchionem de Villena incidit, qui de rebus Societatis informari cupiebat, et ita a P. Torrensi ei satisfactum est, ut affectus quam maxime erga Societatem relictus fuerit. Inter magnos Hispaniae proceres hic Marchio censebatur. Salmanticam rediens, aliquandiu ibi P. Torres substitit. Non omittam quamdam ex domesticis exercitationibus, qua ibi ad abnegationem propriae voluntatis et profectum spiritus utebantur. Uno die uni, alio alii, solebant ab omnibus quaecumque in ipso displicebant et emendatione indigere videbantur, ad ipsius profectum et aliorum aedificationem exposcere; quas ille (cui publice dicebantur) sindicationes scribebat, et diligenter legebat, ut emendationem curaret. In die autem ei Sancto dedicato, qui cuique eo mense protector venerat, concionari in refectorio solebat. Dominicis diebus ad spiritualem collationem accedentes fratres de remediis ad passiones vincendas et mediis ad virtutes acquirendas agebant.

333. Cum P. Miron Salmantica versus Portugalliam transiret, puerum quemdam ibi reliquit duodecim annos cum dimidio natum, quem Valentiae in Societatem admiserat et in Portugalliam deducebat; et quia oculi alterius morbo laborabat, ibi relictus est, Nicolaus Gracida nomine, in latinis litteris ac rheto-

---

Julio III factae, tum gratiarum seu privilegiorum ab ipso Julio III Societati concessorum. Ea comitabatur longa Polanci epistola, in qua Apostolicas litteras earumque usum fuse declarat, 1 Januarii.

[1] Ignatius scholarum praefecto (Maestrescuela) in cathedrali ecclesia Abulensi ne bono sui nepotis Alphonsi de Henao desiderio impedimenta ponat, 19 Maii; ejusdem Ignatii patentes litterae, quibus Alphonsum de Henao scholarem Societatis esse declarat, eadem die.

Digitized by Google

rica egregie tam tenera in aetate versatus et ingenio raro admodum praeditus. Cum quibusdam magistris Salmanticae conferens magnae illis admirationi fuit; cum enim theologicas et arduas illi quaestiones proponerent, claritate ingenii et eloquentia sic respondebat ut omnino supra aetatem haec dona Dei in eo cernerentur; statim autem eos ad perfectionis statum hortabatur, illud evangelicum adducens: *si vis perfectus esse*, etc. Bis in refectorio domi praedicavit de Evangelio illius diei, et cum duas tantum vel tres horas ad concionis praeparationem ei reliquissent, res illis stupenda videbatur, concionis utriusque contextus et Scripturarum testimonia quae adducebat. Pietas autem ac virtus non minor quam ingenium in ipso cernebatur. Is in Portugalliam demum missus est, quamvis conquererentur nostri hispanienses ostium apertum esse ad nostros in Portugalliam mittendos, non autem ad quemquam ex illa educendum.

334. P. Joannes Alvarez, qui postea Joannes Paulus dictus fuit, cum Salmanticae imbecilla esset valetudine, Granatam, quae ipsi patria erat, partim ut vires corporis recuperaret, partim ut Episcopi Abulensis petitioni satisfieret, cum socio missus est. Per Ubedam et Baezam cum iter facerent, aliquos ibi sacerdotes et scholasticos, Patris Avila discipulos, invenerunt, qui valde ad Societatem ineundam erant propensi; inter quos erat Dominus Didacus de Guzman, theologus, Comitis Bailenensis frater, et Gaspar Loarte, theologiae doctor, qui, facultate ab eodem P. Avila accepta, ad Societatem accedere decreverant. Jam tamen illi in pueris docendis et aliis humilibus exercitationibus in proximorum auxilium versabantur; et de instituto Societatis majorem notitiam a P. Joanne Alvarez accipientes, ac praesertim de abnegatione propriae voluntatis, satisfactum illis abunde fuit, et paulo post ad provinciam Guipuzcoae, ubi erat P. Franciscus Borgia, se contulerunt. Concionatus est ibidem P. Joannes Alvarez tanta cum commotione populi ut etiam post meridiem eisdem concionari importunis precibus compulsus debuerit.

335. Granatam demum perveniens statim aliqui urgebant ut concionari inciperet; quod tamen ille se facturum negavit, nisi prius habita ab officiali Archiepiscopi facultate, qua tamen juxta nostra privilegia non indigebat. Adivit ergo officialem vel Vicarium et facultatem, quam a doctore Torrensi habebat, concio-

Digitized by Google

nandi, ei ostendit. Cum autem ille examinandum ad quemdam lectorem theologiae mitteret Joannem Alvarez (dicebat enim se nescire quod generis hominum esset), non existimavit expedire Joannes Alvarez ut se examinandum offerret; dicebat enim se cum socio valetudinis recuperandae gratia non concionandi Granatam venisse. Cum tandem victus multorum desideriis Vicarius *(Provisorem* vocant), qui conciones ejus audire cupiebant, ad id facultatem dedisset, primam ille concionem habuit in platea, ubi maximus mercatorum et aliorum hominum concursus illa in civitate fieri solebat. Admiranda fuit totius civitatis ad ejus praedicationis commotio; de judicio enim egit, et forte eo die magna tempestas praecesserat. Cum deinde urgerent multi ut in ecclesiis concionaretur, id facere coepit, et tanta hominum multitudo ipsum sequebatur ut nullum templum sufficeret, et eis plenis multi redirent, nec quidquam simile visum fuisse Granatae homines affirmabant.

336. Inter alios, qui commoti vehementer fuerunt, ille etiam Doctor ac theologiae praelector fuit, ad quem Vicarius examinandum P. Joannem Alvarez mittebat; qui inter alia quae scripsit eidem P. Joanni Alvarez, haec verba pro sua humilitate scripsit: "miror quod Dominus Vicarius voluerit ignorantem ac peccatorem hominem, qualis ego sum, approbatorem esse angeli, a quo ego instrui et approbari habebam tam in doctrina quam in virtute„. Multi erant in ea civitate tam sacerdotes quam alii, qui ad ingressum Societatis commoti erant. In cathedrali ecclesia et Universitate saepe rogatus concionatus est, et ipse Episcopus Abulensis, cancellariae praeses, et alii primari viri P. Provinciali scripserunt ac rogarunt ut diutius ibi relinqueret P. Joannem Alvarez propter magnum spiritualem proventum, qui inde sequebatur.

337. Hoc anno ex Collegio Salmanticensi deducta colonia fuit Methymnam Campi, cujus Collegii origo haec fuit. Jam olim Rodericus de Duegnas, insignis opibus et magnae probitatis vir, Patres Petrum Fabrum ac Antonium Araoz cognoverat; et anno proxime elapso, Patres Baptista Sanchez et Joannes Alvarez, Methymnae concionando, ejus studium valde excitaverant. Hic ergo civis Methymnae, cum magnum speraret fructum, si nostri in eo nobili emporio residerent, Salmanticam scripsit, suam operam offerendo ac nominatim sex ex Societate suis expensis

Digitized by Google

sustentaturum se recipiebat. Gratias ei egit P. Torrensis et nuncium misit ad P. Provincialem, qui cum P. Francisco Borgia in Cantabria tunc versabatur, et Roderici de Duegnas postulationem ei aperuit. Addidit et suas litteras ipsemet Rodericus idem petendo. Visum est autem P. Provinciali, re communicata cum P. Francisco, admittendum esse quod vir pius et copiosus Rodericus offerebat, et uterque scripsit P. Torrensi ut ejus petitioni satisfieret.

338. Praemisit ergo P. Torres P. Baptistam Sanchez cum socio, et post sex vel septem dies misit fratrem Sevillanum, qui, quamvis sacerdos non erat, prudentia ac spiritu et cognitione rerum Societatis praeditus erat, ut mentem Roderici melius intelligeret, qui tepescere aliquantulum videbatur in hoc opere et non dotare reditibus sed tantum Methymnam Societatem adducere velle videbatur. Admonitus P. Araoz respondit rem eo progressam esse, ut retrocedendum non esset; tunc ergo, praeter P. Baptistam ac Sevillanum, misit Methymnam P. Maximilianum Capellam ac Doctorem Castellum cum duobus fratribus, et domum paratam a Roderico de Duegnas, quamvis conductitiam, inhabitare coeperunt, eamdem scilicet quam modo propriam inhabitant, et reliquis praefectus fuit frater Sevillanus, licet sacerdos non esset. Sed cum tepiditas Roderici id postulare videretur, evocatus fuit P. Torrensis, cui, cum eo venisset, fassus est Rodericus se reditus dare non posse, et significare videbatur se operarios tantum non Collegiales optare. Quia vero vicinus jam erat Doctor Araoz, ad eum rejecit hanc tractationem Torrensis. Colligens tamen se Rodericus animadvertit facile esse posse dare centum et quinquaginta, vel centum septuaginta [1] annui reditus et ita significavit P. Torrensi eos se dare velle et privilegium hujusmodi reditus se statim daturum, si opus esset; quamvis postea, adveniente P. Provinciali, calor ille reditus dandi refriguisse coeperat. Cum autem illi diceret Doctor Torrensis ut saltem manu sua subscriberet ac se obligaret ad hos reditus aliquando dandos, contentus ille fuit; sed addidit quamdam conditionem, qua Societatem ad domum aedificandam obligabat. Unde non admittens conditionem istam Torrensis, re infecta, Salmanticam se recepit [2].

[1] Sic ; non explicata pecuniae specie seu quantitate.
[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 126 et sequentes.

Digitized by Google

339. Nihilominus nostri jam a mense Augusto Methymnae habitare coeperant, quamvis tam debile esset fundamentum rerum temporalium ut ex dictis intelligi potest. Concionabatur interim P. Baptista, et P. Maximilianus dialecticam his, qui id cupiebant, et casus conscientiae interpretabatur; et per Dei verbum diebus dominicis in summo templo propositum multum populus in Domino profecit. Cum adhuc autem nundinae durarent, Vallisoletanus Inquisitor Methymnam se contulit, volumina quaedam de haeresi suspecta, quae a bibliopolis vendebantur, inspecturus; qui populum universum in summo templo congregari voluit et P. Baptistam ut ibi concionaretur rogavit; qui cum summo spiritus ardore et majore quam unquam visa fuerit Methymnae frequentia concionem absolvisset, admonuit populum quam serio gratias agere Deo deberet, quod tam strenuum Inquisitorem eis providisset, qui tam sollicite omnem haeresis occasionem ab ipsis evellere, librosque etiam perscrutari, ut christianae doctrinae puritas melius retineretur, curaret. Religiosi quidam ordinis Praedicatorum rationibus persuadere Inquisitori voluerant ut ipsis eam concionem tribueret, cum ad se potius quam ad alios de Inquisitionis fideique rebus agere spectaret; quibus hoc respondit Inquisitor: concionatorem, quem ipse instituerat, non minus doctrina quam sanctimonia esse praeclarum, ac proinde de re illa ne amplius contenderent. Hoc ergo anno ex eleemosynis debile principium Methymnense Collegium, ut praemissum est, habuit.

DE COLLEGIO COMPLUTENSI

340. Complutense Collegium hoc anno quibusdam in Societatem admissis auctum est et alia Hispaniae Collegia auxit, quamvis concionatorem nullum habuerit. Paupertas tamen rei familiaris ut lentius procederetur in admittendis novitiis effecit. Doctor Castellus, publicis officiis perfunctus, nam utriusque juris peritus erat et praetoria judicia Salmanticae moderabatur, cum sacerdos fieri vellet, magistratu se abdicans, ad exercitia spiritualia Compluti accipienda se contulit, et sic profecit ut, rebus saecularibus valedicens, Societati se addixerit. Ad res ergo domi suae componendas se conferens, brevi, sar-

Digitized by Google

cinis abjectis, ad nostros Complutum rediit. Primis etiam hujus anni mensibus admissus est Aegidius Gonsalvus seu Gonzalez de Avila raro ingenio et non vulgari eruditione graecae et latinae linguae et etiam philosophiae praeditus, qui decem et octo annos tunc agebat, et ad litteras et ad pietatem natus videbatur; cujus deliberationem ubi parentes ejus intellexissent, Complutum se contulerunt, et egregium spectaculum adolescens nostris spectantibus dedit. Tristes enim matris lacrymas ac querelas siccis oculis contemplatus suam illi mentem aperuit, tranquilloque vultu nihil sibi certius aut firmius propositum esse ait quam Deo in hac Societate inservire. Persuasit deinde piae matri ut aequo animo hanc animi sui sententiam ferret. Recesserunt igitur parentes, ut apparebat, laeti et filium laetiorem in Societate reliquerunt. Admissi praeterea tres adolescentes, ex quibus duo in philosophia instructi Gandiam transmissi ut theologiam audirent; tertius autem Ripalda fuit, qui indolis suae non exiguam exspectationem in nostris concitabat, nec minus in his quae ad eruditionem quam in his quae ad probitatem pertinebant. Aliqui etiam alio missi sunt. Qui vero substiterunt Compluti, studiis diligenter dabant operam, et dominicis quidem diebus theologi, alio vero die profesto logici et philosophi suas positiones domi tuebantur et alii contra eos disputantes se diligenter exercebant; singulis etiam noctibus aliquis in refectorio concionabatur, nec sine fructu in eo se munere exercebant [1].

341. Praedicationis loco spiritualia exercitia pro more et usu Collegii multis proposita fuerunt; inter quos satis notatu dignum fuit monasterium quoddam D. Hieronymi, de quo anno superiori scriptum est quod quidam ex ejus monachis se in spiritualibus meditationibus exercuerunt. Hi ergo ab aliis religiosis multum molestiarum pati coeperunt, qui, cum etiam minarentur apud eorum praesidem se conquesturos (is autem Provincialis loco Hieronymianis est), Prior, vir prudens ac probus, non de se quicquam veritus sed communi bono consulens, ne, scilicet, demum aliquas turbas miscendo, rem tam salubrem im-

[1] Polancus, *ex com.*, Francisco de Villanova, ut ex iis, quos Compluti in Societatem admissos bene cognitos et exercitatos habeat, quot velit, Romam mittat, 1 Maii. Eadem die eidem longam dedit de rebus Societatis epistolam, quam habes in *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 337.

Digitized by Google

pedirent, P. Villanovam obnixe rogat ut aliquem ad suum monasterium mittat, quod Divae Annae de Tendilla dicitur, ut omnibus suis, qui nondum exercitiis spiritualibus dederant operam, ea proponeret.

342. Ad eos itaque profectus P. Franciscus Villanova ac circiter viginti dies ibi commoratus, cum maximo eorum profectu et externorum exemplo eo munere perfunctus, ad Collegium rediit. Priorem vero adeo facti non poenituit, ut, postquam id quod optaverat erat assecutus, ut monachi scilicet his exercitiis excolerentur, palam fecerit omnibus tam litteris quam verbo se fuisse apud nostros christianae philosophiae documentis imbutum. Misit praeterea nonnullos ex amicis ac familiaribus eodem modo exercendos; affirmabatque neminem in suum sodalitium se admissurum, quin prius hujusmodi exercitiis instructus et probatus esset; et ita fieri coeptum est. Nobilis enim quidam adolescens, qui ad ipsos accedere ardenter optabat, donec his exercitiis excultus esset, non fuit admissus; et omnem lapidem se moturum dicebat ut Praeses caeterique sui ordinis Patres iisdem spiritualibus armis munirentur. Cum etiam concionum causa per oppida suo monasterio vicina discurrebat, sacerdotibus saecularibus suadere solebat ut ad nostros vitae formulam accepturi advolarent. Dona quidem illi Patres plurima offerebant, sed ille nihil prorsus admisit, gratis se dare affirmans quod gratis accepisset.

343. Cum autem ad Praesidem, qui Hispali versabatur, delati essent hi religiosi, propere ille ad monasterium S. Annae de Tendilla se contulit, nec indignationem dissimulavit; sed, cum illis expostulans aspere, omnia scripta, quae ad meditationes ac spiritualia exercitia apud eos invenit, ab eis abstulit; quod illi cum aequissimo animo ferrent, et in omnibus summam obedientiam exhiberent, admiratus Praeses ut de re nova et insperata, sic indignationem remisit ut plane fateretur se confundi et indignatum quidem accessisse contra illos propter ea, quae ad ipsum delata fuerant de spiritualibus exercitiis, sed se in illis aliam obedientiam videre et disciplinam religiosam quam in aliis alias vidisset vel in iis ipsis antea cognovisset; illam vero doctrinam, quae religiosos adjuvat ut suis Praelatis obediant et humiliter se gerant ac proprias voluntates mortificare studeant, hanc, inquam, doctrinam e coelo esse. Eos itaque

Digitized by Google

multum laudando et exhortando ad similia pietatis opera, reddidit scripta exercitiorum quae abstulerat, et ut fratribus suis in aliis domibus prodessent exhortatus est, et aliquos eorum ad alias domos misit et litteras, quae multum eos commendarent multumque eis auctoritatis tribuerent, dedit. Vallisoletum deinde pergens et virum quemdam primarium adiens, qui indignationis concipiendae contra religiosos monasterii de Tendilla auctor ei fuerat, interrogatus ab eodem quasi joco quid novi apud suos religiosos S. Annae invenisset, recollectionem, inquit ille, humilitatem, obedientiam ac devotionem; et deinde retulit quae apud illos religiosos invenerat.

344. Ad totum ergo regnum illud Toletanum ex doctrina spiritualium exercitiorum, quae a domo Complutensi proficiscebatur, multum utilitatis et quidem latissime patentis redundabat. Multi enim undecumque magna cum siti profectus spiritualis accedebant, et fontem aquae vivae se in illis invenisse fatebantur, et alii alios invitabant; immo accidebat ut cum multi summo cum secreto ad spiritualia exercitia accessissent, illis peractis, ipsimet ubi fuissent et quid et quo cum fructu fecissent, aliis publice communicabant, alium rerum spiritualium sensum et alios affectus et quidem multo praestantiores quam quos intulerant inde eduxisse. Nunquam aliqui in Complutensi Collegio deerant, tres, quatuor, sex, religiosi, vel theologi, vel juris canonici studiosi, ac multi viri graves, qui in hac palaestra sancta se exercebant.

345. Quidam Doctor et Sacerdos magnae auctoritatis inter suos, conscius percepti fructus, obtinuit a P. Villanova ut aliquos etiam ex suis eisdem exercitiis excoleret. Affirmabat enim se domi suae neminem habere posse, qui non hujusmodi exercitationibus esset excultus; et ita quemdam suum capellanum cum duobus aliis clientibus exercere oportuit, qui cum magno fructu inde recesserunt. Hic Doctor generalis erat visitator Episcopatus cujusdam ex primis totius regni, unde ex ejus profectu tam exempli quam doctrinae ratione fructus non exiguus sperabatur. Multis etiam ex Universitate diu spectandum erat ut ad ejusmodi exercitia tandem admitti possent. Ex ecclesia etiam cathedrali Toletana non defuerunt qui haec exercitia valde expeterent, et in eis proficerent. Quidam etiam ordinis D. Francisci praelatus et vir non vulgaris eruditionis et

Digitized by Google

auctoritatis, cum ex exercitiis plenus spiritu egressus esset, in cathedrali quadam ecclesia concionator admissus, in auditorum magnum fructum, quae a Domino in exercitiis acceperat, refudit. Alius etiam ejusdem ordinis a quinquaginta leucis et amplius ut nostris confiteretur venit, et cum prius non juxta instituti sui rationem procederet, paucis diebus se apud nostros colligens ac proficiens ad suum monasterium rediit. Ex ordine etiam Trinitariorum in eisdem aliquis profecit. Quidam etiam monasterii D. Hieronymi Prior, qui a P. Francisco Borgia in eremitorio Magdalenae exercitia acceperat, Complutum venit ut aliquem obtineret, qui in suo monasterio omnibus religiosis exercitia traderet.

346. In consiliis etiam et familiaribus colloquiis P. Villanova utilem multis operam praestabat. In confessionibus eorum, qui crebro, ut singulis hebdomadis, ad hoc Sacramentum accedebant et Sanctissimae Eucharistiae, et in aliis etiam, qui in festis praecipuis id ipsum prestabant, non poenitendus fructus sequebatur. Noctu enim diuque, etiam cum aliquo detrimento studiorum, licet advenientibus satisfacere studeret, multi re infecta discedebant, nec pauci post Paschae festum confessionem ob id distulerunt [1].

347. Venit Complutum Joannes de Borgia, qui multum aedificationis et nostris et externis dedit exemplo virtutis suae; cum eo etiam Magister Emmanuel de Saa pergratus complutensibus accessit. Comes etiam melitensis, cum bis Complutum venisset, in Collegio nostro et non alibi hospitium habere voluit, et ejus voluntas erga Societatem (quam opera consequebantur) velut unius ex Patribus ejusdem Societatis videbatur. Viderat ipse designationem templi, quod nostri erigere Compluti volebant, et non illi placuerat, sed augustiorem magisque capacem ecclesiam faciendam esse censuit, et quod prius quasi secreto obtulerat, manifeste jam significavit velle se suis sumptibus ecclesiam aedificare, et chirographum sua et uxoris manu subscriptum P. Francisco Villanova dedit, quo reditus annuos cu-

[1] Ignatii patentes litterae, quibus Francisco de Villanova et bacchalaureo Emmanueli Lopez potestatem tribuit confessiones audiendi et facultates seu privilegia Societati a Julio III concessa eis communicat, ut iis uti possint donec Complutum Provincialis Araoz adveniat aut Dux Gandiae, quorum judicio circa privilegiorum usum stare Complutenses debebunt, 1 Januarii.

Digitized by Google

jusdam oppidi sui (*Serracines* dicitur et duobus leucis Compluto distat) ad expensas ecclesiae aedificandae assignabat [1].

348. P. Emmanuel Lopez, adjuncto Doctore Castello novitio, Concham missus est, ut Doctoris Vergarae votis satisfieret. Pedites et sine sacculo et pera hoc iter confecerunt; et admirabantur valde populi, cum P. Emmanuelem in publicis plateis concionantem tamquam ex valde honorifico suggestu viderent, boni omnes laudabant, et priscos illos ecclesiae proceres divino spiritu ad evellendam ex animis hominum impietatem sic factitasse dicebant. Confessionibus etiam vacabant et cibum deinde ex mendicato quaerebant. Revocato deinde post hujusmodi probationem Doctore Castello, ipse Emmanuel duobus oppidis curam impendit, ubi Doctor Vergara sacerdotia non sine animarum cura habebat, ubi praeter ministerium verbi Dei, catechismi explicationem, confessiones et colloquia privata, quibus homines ad Dei gratiam excipiendam disponebat, statuendum et decreto firmandum et in perpetuum populi consensu sanciendum curavit, ne cui impune liceret non solum peierare aut blasphemum esse, sed ne jurare quidem, et ad poenas juris jurandi irrogandas, flagitantibus primariis viris, judices elegit. Cum tribus leucis conchensis civitas inde distaret, eo tamen nonnulli ejus audiendi causa proficiscebantur; sed in ipsam civitatem deinde se contulit, ubi non minore cum frequentia quam benevolentia et fructu, ut sperabatur, concionatus est, ac Complutum deinde rediit [2].

349. Ex Collegio quod a dignitate *majus* vocant, unde theologi, et concionatores, et praelectores, et ipsi etiam Academiae Rectores creari solent, multi libentissime ut in spiritualibus exercitationibus et oratione instruerentur apud nostros optabant; sanctione tamen sui gymnasii detinebantur, qua neminem extra collegia pernoctare in oppido Complutensi permittitur, et de aliqua ratione ineunda ne fructus is impediretur, cogitabant. Siguntini et Conchenses complures venerunt et ex quodam conventu ordinis minorum Provincialis, Guardianus et praecipua religiosorum portio aliquem ad se mitti, qui in rebus spirituali-

---

[1] Ignatius Comiti de Melito officiose et in commendationem sociorum, 1 Maii.

[2] Polancus, *ex com.*, Domino Arboleda, cathedralis ecclesiae conchensis canonico, nondum valere Societatem propter sociorum penuriam domum ab ipso canonico Conchae oblatam acceptare, 1 Januarii.

Digitized by Google

bus eos exercerent, optabant, et in conventu generali totius ordinis ut hujusmodi exercitationes praelibarent, se alios exhortaturos affirmabant.

350. Ex insigni etiam monasterio militum S. Jacobi, quod *Ucles* dicitur, litterae nomine capituli ac magistratus ad P. Franciscum Villanovam missae sunt, ut aliquem ex Societate nostra instructorem in rebus spiritualibus mitteret, et saltem Patrem Emmanuelem, qui tunc in locis vicinis versabatur, ad se transire juberet, cum hac instructione spirituali non parum ipsi indigerent; sed P. Villanova, alio tempore commodiore se illis satisfacturum promittens, tunc quidem neminem misit.

351. Quod ad aedificia materialia pertinet, duo in Collegio Complutensi hoc anno habita fuerunt. Prius fuit muro decem et octo palmos alto hortum circumdare, quod prope totum extra pomeria oppidi jacet; quo muro perforato, aditus ad eum ex Collegio patebat, et non exiguam recreationis et sanitatis etiam occasionem praebebat, cum septingentos et triginta pedes in circuitu haberet, arboribus et fruticibus ac variis herbis et aquae limpidissimae puteo amoenus et commodus esset. Alterum fuit bibliotheca, in quam turris quaedam muri Complutensis ab oppidanis donati conversa fuit, quae prospectum quoquoversus latissime patentem et oculis gratissimum habebat.

352. Quamvis autem ad Collegii utilitatem non parum haec aedificia contulerint, non exigui laboris et molestiae seminarium praebuerunt. Gubernator enim Compluti primo die Septembris accersivit P. Villanovam et duas illi litteras Archiepiscopi Toletani ostendit, quibus illi praecipiebat (est enim oppidum Complutense etiam in temporalibus sub Archiepiscopo Toletano) ut portam in muro oppidi Collegio nostro datam, qua ad hortum egrediebantur, statim occluderet, et quod attinet ad hortum et novum murum, quo ille circumdatus fuerat, ut litem nostris intentaret et audiret quod secundum jus nostri dicerent. Sollicitus fuerat valde P. Villanova num magis expediret Archiepiscopo obedire, et possessionem illius portae amittere, an potius a praecepto Archiepiscopi appellare, quandoquidem inutiliter media multa ad placandum Archiepiscopum tentaverat, inter quae Rex Bohemiae ac Regina et Comes melitensis fuerant, qui serio admodum ei scripserant; Doctor etiam Torrensis ad hoc ipsum, ut superius diximus, frustra quietum red-

Digitized by Google

dere Archiepiscopum tentaverat. Concepisse dicebatur magnam contra Societatem nostram indignationem, nec solum irridebat cum de ea loqueretur, sed haereticos etiam nostros vocabat. Quia tamen sine licentia Regis vel Archiepiscopi aliqui dicebant non potuisse gubernatorem Complutensem nec magistratus oppidi portam illam apertam nostro Collegio concedere, decrevit P. Villanova hoc beneficio aëris ac recreationis Collegium suum privare et portam praedictam occludere; per hanc enim submissionem ac obedientiam conquieturus Archiepiscopus videbatur.

353. Non his tamen ejus animus expletus fuit, sed praeceptum aliud capitulo ecclesiae complutensis et parochiis transmisit, ut in publicis suggestibus perlegeretur, ut theatinis (sic enim vocabat Societatem nostram) praedicatio, et omnium Sacramentorum administratio et Missae etiam celebratio interdiceretur; sed visum est nostris amicis, inter quos erat Dr. Vergara, propere ante intimationem hujus praecepti litteras apostolicas et privilegia Societatis Vicario Complutensi esse intimanda, ut illi constaret quod et concionari et Sacramenta administrare et Missas celebrare posset Societas; et quamvis ille dicebat se non posse non obedire Archiepiscopo, abstinuit tamen a publicatione prohibitionis et nuncium ad Archiepiscopum misit et litteras, quibus ei significabat nostros legitime posse exercere quae ipse prohibebat [1].

354. Eodem die P. Villanova Toletum profectus est, eo consilio ut, si bonis modis ac rationibus non posset Archiepiscopum placare, ad Consilium regium se conferret, ne vim fieri Societati contra concessionem Sedis Apostolicae permitteret; et priusquam Toletum veniret, cum curia Madridii versaretur, praesentavit litteras apostolicas in Consilio et provisionem ab eo postulavit ut posset intimare litteras apostolicas Archiepiscopo. Sed quia haec non tam cito transigi solent cum Consilio regio, de consilio Nuncii apostolici et cum ejusdem litteris ad Archiepiscopum ac alios Toletum perrexit. Non dissimulavit Archiepiscopus se male in Societatem affectum esse, et causas

---

[1] **Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Villanova, non esse opus novis Apostolicis litteris ut lis solvatur de domo et horto Complutensi exorta, 1 Martii; eidem ut videat an expediat ut Cardinalis Sancti Jacobi litteras Cardinali Toletano det commendatitias Societatis, 1 Julii.**

Digitized by Google

protulit nonnullas, quod scilicet domum Compluti sine ipsius facultate erexisset Societas; quod vocaretur Societas Jesu; quod confessiones audiendi et praedicandi sine ipsius facultate ministerio fungeretur; quod exercitiis spiritualibus, quae ipse non existimabat pro evangelio habenda esse, homines stultos redderent, ita ut nobiles non se gerant ut nobiles, etc. Et cum singulis Villanova abunde respondisset, quia ejus animus non rationibus sed affectibus nitebatur, ad minas se convertit, et si quis illi litteras apostolicas intimaret, in carcerem se conjecturum affirmabat; non enim hic egemus, ait, Summo Pontifice, et alia, quae melius taceri potuissent. Demum dixit se venturum Complutum, quod respondere solitus erat, quando nihil agere in animo habebat.

355. Rediens P. Villanova Madridium, de provisione Consilii regii accipienda, ut litteras apostolicas Archiepiscopo intimaret, agebat. Nuncius apostolicus, Dominus Joannes Poggius, qui tunc Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae creatus fuerat, rigorem esse necessarium in hoc negotio censebat, et suam illi operam amantissime obtulit, ac negotium tanquam proprium accepit. Et ut intelligatur quod sine occasione magna bonus Archiepiscopus nostris succensebat, nostri tam moderate usi fuerant suis privilegiis ut ne sanctissimum quidem Sacramentum in sacello domestico reponere voluerint, et qui confessiones audituri erant, ad visitatorem generalem examinandi missi sunt, a quo approbati facultatem audiendi confessiones acceperant. Quamvis autem multi litteras apostolicas a Nuncio Apostolico intimandas censerent, noluit tamen P. Villanova id exsequi antequam cum P. Provinciali conferret. Ita res nostrae sub finem hujus anni valde perturbatae fuerunt [1].

356. Non omittam tamen quod frater Ludovicus de Avila, novitiorum magister in monasterio Sanctae Catherinae de Talavera, cum in Societatis exercitiis versatus fuisset, coepit eadem exercitia suis religiosis magno cum fructu proponere, et in tribus aliis monasteriis sui ordinis et in alio ordinis cisterciensis (ex quo religiosi in plura loca divisi fuerunt) exercitia spiritualia communicavit; clericis etiam quibusdam eadem propo-

[1] Ad dirimendas lites ab Archiepiscopo Toletano et aliis promotas, missa sunt Francisco de Villanova Complutum 1.° die Januarii Polanci epistola et Apostolicarum litterarum trassumpta iis similia, de quibus supra in not. ad num. 330.

Digitized by Google

suit; et ita scribit ipse sperare se quod hic fructus late patere debeat.

357. Neque illud praetermittendum videtur, scilicet, quod, cum in temporalibus magnam penuriam nostri Complutenses paterentur, permissum est a P. Ignatio ut duo sacerdotia curam animarum habentia, quae Doctor Vergara possederat et permutare cum aliis simplicibus cupiebat ut Complutensi Collegio unirentur, nostris conferrentur, dum negotium hoc transigeretur; quod tamen postea factum non est [1].

358. P. Araoz Provincialis sub anni finem, scilicet, sub ipsa vigilia Natalis Domini Complutum venit, et nostros sua praesentia consolatus est. Prius tamen, Methymnae Campi aliquoties concionatus cum magna aedificatione, Salmanticam 27 Novembris venerat; cujus spiritualibus exhortationibus domestici recreati fuerant, nec minus externi, tribus ejus concionibus in parochia Sti. Martini cum magna doctrina et aedificatione habitis; et crescebat in dies auditorum, ac praesertim scholasticorum, numerus; et Universitatis Salmanticensis doctores rogaverunt eum ut in Universitate concionaretur; sed quia Complutum proficisci parabat, eorum petitioni satisfieri non potuit. Inter alios Dominus Antonius de Cordoba familiariter cum eo egit, et eidem bis confessus est, et de ejus manu sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpsit, et cum eo de rebus suis multa contulit, quamvis Societatis ingressum in sequentem annum distulit.

359. Cum consolatione igitur non mediocri P. Provincialis Araoz ex uberi fructu, qui in illa Universitate opera Societatis proveniebat, Complutum versus discessit; et cum per oppidum, Villacastin dictum, transiret, vir quidam primarius ac dives ejus oppidi ab eo postulavit ut suam confessionem audiret; unde hoc boni consecutum est ut, cum ille filium a se ablegasset, nec ei placari ulla ratione prius potuisset, Patris Provincialis opera filius reconciliatus est patri et in ejus domum remissus.

360. Madridium P. Araoz perveniens, ibi invenit Docto-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Francisco de Villanova, non posse a nostris animarum curam exerceri nequidem ratione beneficiorum Collegio annexorum, sed saecularibus sacerdotibus committendam, 1 Januarii; eidem de beneficiis, quibus annexa est animarum cura, si abdicare se eis velit Doctor Vergara, ut ea sacerdotibus, qui de Societate non sint, tradenda curet, 1 Martii.

Digitized by Google

rem Torrensem cum P. Tablares in negotio Archiepiscopi Toletani occupatum. Iverat ille secundo Toletum cum P. Baptista Sanchez, et, cum nihil impetrare ab Archiepiscopo potuisset, ipsemet Nuncius apostolicus alloqui Archiepiscopum voluit et ad id Toletum ire. Litterae autem apostolicae cum in Consilio regio praesentatae fuissent, omnibus abunde satisfecerunt, qui provisionem regalem dederunt ut libere possent Archiepiscopo Toletano intimari; et hanc provisionem secum tulit Nuncius cum Toletum iret. Aliis ergo ad sua loca missis, cum duobus sociis P. Araoz Madridii aliquot dies substitit, donec, ut diximus, in ipsa vigilia Nativitatis Complutum venit.

DE COLLEGIO GANDIAE

361. Quiete in litterarum studium nostri initio hujus anni Gandiae incumbebant, et vix alibi major proficiendi commoditas, quod ad hanc attinet Academiae quietem, nostri haberent, si frequentia commoditati respondisset; at satis pauci auditores externi eo accedebant. Nostri autem, cum ad spiritualem profectum et abnegationem veteris hominis diligenter admodum adspirarent, inter labores mentis ac corporis parum prospera corporis valetudine multi utebantur. Rector ipse, novitius ac spiritu fervens, majorem sanitatis animarum quam corporum rationem habere initio videbatur; ipsa tamen experientia docuit hominem, alioqui prudentem et valde bonum, ut corporum etiam valetudini diligentius consuleret. Diebus dominicis de rebus, quas meditati fuerant, collatio apud illos, sicut de aliis rebus spiritualibus, habebatur, et quid quisque ad virtutem aliquam assequendam conferre existimaret, cum aliis etiam conferebant [1].

362. Contulit eis non parum P. Mironis Roma redeuntis adventus, qui non solum multa referendo de his, quae Romae

[1] Ignatii patentes litterae, quibus Patrem Joannem Baptistam de Barma Collegio et Universitati Gandiensi praeficit, 1 Februarii; eidem, ejus animum erigens Ignatius ut libenter patienterque onus sibi impositum ferat, eadem die; eidem, ut modum adhibeant in corporis afflictationibus et labore, valetudini consulentes et majori bono, 15 Martii; eidem, ne se in rebus ad rationem status pertinentibus occupari sinat; quod si a Marchionis de Lombay subditis ejus industria aut favor quandoque expetatur, eos Marchioni remittat aut iis quos designaverit ille, 1 Maii.

Digitized by Google

viderat, gandienses consolatus est, sed de procedendi modo, quem observaverat in Urbe, eos instruxit, et eorum quae non teneri Romae ut ipsi tenebant, admonuit; et cum soliti essent tam Valentiae quam Gandiae fratres in choro simul orare et quidem duas horas in sacello singulis diebus, simul atque ille constituit Valentiae ut in suis cubiculis orationem haberent, id Rector Gandiensis est imitatus, et remisit aliquid tam de labore mortificationum quam de orandi tempore, ne corpora plus aequo debilia redderentur.

363. Studia ferventer satis tractabantur, quamvis auditorum raritas parum et scholasticos et lectores animaret [1].

364. Invisit eosdem P. Hieronymus Domenech et non parum consolatus est; domi etiam ipso festo Sancti Philippi et Jacobi concionatus magnopere auditoribus satisfecit. Praeter lectiones, diligenter etiam aliae exercitationes scholasticae adhibebantur et in scholasticis felicia satis ingenia, judicia, natura, et eruditio non mediocris pro cujusque gradu cernebantur: externi autem scholastici, quoad ejus fieri poterat, ad nostrorum vivendi formulam accedebant. In ecclesia nostra Sancti Sebastiani verbum Dei mane populo a Magistro Benedicto proponebatur; a prandio vero christiana doctrina ab eodem explicabatur; hic litterarum humaniorum praeceptor erat, sed cui donum concionandi non vulgare a Deo concessum esset, nec minus discipulorum mentem ad pietatem quam ad aeruditionem excolere conabatur. Nec deerant multi ex his adolescentibus externis, qui ad orationem nostris sese adjungerent et quotidie horam unam magno cum fructu devotioni tribuerent; piis etiam colloquiis magnopere recreabantur et octavo quoque die plurimi ex eis ad confessionem accedebant. In quadragesima ut et concionum frequentior usus ita, ut creditur, copiosior fructus est consequutus. Pauperes christianam doctrinam Gandiae diligenter edocebantur; in publicam etiam custodiam et ad hospitale ad haec eadem munia et ad homines consolandos aliqui ex nostris mittebantur. Peccatrix quaedam publica in concione Rectoris conversa fuit, quam in matrimonio collocandam curavit. A Marchione de Lombay idem impe-

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, Carta DCLIX, pag. 191 et praesertim not. 10, pag. 197.

Digitized by Google

travit ut exules quidam, qui in exilium missi fuerant quod alios ad certamen incitaverant, revocarentur; cum enim satis poenarum dedissent, noxa eis remitti debere videbatur; quae res populo grata admodum accidit. Inter confessionum fructus hic unus fuit, quod mulier quaedam, quae prius viro clandestine nupserat, deinde alteri in foro ecclesiae nupta, cum eo undecim annos in concubinatu tanquam in matrimonio manserat, cum resipuisset, re cum Archiepiscopo collata, ut priori viro restitueretur curatum est [1].

365. Ipsa dominica Sanctissimae Trinitatis Marchio de Lombay in Ducem creatus est, cum jam ducatum P. Franciscus ei libere renunciasset; et dominica infra octavam Corporis Christi Dux novus processioni solemni interfuit cum frequentissima populi multitudine; et cum ad ecclesiam nostram processio venisset, ipse P. Baptista, Rector, Sanctissimum Sacramentum ostensorio inclusum in manibus tenendo, concionari debuit; quod cum maxima omnium aedificatione peractum est. Quidam ex neophytis, qui ad saracenos transfugerat et Christianam fidem abjuraverat, ultimo supplicio afficiendus erat: hunc nostri diu noctuque comitantes frustra ad catholicam religionem adducere tentarunt, quamvis orationi domestici pro eo instarent, et in obstinatione cordis sui supplicium extremum passus est. Duo tamen alii hujus generis homines levi opera et diligentia nostrorum ad Christi fidem revocati sunt, qui in praeceptis Domini et aliis scitu necessariis instructi a nostris fuerunt [2].

366. Sub festum Sancti Spiritus profectus est Gandia P. Baptista cum socio, Antonio Cordeses, in oppidum Deniam, ubi bonam redituum suorum partem Gandiense Collegium habebat, et aequum videbatur ut spiritualia eis seminarent a quibus temporalia metebant. Postridie postquam eo pervenerunt, licet dies labori dicatus esset, dedit operam P. Baptista ut populus ad ecclesiam per praeconem vocaretur ibidemque conciona-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Balthasari Diaz, ut modum adhibeat in labore, et Ignatium judicare non oportere ut saeculares hortetur communiter ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum plus quam semel in hebdomada suscipiendum, 1 Maii.

[2] Ignatius Comitissae de Lerma, de rebus a Duce Gandiae Romae gestis et in commendationem sociorum Gandiae degentium, 1 Januarii. Similes eadem die misit Marchioni et Marchionissae de Alcañices. Ignatius Marchioni de Lombay, de iis quae Romae commendaverat Dux Gandiae e de Collegiis Romano et Gandiensi, 1 Februarii.

Digitized by Google

tus ad animas per poenitentiae sacramentum emundandas et Sanctissimam Eucharistiam in tam solemni festo Pentecostes digne suscipiendam, ut legatione pro Deo fungens, hortatus est, et, quamvis neophyti essent bona ex parte ad fidem christianam ex Mahometi infidelitate conversi, et id genus hominum satis superque sibi existimet si semel singulis annis ad haec Sacramenta accesserit, sic tamen verbum Dei eorum emollivit corda, ut plurimi P. Baptistae consilio acquieverint. Invitavit eos ut a prandio ad plateam publicam secum accederent, quod spectaculum apud illos prorsus inusitatum erat; ille tamen in platea de his, quae ad doctrinam christianam pertinebant, concionatus est; et hunc ordinem instituit ut ipse mane concionaretur, post meridiem autem ipsius socius Cordeses christianam doctrinam declararet; qua declaratione absoluta, consuetas orationes ac symbolum et quae ad christianam doctrinam pertinebant eos simul hoc modo edocebant: praeibat P. Baptista vel ejus socius, et omnes cujusvis aetatis et sexus, alta voce idem pronunciando, sequebantur. Qui autem id genus hominum ad talia pietatis opera sane durissimum noverit, magis energiam verbi Dei, tam brevi praesertim tempore id ab eis extorquentis, mirabitur. Instituit praeterea processionem puerorum vel pompam solemnem pridie festum Sancti Spiritus, ut ex oppido ad templum B. Virgini sacrum irent, cum quibus alter Patrum doctrinam christianam alte pronunciando incedebat, cui omnes alternatim et ordinate canendo respondebant; et hoc consilio ea processio instituta est ut mos ille in majoribus festis observatus parentes ad suos pueros mittendos alliceret.

367. Percrebuit fama profectus spiritualis hujus oppidi ad aliud vicinum, cujus pastor charitate erga suum gregem motus rogatum misit ut apud ipsos dies aliquot P. Baptista maneret, antequam Gandiam rediret. Ille autem Deniae relinquens socium et in iis, quae facienda videbantur, eumdem instruens, quo vocabatur accessit. Quantus autem ibi fuerit animorum fructus consequutus difficile esset exprimere. Horum Patrum domicilium, quamvis gubernator et alii cum precibus hospitium offerebant, hospitale pauperum fuit, et si quid commoditati temporali deerat, spiritualis consolatio, tam in iis oppidis quam in via, supplebat, adeo ut perlibenter, si per negotia domestica liceret, ad talia ministeria essent redituri.

Digitized by Google

368. Initio ducatus assumpti cum tepidiorem solito novum Ducem experirentur, forte propter aliqua onera in testamento ei relicta, vel expensas itinerum, populus etiam frigescere in affectu erga Collegium Gandiense coepit. Videbatur aegre ferre Dux quod quingentos aureos singulis annis Collegio romano dare tenebatur, et aliqui, quibus ille credebat, non bene erga Societatis res affecti, etiam in mensa Ducis dicteria contra Societatem contorquebant. Non diu tamen haec durarunt, et post duos vel tres menses cum animadvertisset Dux populum non frequenter ad nostros accedere, ex eo provenire existimavit quod rarius ipsemet veniret; sed statim id remedium accepit, cum ipse familiariter agere et verbis animi sui bonum affectum ostendere coepisset. Cum autem testamentum conderet, ipsemet novus Dux P. Baptistam aut quicumque Rector esset Collegii Gandiensis exsecutorem inter alios esse voluit. Consultus autem P. Ignatius censuit hanc testamenti exsecutionem admittendam esse. Cum vero multa falsa circumferrentur vulgo de his quae Patri Francisco, cum esset Romae, acciderant, praesertim de temporalibus bonis, quae domui romanae contulerat, scriptae fuerunt illae litterae, de quibus superius facta mentio est [1], quas voluit P. Ignatius novo Duci ostendi et aliis, qui hujusmodi satisfactione indigebant. Coepit autem et murmur brevi cessare et numerus confitentium et communicantium augeri, cum et ipse Dux ad confessionem accessisset; qui cum ad patrem suum invisendum Ognatem, ut superius diximus, se contulisset, commotus valde inde rediit; et laetitiam ejus auxit filius successor illis diebus natus [2].

369. Neophyti, quorum in Collegio Gandiae institutionem nostri aliquandiu retinuerant, parum admodum proficiebant, nec fructus labori ac molestiae respondere videbatur; unde habito P. Francisci consensu et, ut verisimile est, Sedis Apostolicae, paulatim alibi collocati sunt, et liberum ab hoc onere Collegium esse coepit, in quo P. Antonius Cordeses philosophiae cursum inchoatum satis feliciter prosequebatur. In festo Divi Lucae, ip-

---

[1] Vide supra, hoc anno 1551, num. 6, pag. 164.

[2] Ignatius Marchioni de Lombay, de iis, quae in Societatis detrimentum ferebantur circa ea, quae Romae gesserat et quae Collegio Romano donaverat Dux Gandiae, et ut Magistrum Joannem Baptistam de Barma adeat Marchio, a quo plenam de iis aliisque informationem Roma missam habere poterit, 1 Maji.

Digitized by Google

somet Duce Carolo praesente, oratio in studiorum renovatione habita est a fratre nostro Marcello de Salazar, quae tantopere Duci placuit ut eam omnino sibi dari voluerit, et typis excudere velle videbatur.

370. Cum intellexissent Gandiae ex litteris P. Ignatii gratum ipsi fore si aliqui bonae indolis juvenes in Italiam mitterentur, ubi Societatis loca hoc anno satis aucta fuerant, P. Caesarem Aversanum et magistrum Albertum Cavallinum, italos, cum Philippo Gandiensi Romam miserunt, ex quibus, ut superius dictum est, Viterbii Magister Albertus temporalem vitam cum aeterna commutavit[1].

371. Sub anni finem cum capitis debilitas P. Baptistam, Rectorem Gandiensis Collegii et eumdem theologiae praelectorem, a studiis abstinere coëgisset, animi relaxandi causa Valentiam ille se contulit, ubi postquam decem vel duodecim dies versatus esset, alios quindecim dies ante festa Natalitia Domini cum P. Balthasare et quodam alio socio per loca quaedam vicina discurrere constituit, in quibus praedicando et confessiones audiendo et catechismum docendo et ad optima quaeque exhortando cum magna admiratione et fructu illorum populorum Societatis ministeria exercebant. Excipiebant eos amanter, et studiose sequebantur, et eorum consilio crebro ad confessionem et communionem accedebant, et semper magnum concursum hominum, de quibus bene mereri possent, in hospitalibus habebant; haec enim eorum erat habitatio, sicuti et victus ex eleemosynis publice emendicatis.

372. Cum Valentiae multi ad Societatem adeundam moverentur, quinque theologos Gandiam missos perlibenter exceperunt. Hoc ipso anno bonus P. Saboya, cum Caesaraugustam Gandia mitteretur, in gravem incidens morbum Tortosae, quae patria ipsi erat, diem clausit extremum.

DE COLLEGIO VALENTIAE

373. Rediens ex Italia, ut superius dictum est, P. Jacobus Miron simul cum P. Francisco Borgia, tum Duce adhuc Gan-

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae de Barma, de dimittendis e Societate, 15 Martii; de mittendis Romam, si velit, Magistris Joanne flandro et Petro Gallo, 1 Maii.

Digitized by Google

diae, in Hispaniam pervenerat et inde Valentiam ad suum Collegium se contulit. Eodem P. Hieronymus Domenech decimo die Aprilis pervenit. Majoricae, dum transiret, multi nobiles viri eum inviserunt, et, ut ipse scripsit, eam animorum dispositionem in eis invenit ut non parum inde consolationis referret et fructum non poenitendum opera Societatis ibi percipiendum speraret. Jam tunc de Collegio instituendo Majoricae agi coeptum est, et quia navigationis oblata commoditas tractationem hanc interrupit, Valentiam se scripturos aliqui viri primarii hac ipsa de re promiserunt.

374. Postquam ergo Valentiam pervenisset, paucos ibi dies commoratus et inde Gandiam veniens, non parum consolationis et accepit ipse, dum Collegium absolutum Societatis videret et multa de P. Francisco Borgia, quae ei referebantur, didicit, quaeque non solum saecularibus dominis sed perfectis etiam religiosis ad admirationem et confusionem erant. Consolatus est et ipse fratres et etiam populum concionando, ut dictum est, et familiaribus colloquiis. Cum Jativam, urbem regni Valentini sex aut septem leucis inde distantem, ire vellet, et ea in urbe ejus adventus innotuisset, miserunt ad eum nuncium, qui rogaret ut in festo Inventionis Sanctae Crucis apud se concionaretur; solemne enim hoc festum illis erat. In ecclesia ergo ordinis Praedicatorum concionatus cum magna frequentia auditorum, magnopere eos in spiritu consolatus est. Rogarunt eum etiam ut in die Ascensionis denuo concionaretur, sed non est ei visum expedire ut amplius ibi haereret.

375. Valentiam itaque rediit, ubi rogabant eum obnixe ut in cathedrali ecclesia concionaretur; et quia ille prius hoc onus detrectaverat, urgebant quod in obedientia, ut filio ejus Urbis, canonici et Vicarius generalis praecepturi id erant. Fuerat olim canonicus ejus ecclesiae P. Hieronymus. Italicae tamen linguae assuetus vernaculam non optime tenebat; quare constituerat a concionibus Valentiae abstinere. Non potuit autem negare quod tam pie et instanter petebatur et secundo die Pentecostes cum maximo auditorio in cathedrali ecclesia concionatus, Deo juvante, abunde populo satisfecit; et statim ut in parochia Sti. Joannis, quae post cathedralem ecclesiam primaria est, ut concionaretur urgebant, et recusanti ob linguae defectum, se satis eum intelligere respondebant. Ipse etiam

Digitized by Google

Archiepiscopus, vir sanctitate, doctrina et concionandi talento insignis, urgebat eum et affirmabat quod civitatis aedificationi suis concionibus consulere deberet; et ita in festo Corporis Christi apud Sanctum Joannem est concionatus, et promittere eum oportuit in parochia D. Martini se concionaturum, quod et fecit, sicut in festo D. Petri in cathedrali ecclesia [1].

376. Magnam se in illa urbe mutationem invenisse scribit ex eo tempore, quo inde recesserat, tam in frequenti usu Sacramentorum confessionis et communionis et in spirituali multorum profectu ac devotione et permultis operibus pietatis, ad quae omnia Collegium Societatis multum contulisse per Dei gratiam affirmat. Et ita ea civitas magna benevolentia ac devotione Societatem ac nominatim P. Mironem complectebatur; nam ejus sermonibus et ministerio confessionis multi homines primarii valde profecerant. Testatur autem idem P. Hieronymus nullo in loco Societatis tam frequentem hominum concursum diebus dominicis et festis se vidisse, adeo ut oportuerit ex collegio nostro ad vicinam ecclesiam, quae amplior erat, nostros se conferre, ut confluentibus ad concionem utriusque sexus hominibus satisfacerent; et nihilominus augebatur ad conciones singulas auditorum frequentia.

377. Cum jubilaei gratia Valentiae promulganda esset ultima Maii hebdomada, misit P. Miron tres ex nostris sacerdotibus in carcerem gubernatoris ad audiendas confessiones eorum, qui ibidem detinebantur. Prius tamen ipsemet simul cum gubernatore et assessore et quibusdam juratis atque alia hominum multitudine ad vinctos, quorum magna erat copia, ingressus erat; et tanto cum fervore ad confessionem est adhortatus ut durissima alioqui hominum corda, qui nihil minus quam de jubilaei gratia cogitaverant, ad lacrymas et poenitentiam per Dei verbum emolliverit; unde omnes ad jubilaeum obtinendum alta voce confessionem petiverunt. Et quia in illo carcere juxta delictorum formam vincti separantur, post primam exhortationem tres alias in tribus locis ubi, qui detinebantur, primam non audierant, seorsum habuit, eodem charitatis zelo totum carcerem perlustrans; et sua exhortatione per Dei gratiam obtinuit

[1] Ignatius Archiepiscopo Valentino, Sancto Thomae a Villanova, officiose et de quadam Pontificis bulla, 1 Februarii.

Digitized by Google

ut omnes de peccatis confiterentur et ad sanctissimum Christi Corpus sumendum se praepararent. Inter eos nonnulli erant ex neophytis de agarenorum gente, qui etiam confessi sunt, licet Sanctissimam Eucharistiam non acceperint. Erat autem magnus eorum, qui in carcere custodiebantur, numerus, et pium hoc opus, ut insolitum, ita multum aedificationis et admirationis civitati dedit. Curavit autem idem P. Miron ut eleemosynae a piis viris conferrentur, ut diebus jejunio dicatis cibum vincti sufficientem et congruis temporibus sumentes jejunare possent; et ita in utroque homine eos est consolatus. Postquam autem et eorum confessiones et reconciliationes a nostris auditae sunt, quos duobus postremis diebus aliqui religiosi praedicatorum et minorum juverunt, tres missas diversis in locis celebrando, sanctissimam Eucharistiam eis ministrari curavit.

378. Nostri praeterea in monasterio, quod Collegio vicinum erat (*Hierusalem* vocabatur), simul cum P. Hieronymo Domenech, confessionibus audiendis dedere operam. Confluxit autem ad eos mira hominum multitudo. Erant qui sex, decem, et viginti annis confessi non fuerant; et per Dei gratiam in hoc jubilaeo fructus egregius in horrea Domini relatus est. A quinta hora post mediam noctem inchoando totum diem et aliquando ad multam usque noctem audiendis confessionibus magna cum perseverantia nostri confessarii vacabant, et cum ad mediam usque noctem ibi haerere satis non esset, ut hominum satisfieret multitudini, facultatem a Superiore petebant in hoc pietatis officio pernoctandi; quamvis ea concessa non est.

379. In ultima quadragesimae hebdomada, pro more civitatis Valentinae, meretrices, quae plurimae ibi sunt, in locum quemdam retrudi et includi solent, ut saltem eo tam sancto tempore ab offensis Dei abstineant. Conceditur et illis praedicator, ut conetur eas a peccatis ad saniorem mentem reducere. In hac ergo jubilaei ob prosperum Concilii successum promulgatione, postquam in illum locum redactae sunt, P. Miron tres integras horas illis est concionatus, et tantum illi Dominus dedit fervoris et verbo Dei tantum efficaciae, ut undecim ex illis, et paulo post quatuor aliae in alia concione non minus prolixa, a turpi vitae genere revocatae sint. Itaque quindecim in domum ad hujusmodi resipiscentes Valentiae constitutam deductae fuerunt, ubi Sacerdotes aliqui constituti sunt, qui Mis-

Digitized by Google

sae sacrificium celebrent, spiritum ipsarum foveant, et in Domino eas consolentur. Ex nostris etiam aliqui mittebantur ad confessiones earum audiendas; et eisdem prospicere ut honestum vitae statum assumerent curabatur. Affirmabant autem duo vel tres viri nobiles, qui cum duobus aliis nostris fratribus P. Mironem erant comitati, quod nisi tres inveteratae dierum malorum meretrices alias non retinuissent in suis peccatis, media pars earum ad Dominum fuisset conversa, cum magnopere commotae verbo Domini fuissent.

380. Decima quarta Julii accepit P. Jacobus Miron litteras a P. Ignatio scriptas, quibus ei injungebat ut in Portugalliam se conferret ad ea Societatis negotia tractanda, de quibus paulo inferius agetur; et ille quidem promptissimum statim se exhibuit ad obedientiam P. Ignatii immo et Summi Pontificis, qui id etiam sibi gratum significaverat, exsequendam. Existimabat autem ipse perutilem fore P. Hieronymum Domenech in ea civitate, si ipse discederet, partim ut ipsi civitati partim ut Archiepiscopo satisfieret, qui aegre admodum laturus P. Mironis recessum videbatur; si tamen P. Hieronymus ibi maneret, conservaturus animi sui benevolentiam et rebus Societatis promovendis bona desideria quae conceperat exsecuturus videbatur. Sic etiam P. Hieronymus Domenech sentiebat, si humana ratio spectaretur, nihil accidere potuisse magis incommodum illi Collegio quam ex eo P. Mironem removere. Ipsi autem Hieronymo etiam scribebatur ut in Siciliam rediret, negotiis absolutis propter quae venerat, Romam tamen prius veniret; sed negare etiam ipse non poterat, recedente P. Mirone, suam ibi praesentiam esse necessariam, cum praesertim nec Pro-regis negotium expeditum esset, nec illud etiam, quod ad Collegium attinebat. Sed ejus pater, Petrus Domenech, qui fructum egregium ex opera P. Mironis procedentem considerabat, et ad Collegii fundationem et augmentum, quod eatenus ejus impensis alebatur, ejus operam necessariam esse censebat, consolationem vix admittere poterat [1].

[1] Ignatii patentes litterae, quibus Patrem Jacobum Mironem in virtute obedientiae jubet in Portugalliam proficisci intra decem dies post litteras acceptas, 1 Junii. Has litteras comitabantur aliae, quibus decem dierum spatium ad quindecim, si necesse foret, extendebatur; et aliae, quibus de iis, quae in Portugallia agere debebat, eum Ignatius edocebat. Polancus, *ex com.,* Hieronymo Domenech, ut in Siciliam rediens Romam veniat, 1 Junii.

Digitized by Google

381. Recessit ergo P. Miron 21 Julii et secum duxit Patrem quemdam, cognomine Parram, et coadjutorem, et puerum illum duodecim annos cum dimidio natum, de quo superius mentio est facta; visum tamen fuit P. Hieronymo, nisi parentes ejus id peterent, nullo modo eum esse Valentia abducendum. Erat is parentibus unicus filius, et si aliis carus erat, facile videri potest quantopere tam insignis indolis et eruditionis puer parentibus gratus esset. Suscepit tamen difficilem hanc provinciam ipse puer ipsis persuadendi ut P. Mironem rogarent ut se in Portugalliam adduceret. Postquam ergo se Deo commendavit, parentes aggreditur; cumque pater minitaretur ei, si ulterius ea de re quidquam diceret, ea tamen rhetorica spirituali usus est puer, ut in suam sententiam utrumque parentem pertraxerit, adeo ut P. Mironem cum lacrymis rogarent ut puerum secum ducere in Portugalliam vellet; et magis mirum id est, cum fervor aestatis mense Julio unicum filium ac delicatulum toto in itinere male tractaturus videretur. Cum autem matri, omnibus flentibus, serena ipse fronte ac laeta valediceret, subirata inter lacrymas mater dixit ei: o caro cain *(sic)*, putas me non esse matrem tuam, qui tam duro corde a me discedere potes? Respondit puer discedere se ut Deo perfectius inserviret; inde esse quod laeto animo id faceret. Cum autem idem puer fratribus spiritualibus in Collegio nostro valediceret, ubertim flevit, ut tam de exuto humano affectu quam de spirituali induto omnes in admirationem converterit.

382. Post recessum itaque P. Mironis et sociorum, coepit P. Hieronymus Domenech christianam doctrinam explicare; sed cum quinque vel sex lectiones praelegisset, tanta hominum multitudo confluebat ut necessarium fuerit in aliud tempus eam lectionem differre; nam vetula quaedam ex oppressione, quam passa est, mortua fuisse postea dicebatur; alia vero exanimata aliquantisper, et duae ad abortum compulsae; itaque donec aestus defervesceret, se ab auditoribus expedivit.

383. Non pauci ad Societatis institutum moti fuerunt, quo tempore P. Hieronymus Domenech Valentiae versabatur. Tres ex illis cursum philosophiae et theologiae emensi fuerant; quartus intra tres menses vel quatuor eumdem cursum erat absoluturus; omnes ingeniosi et ad optima quaeque propensi, et qui suis in litteris exspectationem concitaverant. Quia tamen extra re-

Digitized by Google

gnum Valentiae mitti merito cupiebant, Romam quidem mittere eos P. Hieronymus constituebat, sed terra marique clausis tunc itineribus propter bellorum perturbationem, ad P. Mironem in Portugalliam eos misit. Aliquos alios adolescentes Panormum ad probationis domum mittere volebat, ex his qui Societati se adjungere nitebantur; sed propter impedimenta itinerum id praestare non potuit; quamvis proficiscente Rege Bohemiae, Maximiliano, paulo post cum triremibus, simul cum P. Caesare et Alberto jam dictis, quatuor ex his scholasticis cum alio sacerdote in Societatem etiam admisso, in Italiam et Siciliam destinavit. Huic sacerdoti exercitia proposuerat et in Societatem Valentiae admiserat, qui, in latinis et graecis litteris bene versatus, hebraeas etiam attigerat, et post philosophica studia theologiae operam dabat.

384. Aliis etiam non paucis exercitia spiritualia idem Pater tradidit; inter quos Iniestae Vicarius, qui a viginti et duabus leucis cum alio saeculari venerat, vir non exiguae auctoritatis, et mirifice profecit. Exercuerat se prius ejus nepos cum singulari fructu in eisdem meditationibus; cujus exemplo patruus commotus, Valentiam ad exercitia excipienda venerat. Affirmabat Vicarius, cum Concha transiret, se clerum illum tam immutatum vidisse ex exemplo et conversatione eorum, qui superiore anno se exercuerant in hac palaestra, ut religiosi viderentur; unde et alii non pauci ex illa civitate ad hoc ipsum Valentiam venire constituebant; sed ibidem multi alii hoc ipsum expetentes diu exspectare cogebantur, quia domus nostra, ubi semper aliqui se exercebant, non tam multos commode excipere poterat.

385. Duodecim vel tredecim ex nostris Valentiae residebant, partim Sacerdotes, partim scholastici egregiae exspectationis. Nullas tamen eleemosynas vel petebant vel admittebant, sed expensis Domini Petri Domenech alebantur. Sacerdotes autem, etiam post recessum P. Mironis, pietatis operibus vacabant, nec eis satisfacere ac praesertim confessionibus poterant. Aliquos ex his, qui Societatem petebant, alio mittere cogebantur, in provincias Hispaniae vel Portugalliae; ex quibus aliqui Gandiam, ut superius dictum est, missi sunt; et quidam sacerdos non admissus ad aliam se religionem convertit. Verum aliqui insignioris talenti detinebantur, donec ad exercitia

Digitized by Google

spiritualia suo tempore admitti possent. Sed et aliquae matronae primariae eisdem exercitiis plurimum profecerunt. Egregius autem operarius P. Balthasar, de quo scribit P. Hieronymus Domenech quod trium operariorum laborem sustinebat, strenue in vinea Domini P. Hieronymum juvabat, cui non admodum vacabat concionari propter eorum, qui spiritualia exercitia accipiebant, multitudinem et perutilem catechismi lectionem ac confessionum ministerium.

386. De professorum domo instituenda jam tunc et cogitare et agere P. Hieronymus coepit, qui ex eleemosynis viverent et scholasticos quietiores in suo Collegio relinquerent; et videbatur quibusdam hac ratione Collegium reditibus augeri commodius posse, si professi in consuetis domorum ministeriis se diligenter exercuissent. Sed cum nondum haberet Collegium domum propriam, visum est tandem eidem promovendo dandam esse operam. Cum autem frater ipsius Patris Hieronymi, eo tunc Valentiae agente, mortuus esset, et ejus soror, quae unica patri supererat, Deo servire se velle diceret, ex reditibus Petri Domenech et patrimonio materno ipsius Hieronymi dotari posse Collegium videbatur. Tamen, cum postea soror nuberet, longe aliter res successit [1].

DE COLLEGIIS CAESARAUGUSTANO ET BARCINONENSI

387. Initio hujus anni Caesaraugustae solus erat P. Alphonsus Roman, sacerdos, cum Romam venisset P. Franciscus de Rojas. Vacabat ille ministerio Sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae atque non pauci frequenter accedebant. Audiebat etiam earum confessiones, quae a turpi vita ad religiosam in monasterio Conversarum se reduxerant. Cum autem P. Franciscus, tunc Gandiae Dux, ad oppidum Monzon in reditu pervenisset, inde P. Franciscum de Rojas cum P. Tablares et aliis quibusdam Caesaraugustam dimisit, qui die ve-

[1] Iis similia, de quibus supra sub num. 330 sermo est, missa sunt Balthasari Diaz Valentiam, 1 Januarii.

Digitized by Google

neris sancti ad Caesaraugustanam domum pervenerunt, et quamvis perpauci ex nostris in ea insigni urbe versati essent, magno tamen in pretio ab eadem habebantur, et primores urbis, inter quos Comes de Ribagorza erat, sex sacerdotibus necessaria omnia offerebant; Inquisitor etiam regni illius de Societatis rebus informari et spiritualibus exercitiis excoli optabat, quae multi nobiles viri magno cum fructu spirituáli acceperant. Unde non videbatur expedire ut de nostris Caesaraugusta revocandis ageretur [1].

388. Florianus ille Polonus, paulo antequam nostri admonerentur, ut Vallisoletanos ita Caesaraugustanos nostros pecunia emunxerat; cum enim ex obedientia P. Ignatii se properare Romam fingeret, et cum non manifestando, in transitu Regni Castellae ad Regnum Aragoniae, quae ferebat, spoliatus ab officialibus vectigalium fuisset, P. Roman quadraginta ducatos ei mutuo dari curavit a quodam amico; et ne beneficum hominem perturbari sinerent, etiam in magna paupertate sua ei, qui fidei jussor fuerat, pecuniam restituendam curaverunt [2].

389. Paulo post, ut superius dictum est, P. Strada Caesaraugustae aliquot dies versatus et tam in Cathedrali ecclesia et monasteriis concionatus est et fructum et desiderium Societatis magnopere auxit; et post ejus recessum major hominum frequentia ad sacramenta percipienda ad nostros accedebat. Ex civitate etiam vicina, quae olim Bilbilis, nunc Calatayud dicitur, Societatem nostram et optabant et evocabant; sed pauci tam multa in loca dividi non poterant.

390. Facultatem absolvendi a casibus haeresis a Summo Pontifice impetratam P. Ignatius in Hispaniam ad Collegia, sicut et aliarum nationum, miserat, et quidem per patentes litteras; sed illis in regnis propter auctoritatem Sancti Officii Inquisitionis moderatissime illa utendum esse prudentes existimabant; nam aegre ferre Inquisitores videbantur aliis quam ipsis facultatem eam concedi. Permissum fuerat P. Francisco de Rojas ut locum eligeret, ubi studiis dare operam posset; sed cum vide-

---

[1] Patri Francisco Romam iis similia de quibus supra sub num. 390.

[2] Ignatius Joanni de Queralt, de rebus Floriani de Rolis, fuse, et ut ea cum aliis in Hispania Societatis domibus communicet, 15 Martii. Similes missae sunt Francisco de Villanova, Complutum, et Alphonso Roman Caesaraugustam. Vide supra, ad annum 1550, n. 29, pag. 15

Digitized by Google

ret Superiorem eo propensum ut Caesaraugustae maneret, donec alius ejus loco substitueretur, ibidem manere decrevit; et quamvis numerum crebro confitentium auctum invenit, detractiones non exigui momenti a viro religioso et magnae auctoritatis profectas, et apud primores urbis non paucas sparsas reperit; et cum scriptas propositiones eorum quae dicebantur eidem religioso, qui amicum se nostris exterius exhibebat, in suo monasterio ostendisset ac reprehendisset, ille negavit quidem, sed paulo post ad veniam petendam a nostris misit. Nihilominus semina illa in quorumdam animis diabolus retineri curabat, ut quorumdam profectum impediret. Alii quidem multi non parum in benevolentia erga nostros et in Deum crescebant. Aliquam tamen tempestatem quasi a longe imminentem hi rumusculi ostendere videbantur. Exhortationes spirituales P. Roman non sine fructu habebat, et tam Caesaraugustae quam in locis vicinis fructus uberrimus sperabatur (nam neophyti ex agarenorum gente plurimi eo etiam in regno sunt), si concionator aliquis egregius eo missus esset, sine cujus opera minus late patere poterat [1].

391. Conservator Aragoniae, Joannes Ludovicus Gonzalez, ac ejus soror, Domina Aldunzia, aegre admodum ferebant quod nostri Romam litem avocassent, quam Domina Anna, ipsorum soror, omnibus intentabat pro Collegio ab ipsa olim oblato et Societati applicato. Et quamvis propter Societatis ipsius utilitatem id non fieret, in ipsorum gratiam, ne detrimentum paterentur, resisti Dominae Annae cupiebant; nihilominus Societas nostra liti et causae cessit, non juri quod ad ipsam attinebat. Cum autem Conservatori et Aldunziae se fauturam, ubi commode posset, obtulisset, magna consolatione illi affecti sunt. Is tamen favor et juris retentio non levis incommodi in posterum Societati causa fuit. Cum autem Caesaraugustae jam non sufficerent duo sacerdotes, plures expetebantur ut messi auctae possent satisfacere [2].

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Roman; Conservatori Caesaraugustano; Dominae Elvirae de Mendoza; et sorori Auditoris, Antonii Agustin, de domo Societatis Caesaraugustana, 1 Martii; idem Patri Alphonso Roman, de lite Dominae Annae Gonzalez, 11 Martii.

[2] Polancus, *ex com.*, Caesaraugustano Conservatori, Joanni Gonzalez de Villasimplez, de lite Romam avocata circa domum Societatis Caesaraugustanam, 1 Januarii; ab eodem quaerit quid fieri Romae possit a nostris ut Domina Anna Gonzalez Roma excedat et in Hispaniam redeat, 1 Maii.

Digitized by Google

392. Collegiolum Barcinonense per adventum P. Strada initio hujus anni lacertos movere coeperat; sed cum post paucorum dierum conciones satis commotam civitatem reliquisset, Caesaraugustam et deinde Burgos, ut superius dictum est, ille perrexit et pauci Sacerdotes, qui Barcinonae versabantur, in consuetis occupationibus eorum, qui ad confessionem et communionem crebro accedebant, occupabantur. Hi autem tam multi erant, ut diebus dominicis, cum non possent nostri tam multis satisfacere, aliquos etiam externos sacerdotes in auxilium adhiberent. Exercitia etiam spiritualia quibusdam proponebant, et quamvis nullum concionatorem nec litteris insignem de Societate penes se haberent, non sine fructu Barcinonae versabantur et litteris Roma missis animari se valde et consolationis multum accipere sentiebant, quas et amicis communicabant. Miserunt nihilominus P. Provinciali socium Antonium Gou, magnae integritatis virum. Admiserunt etiam in Societatem juvenem Catalaunum in philosophia versatum, Petrum Domenech nomine, quem Antonius Gou ad Provincialem ac P. Franciscum Borgiam in Cantabriam deduxit. Alii etiam juvenes in Societatem admitti ibidem petebant, inter quos Joannes Cors cum illis, quos paulo superius missos a P. Hieronymo Domenech diximus, in Italiam cum classe Maximiliani venit. Toto autem hoc tempore in operibus variis pietatis occupati sine domo propria adhuc Barcinonae nostri residebant [1].

DE REBUS PORTUGALLIAE ET AFRICAE

393. Aberat initio hujus anni P. Simon Provincialis, qui Romam venerat. Rex tamen Portugalliae Februario mense P. Ignatio scripserat se aliqua negotia cum eodem conferre velle; unde rogabat ut primo quoque tempore expeditum ab his, quae Romae tractanda erant, in Portugalliam remitteret. Postulabat

---

[1] Joanni de Queralt, trassumpta et epistola, de quibus supra sub num. 330. Polancus, *ex commissione*, Joanni Bonaventura de Gualves, de Petri Domenech negotiis et barcinonensi Collegio, 15 Martii; idem Joanni de Queralt ut medicos consulat antequam Petrum Riera ad Galliae Regem mittat, et si quos habeat ad domestica munia potius quam ad litterarum studia aptos, eos Romam mittendos curet, si tamen et valetudine bona et honesta corporis compositione seu apparentia sint praediti, 1 Julii.—Cons. etiam *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 222, not. 2, et t. V, pag. 40, not. 10.

Digitized by Google

etiam ut illi Magister Jacobus Miron adjungeretur, cujus praesentiam in initiis Collegii Conimbricensis perutilem fuisse intelligebat. Et inde accidit ut P. Ignatius Majo mense ad P. Mironem scripserit ut intra decem dies post litteras acceptas in Portugalliam se conferret, quamvis in inclusis litteris adhuc quinque dies alios illi permittebat. Consilium autem P. Ignatii in eo mittendo fuit non solum ut Regi satisfieret, sed etiam ut de rebus illius provinciae coram inspectis ad se referret. Quaedam enim aliter procedere quam ipse vellet intelligebat.

394. Exhibebat nihilominus Rex Joannes sese et protectorem et parentem Societatis, et non satis habebat quaecumque petebantur libenter ei tribuere, sed etiam aliis signis de sua benevolentia erga Societatem constare toti regno volebat. Sequebatur curiam Regis P. Ludovicus Gonzalez cum P. Magistro Gonzalo, qui, quamvis ex eleemosynis ibidem viveret et paupertatem experiretur, conquerebatur nihilominus se curiae illius venenum imbibere, et magno perfectae obedientiae desiderio, ejus praecipue quae ad intellectum pertinet, tenebatur; et quamvis quatuor obediret Superioribus, scilicet, Magistro Gonzalo jam dicto, Rectori Conimbricensi, Provinciali, ac Generali, auxilium tamen per litteras obnixe postulabat, ut non tantum actiones ac verba sed judicia etiam singula conformaret. Voluit eo tempore P. Ignatius Magistrum Joannem Coviglionum ex Portugallia ad se mitti, ut Ingolstadium destinaretur, et cum id postularet, non posse facile extorqueri ab illis principibus Pater Ludovicus significabat. Tandem, P. Mirone cum aliis in Portugalliam misso, inde eductus Coviglionus est [1].

395. In Collegio Conimbricensi nostri et litteris et profectui spiritus pro more operam dabant. P. Urbanus vicem absentis P. Simonis supplebat, et satis diligenter ac prudenter suo munere fungebatur. In hospitali Conimbricensi non magnam occasionem exercendae charitatis nostris relinquebat charitas Patrum ordinis Sancti Eloy, qui suo officio abunde satisfaciebant;

---

[1] Ignatius Regi Portugalliae gratias agens quod Simonem Romam venire permiserit, 1 Januarii. Polancus, *ex com.*, Ludovico Gonzalez de Camara, non oportere ut curiam Regis, absente Simone Rodericio, deserat et Romam veniat, 15 Martii; eidem, de obedientiae virtute, quam Ludovicus sibi ab Ignatio impetrari postulaverat, 1 Aprilis; eidem de Georgio Morera, eum experiendi gratia ad hospitale e domo Romae missum, etc., eadem die. V. supra, hoc anno 1551, n. 12, pag. 169.

Digitized by Google

ideo domi, quae ad abnegationem pertinent, in infimis ministeriis exercebantur [1].

396. Cum autem augeretur in dies existimatio nostrorum, multi ad varios Episcopatus, ut Societatis consueta ministeria exercerent, vocabantur. P. Joannes Coviglion cum socio Blasio Laurentio ad quaedam Conimbricae vicina loca missus fuit, et magno cum fructu animarum in eisdem versabantur; lusitanica lingua illi quasi vernacula facta erat, et ejus conciones in eadem libentissime audiebantur. P. etiam Gonzalvus Vaz cum socio sacerdote ad Episcopatum Algarbiorum, ipso Episcopo petente, qui Societati amicissimus erat, missus est. Collegium ille institui apud se cupiebat et quingentos aureos annui reditus offerebat; res tamen non omnino maturuit.

397. Cardinali Infante id postulante, ad Eborensem dioecesim sex ex nostris missi sunt, scilicet, P. Valerianus Mendez, Petrus de Parada, Franciscus Pinto, Balthasar Diaz, Joannes Vazquez et Emmanuel Fernandez, et variis in locis vineam illam excolere coeperunt, de quibus inferius aliquid dicetur, sicut et de P. Gonzalvo de Sylveira, qui cum socio sacerdote, Gaspare Diaz, Bracharam est missus. Ad Episcopatum autem Guardiae P. Emmanuel Leyte cum socio missus est. Postulabat etiam Regina ut aliqui ad mirandensem Episcopatum mitterentur. Multi demum alii, litteris ac nunciis Conimbricam missis, operarios Societatis postulabant, usque adeo ut missiones hujusmodi et confessionum audiendorum studium, quae frequentes admodum erant, non solum litterarum studiis sed etiam valetudini incommodarent. Patres Leo Enriquez et Ludovicus de Grana per civitatem Conimbricensem ad confessiones multorum audiendas mittebantur.

398. Sex etiam hoc anno in Indiam missi sunt, quorum quatuor Sacerdotes erant, Melchior Nugnez, primus omnium scholasticorum, qui Societatem Conimbricae ingressi sunt, Patres Gonzalvus Rodriguez, Morales et Heredia; duo etiam non sacerdotes, Petrus de Almeida et Christophorus de Acosta. Examinatus autem Melchior a Conimbricensibus doctoribus ad gradum doctoris theologiae promotus est. His adjuncti fuerunt

---

[1] **Ignatius Rectori Conimbricensis Collegii, plura de gubernatione et ut litteras aperiat et legat vice Simonis Rodericii, 1 Januarii; eidem Polancus, *ex com.*, de Georgio Morera, ut praecedenti numero et nota.**

Digitized by Google

decem ex his pueris orphanis, quos Abbas Petrus Domenech inter suos orphanos elegerat, quos aptissimos esse judicaverat ut, postquam instituta fuisset in India orphanorum domus, in Societatem admitti possent; nam ab eo sic instituebantur ut qui prae caeteris ingenio et indole pollebant, ad Societatem idonei redderentur. Quinque praeterea spirituales viri, venditis rebus suis et in usum pauperum bona ex parte distributis, suis expensis navigationem in Indiam sunt aggressi, ut in India in Societatem admitterentur; et spes ipsis data est, quod, si bene in itinere se gessissent, ibi essent admittendi. Commode autem sub ipsum tempus navigationis fasciculum litterarum a P. Ignatio acceperunt, quibus litterae apostolicae confirmationis Societatis per Julium Pontificem factae et alia, quae gratissima nostris in India erant futura, continebantur, quas Patres secum detulerunt, mense Martio Ulyssipona cum classe recedentes. Et tam apti ad spiritualia et temporalia in India tractanda hi Patres censebantur, qui hoc anno in Indiam missi sunt, ut alii in Portugallia aptiores eligi non potuisse censerentur [1].

399. Cum Collegio Societatis conimbricensi praeceptoria Sancti Antonii, facultatem quamdam habens petendi eleemosynam (*petitoria* vocabant) applicata esset, admonuit P. Urbanus multa indignissima ab illis ministris perpetrari, qui hujusmodi petitoria exercebant, cum pro more Collegium tale munus illis committeret, et ad bonum nomen Societatis obscurandum hoc facere; admonuit molestas etiam esse amicis spiritualibus eleemosynas, ex quibus nostri Ulyssiponae et in curia Regis vivebant et ad diminuendam existimationem ac devotionem hominum erga Societatem id cedere, et ostium patens magnis periculis aperiri. Optabat idem Urbanus magnopere regulas Societatis, ut se P. Ignatii voluntati in omnibus conformarent, accipere; quas tamen usque ad annum sequentem, quo P. Natalis eo pervenit, non acceperunt [2].

400. Missus Bracharam P. Gonsalvus de Sylveira cum socio in itinere non parum laboris tulerunt, cum sine pecunia missi

[1] Polancus Abbati Petro Domenech plura de iis quae Romae in favorem domus orphanorum Ulyssiponensis gerebantur, 1 Januarii, 15 Martii et 1 Maii; eidem Ignatius orphanorum domus curam non posse a nobis suscipi, 1 Junii.

[2] Polancus, *ex com.*, Urbano Fernandez, Conimbricensis Collegii Rectori, de *petitoriis* et Abbatia, ut Simonem Rodericium consulat ejusque judicio stet; Ignatium tamen judicare scholasticos in Collegiis ex mendicato vivere non expedire, 1 Junii.

Digitized by Google

ex mendicato viverent, et tamen ab eis nihil acciperent, cum quibus de Deo loquebantur; unde aliquando incoenati post laborem itineris quiescebant. Hoc autem ad aedificationem hominum cedebat, quod non quae sua erant sed quae Christi quaerere cernebantur; unde optimum suae vitae odorem ubique relinquebant.

401. Cum ad civitatem Portus pervenissent, statim ab his, quos P. Strada et alii de nostris in spiritu promoverant, visitati fuerunt; horum enim et numerus et profectus satis auctus fuerat. Iis ergo petentibus negare non potuit quin aliquoties concionaretur partim in cathedrali ecclesia, partim in quibusdam urbis monasteriis; quod munus tanto cum fervore obivit ut admiratione et aedificatione populum repleverit; et cum retinere illum ad quadragesimam instanter percuperent, ille vero obedientiam, qua Bracharam mittebatur, obtenderet, miserunt portuenses ad Archiepiscopum Bracharensem litteras ut illum suae civitati impetraret; et cum optimus Archiepiscopus, majorem Dei honorem ac fructum animarum sincere cupiens, rem totam ipsimet P. Gonzalvo, qui jam Bracharam venerat, commisisset, majorem esse necessitatem ratus Gonzalvus et juxta obedientiam magis se facturum existimans, vineam Bracharensem praelegit; ubi in hospitali divertere et ex eleemosynis ostiatim vivere voluit, quamvis Archiepiscopus ut a se admitteret, eum urgeret.

402. Non erat huic Archiepiscopo, viro alioqui sancto, satis notum Societatis nostrae Institutum; sed cum P. Gonzalvo quid ipsi in mentem veniret conferens, abunde sibi satisfactum esse testatus erat. Coepit autem concionari, et confessiones audire, et eos, qui inter se dissidebant, ut reconciliaret inter se, investigare. Cum autem primo die quadragesimae in cathedrali ecclesia praedicasset, auditoribus quidem satisfecit, sed non sibi. Die veneris sequentis in hospitali sine suggestu et stando, praesente etiam Archiepiscopo et capitulo, sic concionatus est, ut auditores attoniti manserint, et sibi etiam non displicuisse concionem hanc, quam alii admirabilem fuisse scribunt, affirmabat. Prosecutus est autem conciones tum in cathedrali ecclesia tum in quodam monasterio monialium, quae multum profecerunt, tum in custodia publica, ubi, absoluta concione, in confessionibus audiendis totum diem expendebat. Hospitalis etiam

Digitized by Google

leprosorum curam suscipere voluit, et quod reliquum erat temporis, spiritualibus colloquiis et multorum confessionibus et in spiritualibus exercitiis tradendis consumebat, quosdam enim viros primarios per ea adjuvando, ad alios non paucos utilitatem spiritualem redundaturam sperabat. Quibusdam etiam simultatibus componendis operam dabat; unde solum noctis tempus studio concionum et orationum dandum erat. Et cum tantum, quod ex mendicato accepisset ostiatim, comederet, satis debilis et macilentus effectus est. Hujusmodi autem paupertas, quamvis in ipso valde laudanda est propter sanctum ipsius affectum, non utique imitanda nostris videbatur nec ipsi etiam continuanda. Ejus autem socius in aegrotis visitandis, juramentis reprehendendis et pacibus conciliandis occupabatur.

403. P. Emmanuel Leyte cum Francisco Figueredo ad Episcopatum Guardiae missus, in ea urbe aliquot conciones singulis hebdomadis habuit cum auditorum satisfactione et fructu maximo. Quemdam Abbatem, concubinarium publicum, cum magna diligentia a peccato avocare conatus est, qui tamen non solum in coeno suo jacere voluit, sed mortem minatus est, si ad se rediret. Melius successit quod cum viro quodam honorato tentavit; qui cum alium occidere curaret, a quo colaphum acceperat, hortatus est multis hominem ut hanc noxam condonaret; cui cum offensus responderet id fieri non posse, sed vindictam esse necessariam, subdit Emmanuel: inflige mihi, inquit, quotquot colaphos volueris et sume vindictam, quam volueris, dummodo alii condones. His verbis tantum virium Dominus dedit ut ille vehementer commotus multis cum lacrymis dixerit se omnem noxam condonare propter Dei amorem; et ita inter ipsos pax conciliata fuit. Alios etiam, qui propter inflictum vulnus discordes erant, obtinendo ab eo, qui vulneratus fuerat, veniam, pacem inter eos composuit, quinquaginta aureos ad expensas vulnerato solvi jubens; sed is, qui propter Deum injuriam remittebat, libere et sine ulla pecunia remittere voluit. Ad oppidum Covilhan idem evocatus, decem dies in hujusmodi charitatis functionibus expendit, et cum in hospitali diverteret, primores oppidi ipsum adierunt magna laetitia propter ejus adventum affecti. Singulis diebus concionatus est cum frequenti admodum totius populi auditorio, discordias multas et quidem aliquas perdifficiles composuit, et ut publice in ecclesia veniam

Digitized by Google

peterent eos adduxit; confessiones etiam multae auditae fuerunt, et quia in quadragesima praeterita concionibus P. Alphonsi Tellez multum adjuti fuerant, erga Societatem magno charitatis affectu propensi erant.

404. Socius P. Emmanuelis, Franciscus de Figueredo, christianam doctrinam pueros docebat et aliquos etiam ipse discordes ad pacem ineundam adduxit. In aliis locis similia pietatis opera ab eis exercebantur, et in primis pacificatio dissidentium diligenter erat curanda; in quibusdam enim vicis omnes mutuis odiis se invicem prosequebantur; in quibus post spiritualia colloquia qui inter se dissidebant, coram Patre conjungebantur, et ad veniam mutuo donandam et amplexibus et consalutationibus eam testandam cum magna aedificatione adducebantur; et si quis obstinatior ad ignoscendum inveniebatur, velut confusus recedebat.

405. Ex illis sex Patribus, qui in Eborensem Archiepiscopatum missi fuerunt, P. Valerianus Mendez, cum Serpam (civitatis nomen ad quam destinatus est) pergeret, in oppido Veia, quod in itinere est, precibus Comitis pratensis et aliquorum nobilium aliquot dies substitit, et quotidie magna cum satisfactione concionatus est, et confessiones aliquorum audiebat. Ejus autem socius, Sacerdos, in eisdem pene totum tempus consumebat, et in discordibus conciliandis, et aliis pietatis functionibus. Cum ibi octo dies exegissent, prima dominica quadragesimae valde mane, ut ab hominibus ejus populi non detineretur, qui recessum impediebant, iter est prosecutus; et in quibusdam pagis eo die concionatus est ipso in sacrificio Missae; et humaniter ab hominibus illis excepti et trans flumen navigio deducti, Serpam sub crepusculum vespertinum pervenerunt. Percrebuit statim rumor per urbem quod duo apostoli ingressi fuerant; et cum se nostri ad hospitale recepissent, tam multi eo ad eos invisendos confluxerunt, ut non posset eos hospitale capere, tamque amanter exceperunt, ut vix possent amplexibus clericorum et aliorum resistere; nam ab anno praeterito P. Emmanuel illis notus erat. Cum igitur populus frequens eo convenisset et ut concionaretur nocte imminente urgeret, quamvis eo die aliam concionem habuerat et fatigatus ex itinere eo pervenerat, satisfecit tamen eorum pio desiderio Valerianus; et tam egregie concionatus est ut Sacerdos, ejus socius, nunquam se similem con-

Digitized by Google

cionem audisse ab eo sit testatus. Erant in urbe duo vel tres alii concionatores, et unus eorum egregius; sed cum sequentibus diebus P. Valerianus coepit concionari, fere totus populus eum sequebatur et rationem cur alios non adiret addebat, scilicet, quod P. Valerianus ante et post praedicationem confessiones audiret et alia pietatis opera exerceret, quod in aliis non videbat. Opera itaque charitatis auctoritatem praedicationi et efficaciam conciliabant. Bonus hic P. Valerianus male habebat, et cum tussi sanguinem ore emittebat, quo in casu medici etiam colloquia prohibent; ille tamen conciones non omisit, quas et ferventer et alta voce, ut a frequenti populo audiretur, habebat.

406. P. Emmanuel Fernandez in civitatem *Helvas* nuncupatam, prope Castellae limites cum socio missus est, et avide exceptus. Ubi suum concionandi officium exercere coepit, totus populus, ut Emmanuelis socius scripsit, ardere igne Spiritus Sancti visus est. Ab aliis ad Episcopatum Portalegrensem et Algarbiorum missis, sicut et a quatuor per Eborensem Archiepiscopatum discurrentibus, similia dictis facta esse intelligantur. Illud tantum addam de P. Joanne Coviglione, quod praeter praedicationem et confessiones, lectionem etiam addidit, qua Sacerdotibus Missae canonem explicabat; ejus autem socius cum diem confessionibus impendisset, sub vesperam, tintinnabulo accepto, pueros convocabat, et cum illis in processionis modum litanias et orationes, quas eos docuerat, decantabat; ipse autem eos praecedens, animas purgatorii alta voce commendabat; qua commendatione peracta, cum pueri genua flectentes magno clamore misericordiam a Domino implorarent, ad magnam compunctionem et lacrymas populum excitabant; diebus etiam veneris quadragesimae pueri flagellationem publicam addebant, quibus et aliqui viri ad hoc ipsum se adjungebant; et his absolutis, ad hospitale se conferentes exhortationem spiritualem simul audiebant.

407. Peregrinationes quaedam etiam quibusdam ex Collegialibus injunctae fuerunt. Prope Conimbricam et in ipsa etiam civitate aliqui ex nostris concionati sunt. Confessionum autem tantus erat numerus ut duodecim vel tredecim Sacerdotes, studiis omissis ut huic rei vacarent, in quadragesima satisfacere confluentibus non possent. Is enim erat hominum affectus erga

Digitized by Google

nostros et ea existimatio ut, qui ipsis non confiteretur, quodammodo non esse confessus sibi videretur. Collegiales autem non sacerdotes sub finem quadragesimae operibus charitatis, praesertim ad subventionem pauperum et ad infirmorum curationem vacabant. Cum etiam poenitentiae plus satis indulgerent, P. Urbanus injunxit ut ad se flagella et cilicia deferrent et si quae similia his essent, et magnam hujusmodi rerum copiam ad cubiculum ipsius delatam collegit; et inter flagella quaedam erant tam aspera ut inferre nocumentum corporibus potuissent, si prohibita non essent.

408. Numquam tam late missiones quam hoc anno patuerunt. Missus fuit P. Alphonsus Teglio[1] cum socio, P. Cornelio, ad Episcopum Portalegrensem, et in itinere cum ad oppidum, nomine Figeidum, pervenisset, et pluviae vehementes iter impedirent, primores ejus oppidi nostros in hospitali adierunt rogaruntque, quoniam Deus eorum recessum impedire per pluvias videretur, ut se consolari per praedicationem et confessionis sacramentum vellent; omnes se, pro devotionis affectu, quo Societatem complectebantur, licet quadragesima nondum advenisset, peccata confessuros esse. Coeperunt nostri populi hujus confessiones audire et decem vel undecim diebus fere omnes audierunt. Concionatus est etiam P. Alphonsus aliquoties, unde major ad confessionem instituendam fervor accessit. Inter alios, qui ejus concionibus valde commoti fuerunt, virgo quaedam primaria fuit, quae vanis pompis et ornatibus supra modum dedita, cum ejus pater vellet eam nuptui tradere, nullum illa sponsum se dignum arbitrabatur; sed sic illustravit ejus tenebras divina lux ut nulla lacrymarum copia sua peccata deflere se sufficienter posse judicaret, et, omni ornatu abjecto et vilissimis tecta vestibus, vane anteactam vitam tamdiu luxit, donec se in monasterium monialium, ut in poenitentia quod reliquum erat vitae exigeret, contulit.

409. Hinc progressi nostri, Alphonsus eleemosynam a quodam in itinere occurrente viro honorato postulavit, quam cum ille libenter dedisset, socius ejus et superior, P. Cornelius, dixit necessariam nondum sibi eleemosynam esse; quare, ut donanti restitueret injunxit. Admiratus valde is, cui restituta fue-

[1] Alias scribit ipse Polanci librarius *Telles*.

Digitized by Google

rat eleemosyna, obnixe eos rogavit ut in oppido, quo pergebant, hospitium suae domus admitterent; quod cum etiam recusarent ad oppidum venientes, et in hospitali, quod nullum erat, divertere non valentes, quamvis frigus validum esset, nullum reperire locum tecto opertum poterant, ubi saltem temporis injuriam averterent. Accidit autem ut P. Cornelius jurantem quemdam virum audiret; quem cum blande admoneret, tantopere ille commotus est, ut qui excipere eos, ubi paleas reponebat, prius noluisset, jam propriam domum magno cum affectu obtulerit. Inde recedentes et ad civitatem Portalegre vocatam pervenientes humanissime ab Episcopo sunt excepti. Prius tamen, cum ad hospitale pergerent et eleemosynas mendicassent, obviam illis factus est clericorum judex, qui cum clericis ignominiosum esse diceret mendicare, P. Cornelium, libenter se capi sinentem, ad Vicarium ut puniretur deducebat. Cum deinde incideret in P. Alphonsum etiam mendicantem, et illum capere voluit; sed postquam eum rationem reddentem audisset, P. Cornelium etiam dimisit; qui expostulabat cum socio quod hanc patiendi pro Christo occasionem ei ademisset.

410. Ad Episcopum ergo, qui avide eos exspectaverat, venerunt et ab eo rogatus Alphonsus ipso die Purificationis B. Virginis coepit concionari, et prosecutus est diebus dominicis et festis magno cum fructu suas conciones. Quamvis enim eo munere quidam theologus doctor, cognomine Pedraza, eo in loco et tempore fungeretur, multa ille honorifice de Societate pro concione dicens ad Alphonsum populum transmisit; qui praeter conciones, quotidie christianae doctrinae lectiones majori etiam cum fructu pueris et aliis, qui ad eos accedebant, praelegebat, et ut illam addiscerent non mediocrem curam adhibebat. Instruxit etiam pueros ut per ea loca urbis se conferrent, ubi juramentis offendi solebat Dominus, ut genibus flexis hujusmodi juratores rogarent ut memores secundi praecepti Dei a jurando abstinerent; quod pueri tam devote et humiliter exsequebantur ut qui eos audiebant non parum erubescerent quod a pueris docerentur, quos magis aequum fuerat ut pro ratione aetatis ipsi docerent. Instruxit etiam pueros ut inter se de christiana doctrina ac pietate loquentes, hac ratione vana colloquia in bona ac pia commutarent. P. autem Cornelius plurimorum confessiones audiebat ac dissidentes multos concilia-

Digitized by Google

bat; quem fructum cum ille Doctor Pedraza admiraretur, a Spiritu Sancto moveri corda civium affirmabat, qui antea nullis praedicationibus adduci potuerant, ut extra quadragesimae tempus confiterentur. Magna itaque morum ac vitae in civitate per Dei gratiam facta est mutatio. Cum autem Episcopus, imminente quadragesimae tempore, alio mittere hos Patres constituisset, eis ad se vocatis significavit quoddam esse oppidum suae dioecesis, quod magnopere ipsorum doctrina et exemplo indigeret, quoniam tam clerici quam laici multi in peccatis publicis versarentur.

411. Cum nostri se paratos obtulissent, pedites et sine pecunia, quamvis illam et jumenta Episcopus amanter offerebat, cum amplis facultatibus spiritualibus in illud oppidum profecti sunt, quod Castellum de David dicebatur, prope Castellae regnum situm. Injunxit autem ut in prima concione P. Alphonsus Tegliez suo nomine omnibus tam ecclesiasticis quam saecularibus poenas omnes ac punitionem, quam pro peccatis publicis promeriti erant, remitti significaret, dummodo in posterum resipiscerent. Fuerunt ergo illo in oppido initio cum timore excepti; aliqui enim eos Inquisitores, alii Commissarios apostolicos advenisse sparserant; sed concionator quidam ordinis minorum, cui Societas nota erat, in quadam concione cum multa in laudem Societatis dixisset, et ut eorum doctrina se juvari sinerent commendasset, suggestum ecclesiae primariae nostris reliquit; ubi P. Alphonsus concionari coepit. Doctrinam nihilominus christianam a prandio docebat. Et large communicatis ab Episcopo facultatibus, prout expedire judicabat, utens, aliis sacerdotibus injunxit, ut nullum concubinarium publicum absolverent, sed ad se mitterent. Hujus autem negotii curam P. Cornelius suscipiens diligenter curavit ut publica peccata, quae magnam offendiculi causam populo praebebant, de medio tollerentur. Et quia perdifficile quibusdam erat, si in eodem oppido manerent, a peccatis abstinere, eos ex oppido pecunia adjutos, cum opus erat (nam non deerant pii viri, qui ad id, quod necessarium erat, subministrarent) dimittebat.

412. In his igitur et in audiendis confessionibus multorum P. Cornelius quadragesimae tempus consumpsit; et cum dies non sufficerent, bonam noctis partem poenitentibus Deo reconciliandis tribuebat; a secunda enim hora post mediam noctem

Digitized by Google

usque ad horam prandii jam imminentem huic pio labori dabat; et aliquando vix duas horas dormierat, et jam ad portam complures ut eorum audirentur confessiones exspectabant. Multi autem et se et bona sua arbitrio nostrorum omnino submittebant, nihil aliud quam quod injunctum ipsis esset facturi. Aliqui clerici, qui in concubinatu publico erant, cum magna poenitentiae significatione concubinas reliquerunt. Concurrebant autem sacerdotes ad sua dubia nostris proponenda, et eorum consilio dirigi in omnibus cupiebant. Mulier quaedam, quae, cum conjugata esset, apud alium quam suum maritum vivebat, licet ille etiam conjugatus esset, et amore captus tanquam ductam in uxorem se velle retinere fingeret, compuncta nihilominus illa ab eo recessit; et cum alia quaedam, in simili peccato manens, nullis exhortationibus ab amico separari posset, alia ratione Dominus illam separavit; nam ille ipse, apud quem haerebat, eam occidere volens vulneravit, et ita ad se reversa et punitionem Dei agnoscens resipuit; quae res populum etiam terruit et obsequentiorem nostrorum admonitionibus fecit. Quindecim demum aut sexdecim homines, ut ejusmodi peccata publica vitarentur, ex oppido dimissi sunt; alii in uxores suas concubinas duxerunt. Cum autem propter matrimonium quoddam gravissima scandala consecutura viderentur, quia, cum sponsus ad puellam ducendam die praescripto cum magna consanguineorum et amicorum turba veniret, et pater virginis obviam ei factus significaret res paratas non esse ad nuptias, sponsus ad injuriam id suam factum esse interpretatus est; et convocatis consanguineis et amicis, constitutum est inter eos ut armis injuriam ulciscerentur. Cum autem consanguinei virginis ejus patri, qui primarius etiam erat, frequentes adessent, magna concertatio et periculosa impendebat. Hoc cum P. Cornelius intellexisset, magno sane labore cum ad se rejici hoc negotium impetrasset, omnia, Deo juvante, antequam ab eo recederet, composuit; ut tam sponsus quam sponsa et ipsorum consanguinei cum magna consolatione velut parentem omnium eum existimarent; et praeter odia et discordias evitatas, hoc matrimonio fere tercenti homines inter se dissidentes mutuo sibi invicem reconciliati sunt, quorum aliqui offensas gravissimas, ubi et casus mortis inciderant, condonarunt.

413. Inter hos duo fratres erant; qui, quod essent primarii

Digitized by Google

ac divites, valde in illo oppido timebantur; horum alter semper armis onustus erat, quod alium virum nobilem offendisset, a quo et consanguineis ejus sibi mortem timebat. Hos igitur fratres cum in quibusdam meditationibus ante confessionem P. Cornelius exercuisset, qui nobilem virum offenderat dixit P. Cornelio se paratum esse illum adire et genibus flexis veniam ab eo petere, ensem proprium illi exhibens quasi ejus se potestati submittens. Non id quidem permisit P. Cornelius, sed re cum Episcopo collata, offensum ipse adivit et pacem composuit. Cum autem hi Patres tam commotum populum ad optima quaeque viderent, et qua ratione conservari et augeri profectus hic spiritualis in eis posset cogitarent, ea demum media ad fructum conservandum utilissima visa sunt, quae ad eum producendum utilia fuerant experti; ea autem Sacramenta videbantur crebro sumpta, per quae Dominus multum gratiae illi populo communicaverat.

414. Confraternitatem itaque instituerunt sub nomine B. Virginis de charitate et quasdam constitutiones addiderunt, inter quas erat ut singulis mensibus semel confiterentur et communicarent, ac praeterea omnibus in festis solemnioribus Christi Domini, et B. Virginis, et Apostolorum. Cum autem in librum redigeret nomina eorum, qui huic confraternitati adscribi volebant, dum post Pascha primo confiteri debuerunt, jam quingenti nomina dederant (inter quos triginta mulieres peccatrices ea quadragesima conversae), et novum satis videbatur, ubi semel tantum in anno confiteri homines solebant, post Pascha hujusmodi frequentiam ad sancta Sacramenta videre. Qui autem cum aedificatione id spectabant, confusi quodammodo manebant quod idem non praestarent, et multi proponebant in posterum id facere. Unde cum secundo confraternitatis homines confiteri et communicare vellent, jam septingenti erant, quibus aderat Episcopus et sua manu sanctissimam Eucharistiam fere quingentis ex eis porrexit, postquam Missae sacrificium solemniter celebrasset. Et ut maximam ipse Episcopus consolationem accepit ita et suo gregi dedit. Ingressum in confraternitatem istam et Sacramentorum frequentem usum magna vitae ac morum mutatio consequebatur; et alii alios ad optima quaeque invitabant et hortabantur.

415. Cum autem ad Collegium nostrum redire hi Patres

Digitized by Google

vellent, genibus flexis Episcopum populi rogabant ut nostros retineret, et cum nostri obedientiam obtenderent, nuncium illi unum ad Rectorem Collegii Conimbricensis, et alium ad Reginam mittere parabant. Sed cum nostri id intellexissent, eos ab incoepto revocarunt et circa reditum suum operam se daturos receperunt. Et ita sub tempus Adventus non quidem P. Alphonsus sed Pater alius, cognomento Sanctae Crucis, ad eumdem Episcopatum cum P. Cornelio missus est, et magno cum fructu ibidem versati, variis pietatis operibus vacaverunt, ac spiritualia exercitia nobili cuidam et primario viro, qui olim in India ordinem militarem cum laude duxerat, proposuerunt. Hic tantopere profecit ut ejus vitae mutatio admirationi hominibus esset, et verbo ac exemplo alios ad optima quaeque excitabat; pauperibus multum subsidii tribuebat; uxorem et domum suam totam in oratione mentali instrui voluit, in qua ipse non parum profecit; et tunc se christianum esse incipere affirmabat. Aliis etiam multis nobilibus spiritualia exercitia proposita fuerunt, et supra quadraginta virgines ex primoribus in rebus spiritualibus instructae, ad quas erant satis idoneae, et ex illis multae ad religionis statum se recipere constituerunt. Ipso autem die Natalis Domini, post praedicationem P. Sanctae Crucis, concordia inter multos, qui inimicitias inter se exercebant, conciliatae fuerunt.

416. Cum vero die sequenti Sti. Stephani festa quaedam profana pro more futura essent, unde multae Dei offensae consequebantur, hic Pater omnibus illis simul junctis in quadam ecclesia concionatus est, eisdemque persuasit, adjuvante illo nobili viro, de quo superius est actum, ut expensae in vanis hujusmodi rebus faciendae in opera pietatis converterentur. Adjunxit etiam nobilis ille aliquam pecuniae summam, quam quotannis dare constituit ut pauperibus subveniretur; et ut aliquae virgines singulis annis in matrimonio collocarentur, quidam ex primoribus curam susceperunt; et ad publica peccata reprimenda atque eliminanda aliqui ex confraternitate jam dicta delecti fuerunt, et si non ipsi illa eliminare valerent, ut Episcopi et Regis etiam auxilium implorarent. Alia plurima per eosdem operatus est Dominus, inter quae magna quaedam vidua honorata animae consolationem invenit, quae septem jam annos gravissimas fidei tentationes patiebatur et, cum religioso cuidam

Digitized by Google

viro confiteretur nec ille huic morbo remedium inveniret, rogavit quemdam ex nostris, ut illius poenitentis confessionem audiret; quod cum fecisset, summa mentis tranquillitas et pax, immo et consolatio spiritualis insignis, est consecuta. Postmodum autem et monasterium ingredi ipsa decrevit.

417. Non minus diligenter P. Gonzalvus Vaz cum socio in Algarbiorum missione elaboravit. Aliquoties eo in loco, ubi Episcopus erat, cum magna hominum consolatione verbum Dei praedicavit; quod cum fecisset etiam consequentibus diebus, et Episcopus in aliam civitatem, nomine Tabyram, ut in quadragesima praedicationi et confessionibus vacaret, mittere eum vellet, aegre admodum ab eo loco, ubi coeperat concionari, avelli potuit. Tabyram pervenientes et ad hospitale se conferentes, concionibus initium P. Gonzalvus dedit; et in secunda concione, explicando illud evangelii: *diligite inimicos vestros*, contra odia, quae in ea civitate latissime patebant, gladium verbi Dei convertit. Cum autem inter auditores quidam primarius vir esset, qui inimicitias cum fratre suo, etiam potenti viro, gereret, adeo ut neuter eorum egredi urbe sine armatorum custodia auderet ne ab altero opprimeretur, tam intime permotus est praedicatione hujus Patris a Domino ut, cum sacrum audiret, non potuerit finem ejus exspectare; sed, elevato Corpore Domini, se ex ecclesia praeripuit, et ad domum sui fratris se contulit, et suos ad portam relinquens, solus ad superiora ascendit, et genibus ante fratrem provolutus cum multis lacrymis veniam ab eo petiit; et sic etiam fratrem permovit ut cum magna dilectione eum amplexus pro inimico frater amicissimus sit effectus. Quae res civitati magnae aedificationis causa fuit, cum multi frustra hanc concordiam tentassent. Alii etiam complures, simultatibus ac inimicitiis relictis, partim praedicationibus, partim confessionibus adjuti, in gratiam mutuam redierunt.

418. Postquam P. Gonzalvus de Sylveira multa perutiliter in Bracharensi Archiepiscopatu gessisset et per exercitia spiritualia omnibus monialibus tradita quoddam monasterium plurimum in spiritu promovisset, ad civitatem Portus, quae hoc a Rectore Conimbricensi impetraverat, usque ad festum Pentecostes ibi mansurus, venit; ubi cum maximo fructu, praesertim inter viros primarios ejus urbis, versatus est; et

Digitized by Google

cum populus jam valde ad pietatem propensus esset, haec nobiliorum in melius mutatio desiderabatur, quos per exercitia spiritualia magnopere adjuvit. Sed de missionibus satis dictum sit; hoc tamen addam: in ipso Episcopatu Conimbricensi multa hoc anno pietatis opera per missiones hujusmodi effecta sunt; inter caetera autem illud unum referam, quod, cum P. Joannes de Govea ad quoddam oppidum, quod odiis et tumultibus plenum erat, et homicidia multa timebantur quia populus in duas partes divisus esset, quarum utraque vindictam expetebat, coepit ille et sigillatim cum illis de concordia agere, et in ecclesia deinde de ponendis odiis et vindictae affectu concionari; et sic homines utriusque factionis commoti a Domino fuerunt, ut ad ipsum concionatorem ad pacem propensi venerint; qui curavit ut ante non inde recederent quam sibi invicem reconciliati, in testimonium concordiae se invicem amplecterentur; quod cum magna aedificatione statim effectum est. Tantumdem accidit Patri Balthassari Diaz in alio loco. Alia plurima hujusmodi in his missionibus hoc anno acciderunt, ex quibus satis intelligi potest quam sit utile hoc missionum institutum ad Dei gloriam et animarum auxilium [1].

419. Aliqui juvenes in litteris eruditi in Collegium Conimbricense admissi sunt, et nostrorum numerus in eo Collegio ad centum et quadraginta et amplius hoc anno ascendit, ex quibus quadraginta theologiae dabant operam; et multa inter eos praeclara ingenia erant, quamvis occupatio concionum et confessionum sacerdotes theologos quibusdam anni temporibus aliquo modo impediret, praesertim gratia jubilaei, quae vigesimo quarto die ante festum Corporis Christi promulgata Conimbricae fuit. Nam toto hoc tempore, perinde atque in quadragesima, sacerdotes in confessionibus occupati fuerunt, immo et frequentior poenitentium numerus erat, cum fere omnes, qui jubilaeum consequi voluerunt, confessionis gratia ad nostros accesserint. Hi tamen labores aliquos ex nostris oppresserunt nimis, ac praecipue superius dictum Valerianum ac P. Joannem

---

[1] Quae a num. 400 ad hunc usque num. 418 continentur, desumpsit Polancus ex quadrimestribus, ut dicebantur, Lusitaniae litteris Conimbrica, Ulyssipone, Almeirino, Evora, etc. Romam missis. Ab iis hic sigillatim enumerandis supersedemus, quia earum plures, juvante Deo, brevi edemus.

Digitized by Google

de Sancto Michaële, qui sanguinem emovere pergebant; unde et hanc vitam brevi cum aeterna commutarunt [1].

420. Qui ad monasterium S. Felicis anno superiore se contulerant, quamdiu ibi versati sunt, locorum vicinorum pueris christianam doctrinam inculcabant, quos multi aetate provectiores imitabantur, et in quibusdam vitiis magna immutatio visa est. Illi autem, postquam emensi essent philosophiae curriculum, Conimbricam cum P. Emmanuele Godino viginti et sex numero redierunt die 4.ª Septembris; duos tamen sacerdotes cum aliquo coadjutore, ut vicinorum spiritualibus necessitatibus subvenirent, et temporali utilitati Collegii Conimbricensis consulerent, ibi reliquit.

421. P. Simon, Provincialis Portugalliae, postquam varia Hispaniarum Collegia vidisset, ipsa vigilia Apostolorum Petri et Pauli Conimbricam cum duobus sociis pervenit, et fratres Collegiales non parum sua praesentia et narratione rerum Societatis, quas viderat, consolatus est. Sed ad curiam Regis progredi debuit, et ideo parum temporis Conimbricensibus tunc tribuit. Postmodum 18.ª Augusti Conimbricam P. Jacobus Miron pervenit, et vix dici posset quanta cum laetitia tam ab illis, quibus prius notus erat, quam ab aliis exceptus fuerit [2]. In variis ille locis substiterat, ut Conchae, non tam quiescendi gratia quam ut multorum confessiones audiret et etiam ut concionaretur. In civitate etiam Huetensi vicina, et Compluti ac demum Salmanticae haesit aliquantulum, cum socio P. Pertusa ac puero Nicolao Gracida, de quo superius dictum est, quem de mirabilibus mundi propter usum judicii, spiritum ac eruditionem ante aetatem maturescentem existimabat, quem tunc Salmanticae reliquit et paulo post socium ut Conimbricam comitaretur misit. Cum ergo Conimbricae versaretur P. Miron, perutilem operam egregiae indolis Collegialibus navavit, tam fre-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Urbano Fernandez, Collegii Conimbricensis Rectori, de iis quae Romam a Superioribus scribi debent; de eorum, qui in Societatem admitti possunt, dotibus tum animae, tum corporis; de obedientia; de corporis castigationibus; de oratione et meditatione; de indifferentia ad quaevis munia et occupationes; de litterarum studio juxta scopum quem sibi proponit Societas; de opinionum varietate vitanda; de recta in agendo intentione; qui litterarum studio aliisve occupationibus sint applicandi et qui ab eis removendi; et tandem de cura adhibenda ut ab omnibus regulae et constitutiones serventur, 1 Junii. Has litteras, quas comitabatur alia Ignatii hortatoria et officiosa, habes in *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 354 et seq.

[2] V. t. I, pag. 95, n. 32.

Digitized by Google

quentibus concionibus domesticis quam privatis colloquiis, quibus et de instituto Societatis et de modo procedendi in divino obsequio cum eis disserebat; et omnes fere ab eo spiritualia exercitia accipere et animae suae intimos recessus aperire optabant, et valdè se avidos ad spiritum huic Societati proprium atque germanum imbibendum ostendebant [1].

422. Sed cum aliquot dies, ut singulos alloqueretur, in Conimbricensi Collegio substitisset, ad Regis, qui ejus adventum a P. Ignatio impetraverat, curiam se contulit, quo 12.ª die Septembris pervenit et cum P. Simone Regem est allocutus ac P. Ignatii litteras ei dedit. Humanissime a Rege et cum magna significatione laetitiae exceptus est; et cum ipsius obedientiae P. Ignatius eumdem P. Mironem subjecisset, dixit ei Rex id sibi pergratum fuisse et ut se exemptum ab obedientia P. Simonis arbitraretur. Regina etiam, quae aderat, valde gratum se habere ipsius adventum ostendebat; et de Duce olim Gandiae, P. Francisco Borgia, aliqua illi principes sibi referri voluerunt, quia ad aedificationem magnam pertinebant. Videbatur Rex propensus ut in curia subsisteret P. Miron et ut ibidem concionaretur; sed P. Simon ejus praesentiam Conimbricae necessariam esse affirmabat; et quamvis injunxit ei Rex ut notaret etiam in scriptis quod in Portugallia manebat P. Miron suae obedientiae subjectus, permisit tamen ut ex curia recederet Ulyssiponam, ubi aliquoties concionatus et fratres, qui ibi erant, consolatus, Conimbricam rediit.

423. Ibi P. Urbano, Rectori, quae Roma scripta eidem fuerant de dubiis ipsius explicando et lucem adferendo, magnam consolationem impertitus est. Omnibus P. Miron, ut superintendens, Superior erat, et de obedientia, quam tantopere P. Ignatius commendabat, multa ab ipso audita eis referebat; et omnino iis, quae de rebus spiritualibus cum eis contulit, multum profecerunt. Non solum autem verbo sed exemplo etiam collegiales

---

[1] Ignatius Regi Portugalliae de Simonis Rodericii reditu et Jacobi Mironis profectione in Portugalliam, 1 Junii. Harum litterarum, quae per Regis Portugalliae in romana curia oratorem missae sunt, trassumptum authenticum, hoc est, ipsius Ignatii manu subscriptum, datum Jacobo Mironi, cui etiam in Portugalliam adsportandae datae sunt aliae plures litterae, sc., Simoni Rodericio, Urbano Fernandez, Joanni de Sancto Michaële, Antonio Brandon et aliis et insuper descriptio eorum, quae in Portugallia agere ipse debebat juxta ea, quae de rebus Societatis in illo regno circumferebantur.

Digitized by Google

instruere curabat, nec solum laborando diu noctuque, sed cum superior esset, in omnibus humilibus exercitiis aliis se formam praebebat, nec se alio modo quam quemvis ex aliis in victu tractari volebat; et sic aliis etiam sacerdotibus humilitatis functiones facile imponebat; usum etiam poenitentiarum in parva mensa ac reprehensionum eo modo, quem Romae observaverat, induxit; et hic modus non suavis solum sed et utilis admodum illis fuit, ut experientia se didicisse scribebant [1].

424. Induxit praeterea formulam quamdam domus probationis, et in quadam aula in dormitorii modum triginta ex his, qui juniores erant et in Societate magis novi, collocavit, ac P. Leonem Enriquez primum eis novitiorum magistrum constituit; qua ratione effectum est ut et illi magis proficerent, et quia tantae multitudini Collegium angustum erat, commodius reliqui habitabant. Curabat autem praefectus eorum ut a singulis rationem exigeret modi procedendi, et ut silentium suis temporibus servarent, ac meditandi et conscientiam examinandi formam consuetam; et alii aliorum exemplo excitabantur facilius, cum simul essent, et eorum spiritualibus necessitatibus consulebatur. Aliquos etiam ex veteranis interdum illis adjungebat, et noctu, post lectionem, quam P. Leo praelegebat, quae meditaturi erant sequenti die proponebat. Crebro illis aderat P. Miron, qui studiorum etiam peculiarem habuit curam, et qui erant ejusdem facultatis studiosi, curabat ut in eadem parte Collegii habitarent, ut commodius alii aliorum opera juvarentur. Quamvis autem praeclara erant Collegialium ingenia, major tamen ordo in studiis et major exercitatio desiderabatur. Voluit autem conclusiones tam a theologis quam a philosophis bis singulis hebdomadis haberi; repetitiones autem quotidie habebantur, quibus et ipse Miron intererat. Singulis autem facultatibus aliquem, qui reliquis in repetendo et disputando praesideret, constituit; et si quis negligenter egisse videbatur ad parvam mensam mulctae nomine mittebatur. Itaque tam in spiritu quam in litteris et instruxit illos melius et incalescere illi magis utrobique coeperunt. In festo Omnium Sanctorum multi vota sua nuncuparunt, alii renovarunt, flagellatione praecedente et cum magna animo-

[1] **Responsum Ignatii ad Urbani dubia contineri videtur litteris, de quibus supra sub n. 419.**

Digitized by Google

rum alacritate. Inter eos, qui magnum specimen abnegationis et humilitatis ostendebant, Theutonius erat, Ducis Bergantiae frater, qui utinam in eo spiritu usque in finem perseverasset.

425. Venit et Conimbricam 4.ª Novembris P. Simon, qui a Rege facultatem ad id impetraverat, ut diutius ibi subsisteret; gubernationem tamen Collegii P. Mironi relinquebat. Auxit hujus P. Mironis industria ac P. Petri Diaz, qui etiam hoc anno Roma profectus Conimbricam venerat, magnum affectum apud omnes charitatis et unionis erga P. Ignatium, et magnam ad ei obediendum in omnibus, et ad mores juxta formulam, quam Romae observaverat, conformandos; et cum singulis seorsum agendo tam gratiae Dei quam tentationes secretae, quae curatione indigebant, deprehensae et curatae fuerunt; unde novus fervor et solidior in fratribus fructus spiritualis secutus est. Agi etiam coeptum est de ecclesia augenda cum perangusta esset, quam prius habebant, ad fructum spiritualem, praesertim externorum, procurandum; confessiones enim multae erant et communiones etiam augebantur, et externorum, qui perseverabant in frequenti sacramentorum usu et in oratione, in qua instructi fuerant, singularis fructus cernebatur. Sed et in alio templo, quod *Misericordiae* vocant, sacerdos quidam christianam doctrinam dominicis et festis diebus explicabat, quo frequens populus et magno cum affectu confluebat, et in virtute magnos progressus multi faciebant, cum post exhortationem aliquod mysterium vitae Christi eis proponeret, quod in tota illa hebdomada certis horis ruminarent. Accidebat autem ut cum pedissequae doctrinam hanc audissent, suis heris ut ad eamdem venirent persuaderent; et tantopere afficiebantur ut, cum sacerdotem illum alia in re occupare P. Simon vellet, supplicatum ei fuerit hujus auditorii nomine ne suum ipsis praeceptorem optime de se merentem auferret, quod et obtinuerunt.

426. Cum autem obtinuisset P. Simon Romae plenariam indulgentiam omnibus qui nostrae ecclesiae majus altare visitassent, tam multi concurrerunt eo die, qui designatus fuerat, ut pauci in tota urbe reliqui fuerint, qui non ad obtinendam indulgentiam eo venerint. Oportuit tamen ut concio extra ecclesiam fieret, quae hominum multitudinem capere non poterat. Fuerunt etiam eo die confessiones et communiones plurimae. Et haec sint dicta de Collegio Conimbricensi, in quo aliqui hoc

Digitized by Google

anno ad meliorem vitam, ut speratur transierunt; inter quos fuit Georgius Vaz, qui in regno Congi fuerat et multum in viea Domini laboraverat, unde labores, tam spiritus quam corporis, aegritudinis et mortis illis causa exstiterunt.

DE DOMO ULYSSIPONENSI

ET HIS QUI IN CURIA VERSABANTUR

427. Ulyssiponae semper aliquis operariorum numerus residebat; nam singulis dominicis diebus plusquam ducenti confitebantur et communicabant, sed eorum qui minus frequenter ad sacramenta accedebant, copiosus admodum erat proventus. Consuetis etiam aliis ministeriis, juvandi scilicet morti vicinos, pauperibus subveniendi, dissidentes reconciliandi, semper vacabant, et populus magna cum devotione ad templum nostrum Divo Antonio sacrum confluebat, ubi diebus veneris sacerdos quidam ex nostris exhortationem habebat ad eos, de quibus jam alias scriptum est, quod cum summa admiratione populi flagellationi et orationi vacabant; et tantae aedificationis erat civitati haec pia exercitatio, ut si nihil aliud boni in ea fieret, videretur multis ad Dei misericordiam hominibus ejus populi promerendam satis futura. Integros dies ante et post prandium in confessionibus et operibus pietatis nostri consumunt, ut perpetua apud eos esse quadragesima, quod ad hoc attinet, videatur. Veniebant etiam domum multi homines pii ut, inter se et cum Patribus de rebus spiritualibus loquentes ac bonos libros legentes, ab occasionibus Deum offendendi recederent; et si concionatorem aliquem, qualis erat P. Strada, habuissent, facile totam urbem inflammari posse sancto igne charitatis existimabant. Qui in Indiam erant profecturi, quamdiu necessaria ad navigationem parabantur, in sacramentorum ministerio nostros Ulyssiponenses juvabant; multis etiam spiritualia exercitia tradebantur.

428. In curia Regis, quae erat in oppido Almeirino, praeter P. Simonem erat P. Ludovicus Gonzalez et aliquot alii sacerdotes ac fratres, qui uniformi sed magno labore audiendarum confessionum (quae in ea curia erant frequentissimae) distineban-

Digitized by Google

tur. Magister autem Gonzalvus hoc labore in gravem incidens aegritudinem, ex curia missus est Conimbricam, et apud S. Felicem non multo post ex hac vita decessit. Multis operibus charitatis ibidem illi Patres vacabant, et Collegii negotia interim ibi curabant; cum autem habitatio nostrorum nimis arcta et incommoda Almeirini esset, jussit Rex eamdem novo aedificio augeri et concinnari; et interim nostri in vicinum oppidum Sanctarenum se contulerunt, unde facile curiae Regis suis temporibus aderant. Cum autem Rex exequias suorum parentum, fratrum, et filiorum valde solemnes Ulyssiponae vellet celebrare, secum eo deduxit P. Simonem. Erant autem in eis exequiis sexcenti et amplius religiosi, praeter sacerdotes saeculares et regiae capellae, et a die lunae usque ad diem veneris exequiae hujusmodi durarunt, quibus absolutis, P. Simon bona cum venia Regis, ut superius est dictum, Conimbricam se contulit.

DE INITIIS COLLEGII EBORENSIS

429. Cardinalis Infans Portugalliae, Eborensis Archiepiscopus, Collegium Eborae aedificaverat, ad cujus dotationem Summus Pontifex reditus aliquos ecclesiasticos concesserat fere septingentorum ducatorum; et quamvis pauperes sacerdotes sui Archiepiscopatus ex his reditibus alere Cardinalis constituisset, postea ad Societatis Collegium potius erigendum animum applicavit, immo et augere fundationem hanc serio cogitabat. Hujus voluntatis causa illi fuerunt fortassis, qui hoc ipso anno in Archiepiscopatum ejus missi et ab ipso Cardinali per varia oppida et urbes distributi, fructum egregium in horrea Domini intulerant. Ut autem ea de re tractaret, habito Magistri Simonis consensu, evocavit Cardinalis mense junio Patres Ludovicum Gonzalez ac Joannem Coviglion et cum illis de Collegio suo Societati tradendo contulit, et ut ad se aliqui mitterentur, qui Collegii hujus fundamenta jacerent, P. Simoni scripsit, quem per jam dictos duos Patres de omnibus certiorem fecit. Sequenti autem Septembri hujus anni denuo ut aliqui ad se ad hoc opus inchoandum mitterentur rogavit [1].

[1] Henricus, Portugalliae Princeps et Cardinalis Ignatio, de Evorensi Societatis Collegio et in commendationem Societatis, 10 Novembris.

Digitized by Google

430. Cum autem Dominum Antonium, Infantis Ludovici filium, ad Cardinalem, ipsius fratrem, Ludovicus mitteret, ut ibidem theologiae daret operam, aliquos ex nostris scholasticis, qui socii studiorum Antonio forent, expetebat, eoque magis quod et ipse Infans Ludovicus id optare et etiam contentus fore videretur si Dominus Antonius, qui naturalis ejus erat filius, Societatem tandem ingrederetur, ad quam mirandum in modum coeperat uterque Infans, Cardinalis et Ludovicus, affici. Initio ergo mensis Octobris octo ex Collegio Conimbricensi ad novam hanc coloniam missi sunt, sub Rectore P. Melchiore Carnero, qui postea Nicaenus Episcopus et successor Patriarchae Ethiopiae in Indiam est missus, praeter quem alii erant, scilicet, Michaël de Barros, Alphonsus Barretus et Martialis Vaz et Petrus de Fonseca, qui omnes auditores theologiae, praeter Rectorem, futuri erant. Adjunctus est et illis P. Joannes Coviglion, et ad officia domestica tres fratres coadjutores. Non plures missi fuerunt, quia necdum aedificium erat absolutum. Hi igitur, novem numero, cum Eboram pervenissent, humanissime a Cardinali excepti fuerunt, et in monasterio quodam, quod olim fuerat monialium, collocati, donec absolveretur proprii Collegii aedificium.

431. Erat apud Cardinalem P. Ludovicus de Granada magno in pretio ab ipso habitus, Ordinis praedicatorum, qui magno charitatis affectu Societatem complectebatur. Is, cum intellexisset Cardinalis voluntatem de Collegio suo Societati tradendo, manus ejus osculatus est perinde atque si ipse beneficium hoc accepisset, et nostris venientibus amicissimum se praebuit, ut si ex illis unus esset. Cum autem illi Cardinalis injunxisset ut populo in concione declararet, quod ipse facere de hoc Collegio constituerat, ut magis ad nostrum institutum civitas afficeretur, impigre frater Ludovicus de Granada id est exsecutus, et admiranda, quae de Societate nostra ipse conceperat, auditoribus declaravit, statum ejus apostolicum vocans, et quod id ageret omni industria ut homines ad sanctitatem primitivae Ecclesiae reduceret. Quae ideo dicta accipiantur, ut optimi illius religiosi benevolentia explicetur.

432. Non sunt aggressi statim theologiae studium nostri, quia Dominus Antonius tertiana febri laborabat; sed interim, quod ex cursu philosophico reliquum erat, absolverunt. Paulo

Digitized by Google

post duas habuerunt scholasticae theologiae lectiones, alteram D. Thomae, alteram Magistri sententiarum, a perdoctis theologis, Domini Antonii praeceptoribus, perlectas. Exemplo interim nostri aedificationi aliis erant, et P. Carnerus tam in confessionibus quam in tradendis exercitiis spiritualibus egregie laborare in vinea Domini coepit; et cum magna esset concepta exspectatio de nostris, et laboribus plus satis premeretur P. Carnerus, alium ei adjungere sacerdotem et laborum socium oportuit.

DE REBUS TITUANI GESTIS

433. Versabatur P. Joannes Nugnes hoc anno, sicut et superiori, Tituani cum socio ac fratre, Joanne Bogado, et in hospitali Misericordiae ab ipso instituto ac domi etiam suam magnam charitatem aegrotantibus in misera illa captivitate christianis impendebat; et cum deerat pecunia, quod crebro accidebat, ipsimet saraceni, apud quos multum auctoritatis ejus integritas obtinuerat, promissis ejus stando, trecentos et quadringentos aureos ei credebant. Aliquos captivos redimendos curavit ex eleemosynis undecumque per litteras ex Portugallia et Hispania corrasis. Sic autem apud saracenos illos vivebat, ut qui apud eosdem in hoc pietatis opere reliquum vitae esset exacturus, si sancta obedientia aliud non praeciperet. Erat autem tanta captivorum multitudo ut in locis illis, quibus includuntur noctu, *mazmorras* ipsi vocant et octo erant Tituani, prae calore propemodum suffocarentur. Quamvis autem continuis laboribus urgeretur et injuriis interdum et colaphis a saracenorum pueris, immo et lapidibus, caederetur, nihil tamen perinde affligebat P. Joannis Nugnes animum quam quod aliqui pueri aut mulieres, immo et viri etiam, non ferentes extremam illius servitutis miseriam, Christi fide relicta, Mahometis perfidiam quadam desperatione animi sequebantur; ex quibus tamen aliquos sollicitudo et charitas Patris Joannis retinebat, aliquos etiam ad saniorem mentem revocabat, quamvis id non sine mortis aut servitutis periculo gravi faceret. Baptizabat autem christianorum filios et sacramenta confessionis et communionis captivis ministrabat; interdum etiam eisdem praedicabat. Cum autem piratae turcarum pueros christianos se-

Digitized by Google

cum ducerent, confugiebant illi miserabiliter ad P. Joannem, qui, cum non poterat eos redimendo ab illorum manibus extorquere, acerbissimo cordis dolore vulnerabatur. Non tamen orationem mentalem, et quidem satis diuturnam, inter labores et afflictiones gravissimas intermittebat [1].

EX BRASILIA,

AC PRIMO EX PRAESIDIO STI. VINCENTII

434. Variis in locis Brasiliae hoc anno nostri novam illam Domini vineam colebant. Erat inter alios P. Leonardus Nugnes, qui in populo Sancti Vincentii et aliis vicinis boni ac fidelis operarii munere fungebatur. Ecclesiam ibi aedificavit, qua id temporis non erat alia pulchrior aut commodior in Brasilia, et quamdiu P. Leonardus eo in loco versabatur, Sanctissimum Sacramentum in ecclesia cum magna consolatione nostrorum et externorum conservabat; domum etiam ad excipiendos Patres Societatis eo venturos confecit; Patres, inquam, nam fratres non magnopere expetebat, quia satis multos in Brasilia futuros sperabat, etiam peritos linguae brasilicae, licet essent lusitani. Hortum etiam muro circumdedit.

435. Concionatus est dominicis diebus per loca illa portui Sancti Vincentii vicina, quae Lusitani tenebant, et in quadragesima aliis diebus aliis in locis; diebus autem mercurii et veneris apud Sanctum Vincentium. Multi a peccatis publicis, in quibus diu insorduerant, emerserunt; et aliqui ex his, qui concubinas brasilicas habebant, in uxores eas duxerunt; quindecim vel sexdecim illi fuerunt, et octo alii tantumdem facere decreverant. Alii autem, qui in Portugallia uxores duxerant et alias in Brasilia sibi adjunxerant, has dimiserunt; alii vero liberi, postquam concubinas brasilicas vel servas reliquerunt, lusitanorum filias sibi in matrimonio copularunt. Praedationes, quas lusitani exercebant, brasilienses capiendo, ut servos sibi facerent, ejus exhortatione per Dei gratiam cessarunt; nec

[1] De iis, praeter quadrimestres Lusitaniae, videri potest *Vida del siervo de Dios, ejemplar de sacerdotes, el Venerable P. Fernando de Contreras,* por el P. GABRIEL DE ARANDA, de la Compañía de Jesús, Sevilla, 1602.

Digitized by Google

arma illis, ut soliti erant, jam dabant. Ludi, qui consueti admodum erant cum magna Dei offensa multisque blasphemiis, relicti fuerunt. Esus carnium in quadragesima et diebus prohibitis, quo multis annis lusitani usi fuerant, cum piscibus abundarent et sani essent, relictus est; et jejunia observari coepta pro viribus. In juramentis magna emendatio et in detractionibus et aliis peccatis est consecuta. Quatuor aut quinque populi vicini erant, qui summa operariorum penuria laborabant, nec poterat solus ipse tam dispersam messem colligere.

436. Quod ad gentiles attinet, tanta in eis signa fructus percipiendi videbat, si eis excolendis vacaret, ut aliquando ei in mentem veniret, relictis populis christianorum, cum fratribus ad eos se conferre. Gentilitas enim illa magnopere adventum nostrorum ad se exoptabat, quod indicium esse videbatur divinae misericordiae quae ipsos respicere incipiebat; nam magnopere Dei notitiam habere et eorum, quae ad salutem suam pertinebant, desiderabant; timebant enim vehementer mortem, judicium, et infernum, de quibus frater noster Petrus Correa, Societatem ibi ingressus, apud eos aliquando disseruerat; sic enim injungebat P. Leonardus terrore concutiendos esse. Mense Maio hujus anni inter brasilienses penetravit P. Leonardus, ut lusitanum quemdam, qui inter illos versabatur, et duas ejus filias ibidem natas inveniret, quae baptizatae non erant, sicut nec mater earum. Reduxit itaque familiam hanc, et puellas quidem baptizavit, matrem autem catechismo ante baptismum instruebat; ipse etiam maritus longa desuetudine exercitii fidei eo pervenerat, ut, perinde atque brasilici, catechismo indigeret. Hoc tamen differebat quod aegre et invitus se doceri sinebat; quod brasilienses facere non erat soliti. Alium hujusmodi domi habebat, qui tamen melius se in his, quae ad animam pertinent, gerebat, et confessus de peccatis communicaverat. Uterque morbo illo laborabat, qui intemperantiae comes est et poena et illis in locis valde familiaris hominibus est; et sanitatem utriusque hominis ambobus conferre P. Leonardus studebat et sperabat. Christiani cujusdam filius ex brasilica muliere, qui novem aut decem annos inter brasilienses, ut unus eorum, nudus vivebat, nec ullam Dei notitiam habebat, cum venatui ac piscationi vacaret, incidit in P. Leonardum, qui illac iter faciebat; et quamvis secum ducere ad oppidum Sancti Vincentii eum

Digitized by Google

non potuisset, promissionem tamen exegit, quod eo venturus esset; quam ille implevit et sic de manibus daemonis ereptus est. Multi hujusmodi inter brasilienses incedunt, qui baptizati fuerunt et propter pastorum penuriam, qui eos quaererent, peribant. Ad quosdam tamen eorum quaerendos ipse P. Leonardus se accingebat.

437. Profectus est ergo cum sex fratribus, quorum unus erat Petrus Correa in Brasilia admissus, et fere quindecim dies secundo flumine navigarunt inter altissimos ac desertos montes; et cum ea consumpta essent, quae ad victum secum detulerant, non exigua fame laborarunt, et ex his, quae in campis nascebantur, victitabant. Postquam ad populos indorum pervenerunt, humaniter sunt excepti. Quamdiu inter illos versati sunt, concionabatur Petrus Correa quae illi P. Leonardus suggerebat, et hoc in singulis locis, in quibus divertebant, faciebant. Et cum duas horas concionaretur, non solum audiebant patienter sed non esse differendum dicebant, quod illis suadebat, ut scilicet christiani fierent, et omnes ad discendum quod docuisset paratos se exhibebant. Sed cum nullam fere Dei notitiam haberent, nec regem, sed in singulis pagis aliquem inter caeteros primarium, cui in omnibus obedirent, baptismum differendum ducebat Leonardus ut a gentilitiis moribus ac erroribus prius revocarentur; cum praesertim quosdam habeant inter se, qui ab aliis sancti reputantur, quibus et credunt et obediunt in omnibus.

438. Cum unius istorum domum in quodam pago vidissent et deceptiones illorum ac figmenta didicissent, per interpretem Petrum Corream tres horas illis P. Leonardus praedicavit, et brasilienses omnino in omnibus ei acquiescebant et suos illos sanctos prorsus mendaces agnoscebant; et instanter ut apud ipsos manerent nostri et baptismum ipsis conferrent urgebant, omnia se necessaria subministraturos promittentes, ac filios suos interim docendos offerentes. Miseranda prorsus horum ignorantia visa est, cum ne moriendum quidem sibi esse scirent, nec quid post mortem esset secuturum curarent; omne ipsorum solatium ac negotium erat de bello gerendo agere et de bibendo dies noctesque inter cantus et choreas, de occidendis contrariis et eorum carnibus edendis. Illi etiam, quos sanctos vocant, anus ad juventutem redituras dicebant.

Digitized by Google

439. Postquam rediit P. Leonardus, conabatur omni studio quemdam hominem christianum a peccatis, in quibus viginti annos publice vixerat, revocare; et cum frustra id tentasset, ad sacrificium Missae coram aliis christianis ejus populi conficiendum se convertit, qui uno et duobus annis Missam aliquando non audiebant. Cum autem, dum sacrificium hoc offerret, vir ille, qui obstinatus in peccatis manebat, ad eam audiendam accederet, significandum ei curavit Leonardus quod, cum excommunicatus esset a Vicario, non poterat eo praesente Missa celebrari. Egressus est ille cum duobus filiis in Brasilia natis; et, cum P. Leonardus, absoluto sacro, ab ecclesia recederet, injecit vir ille manus in illum; accedebant et duo filii cum armis, qui velut sylvestres homines erant. Itaque P. Leonardus, ut mortem excepturus, genua flexit. Eripuit eum tamen Dominus de manibus illorum. In his itineribus et labores et pericula maxima subeunda erant, et aliquando flumina nando trajicienda.

440. Veniebant ex gentilibus hujus praesidii domum nostram et quotidie in christiana doctrina instituebantur; brasilienses etiam foeminae institutionem egregie accipiebant et aliis suae gentis mulieribus, immo et quibusdam lusitanis, velut speculum bonorum morum se exhibebant. Viragines sunt aliquae ex brasiliensibus foeminis et arma exercent et aliis foeminis ad officia domestica, quae filiis et maritis praestari solent ab uxoribus, utuntur; nec majori injuria affici possunt quam si quis eas foeminas vocet, et aliquando sagittis contortis talem injuriam ulciscuntur. Deceptores horum hominum persuadent hominibus quod spiritus in ipsos ingressi futura doceant, et ita mendacia multa praedicunt; et ut sanitatem dent aegrotantibus, quidquid habent eis offerunt, cum tamen sanandi facultatem nullam illi habeant; idem de victoriis hostium; et cucurbitulas quasdam in modum oris humani formant cum pennis variorum colorum et ab illis omnia bona exspectant; et si quos occidere volunt, simul atque id jubent, caedes perpetratur; et vitam ac mortem de manu istorum provenire censent. Et tamen hi ad doctrinam veritatis excipiendam se faciles reddebant. Sed tam perdita erant, cum eo pervenit P. Leonardus, christianorum vita et religio, ut illis opera ipsius non minus quam gentilibus esset necessaria, cum in universum omnes in peccato mortali viverent, ut Petrus ille Correa, qui unus illorum fuerat,

Digitized by Google

suis litteris fatetur. Emendatis vero moribus christianorum eisdemque in christiana religione melius instructis, multos ex gentilibus ad Christum adduxit; et omnes illis finitimi adduci ad fidem potuissent, si plures operarii eis instituendis vacassent.

441. Quatuordecim juvenes ac viros P. Leonardus admisit in societatem suam, qui fere omnes Brasilicam linguam tenebant, ut, cum alii sacerdotes ex Portugallia mitterentur, fratres hos invenirent, qui eis et coadjutores et interpretes esse possent, et, inter gentilium populos ingrediendo, ad Christum eos adducerent. Quingentis fere leucis versus mare eadem lingua omnes utuntur; hi tamen illis hostes sunt, et se mutuo et occidunt et comedunt, postquam diu ligatos sub custodia suarum filiarum tenuerunt; et si interim ex illis liberos suscipiunt, illos etiam comedunt. Usque adeo barbaries hominum illorum animos occupavit.

442 [1]. Cum aliquos in servitutem illi christiani injuste redegissent, et tamen exhortationibus P. Leonardi quidam lusitanorum suos servos liberos dimisissent, injunxit P. Nobrega eidem Leonardo, ut eos ad suas provincias deduceret. Cum autem, ut id exsequeretur, navigio ad Portum Securum pervenisset, populum illum valde tumultuantem et jam jam in arma civilia ruiturum invenit; sed, Deo juvante, ad concordiam eos homines reduxit et major eorum pars publice offensam sibi mutuo in ecclesia condonarunt, et amici manserunt; aliis officiales regii providerunt, qui cum classe eo pervenerant. Navigans denuo Leonardus ad portum Spiritus Sancti, ubi ex nostris erat P. Alphonsus Blasius solus, pervenit et concionatus est illi populo, ubi nunquam ad id usque tempus verbum Dei praedicatum fuerat. Major pars eorum hominum in peccatis vivebat, sed brevi tempore commoti et resipiscentes non cessabant laudare Deum, qui a tenebris tot peccatorum ipsos eripuisset. Mensem fere integrum Patrem hunc retinuerunt, qui eo tempore saepius concionatus et, multorum confessionibus auditis, effecit ut aliqui suas concubinas, quas domi habebant, in uxores ducerent; et alia plurima ad animarum illarum profectum secuta sunt. Servos etiam christianorum singulis noctibus ab opere redeuntes

[1] Multa ex hoc capite, quod sequitur, praeponenda videntur iis, quae hactenus dicta sunt. *(Ita Polancus manu propria in margine.)*

Digitized by Google

christianam doctrinam docebat; et tam frequentes veniebant ut, cum eos ecclesia non caperet, in platea docendi fuerint; et viro quodam conjugato ut interprete usus in salutis via eos instruebat. Interpres hic inter eos fuerat, qui valde post adventum P. Leonardi profecerant; unde magno cum fervore et zelo, quae illi suggerebantur, servis explicabat. Cum eis valediceret et ad perseverandum in coepta via hortaretur, et P. Vicarium prosecuturum esse coepta diceret, servi nihilominus brasilienses vix consolationem admittebant, et tam multis cum lacrymis auditores utriusque sexus ultimum vale acceperunt, ut non parum recedentium etiam corda commoverent.

443. Cum itaque, rursus navigans, portui S.[ti] Vincentii vicinus esset, quasdam naviculas, *chanoas* vocant, longe prospexerunt; et cum hostes esse suspicarentur, retrocedere coeperunt; at navigia illa cum fugientem navem viderent, gallos esse piratas putaverunt, quos odio magno prosequebantur; unde fugientes persecuti sunt, et navigium septem chanoae circumdederunt, summa enim velocitate, cum triginta vel quadraginta remiges singulae habeant, quantumvis velocem navem praecurrunt; et tantam vim saggitarum torquere coeperunt ut pluvia sagittarum esse videretur. Navis erat male admodum instructa et cum duas haberet bombardas, altera eorum ad primum ictum in mare cecidit. P. Leonardus in angulo navis genua flectens et Dei auxilium implorans, deinde animare suae navis homines coepit, et ut a Deo veniam peccatorum peterent et ei se commendarent adhortabatur. Omnes autem si inde evaderent, vitae emendationem proposuerunt. Interim brasilienses eos valde urgebant, et velut daemonum depictorum faciem prae se ferebant; nudi enim erant, alii nigro colore, alii rubro tincti, alii plumis cooperti, et sagittis clamorem et cornuum sonitum addebant, quo solent in bellis suos animare. Tres integras horas navem prosequebantur et oppugnabant, et si paulo amplius fuissent persecuti, nullus de illa navi evadere potuisset qui non ipsorum cibus factus fuisset. Duo vulnerati sagittis fuerunt, et alter eorum mortuus, et tam validi arcuum ictus erant ut tabulam ipsam navis penetrarent. Sed cum in terram nostri descenderent, et Portugallenses esse ab indis cognoscerentur, recesserunt illi.

444. Nostri autem ad portum Sancti Vincentii pervenientes,

Digitized by Google

ulterius ad portum quemdam, qui dicitur Sanctorum omnium, progressi sunt, ubi magna cum laetitia excepti fuerunt et alius vestem, alius baculum P. Leonardi magna cum devotione deosculabatur. Concionatus ibi est, et ex loco Sancti Vincentii et alio Sancti Amari multi audituri venerunt et magno cum fructu et consolatione recesserunt. Deinde ad ipsum locum Sancti Vincentii se contulit, et concionibus et christiana doctrina docenda et confessionibus pro more vacabat, et diebus lunae, mercurii ac veneris campanam ad commendandas purgatorii animas pulsabat. Cum ergo in gravissimis peccatis tam laici quam sacerdotes excaecati versarentur, commoveri, Dei gratia id efficiente, et vitam anteactam detestari et erubescere coeperunt. Alii brasilienses concubinas ducebant in uxores, alii ex domo ejiciebant, alii maritos earum quaerebant, alii caste vivere cum suis uxoribus constituebant; erant qui triginta vel quadraginta anni confessi nunquam fuerant.

445. Cum autem intellexisset esse in mediterraneis locis inter brasilienses aliquos christianos sparsos, qui brasilico more vivebant, quibusdam interpretibus assumptis, qui postea Deo servire constituerunt, ad illa loca se contulit. Obvium autem habuit quemdam juvenem cum litteris ad se venientem, quae exspectari ab illis christianis ejus adventum testabantur. Reducere christianos illos ad populos maritimos christianorum curavit; sed, cum id non admitterent, hoc saltem obtinuit, ut omnes in unum locum congregarentur, et eremitorium conficerent, et sacerdotem aliquem quaererent, qui Missae sacrificium celebraret. Audivit etiam quorumdam ex his confessiones ac Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum ministravit. Inde ad pagos indorum videndos progressi sunt, qui vias diligenter adornabant, per quas erat transiturus. Qui primas tenebat inter illos, obviam venit et domum suam deduxit, quae statim brasiliensibus plena fuit, et multi, quos non capiebat, foris erant, qui P. Leonardum videre sollicite curabant. Concionatus est illis aliquoties et ad ea, quae fidei sunt, disposuit; et quia aegre ferebant discessum, quem futurum brevi intelligebant, spe reditus sui eos est consolatus. Aliquos etiam christianos inter hos invenit, quos ad Stum. Vincentium secum deduxit. Brevi tamen usque ad ducentas leucas ulterius progredi statuebat, quatuor interpretes secum deducendo. Interim cum maximo labore et

Digitized by Google

non sine persecutionibus versabatur; cum aliqui ex his, quos a peccatis revocare studebat, vel concubinas vel servos male partos auferre ab eis cupiens, iniquo animo id ferrent et animarum suarum medico molesti essent.

446. In alio populo, qui Baia Salvatoris dicitur, P. Emmanuel de Nobrega, Provincialis, erat, et constituit ut P. Azpilcueta, navarrus, ad alium populum, qui Portus Securus dicitur, se conferret, et in brasilicam linguam christianam doctrinam traduceret, et ea in re aliquorum interpretum opera juvaretur; quod ille exsecutus est diligenter; et perjucundum erat Patrem illum videre brasilica lingua concionantem et de rebus novi et veteris testamenti, de judicio, de inferno, et de gloria paradisi, et de aliis disserentem, quo in munere alios ex nostris antecellebat, unde multo efficacius, quam per interpretem potuisset, concionabatur; vix enim interpretes assequuntur et minus utique explicant sensum christianae doctrinae. Multi ex nobilibus baptismum petebant; sed major perseverantia et instructio in fide et emendatio in moribus desiderabatur. Qui autem baptismum susceperant, licet injuriis afficerentur ac vituperiis, non ab obedientia nostrorum recedebant. Initio quidem populus gentilis difficile verbis nostrorum credebant, quod alii, tam sacerdotes quam laici, qui initio eis praedicabant, quae sua sunt quaerere deprehensi erant; sed postquam nostri ab eis perpecti fuerunt, et labores, quos suscipiebant sine spe ullius utilitatis, sed tantum ad ipsorum salutem, omnes jam christiani fieri volebant. Et aliqua Deus operari dignabatur per nostros, quae ipsorum apud brasilienses auctoritatem augebant.

447. Itaque qui baptizati erant et perseverabant, contra suos etiam fratres nostros defendebant, et tantopere se nostris subjiciebant, ut nec parentum nec consanguineorum rationem haberent. Christianam doctrinam optime tenebant, et festorum dierum magis quam christiani veteres observatores erant; et cum diebus veneris multi lusitani domi nostrae flagellis se caederent, tempore quadragesimae aliqui ex his neophytis eos imitando, tantumdem faciebant; et in processione, quae in hebdomada sancta fieri solet, inter disciplinantes et ipsi fuerunt. Confessionem etiam peccatorum P. Navarro, qui linguam eorum callebat, facere jam parati erant, immo et desiderabant. Per

Digitized by Google

pagos etiam simul cum nostris discurrebant, quae fidei sunt aliis praedicando, et de suis malis moribus admonendo. Invidebant his neophytis alii gentiles, cum eos a gubernatore et aliis primariis lusitanis honorari viderent; et, si nostri voluissent baptismum eis conferre, suscepissent libenter; non tamen eis conferebatur, donec voluntas bona, et contritio, et boni mores in eis cernerentur. Quia vero aliqui ex paucis operariis nostris male valebant, quartana et aliis morbis laborantes, et P. Nobrega cum christianis erat occupatus, eo minus late inter gentiles fructus spiritualis patebat.

448. Vir quidam primarius inter gentiles cum baptismum peteret, non est ad illum admissus, eo quod duas uxores haberet, quamvis alterius tantum consuetudine uteretur; sed quadam die, magna cum festinatione et efficacia cum baptismum peteret, a P. Navarro est baptizatus; post sex vel septem dies in aegritudinem incidit, et cum morti vicinum se videret, accersivit P. Navarrum, ut bene moriendi modum eum doceret, eidemque morituro assisteret; et nomen Jesu ac Beatae Mariae tamdiu cum ipso P. Navarro invocavit, donec vocem amitteret, et cum vestem quamdam haberet, quod rarum est brasiliensibus, qui nudi incedunt, antequam vocem amitteret, eam petiit et induit, et cum ea se sepeliri in loco sacro more christianorum voluit, et reddidit Deo spiritum, dum P. Navarrus pro eo Missam celebraret. Sub mortem autem dixit cuidam sorori: vides, soror?, et cum nihil se videre diceret, subdidit ille: video, soror mea, quod vermes in terra gratum habebunt corpus meum, sed in coelo cum laetitia me excipiendum video; vale, nam eo proficiscor; et sic exspiravit. Sparserunt ipsorum sortilegi quod baptismus eum occiderat, nec intelligebant gratiam ei a Domino factam ut a periculis peccatorum eum liberaret. Hic non a lege naturali observanda, cum adhuc gentilis esset, alienus erat; quod in paucis cernebatur. Successit ei in primatu sui populi frater, nomine Simon, qui tam studiosus erat cum uxore et filiis, ut malis christianis in exemplum eum nostri adducerent. Quando aegrotabant vel morti vicini erant christiani, nostros evocabant, ut pro ipsis orarent et morientibus adessent. Quibusdam autem persuadere nitebantur qui prius apud eos ut sancti auctoritatem habebant, quod aegrotabant ex hamis vel cultis quos habebant in corpore, ex quibus dolores

Digitized by Google

ortum habebant, et suis incantationibus eos se liberare velle fingebant.

449. Insulam quamdam, civitati Salvatoris vicinam, quatuor lusitani, ut ferebatur, ob consuetudinem quarumdam mulierum quibus convixerant, navigarunt; sed quidam ex brasiliensibus eos occidere decreverunt, ut ulciscerentur aliquos ex suis occisos, et fugientes consecuti interemerunt et suo more comederunt. Cum alii lusitani id intellexissent, ad eam insulam venientes, duos senes primarios, interfectorum patruos, cum quadam muliere ceperunt et gubernatori miserunt. Hortabatur eos P. Nobrega per interpretem ut, quando moriendum illis erat, christiani morerentur, et praeter rationes cum ad eos neophytos quosdam deduxisset, fidem christianam amplexi et baptizati sunt, et cum Christi nomine in ore coelum intuentes et ad os bombardae positi vitam finierunt. Illius insulae habitatores, qui fugerant, ad eam redierunt, quia rebus ad victum pertinentibus abundabat, et ex continenti multos ex brasiliensibus amicis contra homines albos, sic christianos vocabant, adduxerunt; unde gubernator quodam modo compulsus fuit omnes fere homines ad arma idoneos, quos in civitate Salvatoris habebat, contra illos mittere, paucis secum ad custodiam urbis retentis.

450. Comitatus est P. Nobrega exercitum in insulam illam navigantem, et crucem in manu habens christianis consolationi, brasiliensibus adversariis terrori erat. Eo animo se huic expeditioni adjunxit ut eorum, qui vulnerati essent, confessiones audiret et morientes juvaret. Sed, Deo conatus christianorum adjuvante, cum neophyti, qui in prima acie dimicabant, sagittis contra gentiles certare coepissent, et jam portugallenses propius accederent, brasilienses inimici, oppido suo relicto, per sylvas fugerunt. Fuit autem oppidum combustum cum alio ejusdem nationis, quod in vicina insula desertum etiam a suis fuerat, ubi rerum ad victum pertinentium copia magna inventa fuit, quam pauperes, qui christianam classem sequebantur, secum detulerunt. Tantus autem terror brasiliensibus illis incussus est, ut quemvis jugum ac bene vivendi legem, saltem ob timorem alborum hominum, admissuri viderentur.

451. In civitate hac Baiae Salvatoris domum erigi nostri curaverunt, ubi brasiliensium filii neophyti instituerentur cum lusitanorum quibusdam filiis ex indis foeminis susceptis; et

Digitized by Google

oportuit nostros suis manibus domum hanc construere. Incipiebant enim gentilium filii, suos parentes deserendo ad nostros venire, et quamvis parentes separare illos a nostrorum consuetudine niterentur, non id obtinere poterant. Puer inter alios quidam fuit, qui totum diem sine cibo et vulneratus, patrem fugiendo, ad hanc domum se contulit. Quotidie Missa, omnibus his canentibus, celebrabatur; quaedam alia pia cantica vernacula lingua pueri brasilienses docebantur, ut per pagos discurrendo, ea canerent. Et brevi domus plena fuisset hujusmodi pueris, si multi sustentari potuissent. Intra paucos tamen menses sperabant ad eos alendos subsidium ut plures excipere possent. Aliqui etiam ex pueris parentibus orbati, qui bene jam instituti erant, per alia praesidia lusitanorum ad hoc ipsum distribuebantur. Magnopere pagi vicini brasiliensium nostros reverebantur, nec manifeste carnibus humanis vesci audebant. Inter christianos per Dei gratiam in hac urbe magna peccata sublata fuerunt; multi cum indigenis mulieribus matrimonio juncti sunt, quod ad fidem catholicam et urbem ipsam augendam multum conferebat; et mirum in modum mores reformati sunt, cum olim in pessima peccandi consuetudine diu jacuissent; Gubernatoris virtus et favor, quem nostris praestabat, multum ad hoc conferebat. Servi neophyti spiritualem utilitatem prae caeteris experti sunt, qui prius gentilico more, licet baptizati, vivebant, et christianam doctrinam et mores addiscentes, bene ac studiose se gerere coeperunt; et ut cum ancillis matrimonia contraherent, et sic sine peccato viverent, curatum est. Nondum Episcopus in Brasiliam venerat, quo adveniente, fructus augendus esse sperabatur.

452. In oppido Portus Securi P. Franciscus Perez versabatur, et ibi eremitorium erexit, ad quod magna cum devotione non solum oppidani sed et peregrini confluebant. Constans erat fama illa in provincia quod post erectionem praedicti eremitorii fons ibidem scaturire coeperat, quae sanitatem conferebat. P. ille Franciscus Perez servos christianorum catechismum docebat, et vicinos gentilium pagos ipse visitabat, ex quibus aliquos pueros ad Portum Securum adducens, ibidem eos instituebat.

453. In Portu Spiritus Sancti duo alii ex nostris domum itidem construxerant, ubi pueros multos gentiles excipere et alere

Digitized by Google

et christianam doctrinam docere sperabant; nam ea provincia prae caeteris brasiliensibus fertilis erat et aliis etiam in rebus praestantior. In servis autem christianorum, qui plurimi ibi sunt, fructus insignis capiebatur.

454. P. Emmanuel de Payva ex praesidio Illeorum ad urbem Salvatoris rediit, et magnum sui desiderium in illo populo reliquit. Is domui nostrae in urbe Salvatoris praefectus est; ipse autem P. Nobrega cum socio ad populum Pernambuci se contulit. Magno cum periculo mortis navigatione illa peracta, et amanter ab omnibus et praecipue a ducibus excepti sunt. Frequens ille populus erat lusitanorum et peccata multa; sed homines satis dociles et ad bonum propensi, servorum autem magna multitudo, et brasilienses vicini meliores reliquis erant, quia cum melioribus christianis versabantur. Concionabatur diebus dominicis et festis P. Nobrega; sub vesperam autem exhortationes etiam habebat; et diebus veneris his, qui se flagellis caedebant, seorsum concionabatur. Ecclesia servis ad christianam doctrinam venientibus implebatur, qui numero fere mille in oppido erant, praeter multos alios in villis occupatos; aliquis enim erat ex oppidanis, qui ducentos sua in villa occupabat. Socius etiam ipsius concionabatur, et cum orationes, quibus christiana doctrina continetur et aliquas conciones in brasiliensi idiomate conscriptas haberet, in eadem lingua indigenas docebat. Statim ad nostrorum adventum multi a concubinis et aliis peccatis se segregarunt.

455. Sperabant oppidani domum nostris ibi constituere, et in omnibus, quae ad Dei gloriam pertinebant, coeperunt nostris suam operam offerre; quod prius longe aliter se habebat, cum aliqui totos viginti annos a Sanctissimo Sacramento Eucharistiae abstinerent, quod concubinas relinquere nollent. Et in hac parte multum erat nostris laborandum; aliquis enim erat in eo populo, qui quinquaginta et amplius foeminas brasilienses domi habebat, praeter alias, quae in villis residebant et ut concubinis eis abutebatur; et, ut peccatum minus grave esset, ad hoc ipsum christianas illas efficiebant. Difficile tamen erat remedium; cum, si dimitterentur, rediturae ad gentiles cognatos et gentilico more victurae viderentur; unde rationem aliquam, ut eis consuleretur, inire nostri studebant. Multae ex eis piae admodum erant, praesertim liberae, et quam facillime

Digitized by Google

christianum vivendi modum amplexurae videbantur. Erat inter has quaedam, cui caeterae parebant, quae magnis vocibus adventum nostrorum aliis praedicabat, et ad recipiendum animabat, et ut se gererent ut bonas christianas decebat, et ad christianam doctrinam adducebat. Ad nostros aliquando et ipsae accedebant et genibus flexis se doceri viam salutis petebant, cum eatenus in tenebris essent.

456. Prope civitatem Salvatoris gentiles ecclesiam habent cum domo extructam, quo nostri se recipiebant. Ibi tunc P. Navarrus residebat, eos docens; et cum profecissent aliqui, eorum opera ad alios juvandos nostri utebantur; sed juvenibus instituendis praecipuam operam nostri dabant, quia constantior apud eos fructus quam in parentibus eorum videbatur.

457. De mediterraneis quibusdam populis, quo christiani non pervenerant, referebant quidam gentiles quod sub obedientia suorum gubernatorum viverent, et ab esu carnis humanae abstinerent et pellibus induerentur. Haec dispositio ad conversionem utilis videbatur; et ideo hanc expeditionem tentare nostri constituebant simul atque alii sacerdotes submitterentur, qui maritimorum locorum curam haberent, ubi lusitani vivunt, et militum praesidia habentur. Curavit autem P. Emmanuel de Nobrega ut in praecipuis horum praesidiorum domus construerentur, ubi juvenes et pueri gentilium et christianorum docerentur.

458. Quidam ex pueris orphanis, qui Ulyssipona in Brasiliam missi sunt, suo cantu multos ex pueris gentilium ad se trahebant, et christianis etiam aedificationi erant. Filii christianorum non pauci erant, qui, per mediterranea sparsi, more brasiliensium vivebant; quos omnes ad christianorum populos reducere nostri nitebantur.

459. Veniebant ex brasiliensibus nonnulli fama excitati ad nostros videndos, et cum christianam doctrinam audirent, non contenti generali expositione, domum accedebant, et multis cum lacrymis se institui petebant. Et quod faveret christianis Dominus etiam externis signis aliquando ostendebat. Accidit enim in Baia Salvatoris ut duae chanoae brasiliensium, altera christianorum, altera gentilium piscatum egressae submergerentur; et cum omnes gentiles extincti fuerint, omnes chri-

Digitized by Google

stiani, etiam parvuli aetate, emerserunt, quod ad augendam fidem neophytorum non parum faciebat.

460. Cum Rex Portugalliae gubernatori scripsisset ut ad se referret an in omnibus populis sacerdotes aliqui essent, et ad hoc et alia invisere oram illam maritimam gubernator vellet, ei P. Nobrega se debuit adjungere. In omnibus autem locis aliqui erant hujusmodi; sed alicubi tales, qui daemonum potius quam sacerdotum officio fungerentur; nam praeter pessimum morum ac vitae exemplum, contradicebant aliqui doctrinae veritatis, et publice hominibus Pernambuci dicebant licitum esse concubinatum cum brasiliensibus foeminis, quandoquidem ipsorum erant ancillae; licite etiam servos furto vel rapina ablatos teneri posse, quia canes erant; et alia hujusmodi. Hi sacerdotes christiani nostris inimicissimi erant nec ferre poterant quod eorum perversis doctrinis ac moribus adversarentur, et quod gratis Missas celebrarent, quod eorum emolumentis ex eo aliquid decedere videretur. Et, si gubernatoris ac primariorum virorum favor, sed praecipue Dei protectio, non obstitisset, vita nostros privassent.

461. In universum loquendo de oppidis ac praesidiis lusitanorum per longissimam illam Brasiliae oram divisis, maxima morum commutatio ac vitae reformatio in christianis et servis eorum opera nostrorum secuta est, et ad sacramenta apud illos prorsus inusitata frequentes et ferventer concurrere incipiebant; et, cum nostri recedebant, nec enim residere in omnibus populis poterant, cum multis lacrymis eos discedentes prosequebantur; inimicitiae dissolvebantur, restitutiones fiebant, concubinae relinquebantur vel in uxores ducebantur, ludi pessimi et alia vitia reformabantur, christiana doctrina passim servi instituebantur; cum autem gentiles, qui baptismum petebant, morti vicini erant, tunc baptizabantur; viventes et sani non facile propter inconstantiae timorem ad baptismum admittebantur. Accidit enim aliquos baptizari, qui ad gentilicos ritus redeuntes, aliis pejores fiebant, quod etiam in quibusdam, qui in Portugallia fuerant, observatum est.

462. Erant autem tam multi numero brasilienses et tanta filiorum multiplicatio, ut terra eos capere non posse videretur, nisi continuis inter se bellis ac caedibus ac devorationibus hominum numerus imminueretur. Patientia itaque magna ad feren-

Digitized by Google

dos hujusmodi defectus necessaria erat; multi tamen ex eis egregie perseverabant in fide christiana et in moribus fidei consentaneis; bono ingenio pueri praediti erant, et egregie catechismum addiscebant, quamvis multum eis impedimenti parentum impietas et praecipue eorum, qui apud ipsos sancti habebantur, adferebat. Aliqui nihilominus parentes suos filios libenter docendos offerebant.

463. In populo Portus Securi aliquot menses fuit P. Navarrus et, cum inde ad pagos gentilium visitandos se conferret, parum abfuit quin in rapido quodam flumine extinctus fuerit, ubi monachus quidam Sancti Antonii paulo ante fuerat submersus; et, per sylvas quasdam, in quibus ferae non paucae molestae viatoribus esse solent et periculosae, transeuntes, tandem ad locum quemdam venerunt, in quo omnes incolae ebrii erant; vinum enim quod ex quadam radice conficiunt, inebriare solet, et hi homines, alioqui satis feri, cum ebrii sunt, inhumaniores etiam redduntur et nulli solent ignoscere; et si aliud non possunt mali inferre, ignem injiciunt domui in qua externi versantur. Quia tamen magna pluvia erat, diverterunt nostri ad quamdam domum, ad quam statim omnes cum magno furore convolarunt cum ensibus et aliis armis; sed placuit Deo ut bonis verbis, quae per interpretem eis loquebantur, placarentur. Mane, cum parum capaces hos homines invenissent, ad alium populum se contulerunt, in quo qui primas tenebat, cum reliquis ejusdem pagi, decreverat omnes albos homines, quicumque in ipsorum manus incidissent, devorare. Cum tamen nostri eo pervenissent, benigne ab eo excepti sunt, et eos audiebat, et quae per interpretem de doctrina christiana proponebantur, libenter se audire significabant; non tamen audebant verba ejus doctrinae pronunciare; quidam enim sortilegus eis persuaserat, si verba illa suo ore protulissent, statim eos esse morituros. Sic per alia loca nostri discurrerunt cum non exigua animi moestitia, quod homines illos in tam densis tenebris ignorantiae Dei versari tamque male dispositos ad fidem admittendam videbant, quamvis libenter quae de christiana religione dicebantur, audire se significabant, immo et desiderare baptismum.

464. Aliquando ex oppido Portus Securi egrediebantur nostri ad pagos vicinos ut aliquos baptizarent, qui morte afficiendi

Digitized by Google

et devorandi erant, et prius illos instruendo quatenus eorum ferebat ingenium, cum fidem admitterent, eos baptizabant. Duos tamen ex his, qui capti et morti destinati tenebantur, allocuti sunt num vellent redimi se ut mortem evaderent; responderunt illi non convenire honori ipsorum, sed illam mortem subire oportere, ut decebat egregios duces; ac proinde ne se redimerent. Magnum itaque daemoni in miseros istos homines dominium a Deo permittitur, qui et apparere eis aliquando visibiliter dicitur et aspere eosdem torquere. Unum tantum hominem invenit P. Navarrus inter tot barbaros aetate grandem, qui in brasiliensi lingua scribere noverat, et aliis Dei dotibus praeditus erat; huic ergo dictavit in brasilica lingua aliquot conciones veteris et novi testamenti, decem praecepta, peccata mortalia, et misericordiae opera, cum articulis fidei; et haec commoditas multum consolationis P. Navarro dedit.

465. Inde ad urbem Salvatoris se contulit, et aliquot diebus cum P. Nobrega commoratus, cum eodem paulo post ad pagum quemdam transivit, ubi, cum per interpretem illi populo concionati essent, et ejus cura P. Navarro esset commendata, injunxit illis ut signum crucis facerent; et cum videret quasdam gemmas, quas in labris portabant et in facie, dixit illis quasi joco quod illi lapilli impedirent ne bene signo crucis se signarent; quod cum illi audivissent, et serio dici putassent, statim eductas ex ore gemmas vel lapillos pretiosos, eos abjecerunt, quod, ut verae fidei signum, aedificationem nostris praestitit. Quidam deinde ex neophytis domum aedificavit, ubi nostri catechismum eos docerent. Ibi autem relictus fuit frater noster, Vincentius Rodriguez, ut et docere eos et in officio continere pergeret.

466. Ipso die Sti. Michaëlis constitutum est ut illi baptizarentur, qui, cum id optarent, idonei videbantur; et satis multi utriusque sexus ex sacro fonte renati fuerunt; et deerant jam Sanctorum nomina, quae ipsis imponerentur, ab aliis diversa. Inter alios senex quidam, qui sanctus ab eis habebatur, baptismum accepit. Fuit autem processio instituta neophytorum, quos filii numero viginti quinque praecedebant, alii utriusque sexus sequebantur, et ex pueris unus crucem erectam portabat, et alta voce *Pater noster* usque ad civitatem Salvatoris canebant; quae res et civibus magnae aedificationi fuit et brasilienses fir-

Digitized by Google

miores effecit, qui magno desiderio proficiendi tenebantur. Hi bene meriti de christianis fuerant; unde reddidit illis Dominus abundanter, bonos christianos et ipsos efficiendo. Sic aliis in locis vicinis semen verbi Domini non sine fructu spargebatur. In quemdam eorum cum pervenisset P. Navarrus, intellexit quod nuper puellam quamdam occiderant, et, cum domus esset ei ostensa in qua ejus corpus coquebatur, ut paulo post comederetur, vidit puellae caput cuidam portae affixum; et, cum homines de abominabili facto reprehenderet, quidam ei respondit, si non taceret, idem de ipso quod de puella futurum esse. Hoc illi declaravit postea interpres; neque enim id ipse Pater intellexerat; et urgebat interpretem ut diceret illis quaedam, quae ei suggessisset; non est tamen ausus interpres mutire. Tunc coepit ipse Navarrus, ut poterat, eos per se alloqui; demum amici ejus sunt effecti, et prandium eisdem obtulerunt. Per alias deinde domos discurrens ubi manus, capita, et pedes hominum cum videret, dure eos reprehendit, et quam id abominabile esset eis declarabat. Relatum est deinde P. Leonardo quod omnia ea membra humana et puellam etiam, quam coquebant, sepelissent; et demum in hoc vitio eatenus saltem emendatio secuta est, ut non publice carnes humanae ederentur; et in aliis hujusmodi operibus se Pater ille exercebat, quamdiu P. Nobrega, qui Pernambucum erat profectus, aberat. Quemdam juvenem pretio redemit, quem jam occisuri erant ac devoraturi, quem, christianum effectum, Antonii Criminalis nomine, in honorem illius Martyris in India occisi, insignivit.

467. Prope Portum securum, in populo, qui Sancti Amari dicitur, Lusitani ecclesiam in honorem B.ae M.ae Virginis aedificarunt cum domo quadam ad nostrae Societatis operarios excipiendos. Ibi P. Navarrus cum duobus fratribus residebat, qui in concionibus et christiana doctrina docenda et in illis instruendis, qui christiani esse volebant, occupabantur ac praecipue pueris, de quorum profectu spes major erat, cum experientia jam docere coepisset quod cum provectae aetatis hominibus magis laborabatur et minus proficiebatur. Ingressus est etiam P. hic Navarrus per loca interiora gentilium cum interprete, ut Christi Evangelium eis annunciaret, et, cum aliqua proponeret, admittebant illi nec ulla in re contradicebant; timebant mortem nihilominus ex verbis nostrorum, prout eorum sortilegi vel

Digitized by Google

sancti eos docebant. Ad quemdam locum pervenerunt, ubi omnes capitis morbo laborabant, et sanitatem ab eo postularunt; in reditu sanos omnes invenerunt, qui a nostris se sanitatem accepisse dicebant; sed per interpretem eis significavit quod non a se sed a Deo, cui servit ipse, salutem accepissent. Sic ergo in compluribus Brasiliae locis nostri residere et firmas habere domos coeperunt, quamvis nondum in provinciae formam Brasilia redacta esset [1].

DE REBUS INDIAE AC PRIMO DE COLLEGIO GOËNSI

468. Qui hoc anno decima Martii Ulyssipona profecti sunt, singularia a Deo beneficia in ea navigatione acceperunt, et aliquoties ab evidentibus mortis periculis non tam humano aut naturali quam divino auxilio erepti sunt. Unde fatebatur quidam nauclerus in hac Indiae navigatione non alium nauclerum esse quam Deum. Unum omnium loco referam quod cum praetoria navis, in qua P. Melchior Nugnes ac P. Heredia veniebant, in quaedam loca arenosa impegisset, tam nauclerus quam dux navis de navi et mercibus eripiendis omnino desperabant; nihilominus cum omni suo pondere ex improviso et sine ullo incommodo navis inde ingressa est; et tam hoc Dei beneficium insigne fuit, ut et nautae et reliqui vectores nunquam tale quid contigisse affirmarent; et Deo cum lacrymis, elevatis manibus, gratias agebant; et Patribus Societatis et pueris orphanis hoc illi adscribebant, tamquam miraculum a Deo per ipsorum orationes impetratum. Cum fere sexaginta ex his navibus educti in hospitali Mozambiche nostrorum opera curari coepissent, ibi-

---

[1] Quae de Brasilia, a num. 434 ad num. hunc 467, narrat Polancus, fusius exposita reperies in litteris Emmanuelis Nobrega et sociorum ad Conimbricenses et Romanos socios, ad Regem Portugalliae, ad Doctorem Navarrum, aliosque; quas litteras editas jam habes sive in *Avisi particolari dell'India di Portogallo*, in Venetia, per Michele Tramezzino, MDLXII et MDLXV, sive in *Revista do Instituto Historico e Geographico do Brasil*, vol. II, V et VI. Lectores autem, et praecipue rerum Brasilicarum amatores quique de iis forte scribere volent, monebimus plura ex iis litteris et ex aliis, quae ad nos usque non pervenerunt, excerpsisse Polancum suaeque historiae inseruisse, quae praetermisit Orlandinus et ipse etiam Vasconcellos.

Digitized by Google

dem jubilaei gratia, quam P. Ignatius pro Indiae locis impetraverat, cum insigni admodum fructu promulgata est, cum tam illi, qui in oppido Mozambiche residebant, quam qui in classe veniebant, indulgentiam hanc obtinere niterentur. Plurimorum auditae confessiones, magnae restitutiones factae, peccata diuturna relicta, matrimonia cum concubinis celebrata, pauperes vestiti, et alia hujusmodi pia opera facta sunt. Inde autem cum ipsis aegrotantibus in praetoria navi sub nostrorum cura acceptis in Indiam perrexerunt. Missa facio quae alias in hujusmodi navigationibus per nostros fieri solent, ut concordiam inter dissidentes constitutam, abusus juramentorum sublatos, ludos omissos, subventionem pauperum et alia, quae etiam in hac navigatione Dominus per nostros effecit.

469. Quinta ergo die Septembris, tres sacerdotes nostri cum quibusdam fratribus Goam pervenerunt, postea reliqui. Ferebat P. Melchior Nugnes patentes litteras a P. Simone, Portugalliae Provinciali, ut ei cura Collegii Goënsis traderetur, quas ille litteras cum statim exhibuisset, P. Antonius Gomez, cum etiam a P. Ignatio litteras se ferre Melchior diceret, Collegii curam ei resignavit, sed post duos dies, cum intellexisset quod non ferebant litteras P. Ignatii sed P. Simonis, quae tamen mentionem faciebant quod ipse P. Ignatii litteras ea de re acceperat, et ut Superior suas ipse P. Antonio Gomez daret, dubitare coepit Antonius quid facto opus esset; nam ipse a P. Francisco Xavier, Provinciali in India, ad tres annos Rector Collegii Goënsis constitutus erat, et nondum hoc triennium erat elapsum. Constituit demum Patrem Paulum, cui nostrorum curam idem P. Franciscus extra hoc Collegium reliquerat, Superiorem Collegii declarare. Et ita, re collata cum aliis fratribus, qui Goae versabantur, hanc curam Patri Paulo reliquit, quamvis contra ipsius voluntatem.

470. Ipse autem Antonius Gomez cum Pro-rege et classe in Insulam Ceilan tercentas leucas Goa distantem proficiscebatur; occisus enim fuerat illius Insulae rex, et qui successurus ei erat, voluntatem Christi fidem suscipiendi ostendisse videbatur. Aliquid etiam nomine Regis Portugalliae ibi habebat negotii. Obtulit ergo se comitem Pro-regi P. Antonius cum duobus aliis Sacerdotibus et quodam fratre; et ita P. Paulo omnes alii, praeter P. Melchiorum Nugnes, obedientiam prae-

Digitized by Google

stiterunt, donec a P. Francisco Xavier aliud ipsis praescriberetur [1].

471. Et quia scriptum reliquerat idem P. Franciscus ut, simul atque aliqui ex nostris ex Portugallia venissent, ad praesidia arcium Dio, Bazain, Cochin et Ormuzii aliquos mitteret, P. Gondizalvus Rodriguez, qui ex Portugallia hoc anno venerat, Ormuzium missus est loco P. Gasparis, qui in Japonem vel Sinas destinatus erat; P. autem Antonium Herediam Cochinum misit; mansit autem Goae P. Melchior Nugnes praedicationi et concionibus vacans, donec P. Francisci responsum acciperet vel ipse adesset. 30.ª Septembris P. Emmanuel de Morales cum reliquis fratribus et orphanis Cochinum appulit et inde Goam tandem cum sociis venit, et ipse etiam cum suis P. Paulo obedientiam obtulit.

472. Hoc anno in Insulam Goae vicinam, Chioram nomine, missus est Sacerdos quidam, qui aliquos gentiles ad baptismum admisit; nomen ejus erat Michaël de Nobrega, qui magno desiderio fervebat subditis Idalchani saraceni, qui in continenti terra regnum vicinum habebat, evangelium Christi praedicandi, quamvis id non obtinuit. Significavit autem id P. Paulus, qui natione italus et primus P. Francisci socius in Indiam transierat, P. Ignatio ut castellanos et italos in Indiam mitteret, quia multum aedificationis lusitanis hi praestabant, et perlibenter externos a sua natione Portugallensi admissuri lusitani erant, praesertim si aetate et litteris ad confessiones audiendas, et concionandum, et aliorum curam gerendam in absentia P. Francisci Xavier, essent idonei. Aliquos etiam, qui grammaticam docerent, petebat; nam ad hujusmodi lectiones idonei ex Portugallia non mittebantur, nec de illis, qui in India instituebantur, magna essent speranda, cum enervet homines ea regio, ut nec orationi nec studio serio vacare possint; nam ex his, qui id fecerunt, multi in gravissimos morbos inciderunt. Triginta fere P. Antonius Gomez admiserat, omnes lusitanos, sed ne magnos progressus ii facerent, quod dictum est impediebat. Juvabat tamen aliquantulum nostrorum valetudi-

---

[1] Polancus, *ex com.,* Rectori Collegii Goënsis mittit plures litteras Xaverio, Lancilotto, etc., Litterarum apostolicarum trassumpta, et Ignatii patentes litterae de Jubilaeo, eumque de usu gratiarum a Summo Pontifice Societati concessarum docet, 1 Februarii.

Digitized by Google

nem insula illa de Chioran, de qua paulo ante memini, ubi idem P. Antonius Gomez ecclesiam sub invocatione Matris Dei fieri curavit, et tria millia indorum erant, ex quibus trecenti Christi fidem acceperant. Amoena et salubris admodum ea insula est, et una tantum leuca Goa distat, et valetudinariis non modicum refrigerii praestat. Hoc autem anno aliquis ex nostris ibi residere coepit, ille scilicet P. Michaël, de quo superius.

473. Praeter nostros, qui in Collegio Goënsi versabantur, sexaginta pueri indigenae in separata Collegii parte habitabant, inter quos erat princeps quidam hoc anno baptizatus, cujus ditio viginti tres leucas se extendebat, de cujus conversione paulo inferius suo loco agetur.

474. Hoc anno quae gesta sunt Goae, his quae anno praecedenti gesta fuerunt, erant similia. Sub autumnum autem non solum auctus est numerus operariorum, accedentibus his, qui ex Portugallia venerant, sed Patre etiam Gaspare, quem revocaverat ex insula et regno Ormuz P. Francisci Xavier obedientia, ut cum quatuor aliis ad Japonem se conferret. Cum pararet is discessum, qui ad eum summopere affecti erant Ormuzii, aliquam rationem inire ut eum retinerent volentes, eum capere et ita ejus recessum saltem ad tempus impedire moliebantur. Evasit nihilominus ex eorum manibus et navim ingressus est, ubi sexcenti homines erant, quam aliae naves comitabantur et quidem ad pugnam paratae. Et operata est divina bonitas, ut ipse P. Gaspar testatur, plus quam ipse unquam ulla in classe vidisset: confessiones erant continuae; juramenta, ludi et alia vitia militibus consueta relinquebantur. Magnos labores et pericula in ea navigatione sunt perpessi, et iter, quod quindecim diebus confici solet, duobus mensibus vix est confectum, sed fructus animarum ex eo consequutus efficiebat ut ad providentiam Dei peculiarem haec ipsa mora referretur.

475. Cum Maschate venissent, suggestum in campo illi praepararunt, ubi cum bis concionatus esset, in posteriori concione, postquam concubinarios complures a peccato abstinere, ductis in uxores concubinis, effecit, omnes, qui inimicitias inter se exercebant, et ad duella se invicem provocaverant, conjunxit et inter se reconciliavit, omnibus his, qui utrinque capti erant, dimissis. Inter hos, duo viri nobiles fuerunt, ex quorum

Digitized by Google

inimicitia cum homicidia et magna mala timerentur, juramento publice super missale eos adegit, postquam pax inter ipsos erat reconciliata, quod nunquam concordiam essent violaturi. Et dum alibi turcas (quos *rumas* vocant) classis exspectaret, in quadam domo magna *saracenorum* militibus et ducibus concionatus est. In praetoria autem navi diebus dominicis et festis, omnibus his concionabatur, qui ex aliis navibus ad eum audiendum confluebant, nam classicis ad id evocabantur; a prandio doctrina christiana, noctu litaniae dicebantur. Cum ad arcem Dio nominatam pervenissent, bis concionatus est non modico cum fructu et multos inimicitias exercentes ad pacem reduxit, multa etiam mala impedivit.

476. Inde tandem Goam pervenit, ubi jam P. Melchiorem Nugnez cum sociis invenit, et paulo post accessit P. Morales; et valde laetatus est quod P. Gonzalvus Rodriguez ipsius loco in regnum Ormuz mitteretur. Postulavit a P. Melchiore Nugnez ut concionari ipse inciperet, et ipsemet Gaspar eodem munere fungi coepit; et tantus hominum fiebat concursus, ut nostra ecclesia eum jam capere non posset; et monachi ordinis Sancti Francisci rogaverunt eum ut in suo monasterio concionaretur. Demum P. Melchior successit P. Gaspari praedicando in cathedrali ecclesia, quo magna etiam multitudo conveniebat. Diebus tamen veneris sub noctem ipse P. Gaspar concionabatur de poenitentia, et sequebatur flagellatio.

DE RELIQUIS COLLEGIIS ET LOCIS INDIAE

477. Initio hujus anni praeerat Collegio civitatis Cochin P. Franciscus Enriquez, qui olim advocatus et in variis functionibus civilibus exercitatus fuerat, et, omnibus ac mundo ipsi valedicens ac Societatem ingressus, in Indiam missus fuerat. Cum gubernator ejus urbis et alii primarii viri Collegium ibidem institui cuperent, et situm commodum ad ejus aedificationem, et ex eleemosynis sumptus ad id necessarios contulissent, Episcopus etiam ecclesiae sub invocatione Matris Dei donationem fecisset, aedificando huic Collegio occupabatur P. Franciscus Henriquez, et, quia civitas illa emporium celebre erat prae caeteris et quo multi quoquoversus proficiscentes aut

Digitized by Google

redeuntes divertere debebant, convenire Societati domus ea videbatur. Vacabat autem P. Franciscus, praeter hanc aedificationem Collegii, christianae doctrinae explicandae, et confessionibus audiendis; et interim ab aegritudine, qua alibi laborabat, eo in loco ob salubriorem aërem liber paulatim fiebat; situs erat juxta mare, amoenum admodum habens prospectum, et templum Matris Dei pulchrum et commodum erat, et quamvis offendi coeperat populus quod vicus quidam a civitatis gubernatore, lusitano, Collegio applicatus fuerit, offendiculum eorum cessavit, cum Rex Portugalliae civitati scripsisset, quod pergratum sibi fuerat intellexisse de hoc ibi instituto Collegio, et eidem commendasset ut quod inchoatum fuerat opus promoverent. Cumque Pro-regi etiam scripsisset ut absolveret quod coeptum erat, et contentum se fore ut ex quatuor millibus ducatorum annui reditus Goënsi Collegio applicatis, mille *pardai* (sic vocant pecuniam aureo ducato paulo inferiorem), Cochinensi Collegio applicarentur, res illius crescere coeperunt. Cum autem inter alios P. Antonius Heredia hoc autumno Goam appulisset, huic Collegio Cochinensi a P. Paulo praefectus est.

478. Conveniebant centum et quinquaginta pueri, ut instituerentur in hoc Collegio, qui partim lusitanorum partim indorum filii erant, quos nostri, quamvis legere et scribere docebant, tamen id velut esca quaedam eràt, ut ad christianam doctrinam et mores addiscendos allicerentur; alioqui, cum multum ad voluptates et vitia, et ad virtutem parum propensi essent, vix quidquam boni ab eis sperari potuisset. Nec mediocris erat fructus, qui ex his pueris percipiebatur, cum ipsi in suis domibus eamdem christianam doctrinam servos et ancillas docerent, de juramentis non faciendis commonefacerent, suos etiam parentes ad confessionem incitarent, cum prius blasphemiae valde regnarent inter eos. Aliqui ex eis pueris, quos parentes idolis obtulerant, in ultionem idola ipsi comburebant, cum publice prius per quemdam vicum gentilium ea traxissent. Canebant etiam in ecclesia hymnum *Salve, Regina* et alios versus in honorem B. Virginis, quem morem pueri orphani, qui cum P. Morales hoc anno venerunt, induxerunt; et multum aedificationis praestiterunt. Confitebantur crebro etiam hi pueri et litanias quotidie propter varias necessitates decantabant, quibus absolutis, ad suorum parentum domos se conferebant.

Digitized by Google

479. Praeclaras habebat domos civitas haec illis similes quae Romae sunt; flumen aquae salsae, latitudinis mediae leucae, domos ipsas praeterlabitur, et viginti leucas mediterranea versus tendit, et inde progrediens jam dulces aquas habere incipit; navigabilis est, etiam pro triremibus et navibus onerariis, et per illud piper descendit, quo naves Cochini onerantur, quae in Portugalliam veniunt. Duo ibi sunt monasteria ordinis Sti. Francisci, et unum ordinis Sti. Dominici. Residet ibi aliquando Pro-rex Indiae, qui magnam auctoritatem in illis provinciis habet, cum ea donare aliquando possit quae valent viginti et triginta millia pardaorum; unde saeculares et ecclesiastici ab eis magna ex parte dependent. Concionabatur ibi cum frequenti auditorio P. Heredia; nam populus ille ad verbum Dei audiendum est propensus; audiebat etiam confessiones et reconciliandis discordibus et hospitalibus visitandis ac aliis piis operibus vacabat, pro more Societatis.

480. Ea in civitate Rex quidam saracenus baptismum accepit, qui, cum viginti esset annorum, undecim millia insularum dominus erat, quarum major pars habitabatur, quamvis satis essent exiguae; et quamvis steriles essent magna ex parte et parum salubres insulae illae, fere sexaginta leucis Cochino distantes, tamen sine illis non posset India commode sustentari; nam ex illis provenit quoddam canapis genus, quod cairum vocant, quod funibus navium necessarium est. Nostrorum opera fidem ille est amplexus, et inter nostros tamdiu versatus est, donec in fide et Sacramentis bene institueretur; et uxorem christianam et nobilem Cochini duxit. Reliqui incolae mahometanorum dogmata fere profitebantur, sed a triginta tantum annis, qui prius gentiles erant Mahometi sectam acceperunt; unde eorum reducendorum spem nostri conceperant.

DE COLLEGIO BAZAIN

481. P. Melchior Gonzalez hoc anno profecturus erat in Europam ut rationem redderet rerum indicarum P. Ignatio; sed postquam jam navim conscenderat Cochini, a P. Antonio Gomez, qui eum mittebat, revocatus est mense januario, cum ejus opera magis necessaria in India videretur quam ut eo

Digitized by Google

carere posset. Bazainum itaque rediit, ubi jam duos annos magno cum fructu versatus erat, et cum alio fratre nostro multos pueros ejus regionis instituebat; aliquos etiam, qui a Domino ad Societatem vocari videbantur, Goam, ut in Collegio probarentur, mittebat; in praedicatione, in confessionibus et catechismo se pro more exercuit, et christianos in his, quae ad pietatem pertinent, promovit, et multos etiam ovili Christi per baptismum adjunxit; et praeter Collegium nominis Jesu, in vicina insula et populo, nomine Tana, ecclesiam perpulchram ac domum construxit, ubi pueri ejus civitatis ac insulae institui possent in doctrina et vita christiana, ut deinde vel in officiis mechanicis aliquam vitae sustentandae rationem addiscerent, vel alium certum ac securum statum assumerent; et ita multis hoc anno, Deo juvante, consuluit.

482. Septuaginta leucas Goa distat Bazainum et rebus ad victum necessariis et aliis mercibus abundat. In autumno cum illac transiret P. Gaspar, Ormutio veniens, gravissime aegrotantem hunc P. Melchiorem invenit et jam morti vicinum; venenum ipsi propinatum fama erat, nec dubium quod ob Christi causam. Concionatus est Bazaini aliquoties idem P. Gaspar, qui non exiguam jacturam passuros esse christianos Bazainenses ex talis operarii morte scribit. Memoratu dignum erat quod prope Bazainum civitas quaedam erat in petra viva excisa, cum multis publicis viis et plusquam centum cisternis. Vidit idem P. Gaspar Tanae multitudinem christianorum per P. Melchiorem Gonzalez ad Ecclesiae ovile adductorum, qui cum processione obviam ei sunt egressi; et eisdem christianis congregatis ipse etiam concionatus est. Inde autem Goam versus navigaturus, antequam Chiaul perveniret, templum in rupe excisum majus quam cathedralis ecclesia Ulyssiponensis ad idolorum quorumdam cultum vidit, ubi figuras quasdam, veluti gigantum magnorum, quae tria capita, tria crura et totidem manus uno in corpore habebant, quod vocant illi elepanti *(sic)* pagodem.

DE COLLEGIO CAULANI ET SANCTI THOMAE

483. P. Nicolaus Lancillotus fere quadraginta pueros alebat et in doctrina Christiana ac vita christianis digna institue-

Digitized by Google

bat; et ut numerus augeri posset, temporalia subsidia a Prorege majora curabat. Duos secum habebat fratres, qui et domus curam haberent et hos pueros legere, et scribere, et grammaticam etiam quosdam docerent. Quoad vires id ferebant, in concionibus ad lusitanos habendis et in catechismo neophytis explicando assiduus fuit; sed post quadragesimam hujus anni debilior esse coepit quam ut solito labori ferendo par esset; et cum magnam vim sanguinis ex pectore et vena aperta evomuisset, male admodum habere et permulta tussi molestari coepit. Poterat tamen Missae sacrificium celebrare et tam corporali quam spirituali necessitati multorum providere; nam per interpretem eis, quae ad fidei articulos et peccata pertinent et alia, quae ab eis erant addiscenda, declarabat, et ritus ac mores pravos gentilium eos dedocebat, et horum puerorum profectus egregius non exiguam consolationem ei adferebat; nec aliam rationem meliorem ad fidem ac religionem in gentibus illis plantandam existimabat quam hujusmodi pueros receptos instituere [1].

484. Venit Cochinum eo tempore, quo P. Morales eo appulerat, et illius ac P. Herediae concionibus auditis et mutua consolatione cum his Patribus accepta, Caulanum rediit. Existimabat ille referre plurimum ut aliquis Romam inde veniret, et si imbecillitas corporis id tulisset, se laborem hunc non recusaturum dicebat, quamvis in Indias rediturus esset. Adventum tamen P. Francisci Xavier initio sequentis anni in Indiam ex Japone magnam tranquillitatem rebus Societatis allaturum sperabat. Urgebat idem patriarchae Aethiopiae missionem, et admonebat ut linguae arabicae et chaldaicae daret operam aliquis ex his, qui in Indiam erant mittendi.

MELIAPORA, QUAE EST IN CHIROMANDEL

485. In civitate S.ti Thomae, quae Chiromandel vulgo vocatur, perseverabat P. Cyprianus in concionando et confessio-

[1] Polancus, *ex com.*, Nicolao Lancillotto, plura fuse et distincte de rebus Societatis in Europa, de Jubilaeo et gratiis a Summo Pontifice Societati concessis, 1 Februarii. Hunc diem his litteris assignat Polanci *Regestum litterarum;* at trassumptum in Codice Goano, de quo saepius in *Cartas de San Ignacio* sermo fit, habet 29.am Januarii.

Digitized by Google

nes audiendo et dissidentes inter se conciliando et aliis piis occupationibus. In morbum gravissimum incidit; bonus tamen senex sexaginta quinque annos natus, recuperata valetudine, vineam Christi sibi commendatam magno cum fructu excolebat. Sub obedientia P. Nicolai ille cum socio erat, nomine Gaspare, qui hoc anno ex gravi aegritudine Goam deductus cum aedificatione et consolatione felicem ejus transitum videntes reliquit.

DE PESCARIA VEL CAPITE COMURINI

486. Non sine magnis laboribus sed majoribus consolationibus spiritualibus P. Henricus Henriquez cum sociis in maritima illa Communini provincia versabatur; et cum vires corporis essent exhaustae in quibusdam ex nostris, commode divina providentia in eorum subsidium viros illos bonos, de quibus superiori anno actum est, providit, qui praeclaris virtutibus a Deo ornati, sub P. Henrico multorum locorum in rebus spiritualibus curam habebant. Nec diffidebat Henricus, si nostri morte sublati essent, quod per illos negotium christianae religionis conservari et promoveri posset, ut in paucis Indiae locis sperari poterat. Illud tamen inter humana media non parum juvabat, quod omnes illi ejusdem gentis erant (quos *paravas* vocant), et illi omnes cum conversi essent, alius alium potius juvabat in his, quae fidei erant, quam impediret. Diversitas generis in aliis provinciis, et quod non omnes conversi sint, minoris constantiae causa esse putabatur.

487. Quod constituerat de pueris alendis et instituendis, non potuit ad effectum deducere ob rerum temporalium penuriam. Rex quidem Portugalliae ex reditibus, quos ex illa provincia percipiebat, ducentos et quinquaginta aureos annuos dari jusserat; sed quia proventus Regis ipsius hoc tempore erat exiguus, percipi quod ad pueros sustentandos donabatur non poterat.

488. Constituerat ut numerarentur omnes christiani Comurinenses, ubi cum sociis ipse versabatur; sed cum ad quadraginta millia numerasset, quod alia loca remota essent et occupationes alio vocarent, de numero christianorum constare non potuit.

Digitized by Google

489. Cum in peritia linguae proficerent, quae perdifficilis est, catechismi explicationem in illam conversam subinde emendabat; nam errores ex defectu cognitionis linguae tam peregrinae multi irrepserant. Curavit autem mysterium Sanctissimae Trinitatis et Incarnationis et causam, propter quam crucem adoramus, homines illos in vernacula ipsorum lingua docere, admonens quod rationem ab eis exacturus esset; et magna cum consolatione expertus est quod illi et bene percipiebant tam viri quam foeminae et bonam doctrinae explicatae rationem reddebant; et diu noctuque magno cum studio illi homines ad haec discenda incumbebant.

490. Commendaverat nostris P. Franciscus Xavier et testatum in litteris reliquerat ut curarent eorum benevolentiam conciliare, de quibus benemereri cupiebant; sic enim fructum laboris percepturos affirmabat. Id curavit praestare diligenter P. Henricus cum sociis, et ita neophyti, ut magno eos amore complectebantur, ita et eorum verbis credebant et obediebant; immo et gentiles et saraceni, quos saepe a molestiis et injuriis militum defendebant, nostros amabant. Hic amor neophytorum eo perveniebat ut etiam ad punitionem aequo animo ferendam sufficere videretur. Injunctum est omnibus utriusque sexus hominibus provectioris aetatis ut orationem dominicam et salutationem angelicam aut latina aut vernacula sua lingua discerent; propter ruditatem enim et quia natu grandiores ad fidem venerant, non haec didicerant memoriter, praeter paucos quosdam; postea ut et symbolum discerent in vernacula lingua injungere volebat.

491. Lingua, in qua nostri profecerant, malavaris dicitur; sed alia etiam quae maleame dicebatur, malavari vicina, eodem fere modo, quo Portugallensis lingua ad Castellanam accedit, quibusdam in locis in usu erat. In illa ergo P. Henricus se exercens, conjugationes ejus et declinationes in artem redigere coeperat et in eamdem, sicuti et in malavarem, quae necessaria erant ad fidem, convertit, et ad quosdam ejusdem linguae sacerdotes, qui Cranganori versabantur, videndum quod verterat misit.

492. Per hos christianos *paravas* vocatos adduxit ad fidem dominum cujusdam provinciae quae Trichlinamale dicitur, in Insula Ceilan. Hic octo annos natus erat, acri et acuto ingenio.

Digitized by Google

Cum ergo inter gubernatores ejus provinciae controversia orta esset quis eorum hujus pueri curam esset habiturus, quadraginta fere viri puerum hunc secum assumentes ad oram ac provinciam Comurini, quam Pescariam vocant, navigarunt; cum illis enim christianis antiqua illis amicitia intercedebat. Cum ergo auxilium ab eis peterent, illi adhortati sunt puerum et viros, qui eum comitabantur, ut christiani fierent. Admisit hoc vir ille, qui curam pueri habebat, et cum aliis pro baptismo solliciti erant, licet nullum ipsis auxilium esset impendendum. Cum igitur P. Henricus eorum videret constantiam, baptizavit eos omnes; et tanta laetitia affecti sunt paravae (sic comurinenses ex nomine suae gentis voco) postquam eos instructos et baptizatos viderunt, ut, quamvis pauperes essent, mille viros armatos eis dederint, qui in quibusdam navigiis, adjunctis quibusdam lusitanis, puerum in possessione suae ditionis constituerent.

493. Cum autem Ceilanum venissent, ibi etiam alii baptismum acceperunt; sed quia provincia bellicis tumultibus ardebat, et patronus pueri non habebat unde diutius christianos, in suum auxilium adductos, aleret, postquam ibi circiter duos menses exegissent, expedire visum est ut ad suam provinciam redirent, et puerum illum, legitimum dominum, a periculo mortis abducerent. Et ita, relicto praesidio ipsius patruo, christiano, puer cum paravis a lusitanis deductus est ad comurinensem provinciam, et inde ad Pro-regem perductus, cui gratissimus fuit et ab eo ad Collegium Goënse in doctrina et moribus christianis instituendus missus. Et eo crescente et ad suam ditionem redeunte, bona spes erat quod omnes ejus subditi fidem essent accepturi; et ejus quidem patruus Trichlinamali relictus, postea cum adversario convenit sed hac conditione, ut quod uterque gubernabat, ad puerum, postquam ad aetatem pervenisset, pertineret.

494. Dubitabat P. Henricus, cum urgeret occupationum multitudo in proximorum auxilium et quodammodo eum obrueret, an expediret se substrahere aliquando his occupationibus, quamvis ad animarum salutem necessariis, ut quieti orationis vacaret, an potius haec quies et consolatio spiritualis esset posthabenda proximorum auxilio. Sed securius esse tandem ipse constituebat aliquid temporis omnino sibi sumere, ut vires spirituales ad juvandos alios suppeterent.

Digitized by Google

495. Aliqui ex christianis, auditis fidei mysteriis ab initio mundi, omnia in tapetibus depingenda Cochini curaverunt, et perutiliter accidit ut imagines illae pro lectionibus hominibus illiteratis essent, et ita velut in libro quae necessaria erant fidei mysteria ibi discebant, et tantopere hujusmodi imagines christianis placuerunt, ut in singulis locis similes depingi ac teneri curaverint.

DE JAPONICIS REBUS

496. Superiori anno dictum est quod Cangoxima ad aliam urbem P. Franciscus cum sociis sit profectus (Firando illi nomen erat); quomodo etiam, ibi relicto P. Cosmo Turriano, ipse cum socio, qui Joannes Fernandez vocabatur et Japonense idioma jam didicerat, ad alia loca profectus esset, in quibus perlustrandis et exploranda hominum ac rerum dispositione ad Evangelium excipiendum, quatuor menses cum dimidio consumens, ad Cosmum redierat. Sed explicatius quid in hoc discursu, coepto sub finem Octobris et absoluto primis in mensibus hujus anni 1551, actum sit, paucis describam. Nobilis erat civitas, nomine Amanguchi, quae supra decem millia familiarum habebat et sub potenti quodam domino (ducem tamen et non regem eum vocabant), et magna in ea nobilitas erat.

497. Cum eo pervenisset P. Franciscus Xavier, et Christi Evangelium praedicare coepisset per plateas ac vicos publicos, populus perinde ac nobiles quaenam ea doctrina esset scire cupiebat, quibus satisfaciebat ipse partim legendo librum, in quo fidei mysteria et eorum declarationem in japonensi lingua Cangoximae scribenda curaverat, partim loquendo et conciones habendo de eisdem rebus quae in libro continebantur; nec solum plurimi eum audiebant, sed ad domos etiam nobilium saepe vocabant, qui cujusmodi esset lex quam praedicabat scire cupiebant, et, si sua meliorem invenissent, se eam suscepturos affirmabant. Multi libenter, quae de Dei lege dicebantur, audiebant, alii irridebant, alii aegre ferebant. Cum per vias incedebant, digito monstrabantur. Hic dicebat: isti sunt, qui nullum alium Deum adorandum quam conditorem rerum omnium ut salvemur affirmant; alii: isti solam unam uxorem haberi posse prae-

Digitized by Google

dicant; alii: isti sunt, qui sodomiticam libidinem reprehendunt; et alii alia. Tandem ipse dux Amanguchi, post multos dies nostros evocans, scire ab eis voluit unde oriundi essent, quam ob causam in Japonem venissent. Respondit P. Franciscus nostros in Japonem missos ad Dei legem praedicandam, quod nemo salvus esse posset, nisi Deum adoret et in Jesum Christum gentium omnium salvatorem credat. Jussit tunc ille declarari sibi legem. Coeperunt nostri ex libro scripto legere quae attente dux semper audivit, licet plusquam integram horam lectio mysteriorum fidei durasset; et sic ab eo dimissi sunt. Cum multos dies ea in civitate perseveraret, publice et privatim Christum annunciando, et, quamvis aliqui christiani fierent et alii libenter quae de Christo dicebantur audirent, et, cum de Passione ejus ageretur, non a fletibus abstinerent, quia tamen fructus exiguus ex magno labore proveniebat, ad magnam civitatem, nomine Meacum, se conferre P. Franciscus statuit; et duos menses in itinere cum magnis periculis propter bella et latrocinia et summis incommodis propter frigora et viae difficultates consumpsit.

498. Ubi Meacum pervenisset, Regem adire P. Franciscus cupiebat, ut ab eo facultatem legem Dei praedicandi acciperet, et cum aliquot diebus frustra id tentasset et aliunde intellexisset quod huic principi audientia non praestabatur *(sic)*, desiit facultatem illam procurare et potius ad id se convertit ut hominum dispositionem ad manifestandum Evangelium investigaret. Invenit autem eam perexiguam fore cum bellum grave Meaco immineret. Haec civitas olim magna admodum fuerat; ferebant multi quod olim in ea centum et octoginta millia domorum erant, et P. Francisco, considerato situ quam maximo urbis, verisimile id videbatur; cum enim magnam ruinam et incendia propter bella passa esset, plusquam centum millia domorum habere etiam tunc videbatur.

499. Cum igitur non posse dilatari Christi fidem Meaci videret P. Franciscus, Firandum ad nostros rediit; ubi cum navis quaedam lusitanorum cum mercibus esset, libenter a principe ejus urbis excepti fuerunt. Nec confectum fuit hoc iter sine maximo labore; aliquando enim pedites, tanquam famuli nobilium, cursim venire debuerunt, et aliquando nudis pedibus propter flumina et torrentes, aliquando fame et frigore afflicti

Digitized by Google

et madidi ad hospitia pervenientes, nullam ibi consolationem inveniebant. Saepe, cum sarcinulas suas humeris propriis ferrent, per nives et glaciem incedendo, cadebant, et cruribus inflatis, et injuriis ac vituperiis pleni, non sine patientiae et charitatis fructu et aliquibus ad Christi fidem conversis, Firandum sub medium mensem Martium tandem appulere. Et cum constituisset Xavier in regnum vel ditionem Amanguchiam se conferre, quae regno Castellae non minor videbatur, relicto etiam tunc Firandi P. Cosmo, ut instrueret multos Christianos, qui ad Ecclesiae gregem adducti erant, Amanguchium cum Joanne Fernandez secundo se contulit, et secum tulit litteras Pro-regis Indiae et Episcopi Goënsis ad ducem Amanguchium cum donis quibusdam, quae illi in amicitiae signum mittebant.

500. Magna dux ille laetitia affectus est tam litteris quam donis acceptis; nam licet pretiosa illa non erant, quia nunquam in Japone simile quidquam visum fuerat, gratissima illi fuerunt; et multa nostris offerebat, sed nec aurum, nec argentum, nec quidquam aliud, quod obtulisset, P. Franciscus admisit, et, si gratiam aliquam aut beneficium ipsis conferre vellet, rogavit ut hanc solam conferret, scilicet, facultatem Dei legem in ditione ipsius praedicandi et ut permitteret eos, qui vellent, eam admittere; quod ille amanter ac perhumaniter concessit, et facultatem hanc scriptam in tabulis dedit et per compita viarum affigi jussit, quibus significabat quod in ea civitate et ditione sua, qui vellet Dei legem suscipere, id libere posset facere, quodque gratum ipsi erat ut ea Dei lex manifestaretur. Injunxit etiam subditis ut nihil molestiae nostris conferrent hanc Dei legem praedicantibus.

501. Dedit etiam monasterium quoddam ad Collegii modum ut ibi nostri manere ac docere possent; et evocato ex urbe Firando P. Cosmo Turriano, firmam hanc domum nostri in Japone habere coeperunt. Cum autem ibi habitare coepisset P. Fransciscus, multi ad ejus praedicationem audiendam accedebant, quamvis quotidie bis eo munere fungeretur; concionem autem sequebatur semper disputatio, quae aliquandiu durabat nec parum nostros occupabat. Confluebant ad has conciones multi bonzi et bonzae (qui pro religiosis ac patribus spiritualibus illi genti sunt), multi etiam nobiles et plebeii, adeo ut, cum plena domus esset, non tamen eos capere posset. Plurimae in-

Digitized by Google

terrogationes ab eis proponebantur, ut de creatore an unus esset, et a quo etiam animae bonae et malae crearentur et etiam daemones, et cur Deus permitteret homines tam esse ad peccata propensos, cur in inferno nulla evadendi via relicta esset, et alia plurima, quibus cum magna claritate P. Franciscus respondebat; et ex ejus responsis falsas esse suas sectas et Dei legem veram cognoscebant. Et cum in his disputationibus perseverassent aliquot dies, aliqui christiani fieri coeperunt; et illi primi fuerunt baptizati, qui nostris tam in praedicatione quam in disputatione acrius adversati fuerant. Ex his multi nobiles erant, et postquam christiani effecti sunt, plusquam dici potest nostros charitate complectebantur.

502. Hi fideliter nostris aperuerunt quae in sectis japonensium, quae novem erant inter se differentes, continentur; nec parum id ad rem faciebat; nam habita errorum notitia, rationes nostri excogitabant ad eos convincendos, et ea objiciebant gentibus circa ipsorum sectas, quae nec bonzi nec bonzae solvere poterant; quod cum observarent neophyti, in fide suscepta confirmabantur, et qui adhuc gentiles erant et disputationibus intererant, fidem abnegare sectis suis incipiebant; quod male habebat bonzos; quibus, cum eos reprehenderent qui Christi fidem sectabantur, interrogantes cur sectas suas deseruissent, respondebant tam neophyti quam qui christiani esse volebant, ideo se adhaerere christianae religioni, quod multo magis rationi consona erat quam ipsorum sectae et quod videbant a nostris sufficienter responderi eorum argumentis, cum tamen ipsi non possent diluere quae nostri eis contra leges ipsorum objiciebant. Et ita res habet quod nulla gens P. Francisco Xavier nota erat, quae magis rationi quam japonenses obediebat. Mire autem erant curiosi in interrogando et cum aliis conferendo quae a nostris audierant. Ignorabant illi mundum esse sphaericum, et solis ac astrorum cursus, et cum de his, de cometis, fulguribus, pluviis, nivibus et aliis hujusmodi interrogarent et docerentur de causis eorum, magna laetitia perfundebantur; et, cum nostros sapientes homines existimarent, facilius eis in his, quae ad fidem pertinent, credebant. Prius inter se japonenses de suis sectis disputabant quaenam melior habenda esset; sed postquam nostri eo venerunt, jam de Dei lege et religione tota civitas agebat. Qui inter eos mortales esse ani-

Digitized by Google

mas sentiebant, pessimis moribus erant, nec ferre aequo animo poterant quod post hanc vitam de inferno praedicabatur.

503. Duorum mensium spatio quinquaginta fere ex ea civitate baptismum acceperunt, sed quotidie alii atque alii per Dei gratiam ad fidem accedebant. Tentationem hanc initio patiebantur contra Dei bonitatem cur tam diu ipsos in tenebris errorum reliquisset; sed cum eis P. Franciscus probasset legem Dei omnibus japonensium ac sinarum legibus esse antiquiorem, quandoquidem ab initio intelligebant homines japonenses et sinae quod occidere, furari, falsum testimonium dicere et contra reliqua praecepta operari malum esset, et in seipsis conscientiae remorsum sentiebant, si quid contra ea egissent; itaque recedere a malo et bene agere lex erat scripta in cordibus omnium, nullo etiam homine docente; et si quid ea de re dubitarent, ut experimentum sumerent, hominem in deserto loco educando, ubi nullam habeat sectarum cognitionem nec legere aut scribere noverit, hunc si interrogaverint num occidere, furari, etc., esset peccatum necne et an expediret praecepta observare decalogi, ipsa experientia tunc cognoscerent quod, solo Creatore legem suam in corde imprimente, hoc agnosceret, quod nostri praedicabant. Quadravit illis omnibus haec ratio, ut abunde sibi satisfactum esse faterentur; et, eo dubio sublato, non parum ad Christi fidem suscipiendam adjuti sunt. Bonzi, quod eorum fraudes et mendacia detegerentur, nostros odio prosequebantur; persuadebant enim illi populo quod observare non poterat quaedam praecepta quae illi sunt observanda; sed et promittebant ex inferno se eos educturos et ad id se obligabant, etiam in scriptis, dummodo honore ab eis afficerentur, et de rebus ad vitam necessariis prospectum sibi esset. At nostri probabant quod, si semel in infernum detruderentur, non poterant per bonzos liberari.

504. Placuit autem divinae misericordiae et bonitati ut non solum populus fraudem hanc bonzorum agnosceret, sed et ipsi bonzi a veritate convicti fatebantur se non posse animas ab inferno eripere; sibi tamen victum et vestitum defuturum si id non praedicarent. Et ita, cum eleemosyna consueta eis non subvenirent et pro honore ignominiam pati multi inciperent, plures ex eis in civitate Amanguchi, relicta susperstitione, a bonzis ad laicos transfugiebant, et aliorum, qui in ipsorum

Digitized by Google

monasteriis erant, scelera populo aperiebant, unde ruere magna existimatio horum hominum ea in civitate incipiebat; et cum essent centum hujusmodi monasteria in ea civitate, aiebant neophyti multa ex eis ad solitudinem esse redigenda, quod eleemosynae ad sustentationem eis deessent. Olim bonzi et bonzae communiter observabant quinque praecepta, scilicet, abstinere a fornicatione, ab esu carnium et piscium omniumque rerum quae mortem patiantur; ab occidendo, furando, mentiendo et vinum bibendo; sed jam haec non observabantur; nam publice vino utebantur et piscibus secreto vescebantur, veritatem raro loquebantur, et libidine, etiam contra naturam, sine ullo pudore utebantur et peccatum non esse dicebant. Unde et populus de illis male sentiebat. Sed et bonzas herba quaedam ad non concipiendum vel abortum faciendum uti fama erat. Tam bonzi quam populus japonensis ad orandum granis utuntur supra centum et octoginta et in singulis sectae suae auctorem nominant. Ortum intelligere voluit Fiachae et Amidae, qui ut praecipui Dei colebantur apud japonenses; et intellexit non fuisse daemones sed figmenta daemonis.

505. Dux Amanguchi multum nostris favebat, et ejus uxor magis quam ipse, et augeri religionem Christi optabant, quamvis nunquam eam admiserunt, quia multa monasteria ad cultum Amidae erexerant, ut in hac vita ipsis benefaceret, et post illam ad quietem secum deduceret; et nolebant tam multos annos sui obsequii et fructum tam multarum eleemosynarum perdere. Persuasum illis erat pro uno decem sibi esse in alio saeculo rependenda, et putant alia in vita cibum, vestitum, alia hujusmodi esse necessaria. Sic eos bonzi docebant et in suis praedicationibus in Deum et in nostros, ut Dei ministros, invehebantur, et simul atque admitteretur Christiana religio, japonensem regionem perituram; proinde ut a nostris et Deo nostro caverent. At quanto vehementius id praedicabant, tanto magis populus ad Deum et ad nostros afficiebatur, et magis nostris, cum eis loquebantur, credebat, et plures christiani fiebant; nam ex invidia bonzos sic loqui interpretabantur. Diligenter investigavit P. Franciscus an aliquam olim japonenses Christi notitiam habuissent, et juxta scripta ipsorum et populi sententiam nullam fuisse invenit. Changoximae quidem invenit ejus urbis dominum inter insignia sua crucem albam habere;

Digitized by Google

sed ex ulla notitia Christi id non provenire satis compertum habuit.

506. Çum adhuc esset Changoximae P. Franciscus cum sociis, dux quidam potens, cujus titulus a Bungo nomen habet, per litteras eum ad se evocavit, quod navis quaedam lusitana ad suum portum venisset, et habebat aliquid, quod cum ipso conferret. Relicto igitur P. Cosmo de Torres cum Joanne Fernandez in civitate Amanguchi, Bungum ipse perrexit; exceptus autem fuit ab illo duce humanissime et cum lusitanis, qui eo venerunt, agens, magnam consolationem accepit. Sed dum ipse Bungi versatur, bellum grave Amanguchi ortum est, quod a diabolo ad cursum evangelii impediendum videtur fuisse excitatum. Princeps quidam, duci Amanguchi subditus, contra ipsum arma capiens, ad fugam ex urbe sua compulit et, cum illum impigre sequeretur cum magno exercitu, et duci videretur quod non posset manus hostis et subditi sui evadere, ne in ejus manus veniret, seipsum propriis manibus occidere decrevit, et antequam se pugione confoderet, jussit parvulum filium, quem secum eduxerat, occidi, commendavitque suis ut utriusque corpus comburerent, ut, cum hostes accederent, nihil eorum invenirent; et ita effectum est. P. Cosmus Turrianus interim et socius Joannes Fernandez in summo periculo mortis versati sunt, et miraculo caedi a Deo erepti fuisse videntur; nam per octo dies ac noctes civitas Amanguchi caedibus, incendio et direptioni exposita fuit; multi alios vindictae gratia occidebant, alii ut eorum bona raperent; et toto hoc tempore nostros ad necem quaerebant, alii ut odia sua contra religionem ac praedicatores concepta explerent, alii ut bona quae habebant occuparent; sed postquam suas sarcinulas absconderunt, miserunt ad domum cujusdam matronae Naetondoni uxoris ut aliquid consilii daret; quae ut domum suam irent statim nostros jussit.

507. In eo itinere obviam multas turmas armatorum habuerunt et, dum inter eas transirent, dicebant aliqui: occidamus hos homines, quia propter eos tantum mali ortum est; quod enim ipsi dixerint idola non posse nos salvos facere nec seipsos, irritaverunt deorum iram, et quia monasteria et imagines eorum comburuntur, hoc bellum permittunt. Nec deerat illis causa hoc dicendi, quia cum homines parum jam crederent hujusmodi

Digitized by Google

deceptionibus, complura monasteria cum suis idolis combuserunt; videbant enim quod suum ducem, tam addictum ipsorum cultui, non a tot malis servaverant. Pervenerunt tamen illaesi ad domum Nactandoni [1] (qui primarius vir erat), cujus uxor misit eos cum quodam ex domesticis ad monasterium, quod ipsa reditibus dotaverat. Hujus monasterii bonzi nostris erant inimicissimi; unde eos admittere nolebant, quod essent daemonia, nec pro tam detestandis hominibus se domum habere dicebant, et quandoquidem legem Dei, qui est in coelis, praedicabant, quare non eos ad coelum educebat, ut a periculis eriperet? Sed tandem timore illius matronae moti vel ejus precibus, eos in quodam angulo sui templi duos dies et totidem noctes retinuerunt; quibus transactis, a quadam nobili matrona invitati domum ipsius iverunt, et in quodam ignobili domus loco tamdiu substiterunt, donec pax consecuta est. Nam post ducis mortem, cum primores ejus regni illud regi sine duce intelligerent, legatos ad ducem Bungi miserunt et ejus fratrem in ducem Amanguchi postularunt et obtinuerunt. Dux Bungi magno affectu dilectionis Portugallenses prosequebatur et subditos habet bellicosos et multos; qui, cum de potentia regis Portugalliae intellexisset, litteras ei scripsit suam amicitiam et servitutem ei offerens, et in amicitiae signum misit ad eum loricam, et ad Pro-regem Indiae quemdam domesticum misit, qui cum P. Francisco sub initium anni sequentis ad Pro-regem perveniens et amicitiam duci Bungi offerens, magna cum humanitate et honore exceptus fuit.

508. Pace interim reddita, denuo P. Cosmus in concionibus sua lingua scribendis, quas Joannes Fernandez in japonensem vertebat, occupabatur; et de singulis mysteriis vitae Christi ac Passionis populum instruebant, et cum multis lacrymis ac spirituali fructu a christianis vel ad Christum accedere volentibus audiebantur, et tam curiosi erant in rebus fidei intelligendis, ut, cum crucis signo se munirent, intelligere vellent quid sibi vellet nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, et cur signaretur frons, pectus, sinistrum et dextrum latus; et declaratione accepta contenti recedebant; et significata verborum *Pater Noster* et *Ave Maria* et *Credo* percipere volebant. Ma-

[1] Sic Polanci librarius, qui supra scripserat *Naetondoni*. Nec nobis emendare licet, qui nondum alias tale nomen reperimus.

Digitized by Google

gno ingenio praediti et civiles admodum japonenses sunt et qui videantur in aulis principum quamdiu vixerunt versati. Regio illa rebus necessariis abundat et frequentibus et magnis populis habitatur; domus partim ligneae sunt, partim ex secto lapide; pannis sericis abundat.

509. Sub anni finem Indiam versus P. Franciscus navigavit, et incolumis ad eam pervenit, canis quidem plenus, sed viribus corporis satis validus, adeo ut majores se nunquam habuisse ipse testetur; labores enim, quos cum hominibus bono ingenio ac judicio praeditis et suam salutem amantibus subibat, multum illi consolationis adferebant; auxilium etiam divinum quod expertus in disputationibus et in convincendis erroribus sectariorum fuerat, admirabilem ei spiritus laetitiam contulerat et ut labores non sentiret efficiebat; cum etiam neophytos exultantes videret quod alios gentiles convicerat, consolationum cumulum augebat, et eorum constantia et firmitas in semel suscepta fide mire recreabat. Illi, qui perpetuo vixerant in sectarum japoniensium errore, si rationibus contrarium ostendebatur, ei videbantur non posse resistere.

510. Existimabant tam P. Franciscus quam Cosmus eos, qui in Japonem essent mittendi, et litteris et prudentia ac rerum experientia praeditos esse oportere, qui labores et pericula ac persecutiones non expavescerent; nam haec a Bonzis passuros esse, gravia etiam frigora, praesertim in locis *Vandum* nominatis, quae ad Septentrionem vergunt, ubi Universitas Japonensium celebris est; inediae ac victus tenuis patientes esse debere, nam oryza fere omnes victitant, herbis et aliis hujusmodi adhibitis; ideo bona corporis habitudine ac viribus pollere debere; et flandros aut germanos, in frigoribus exercitatos, licet talentum ad praedicandum non habeant, in philosophia, ac dialectica praesertim, bene versatos ad convincendos bonzos, idoneos fore. Qui in frigidioribus locis vivunt, majori ingenio et viribus pollere dicuntur inter japonenses; inter quos qui versari debent, sicut etiam in aliis Indiae locis, hujusmodi esse debere scribit, qui nostris negotium non facessant, et solida virtute sint praediti. Et fatetur se aliquos ex his, quos columnas existimaverat, aliter quam speraverat invenisse, et cum aliquos a Societate dimittere cogeretur, gravius id quam reliquos omnes labores et molestias sentiebat.

Digitized by Google

511. Admonet eos praesertim, qui in Japonem mittentur, magnum contemptum passuros, locum ad missam celebrandam non facile habituros, praecipue in initio; cum Vandum et Meacum se contulerint, quod non tempus et locum habebunt ad meditandum et contemplandum, et vix ad officium dicendum; unde quam solida esse eorum virtus debeat videtur. Ideo nec senes idoneos esse dicit, quod careant viribus corporis, nec valde juvenes, quod experientia destituti sint; qui tamen difficultates illas vicerit, supra modum magnam consolationem spiritualem habiturum esse testatur, si bene utatur gratia Dei, quam ille ad victoriam hujusmodi difficultatum conferre solet; non eos, qui necessarii non sint in Europa, in Indiam mittendos, sed paucos et idoneos; et satis fore censet si duo singulis annis mittantur, qui fere studia absolverint, quae in India non optime tractari possunt. Optabat autem ipse ut a P. Ignatio Romae cogniti essent et approbati ab eo, qui in Japonem essent mittendi [1].

512. Magnam autem se spem concepisse affirmat non solum de Japonensium ad fidem per Societatis ministerium conversione, sed etiam Sinarum, qui sub uno Rege pacifice ac politice vivunt, et omnibus rebus necessariis abundant, et studiosi sunt rerum praesertim ad gubernationem reipublicae pertinentium; sine barba, exiguis oculis, admodum liberales, et suo Regi valde obedientes. Sperabat anno 1552 se ad Sinas iturum, si res Indiae non eum detinerent. Et id inter caetera admonet, quod, quamvis Sinarum et Japonensium idiomata sint diversa, scriptis tamen se mutuo intelligunt; cujus rei haec causa est, quod litterae quibus utuntur Sinae, communes sunt etiam Japonensibus, et singulae litterae pro dictione sunt, et id pingunt quod significant. Et haec de rebus Japonensibus sint dicta [2].

Explicit hic volumen primum mss. Chronici Patris Polanco. Vide quae ad Praefationis calcem, tomo I, pag. 8 scripsimus.

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Xaverio, plura fuse et distincte de rebus Societatis in Europa, de Jubilaeo et gratiis a Summo Pontifice Societati concessis, 1 Februarii. Similes hae litterae sunt iis quae eadem die ad Nicolaum Lancilottum fuere missae. V. supra, hoc anno 1551, n. 483.

[2] Haec, quae de Japonia dicta sunt, confirmari et elucidari possunt Xaverii et sociorum litteris, iis praesertim quae editae sunt in opere, cui titulus: *Cartas que los Padres y Hermanos de la Compañía de Jesús, que andan en los Reinos de Japón, escribieron*, etc. En Alcalá. Año 1575.

Digitized by Google

Secundo autem volumini, quod paginis mille et ducentis triginta tribus constat, appositus in primo folio sequens titulus est: *Rerum societ: | Jesu | Tomus secundus | anni | 1552 | 1553 | 1554 | P. Joanne polanco | auctore.*

ANNUS 1552

ROMA

1. Initio hujus anni Societas in quadraginta tribus locis residebat, quamvis Provinciae distinctae quatuor tantum essent: Indiae, Portugallensis, Hispanica, et Italica, citra Romam; in quibus quatuor Provinciales erant, scilicet, Patres Franciscus Xavier, Simon Roderici, Antonius Araoz, Paschasius Broët; reliqua, Galliae, Germaniae, Italiae et Siciliae loca a P. Ignatio sine ullo Provinciali regebantur. Addita fuerunt anno proxime elapso quatuordecim loca, in quibus nostri residere coeperunt: in India, Amanguchii et Chiorani; in Brasilia, quae nondum Provinciae nomen habebat, in Portu Sancti Vincentii, et Sancti Spiritus, et Sancti Amari prope Portum Securum; praeter quae loca, jam prius in civitate Salvatoris Collegium fuerat institutum; et his quatuor locis praefectus erat P. Emmanuel de Nobrega et Provincialis officio, sine nomine tamen, fungebatur. In Portugallia Eborense Collegium aliis additum erat; in Hispania Ognatense, Burgense et Methymnense; in Germania Viennense; in Italia Collegium Romanum, Ferrariense, Florentinum, et Neapolitanum: praeter haec quatuordecim loca, scholae apertae fuerant eodem anno Bononiae et Venetiis, et ut incrementum in hujusmodi novis locis tam insigne acceperat Societas, ita et in personis, quas Dominus ad hoc institutum vocabat.

2. Hoc autem anno 1552, ipso in initio, cum constituisset P. Ignatius novum Provincialem in Portugallia creare, et ex ea P. Simonem removere, ut inferius dicetur, Hispaniae Provinciam, alioqui majorem quam ut commode possit ab uno Provinciali regi, in duas provincias divisit; alteram sub nomine Castellae eidem P. Antonio Araoz reliquit, alteram vero Aragoniae, quae et regnum Valentiae et principatum Catalauniae complectebatur, P. Simoni assignavit; in quibus erant quatuor Col-

Digitized by Google

legia, scilicet, Caesaraugustanum, Valentinum, Gandiense et Barcinonense.

3. In domo romana consueta praedicationum, et lectionum a prandio in ecclesia diebus festis, confessionum etiam et communionum ministeria eum progressum habebant, ut ne templum ipsum capere concurrentium frequentiam commode posset, nec nostri Sacerdotes omnibus satisfacere valerent. De spiritualibus colloquiis et aliis consuetis pietatis operibus ea, quae saepius dicta fuerunt, in hoc anno dicta intelligantur. Et quamvis novae coloniae missae sunt et non pauci ad jam instituta Collegia missi, cum tamen multi Romam admitterentur, et ex aliis etiam provinciis admissi eo mitterentur, fere sexaginta domi nostrae habitabant, et ipsa multitudo succrescentium fratrum ad novas colonias deducendas urgebat.

4. In Collegio Romano numerus in dies augebatur, cum a domo professa juventus, quae probata erat, in illud mitteretur; unde multum admodum collegialium numerus crevisset, nisi ex eo missiones multae factae fuissent; et sic initio hujus anni, cum paulo ante florentinum et neapolitanum Collegium missa essent, viginti quinque collegiales plus minus erant.

5. Inter eos, qui in Societate sunt admissi hoc anno unus fuit D.or Martinus Olave, vir eruditione clarus et bene notus Parisiis, ubi gradum doctoris in Theologia susceperat, sed ejus pietas eruditione clarior erat, et cum jam diu ad perfectiora adspirasset, relicta Imperatoris Caroli curia, cui in officio Capellani inserviebat, Dilingam ad juvandos Cardinalis Augustani pios conatus in institutione sui Collegii et Universitatis Dilingensis se contulerat, et inde ad Concilium Tridentinum ab eodem Cardinali missus optime in rebus gravissimis, quae ibi tractabantur, se gessit, et cum non minori eloquentiae quam doctrinae et integritatis laude suo munere defunctus, dissoluto Concilio, Romam ad Societatem se contulit [1].

6. Ex Hispania etiam P. Jacobus de Guzman cum P. D. Gaspare Loarte cum animi sui propositum ac vocationem P. Ignatio per litteras declarassent, eos admisit et Romam venire permisit, si ad ipsorum consolationem id faceret; quod illi, parum in Hispania versati, fecerunt, quamvis optio eisdem esset data

[1] V. infra sub n. 140.

Digitized by Google

et patentes litterae missae ut quocumque magis eis placuisset ex locis, ubi Societas residebat, se conferrent.

7. Collegium Romanum toto hoc anno in latinis, graecis et hebraicis litteris docendis occupabatur, et praeceptoribus satis eruditis ac diligentibus ad id utebatur; inter quos fuit Magister Joachimus, Parisiis missus; nec tamen defuerunt insolentiores aliqui vel ludimagistri vel paedagogi, qui in schola Collegii publice eum reprehendere voluerunt, et tamen contra rationem et cum offendiculo non exiguo. Cum autem res ad Cardinalem Compostellanum, qui protectionem hujus Collegii susceperat, delata esset, eos in carcerem conjiciendos curavit. Accidit etiam in eadem hebdomada ut, cum duo adolescentes a paterna domo recessissent, matres eorum, tempore Missarum ad ecclesiam nostram venientes, omnia querelis et clamoribus impleverunt, et tantumdem in Collegio utrobique cum offendiculo effecerunt, immo et in quorumdam Cardinalium domibus. Dicebant Collegium a nostris esse Romae institutum ut filiosfamilias ad nos alliceremus, vel, ut ipsarum vocabulo utar, praedaremur; et tamen neuter illorum adolescentum, propter quos orta est tempestas, nec domum nec in Collegium admissus fuerat.

8. His commotus P. Ignatius scribi ad varia Societatis loca jussit ut nullum ex auditoribus nostrarum scholarum sine parentum consensu nostri admitterent; quia majus esset damnum quod ex commotione et alienatione parentum quam fructus qui ex admissione filiorum sequeretur, habita universalis boni ratione; nec alios modos defuturos esse ad bona desideria eorum, qui ad nostrum institutum vocarentur, explenda, cum ad alia Societatis loca illi se possent conferre. Monuit etiam ut, si quando ludimagistri nostros praeceptores ut ignorantes reprehenderent, illi cum humilitate responderent se quidem plura ignorare quam vellent, sed tamen Deo et proximis se inservire cum illo exiguo talento, quod summus paterfamilias eis credidisset, et demum ut modestia insolentiam vincere niterentur. Crescebat autem scholasticorum externorum in nostris scholis numerus et jam ad trecentos accedebant [1].

9. Hoc anno Romae Collegium Germanicum initium habuit,

---

[1] Missae sunt hac litterae 23 Januarii.

Digitized by Google

cui occasionem dedit summa in provincia Germaniae sacerdotum penuria, qui exemplo et verbo suae nationis hominibus prodesse possent, quam cum Cardinalis Moronus, vir prudentia ac rerum usu clarissimus, perspectam haberet et non mediocri charitatis studio ad nationem illam, in qua diu versatus fuerat nomine Sedis Apostolicae, propensus esset, existimavit nullam commodiorem iniri posse rationem, qua haec Sancta Sedes provincias illas juvaret, quam si selecti et bonae indolis juvenes Germani in Urbe sic instituerentur ut pietate, doctrina, et benevolentia erga hanc ipsam Sedem (ut de ipsis bene merentem) aucta cum beneficiis ecclesiasticis in suas provincias remitterentur.

10. Hanc tamen institutionem quibus concredere posset non videbat, nisi Societas nostra eam provinciam suscepisset. Cum P. Ignatio igitur rem contulit, cui cum magnopere probaretur et ad instaurandam plurimis in locis disciplinam jam collapsam et religionem fulciendam in illis locis et propagandam perutile videretur, et suam operam libenter offerret ad tam pium institutum promovendum, Cardinalis Moronus, simul cum Cardinali Sanctae Crucis, cui et res eadem perplacebat, Summum Pontificem adiit; qui rationem hujus operis cum animi laetitia non mediocri intellexit, et aliquando sibi in mentem venisse conceptum hujusmodi, quem tamen non satis explicatum habebat, et se alacri animo hoc opus promoturum recepit. Et quamvis bella aliquandiu exsecutionem hujus operis distulerunt, cum jam se expedisset a Parmensi et Mirandulae bello Summus Pontifex, Cardinalibus jam dictis rem urgentibus, litteris Apostolicis Collegium hoc, *Germanicum* vocatum, sub Societatis nostrae gubernatione et institutione in litteris ac moribus, erexit.

11. Et quamvis de ecclesiasticis reditibus applicandis et domo coëmenda ageretur, interim tamen ne diutius pium hoc opus differretur, conductitiam domum sumendam esse visum est; et in membrana Summus ipse Pontifex cum plurimis de Sacro Collegio Cardinalium quid conferre vellent ad sustentationem Germanorum subcripserunt. Primus omnium Summus Pontifex quingentos aureos singulis annis se daturum promisit; alii autem, prout cuique aut facultas aut voluntas suppetebat, hic centum aureos, ille centum viginti, alii plures aut pauciores se daturos subscripserunt. Et cum summa non longe a tribus

Digitized by Google

millibus aureorum in singulos annos accederet, datum est Patri Ignatio negotium ut et capita quaedam adnotaret tam conditionum, quibus juvenes praediti esse debebant, quam etiam modi eos accersendi. Initio autem, quamvis centum et amplius scholasticos eo in Collegio agere constituissent, dum magis firmaretur opus, usque ad triginta vel quadraginta tantum posse statim evocari constitutum est.

12. Germaniae nomen, ut dixi, Collegio est inditum; Bohemia tamen, Polonia, et Ungaria, et aliae hujusmodi septentrionales nationes, quae hujusmodi operariis indigebant, in locis haeresi infectis, pro Germania habebantur. Scripsit ergo P. Ignatius tum Patribus Claudio et Canisio, tum Patribus Leonardo et Adriano, qui Viennae, Ingolstadii, Coloniae et Lovanii versabantur, ut juvenes harum nationum Romam mitterent, qui a decimosexto usque ad vigesimum secundum annum agerent, et si aliqui ultra eam aetatem progressi essent, et propter egregias alias animi dotes mittendi viderentur, et dociles certe essent et quibus tradita in moribus et litteris institutio bene imprimi posset, qui omnes honesta facie, sano corpore et ad ferendum studii laborem apti essent, et ingenio atque indole bona praediti, ut sperari merito posset quod in bonos ac strenuos operarios vineae Domini evadere possent; et quo instructiores in litteris venissent, eo maturius remitti posse in Germaniam videbantur; ideo instructiores praeferendi erant; nobilitatis habendam quidem esse rationem, quae multum auctoritatis in illis nationibus conciliat, sed si initio nobiles genere non venirent, ut certe animi nobilitas non deesset; postea tamen ut genere nobiles veniant curandum esse[1].

13. Ad quod autem tenebantur tantum id erat: ut obedirent praeceptoribus suis et collegii administratoribus in his, quae ad mores homine christiano dignos et ad doctrinam pertinebant. Statutum est etiam ut illi tantum ad hoc Collegium venirent, qui ecclesiasticum institutum sequi et temporis successu ad sacros ordines promoveri vellent. In horum gratiam praecipue constituit P. Ignatius ut non solum trium linguarum, sicut hactenus factum erat, sed etiam liberalium artium disciplinae ac demum scholasticae theologiae et Scripturae sacrae lectiones in Colle-

---

[1] Ignatii litteras ad Jaium datas habes in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pp. 94 et 395.

Digitized by Google

gio Romano praelegerentur; et quamvis habitarent in separata domo, quibusdam ex nostris eis adjunctis, quorum opera facilius in officio contineri possent, omnes tamen ad Collegium nostrum mane et post meridiem ad lectiones et alias scholasticas exercitationes venire debebant; et ideo vicina domus Collegio nostro in ipsorum usum accepta est. Hoc ipso anno versus ejus finem non pauci juvenes sed fere omnes ex inferiori Germania missi sunt, inter quos fuerunt aliqui, qui artium curriculum emensi fuerant.

14. Significatum tamen est nostris ne in posterum Flandros et Ollandos aut Brabantos ad hoc Collegium mitterent, quandoquidem illi Lovanii catholicam et praeclaram habebant Universitatem; immo et Clevenses et Juliacenses, Geldrenses et Frisii, qui per constitutiones hujus Collegii non excludebantur, non esse amplius mittendos scriptum est, nisi prius P. Ignatio consulto, ut locus superioris Germaniae adolescentibus major relinqueretur.

15. Viginti quatuor fere juvenes huic Collegio principium dederunt et brevi plures erant admittendi, sed non sine delectu et passim; immo constitutiones Germanici Collegii ad nostros missae sunt, juxta quas examinari deberent Romam mittendi. Hoc tamen anno in humanioribus litteris, et etiam in sequenti usque ad studiorum renovationem in autumno anni 1553, expoliti fuerunt tam in latinis quam in graecis et hebraicis; neque enim ante id temporis cursus philosophicus nec theologicus est inchoatus. Qui autem jam philosophiam audierant, ut eadem studia etiam audita repetendo tractarent constitutum est.

16. His intermediis mensibus inter primos venit magister Henricus Blissemius, magister Paulus Hoffaeus et Magister Hermannus Tyraeus et magister Theodorus Lindanus; ultimus hic Wratislaviensis canonicus postea factus est; tres priores in Societatem ingressi, praeclare se gesserunt et non solum ad concionandum et docendum sed etiam ad gubernandum egregium a Domino talentum acceperunt [1].

---

[1] Longa de suscepto a Societate Collegio Germanico ejusque fine, etc., enarratio missa est Patribus Laynez et Salmeron, 20 Februarii, ut de iis cum Praelatis tunc Tridenti propter Concilium degentibus agere possent. Similes missae sunt Venetias, Ferrariam, Bononiam, Mutinam et in omnia fere intra Europam loca ubi aliqui de Societate morabantur.

Digitized by Google

17. Cum existimatio Societatis etiam circa tradendas disciplinas et juventutis institutionem Romae cresceret, Cardinalis Compostellanus sponte sua egit cum P. Ignatio de Collegio, quod Compostellae erectum fuerat, Societati tradendo; et tantopere ad id exsequendum propensus erat, ut diceret scholares sibi suorum peccatorum veniam a Deo et misericordiam impetraturos, si hoc Collegium Societati gubernandum tradidisset. Patronus ipse erat, ut Archiepiscopus, sed non solus; nam Comes Montis Regis alter patronus erat, ad quem scripsit Compostellanus et significavit, cum sibi Romani Collegii et aliorum alibi a Societate admissorum fructus perspectus esset, nullo modo se judicare melius consuli Collegio Compostellano, quam si Societati applicaretur, ut Societas lectores in eo constitueret et tam quae ad litteras quam quae ad mores pertinent promoveret. Admisit autem quod offerebat Cardinalis P. Ignatius; nam praeter quam quod egregium aedificium et reditus duorum millium ducatorum esse dicebantur, locus ipse, in civitate Sancti Jacobi in Compostella, devotionis gratia eum invitabat; et Cardinali id rogante, scripsit ad P. Turrianum, Salmanticensis Collegii Rectorem, ut hac de re tractaret. Quid autem successerit inferius dicetur.

18. Christiana doctrina messem in Collegio paratam habebat; nam scholastici omnes in ea diligenter instituebantur. Custodiae publicae non solum exhortationibus recreatae, sed et confessionibus auditis adjutae fuerunt, tam ea quae Turris Nona, quam quae Turris Sabella et Capitolii dicuntur, in quibus Paschae festum sine hoc sacramento elapsum fuerat.

19. Bonum nomen atque odor Societatis et praesertim apud primores in causa erat ut vix posset quibusdam Cardinalibus persuaderi non convenire ut P. Franciscus Borgia Cardinalatus dignitatem admitteret, de qua multi multa circumferebant, et nostram Societatem seminarium quoddam esse debere, ex quo Episcopi multi et Cardinales assumerentur. Contra P. Ignatius Societatem nostram Deo et Ecclesiae tunc inservituram esse affirmabat, et aliquid utilitatis cum Dei gratia allaturam, si in gradu suo humilitatis subsistere permitteretur; et, si dignitatibus hujusmodi ostium aperiretur, ei ruinam imminere, unde nec eo modo, quo coeperat, nec alio Ecclesiae Dei utilis erat futura. Et quod attinet ad P. Franciscum Borgiam, non solum cum

Digitized by Google

Cardinalibus sed cum ipso Summo Pontifice Julio III egit ac humiliter supplicavit ut in suo gradu eum relinqueret, qui studio humilitatis suum ducatum reliquerat; et Pontifex Summus pro sua benignitate securum hac in parte P. Ignatium reddidit [1].

20. Concessit hoc anno idem Pontifex Julius Societati nostrae per apostolicas litteras in forma Brevis, quod prius viva voce de absolutione ab haeresi et dispensatione circa jejunia et cibos prohibitos concesserat. Confirmavit praeterea privilegia Societati ad id usque tempus concessa, quae nullis derogationibus derogata censerentur; anteponendi etiam et posponendi divinum officium, et ut nostri in Universitatibus promoveri ad gradus magisterii et doctoratus a nostris possent, si Rectores Universitatum gratis eos nollent promovere; extra Universitates autem ut de licentia Praepositi Generalis possent promoveri et omnibus privilegiis gaudere, quibus promoti in Universitatibus gaudent, et ut infirmi ac senes professi et ad operandum in vinea Domini non idonei cum facultate Praepositi Generalis sustentari in Collegiis possent. Nec omittam quod cum Summus Pontifex hoc ultimum, quod, suggerente P. Simone, propositum ipsi fuit, concederet, verba haec per modum joci addidit: ***non vorrei che si facessero questi padri poltroni con tal concessione***, quasi significaret parce admodum utendum hujusmodi facultate et quod non admodum libenter eam concedebat.

21. Ostendebat autem Summus Pontifex non solum benevolentiam sed existimationem etiam de Societatis hominibus non vulgarem se habere; unde cum illustris Comes de Montorio nomine Pro-regis neapolitani ab ipso peteret P. Salmeronem Neapolim mitti, respondit illi necessarium esse in Concilio Patrem Salmeronem; et Ducissae Florentiae, quae P. Jacobum Laynez a se magno cum affectu postulaverat, se tamen id negasse, quia illi duo Patres contra venenum haereticorum in Concilio necessarii erant, prout ipse perspectum habebat jam inde ab eo tempore, quo in Concilio legatus fuerat. Cum etiam intellexis-

---

[1] Ignatii et Polanci litteras, ad Franciscum Borgia, in quibus de hac Julii III voluntate sermo est, habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pp. 59 et 62. Sed animadvertere oportet Polanci litteras fuisse a Cienfuegos mire multumque decurtatas et immutatas, ita ut in paucis respondeant adversario, quod a Polanco exaratum ipse Ignatius manu propria, ut exscriberetur denuo, emendavit, quodque, Deo volente, nos edemus.

Digitized by Google

set, referente P. Ignatio, edictum illud Archiepiscopi Toletani, de quo superius facta fuit mentio, qui nullis rationibus nec procerum Hispaniae precibus adduci poterat ut ab incoepto desisteret, remedium adhibendum ille censuit, et, quia non expediebat summo jure cum Archiepiscopo agere, rei componendae curam ipse assumpsit. Litteras igitur ad Archiepiscopum et ad Cardinalem Poggium, Sedis Apostolicae in Hispania legatum, scribi suo nomine jussit, quibus mirari se vehementer scribebat tale Archiepiscopi decretum, et ut omnino illud reponeret ac Societatem, de qua multa ad laudem addebantur, suis uti privilegiis sineret jubebat. Cum autem hasce litteras, antequam obsignarentur, sibi legi fecisset, judicans non satis dictum esse in Societatis favorem, injunxit Secretario ut quaedam adderet verba, quorum sensus erat quantopere haec Societas hodie sit amata et in pretio habita in toto orbe christiano. Itaque non solum quid ipse sentiret de Societate testari voluit, sed testimonium omnium provinciarum christianarum adduxit; cujus apud ipsum indicium erat, quod magno cum affectu undecumque homines et Collegia Societatis expeti experiebatur [1].

22. Inter alia pietatis opera, quae Romae Societas tractabat, illud fuit quod Dominum Ascanium Columnam cum Ducissa Domina Joanna de Aragonia, uxore sua, conciliare studuit; nam cum parum inter ipsos conveniret, Ducissa procul a Domino Ascanio agebat, et ad matris partes Dominus Marcus Antonius Columna, primogenitus, haeres utriusque, inclinabat. Cum ergo animum ipsius Domini Ascanii prius explorasset Ignatius, quemdam sacerdotem Societatis cum litteris ad Ducissam misit, quibus facultatem petebat ipsam invisendi, a nulla prorsus creatura sed potius a Creatore ad id se moveri et ad obsequium Dei fore significans. Cum Ducissa humaniter nuncium et litteras accepisset et gratum ipsi fore adventum P. Ignatii diceret, 2.ª die Novembris ad oppidum Alvitum in confinibus regni Neapolitani cum alio sacerdote et uno aut altero fratre coadjutore profectus est, et, quamvis plueret, et infirma valetudine ipse uteretur, nihil tamen differendum propter gravem pluviam ratus (hoc enim illi consuetum fuerat ut propter adversam

[1] Turbarum ab Archiepiscopo Toletano excitatarum longa et distincta enarratio missa est 6 Januarii Patri Laynez, ut eam, si expedire videretur, Concilii Patribus communicaret, aut saltem ut ea utens notitia falsas de Societate opiniones dissiparet.

Digitized by Google

tempestatem non derelinqueret quae ad Dei honorem facienda censebat) iter aggressus est. Et dedit illi Dominus vires, quamvis duas et tres horas ante diem surgendum esset, ut in eundo et redeundo melius quam domi solebat haberet. Et quod ad negotium praecipuum attinet, duobus diebus cum dimidio, quibus Alviti mansit, id fere omne obtinuit quod cupiebat; quamvis cum Romam Domina Ducissa postea venisset, et alii sese huic concordiae immiscentes, alia ratione quam ea coepta erat suo arbitratu procedere vellent, rem pene jam a P. Ignatio confectam, infectam fecerunt.

23. Illo vero exiguo tempore, quo Alviti fuit, praeter multorum confessiones a sacerdote ipsius [1] cum fructu non poenitendo auditas, curavit P. Ignatius, auctoritate Ducissae interposita, ut populus ille ad confessionem singulis mensibus faciendam adduceretur, et, cum primi ex domesticis Ducissae concionatorem ipsius oppidi ejus nomine allocuti essent et eos etiam, qui parochiarum curam habebant, ut huic sacramentorum frequentiori usui studerent, effectum etiam est ut aliqui ex primoribus ejus oppidi rem inchoarent, ut, quemadmodum alii praedicatione vel exhortatione, sic ipsi exemplo alios invitarent. Significatum etiam illis est Dominam Ducissam observaturam esse diligenter quinam consuetudinem istam sanctam singulis mensibus confitendi et communicandi retinerent.

24. Inde Cyperanum se contulit, quod oppidum est in confinibus regni, sed ad Ecclesiam pertinet, ubi erat Cardinalis Burgensis; cum quo, licet tantum noctem unam exegerit, curavit ut idem, quod Alviti, constitueretur de confessione et communione singulis mensibus frequentanda. Cujus rei exsecutio, Cardinalis auctoritate interposita, relicta est Sebastiano Romei, fratri nostro, qui, nondum sacerdos, Cyperanum ad tempus missus erat, urgente eodem Cardinali, et scholam ibi, in qua pueri oppidani litteras, bonos mores et christianam doctrinam addiscerent, instituerat, et aliis pietatis operibus cum fructu animarum vacaverat. Ille ergo et praedicatione et exhortatione homines ad confessionem crebram adducere conatus est, et ante reditum in Urbem aliquorum confessiones sunt auditae; et, cum tempus non permitteret ut sacerdos, qui P. Ignatium comitaba-

[1] Hoc est a sacerdote, qui Ignatium comitabatur.

Digitized by Google

tur, aliquos audiret, ut aliis se confessuros promitterent curabatur; et ita decimo die, postquam Roma discesserat, incolumis rediit [1].

25. Archiepiscopus Genuensis litteris suis impetrare a Patre Ignatio curaverat ut viri religiosi, quos Mediolani titulo S. Barnabae nominant, cum Societate nostra unirentur; domus enim illi aliquas in Longobardia non sine dotatione habebant. Cui respondit P. Ignatius se diligere Patres illos et optime de ipsorum virtute et integritate sentire; sed tamen hujusmodi unionem cum aliqua alia congregatione religiosorum sacerdotum sibi aliquando fuisse propositam (hi erant clerici regulares, quos theatinos vocant) et visum nobis esse nulla ratione id convenire ad Dei obsequium per ipsos et per nostros praestandum; et causas tanti momenti visas esse ei, qui unionem hanc urgebat, ut eam fieri non expedire sibi omnino persuaderent. Propter easdem igitur rationes non convenire unionem sacerdotum religiosorum S.ti Barnabae eidem Archiepiscopo scripsit. Aliquos tamen ex illis Patribus Romam vocatos et in aliquo labore ac afflictione constitutos, paulo ante hoc tempus, studiose juvare idem P. Ignatius curavit, et cum Episcopo Calagurritano, qui, dissoluto Concilio Tridentino (de quo inferius agemus), Mediolanum venerat, Summus Pontifex horum religiosorum causam commisisset, suis litteris diligenter eidem Episcopo, Societatis nostrae amicissimo, negotia praedictorum Patrum commendavit. Diligebat autem eos P. Ignatius hac peculiari ratione, quod, cum P. Emmanuel Miona Parisiis Romam ad Societatem veniret et in morbum prope Mediolanum incidisset, eum illi Patres S.ti Pauli et Barnabae cum charitate magna exceperant et curam ejus habuerant simul cum socio, donec P. Miona, sanitate recuperata, coeptum iter est prosecutus. Hujus autem beneficii P. Ignatius nunquam est oblitus.

26. Aliqua Collegia hoc anno admissa fuerunt, de quibus paulo post agemus; et cum in illis et aliis quibusdam, ut accidit cum dotationem Collegia non habent, necessaria non admodum

---

[1] Ignatius Cardinali Burgensi Cyperanum, de Sebastiano Romei, 8 Octobris; eadem die Polancus Licenciato Mercanti seu Marchantio, ut curam habeat Sebastiani Romei, ejusque confessiones audiat, etc.—Missa est etiam eidem Romei declaratio eorum, quae Cyperani agere debebat.—Ignatius Cardinali Burgensi ut boni consulat Sebastianum Romei Cyperano Romam ante 7 Novembris venire, 22 Octobris.

Digitized by Google

abunde suppeterent, quod in romano Collegio constituerat Pater Ignatius, in aliis etiam observari voluit, ut, scilicet, medici consilio qualitas et quantitas ciborum, somni, et vestimentorum praescriberetur, et id quod ipsi visum esset observaretur, ut tam ad valetudinem quam ad vires corporis tuendas necessarium; quod si non suppeteret facultas ad medici praescriptum exsequendum, ut potius aliquis de numero collegialium removeretur, alio mittendus, ut reliquis quod necessarium esset impendi posset; et si reditus Collegii vel id quod civitas, Praelatus, aut quivis alii, qui alendi Collegii curam susceperant, subministrant, ad necessaria juxta dictum modum providenda non sufficerent, injunxit ut ad sanctae mendicitatis abundantiam nostri confugerent, ne vel nostri benefactores ordinarii nimis gravarentur vel Christi membra rebus necessariis ad sanitatem et vires conservandas destituerentur. Idem quoad libros et alia ad studium necessaria intelligi voluit. Et si ne ipsa quidem mendicitas sufficeret ut omnibus necessaria suppeterent, ut saltem infirmis ea deesse superiores non paterentur; nam sani melius patientiam exercere possent in paupertatis effectibus sentiendis.

27. Cum in quibusdam locis ac praesertim in Portugallia intellexisset P. Ignatius aliquot parum reverentes et obedientes esse, adeo ut aliquis respondere auderet hoc vel illud sibi praecipi non debuisse, vel id facere quod jubebatur recusaret, reprehendit Superiorem quod hujusmodi membra putrida a corpore Societatis non removisset et, ne latius serperet hoc malum ad sana membra inficienda, illa non praecidisset. Praecepit ergo Provinciali Portugalliae in virtute obedientiae ut, si quis esset qui vel ipsi vel cuivis Praeposito aut Rectori obedire nollet, a Societate dimitteret vel Romam ad se transmitteret, si tali mutatione eum juvari posse speraret; nec existimandum esse ad commune bonum promovendum utilem fore, qui sibi ipsi inutilis et noxius esset. Omnibus item aliis locis Societatis in virtute obedientiae praecepit ne quis ex Superioribus sub se ministrum vel officialem aliquem haberet, qui sibi nollet obedire; cum enim hi exemplum integrae obedientiae aliis esse debeant, permitti non debent ibi versari, ubi et sibi et aliis exemplo noceant.

28. In quadrimestribus litteris brevitatem idem P. Ignatius commendavit quod ad verba attinet; nam quod ad res ad aedificationem pertinentes spectat, ut essent quam vellent copiosi

Digitized by Google

permisit, at semel scripta praecedentibus quadrimestribus brevius perstringerent, et tantum in rebus notatu dignioribus ad particularia descenderent, et ut catalogum personarum, quae in quovis Collegio sunt, vel alio missae fuissent, cum quadrimestribus mitteretur.

29. Dominus de Ozaeta, sanguine P. Ignatio conjunctus, nomine Ducis Nagera P. Ignatio scripserat [1].

30. Dux Nagerae scripserat P. Ignatio de matrimonio neptis ipsius, ad quam domus de Loyola, viris deficientibus, pervenerat, cum nobili quodam et locuplete viro, Domino Guevara; cui respondit Ignatius hoc negotium a sua professione valde alienum esse, cui minime conveniat talibus se negotiis saecularibus immiscere; se jam a plurimis annis nulli de domo Loyolae scripsisse, cum et illam et mundum semel se reliquisse propter Christum cogitaret; unde non decere se id tanquam rem propriam habere aut de ea tractare; si tamen ipsi videretur hanc illarum domorum conjunctionem ad Dei gloriam et ipsarum bonum fore, ut Dominum de Ozaeta et Martinum Garcia de Loyola, puellae consanguineos, accerseret et cum illis de hoc negotio tractaret.

31. Tria Collegia hoc anno in varia loca Italiae P. Ignatius ex Urbe misit: primum Perusium, secundum Mutinam, tertium Eugubium. Urgebat etiam Cardinalis Sanctae Crucis per litteras ut Montem Pulcianum aliud mitteretur; sed in ejus adventum re extracta, hoc anno missum non est.

COLLEGIUM PERUSINUM

32. Prima colonia hoc anno deducta ex domo ac Collegio Romano Collegium fuit Perusinum. Res cum Cardinali Fulvio Corneo, dicto Perusino, prius tractata fuerat, qui ad nobilis illius urbis ac patriae suae spirituale auxilium erigi Societatis nostrae in ea Collegium cupiebat, et cum episcopatus ejusdem urbis eidem commendatus esset, etiam hoc nomine subsidium hoc Collegii meditabatur. Prius tamen quam nostri ex Urbe

[1] Sic in mss., sententia non perfecta. Id delere voluisse videtur Polancus, et ratio probabilis est quia eadem forte sunt quae hic enarrare aggrediebatur ac ea, quae in num. sequenti narrat.

Digitized by Google

mitterentur, cum magistratibus et aliis privatis, qui clari in ea civitate erant, res communicata fuerat, et locum Collegio designaverant, qui tamen certus non erat, sed haberi posse facile sibi persuadebant. Cum itaque partim civitatis ac civium subventione, partim suis expensis Cardinalis Perusinus Collegium hoc instrui et sustentari posse existimasset, decem aut duodecim ex nostris, accepta Summi Pontificis benedictione, junio mense ex Urbe dimissi sunt.

33. Rector primus, a P. Ignatio electus ut huic novo Collegio praeesset, P. Everardus Mercurianus fuit, post multos annos Praepositus Generalis Societatis effectus, qui initio hujus anni Parisiis, ut superius dictum est, Romam venerat. Adjunctus est illi Sacerdos, P. Joannes Niger, natione gallus, Romae in Societatem admissus; et quia scholae ad institutionem juventutis essent aperiendae, praeceptores futuri designati fuerunt, inter quos primas tenuit Magister Edmundus Augerius, adolescens, qui anno jubilaei in Societatem Romae fuerat admissus. Omnes numero decem, inter quos praecipui exterarum nationum erant, nec concionator ullus, qui hoc titulo concionandi Perusium mitteretur. Existimabat enim P. Ignatius praestare ut ab humilibus initiis inchoata Collegia paulatim augerentur, quam ut splendidis admodum initiis res inchoando difficile, quod coeptum esset, conservarent [1].

34. In itinere, quod pedibus in peregrinorum morem conficiebant (quamvis vestes novae talares praemissae per mulionem essent), non sine aedificatione proximorum versati sunt, et in via, in diversoriis et in oppidis, vel colloquiis familiaribus, vel exhortationibus, vel etiam ad populum concionibus in plateis et ubi occasio auditorum se offerebat, non cessabant de proximis benemereri. Nec sine fructu aliquorum haec peragebantur, cum fervorem juvenum Rectoris prudentia temperaret ac dirigeret. Retulerunt aliqui ex nostris, qui aliquandiu post idem iter confecerunt, adhuc memoriam penes hospites gratam remanere eorum, quae a nostris audierant.

35. Cum Perusium accederent, amicus quidam Societatis obviam procedens et amanter omnes excipiens, domum suam

---

[1] Iis data est, cum iter aggressi sunt, plena in scriptis et distincta notitia eorum, quae juxta Ignatii mentem, tum in scholis, tum in aliis Societati consuetis ministeriis, agere Perusii debebant.

Digitized by Google

deducere voluit; sed quia vestes in hospitium quoddam comportatae fuerant, ad illud se nostri contulerunt, et amicus ille quae domi praeparaverat eo misit. Inde togis assumptis, ad Vicarium deducuntur, qui nostros amanter amplexus, illico Legato Apostolico, Cardinali scilicet Urbinati, praesentavit, qui magna etiam humanitate officium ac operam suam est pollicitus. Cum autem ad locum eum essent deducendi, qui certo nostris praeparatus ab omnibus credebatur et ad quem suppellectilem variam amici comportaverant; res contra illum in controversiam adduci coepit; et ita Vicario visum est ut in superiori episcopalis palatii parte nostros exciperet; quae sane habitatio incommoda nostris et minime salubris erat, cum cubicula vasta et ventis ac frigori exposita nimis essent. Sed, quamvis haec fortassis causa fuerit quod omnium fere valetudo febribus tentata fuisset, minus tamen id molestum erat quam quod is locus ad messem spiritualem proximorum parum admodum idoneus esset. Quosdam enim in loco tam publico suppudebat toties nostros adire, cum praesertim ad palatium illud litium gratia ire homines soliti erant; templum autem nullum erat praeter ipsum cathedrale, ubi nostri vel sacrificia Missarum offerrent vel Sacramenta confessionis et communionis ministrarent.

36. De alio quidem loco quaerendo amici Societatis solliciti erant, sed toto hoc anno in palatio episcopali haeserunt; alia enim loca, de quibus agebatur, variis ex causis ad maturitatem non venerunt, et impediebatur interim non parum is proventus, qui ex commodis templis ac scholis provenire in aliis Collegiis Societatis solet; ex sacrificiis nihilominus, quae vel in cathedrali ecclesia vel in aliis piis locis celebrabantur, aedificationis non parum homines percipiebant, unde et frequentes homines et reverenter ac devote eis aderant, et cum scholasticos genibus flexis pie et quiete sacris interesse et suas preces persolvere videbant, tam tenerioris aetatis quam natu grandiores, non parum spiritualis consolationis spectatores referebant.

37. Concionabantur aliquando in monasteriis, in templis parochialibus, et in plateis, ac in ipso denique foro, non sine multorum consolatione et fructu; vacabant etiam audiendis confessionibus. Initio vero in monasteriis Episcopo subditis haec

Digitized by Google

messis copiosior erat; inter quae unius prae caeteris moniales ad reformationem, post confessiones omnium auditas et crebro repetitam communionem et exhortationes ea de re habitas, vehementer erant propensae [1].

38. Sed mendicorum etiam, occasione eleemosynae ipsis distribuendae, ad quam frequentes accedebant, curam susceperunt, qui, postquam provocati essent et instituti crebris exhortationibus fratrum, eorum plerique peccata sua confessi sunt, et quidem in templo summo, ubi maxima hominum esse frequentia solita erat. Haec autem omnia eo majori cum admiratione et aedificatione gerebantur, quo rarius videri solita essent. Accedebant et pauperes diebus dominicis doctrinae christianae interpretationem audituri; nam et hanc in cathedrali ecclesia explicandam susceperunt, cui et Vicarius, et sacerdotes, ac cives subinde nobiles et viri religiosi praeter vulgus reliquum interesse solebant.

39. Vocabantur et nostri ad aegrotantium confessiones audiendas multumque temporis in eorum consolatione impendebant. Magister Edmundus, quamvis adolescens, velut alter Daniel, in publica quadam via concionari cum admiratione et aedificatione multorum coepit, et, cum valetudine corporis parum firma esset et lectionum laboribus occuparetur, tanto animi fervore ad hoc concionandi ministerium afficiebatur, ut quodam modo pro medicina ei concionandi facultas fieret. Pro re nata hujusmodi conciones in plateis habebantur, praecipue cum publici alicujus offendiculi occasio se offerebat, cujusmodi ab histrionibus et circulatoribus Perusii frequenter fieri solebat. Hoc strategemate ministri daemonis non semel suo loco pulsi immo et civitate omnino expulsi fuerunt.

40. Semel accidit ut quidam ex horum numero, erecto vexillo prae foribus templi majoris, non solum verba populo sed etiam toxica ampullatim et unciatim venditaret; et cum eo tempore religiosus quidam, in ipsa ecclesia D. Pauli lectionem enarrans, vix quadraginta auditores haberet, circulator prae foribus quingentos habebat, et quidem inter eos nec sacerdotes nec monachi deerant. Cum in hoc spectaculum incidisset P. Joan-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano, de constitutione quae prohibet ne nostri, nisi forte *ad tempus*, confessiones monialium audiant, 30 Julii.

Digitized by Google

nes Niger, qui forte ex hospitali redibat, et daemonis artem animadvertisset, illico in acervum lapidum, qui juxta circulatorem erant, subsiliens, populum simul voce et manu ad se vocat, pharmaca longe salubriora et gratis se daturum pollicetur; atque ita suis auditoribus circulator destitutus, cum videret P. Joannem contra daemonem, patrem mendacii, ejusque ministros vehementer invehi atque eos potius lapidibus esse obruendos asserere, qui et loca sacra et ipsa Spiritus Sancti templa totos dies adeo profanarent, veritus ille cum sociis ne a verbis ad lapides iretur, de quibus mentionem fieri audierat, congestis subito rebus suis, inde aufugerunt, et cum primum licuit, civitate cesserunt, nunquam, ut credebatur, in eam reversuri. At suum negotium P. Joannes prosecutus magna libertate populum reprehendit, qui, relicta sacra lectione, vanis immo et profanis circulatoris sermonibus assistebat; et sic auditores non minus admiratione quam beneficio affectos postmodum dimisit.

41. Bonus autem ille P. Joannes hoc ministerio concionandi et sacramenta poenitentiae et Eucharistiae ministrandi eo impensius vacabat, quo in plures paulatim Societatis cognitio deveniebat; et primis quidem mensibus in carceribus, xenodochiis et monasteriis haec officia magis exercebantur; sed postquam ecclesia quaedam a Vicario ad usum praedicationis et Sacramentorum nostris concessa est, ibi haec ipsa numera crebro obire coeperunt [1].

42. Nusquam tamen majora divini auxilii argumenta deprehenderunt quam in praedictis aegrotantium et custodia publica inclusorum locis, ubi multi exhortationibus adducti sunt ad confessionem, quam decem, quindecim, et pluribus annis neglexerant, sumptoque Sanctae Eucharistiae Sacramento (quod quidam etiam aetate jam graves nunquam sumpserant), soluti fuerunt mox ab ipso materiali carcere, adeo ut intra biduum et triduum ne unus quidem ex eis, qui devote ad sancta sacramenta se disposuerant, in custodia relinqueretur; et sacra in gratiarum actionem a nostris postulantes laeti domum repete-

[1] Polancus, *ex com.*, Magistro Joanni Nigro, ut dialecticam iis initiis, non publice sed privatim legat, et posse Everardum, cum convaluerit, Psalmos aut conscientiae casus praelegere, habito prius Vicarii consensu et non omisso studio italicam linguam bene addiscendi, 7 Julii.

Digitized by Google

bant; et quasi miraculo se in carcerem adductos animae suae liberandae gratia judicabant [1].

43. Hoc ipsum saepe in xenodochio contigit, ubi milites [2], ut assolet in illis locis, obstinatissimi in alios viros plane mutabantur, se de caetero animae suae saluti consulturos promittentes. Non defuerunt et concubinarii sacerdotes, qui in fece hac peccatorum quodammodo consenuerant, et resipiscentes, confessione generali praemissa et reliquis sacramentis susceptis, in Domino quieverunt, et alii, sanitatem recuperantes, ad salutis viam redierunt. Fuit et aliquis, cujus lingua ab aliquot annis penitus alligata, in confessionem peccatorum Deique laudes ibidem soluta est. Hoc quoque ministerio aliqui cives non infimae notae, apud quos non minor animi quam corporis morbus incalluerat, plurimum in utroque homine levati sunt.

44. Advigilatum quoque est in familiaribus colloquiis ut multi, scrupulis et animi perturbationibus obruti, conscientiae quieti redderentur. Difficilius multum fuit quibusdam aliis satisfacere qui nullo alio quam curiositatis morbo laborabant, et veluti censores de nostris periculum facturi et res varias percontaturi accedebant; sed et plerumque hi non prius dimittebantur, Deo juvante, quam se recte intelligi et in astutia sua se comprehendi animadverterent, et longe alio animo quam venerant redirent. Alii noctu nostros adibant, ne ab hominibus viderentur; quos, tentatione hujusmodi superata, quod propius accessissent non poenitebat; alii a longe nostros sequebantur; alii tentatiuncula fracti dejiciebantur, ut varia erant hominum ingenia et daemonis artes plus vel minus virium in eis habebant; alii periculosius errantes deprehensi sunt utriusque sexus, qui in rudibus quibusdam caeremoniis summam perfectionis collocabant, idque seducti a quibusdam, qui columnae sanctitatis habebantur; sed apud hos etiam, retectis daemonis insidiis, fructus sperabatur; aliqui se totos in his, quae ad animae profectum pertinent, nostrorum fidei committebant.

45. Sed in scholis, quas ab initio nostri aperuerunt, egregius multorum fructus capiebatur. Quamvis enim locus satis

---

[1] Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano, ne nostros occupari nimium sinat in hospitalibus et carceribus adeo ut detrimentum vel eorum valetudo vel scholae patiantur, 25 Junii.

[2] Sic; melius tamen fortassis est *multi*, et non *milites*.

Digitized by Google

esset incommodus, numerus tamen discipulorum crescebat in dies et ad centum et quinquaginta et plures pervenit; quorum parentes tantopere propter institutionem filiorum nostris afficiebantur, ut nostros occurrentes in viis publicis cum magna congratulatione exciperent ac filiolos suos tantum ab iis distare, quos initio nostris commiserant, quantum a tenebris lucem ipsam testabantur. Multi etiam ex his parentibus scholas nostras adibant, observandae methodi gratia, qua in filiis instituendis nostri utebantur (ea autem Romani Collegii formulam plane imitabatur), quae adeo illis placebat, cum praesertim disputatiunculas eorum viderent, ut easdem domi suae etiam iterari a filiis vellent. Et cum vendimiarum tempore parentes ex urbe recedebant, et integram familiam ad praedia adducere solebant, filios tamen vicinis committebant, ne diutius a studiis ac bonis moribus discendis feriari cogerentur [1].

46. In tres classes scholae distinctae fuerunt; et quamvis magister Edmundus ad altiora docenda missus esset, quia grammatices fundamentis omnes destituebantur, in illam eum incumbere oportuit et citra rhetoricam subsistere. Nostri autem fratres, occupati externorum studiis promovendis et his praeceptoribus juvandis, domi nihilominus suas lectiones a magistro Edmundo audiebant. Quarta schola addi sub finem hujus anni debuit, ut et numero et dispari profectui studentium consuleretur.

47. Fructus autem studiorum in externis quod poenitendus non fuerit parentes saepe testabantur, qui toto biennio aut triennio suos filios minus in litteris profecisse quam his paucis mensibus, quibus ad scholas nostras venerant, fatebantur. Quibus autem mores compositi in juventute, alioqui satis effrenata, arridebant ac probabantur, hi nostrorum institutionem non poterant non commendare.

48. Non tamen deerant aliqui, qui apud Collegium novum nec litteras nec methodum instituendae juventutis probarent; qui varias tragoedias excitantes ipsum etiam Vicarium, Societati alioqui aequissimum, contra nostros concitare niterentur; quapropter visum est expedire ut aliquod specimen veritatis

[1] Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano, ne quoad exercitia litterarum plura promittant quam facile exsequi possint, sed humilibus potius contenti ad majora in dies paulatim contendant, 25 Junii.

Digitized by Google

saltem in gratiam amicorum ederetur, quos nostri jam suppudebat, dum illi obtrectatores nostrorum inscitiam traducerent. Injunctum est ergo magistro Edmundo latinam orationem praeparare, quam Vicarius in summo templo, praesentibus canonicis, doctoribus et non paucis ex primoribus civium, praeter studiosos fere omnes Academiae Perusinae, recitari voluit; quod, Deo juvante, tam bene cessit ut praeter quam quod amicis satisfactum est, plerique studiosorum et quidam non vulgariter docti orationem illam transcribendam saepe magno animi affectu postularent, et etiam ludimagistri, quibus minime placuerat prosper hic successus, orationem probare cogerentur.

49. His nostrorum exercitationibus non parum animi civium erga Societatem afficiebantur, et sine nostrorum labore Collegium alebant, et quaedam confraternitas, quae praeceptores juventutem instituentes alere solebat, suam operam ad nostros alendos obtulerat, et suam etiam bonam voluntatem munusculis ad nostros missis testabantur ; quae tamen ab eis non admittebantur, quibus spiritualia nostri communicabant; illi tamen quasi ex insidiis quaedam vel jactabant, vel domi relinquentes statim recedebant, ne remitti possent. Quae ad supellectilem etiam domus necessariam pertinebant, hac ratione sunt suppeditata; et, cum nostri aegrotarent, adductis medicis et pharmacopolis, diligentem eorum curam habebant. Inter primarios amicos Societatis duo doctores, optimi viri, erant, scilicet, Guilielmus Pontanus et Marcus Antonius Oradinus.

50. Cardinalis autem Fulvius Perusinus, quamvis Vicario crebro commendaret ne quid nostris deesse pateretur, quia non solus ipse tunc alendi Collegii onus susceperat, locum charitatis exercendae civibus relinquebat. Nec nostris patientiae exercendae occasio deerat, cum nullus hanc curam ut propriam susciperet, ne quid de necessariis deesse pateretur. Nam ventus undecumque nostros in edito illo loco penetrabat, et aliquando, licet raro, praeter panem et vinum et jusculum, a reliquis citra praeceptum Ecclesiae jejunandum illis erat [1].

51. Conservatores quidem civitatis Romam initio miserunt ut a Summo Pontifice locum quemdam, ubi Collegium colloca-

[1] Polancus, *ex com.*, Alphonso Salmeron, ut Romam Florentia veniens, Perusium adeat et videat quomodo Perusini Collegii penuria sublevari possit, 7 Julii.

Digitized by Google

retur, obtinerent, et de applicandis quibusdam proventibus trecentorum florenorum, qui ludimagistris persolvebantur (ea autem summa a ducentis aureis non multum abest), cum illi parum officio suo satisfacere viderentur, agebant. Sed neutrum toto hoc anno obtinuerunt et ita in palatio Episcopi nostri veluti hospites manserunt. Nec deerat Cardinali animus satis ad Collegium hoc juvandum propensus, ut facto postea ostendit totam ipse provinciam suscipiens, sed quid civitas faceret exspectabat. Cum autem successu temporis privatorum subventio ex parte frigesceret et nostri, libenter quidem, sed partem aliquam crucis in penuria rerum necessariarum sentirent, cura ab ipso Cardinali, ut fecit, suscipienda fuit. Semper tamen et existimatio optima et favor civitatis in Societatem cerni potuit, quae ad res spirituales affici non parum exemplo et opera nostrorum coepit. Ipsa etiam habitatio Pontificii palatii, ut potuit, concinnata fuit, ut minus male nostri ibidem habitarent, dum locus alius parabatur. Satis tamen experientia intellectum est curam a paucis susceptam, quorum nullum sit caput, ex eleemosynis prospiciendi alicui Collegio parum sufficientem esse, nisi ipsimet nostri eleemosynas quaerendi curam susciperent, quod ut nostri facerent ipse Vicarius hortabatur.

52. Agebatur autem de quodam loco, quem *Sapientiam* vocabant, ubi Cardinalis olim Armellinus Collegium inchoaverat et jacta fundamenta morte praereptus reliquerat; agebatur etiam de quodam loco, quem ludimagistri inhabitabant prope plateam civitatis, et temporis successu uterque locus in Societatis usum cessit. Timebat hoc hominum genus sibi; immo et qui hospitali praeerant, cum nostros ad pauperes invisendos et consolandos et sacramenta eis ministranda accedere crebro viderent, sibi timere coeperunt, perinde ac si nostri gubernationem hospitalis sibi vendicare meditarentur. Ipsa tamen res docuit quod nostri non quae sua sunt sed Christi quaererent, et veritatis lux ac fructus ipse spiritualis hujusmodi opinionum tenebras discussit [1].

53. Sub autumnum culinam in suis habitationibus habere coeperunt, cum prius in eadem necessaria pararentur, quae do-

[1] Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano, si domus, quae *Sapientia* dicitur, ipsis non applicetur, ut omnino ejus loco aliam habere curet, quae commodior et amplior sit quam ea quam nunc incolunt, et ubi separatum quisque lectum habeat, 23 Julii.

Digitized by Google

mui Vicarii serviebat; et paulo post ecclesiam etiam ad usum Sacramentorum obtinuerunt, quae tamen cum ab habitationis loco distaret et parum commodum esset scholasticis ad illam se sacrorum gratia conferre, in ipso palatio sacellum in aula quadam fuit concinnatum, ad quod etiam ipse Vicarius Sacramentorum percipiendorum gratia veniebat [1].

54. Non latebat cives quod nostri multa incommoda et in habitatione et in rebus ad victum et vestitum necessariis paterentur (quas enim vestes Roma in aestate tulerant, eisdem hiberno tempore Perusii sed magis attritis uti oportebat); sed hoc ipsum apud eos aedificationem ac Societatis existimationem augebat. Unde cum quaedam matrona nobilis novam quamdam domum inhabitatura cum suo marito esset, rogavit nostros ut in ea prius Missae sacrificium aliquis noster sacerdos offerret, ut sic fausta illis habitatio redderetur, ex quo ad maritum, parum familiarem Societati, multum aedificationis accessit.

55. Frater Matthaeus Lachi, dominicanus, fidei Inquisitor, non exiguam nostris benevolentiam et charitatem ostendebat, et suam operam ad omnia offerebat. A tam multis autem ad exhortationes faciendas expetebantur, ut propensio ad hoc munus magistri Edmundi abunde haberet se exercendi occasionem et cum aedificatione multorum et, ut sperabatur, fructu id exercebat. In difficultatibus ad casus conscientiae pertinentibus multis etiam, sicuti etiam consiliis spiritualibus, satisfactum est; inter quos homines primarii erant. Scripturam sacram P. ipse Everardus Rector praelegere constituerat, sed penuria librorum effecit ne id hoc anno praestare posset, quos ne mutuo quidem accipere poterat. Sed cum sub anni finem Abbatem monasterii S.ti Petri, ordinis S.ti Benedicti, officii gratia inviseret, cumque ille benevolum se cum toto suo monasterio exhiberet, et inter benefactores suam ille partem habere intellexisset, ab eo libros aliquos postulavit, quibus ad Scripturae lectionem juvaretur, et obtinuit.

56. Commendabat Vicarius eidem Patri ut cujusdam confraternitatis curam susciperet, quam quidam sacerdos, Lauren-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano sociisque Perusii degentibus, eos ad patientiam adhortans et ut cum Patre Alphonso Salmeron de omnibus quae ad collegium spectant conferant, a quo et magistri seu lectores poterunt de sua quisque schola, quomodo se gerere debeant, melius instrui, 10 Septembris.

Digitized by Google

tius Davidicus nomine, quibusdam externis submissionibus aut, ut ipse vocabat, mortificationibus instruxerat; sed P. Everardus contra nostra statuta esse curas hujusmodi suscipere affirmans, se excusavit; nostros enim omnibus expositos non hujusmodi peculiaribus obligationibus occupari [1].

DE COLLEGIO EUGUBINO

57. Cardinalis Sanctae Crucis, cui Episcopatus Eugubii commendatus erat, Collegium ea in civitate institui cupiebat, ut ad profectum spiritualem illius populi, tum in juventute instituenda, tum in aliis Societatis consuetis ministeriis nostri se exercerent. Cum ergo sub medium Octobris, Apostolica benedictione et ipsius Cardinalis obtenta, Eugubium nostri profecturi essent, quemdam ex suis familiaribus misit Cardinalis, qui nostros deduceret; qui proinde non, more tunc consueto, peregrinando, sed, prout ipse Cardinalis voluit, equitando hoc iter confecerunt. Observarunt autem ipsi quod ut majori cum commoditate, ita minori cum fructu, quam pro consuetudine pedibus suis incedentes et minores periodos quotidie conficientes soleant, via transacta eis fuerit. Is, qui eos deducebat, cum gravi injuria a quodam alio affectus esset, crebris et utilibus nostrorum exhortationibus et veniam offendenti in corde suo donavit, et ad sacramentum confessionis, ut decebat pium ac bonum virum, accessit. 23.ª die Octobris in quamdam Cardinalis Abbatiam, quam Vivum vocant [2], tribus passuum millibus Eugubio distantem, pervenerunt, ubi humaniter admodum excepti ea nocte et diebus sequentibus, ut a labore itineris conquiescerent, retenti fuerunt. Postridie vero in civitatem Sanctissimo Christi Corpore refecti se ex Abbatia illa contulerunt [3].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano, ne confraternitatibus, iis praesertim quae sive ad pietatis sive ad charitatis exercitia noctu conveniunt, se immisceat, donec admonitus Ignatius quid sit agendum statuat; itemque ne pompis seu processionibus *collegialiter* intersint nostri, 25 Junii.

[2] Vide t. I, n. 178, pag. 217.

[3] Ignatius, Cardinali Sanctae Crucis, officiose et de Eugubino collegio, 25 Junii; eidem ipse Ignatius, de Collegio, et de modo primis mensibus tenendo, et de iis, qui Roma mittuntur, 1 Octobris. Hi, quos Ignatius breviter sed sigillatim describit, erant Albertus Ferrariensis, Oliverius Manaraeus, Baptista Velati, Renatus, Sebastianus, alter Albertus, Michaël, Hieronymus et Morales. Ultimus tamen, de quo dubitans scribit Ignatius, non missus est.

Digitized by Google

58. Hujus collegii caput Dr. Albertus Ferrariensis electus est, qui in civitate sua a Domino vocatus sed Romae admissus fuerat, vir pius et in jure eruditus, cui comes adjunctus est P. Oliverius Manaraeus, qui Parisiis, ut prius dictum est, jam sacerdos et theologiae studiosus admissus fuerat, et, Romae aliquandiu versatus, idoneus ad fundamenta hujus Collegii jacienda simul cum aliis videbatur. Et hi soli Sacerdotes erant. Ad instituendam autem juventutem, praeter eumdem magistrum Oliverium, qui Rhetorices professor futurus erat, Baptista de Velati, Ferraria Romam revocatus et cum aliis Eugubium missus fuit. Omnes octo numero fuerunt [1].

59. Hi ergo 26.ª die Octobris Eugubium pervenientes, recta ad aedes Vicarii pergentes, eum salutaverunt et ab eodem amanter excepti fuerunt ut qui eorum adventum pergratum habuit. Illico autem ad ecclesiam cathedralem nostros ille deduxit sacrumque ibidem a P. Oliverio fieri voluit; quo absoluto, ad sacristiam, ubi canonici cum clericis et ministris templi jussu Vicarii congregati et alii multi laici erant, nostri ingressi sunt, et quia conciunculam exspectare videbantur, Joannes Baptista Velati quam praemeditatus fuerat die praecedenti et cum superiore contulerat concionem apud eos habuit, quae omnibus illis gratissima exstitit. Vicarius deinde simul cum nostris cibum capere voluit, et plurimi ex honestioribus urbis civibus nostros officiose inviserunt; sed et nostri senatores et magistratum urbis adierunt debitumque eis officium exhibuerunt; ipsi vero amanter admodum nostros complectentes et ipsorum adventui congratulantes, palatium suum in argumentum benevolentiae nostris commostrari voluerunt.

60. Postridie kalend. Novembris in aede Divo Nicolao sacra habita est oratio latina coram Vicario ac omnibus fere canonicis a Magistro Baptista Velati, quae illis et frequenti peritorum hominum coetui, qui aderant, eo magis satisfecit, quod ejus Collegii ac nostrae Societatis institutum in excolenda litteris ac bonis moribus juventute et beneficium, quo de illa civitate Cardinalis Sanctae Crucis benemereri voluit, explicavit; et satis in vultu et applausu omnium quantopere sit eis satisfactum videri poterat.

[1] Iis dedit in scriptis Ignatius accuratam eorum notitiam, quae tum in itinere tum Eugubii agere debebant.

Digitized by Google

61. Sequenti die lectiones sunt inchoatae et multi ad eas audiendas, praesertim ad scholam P. Oliverii, confluxerunt, alii ut audirent, alii ut ordinem ac eruditionem praeceptorum observarent, alii etiam, ut quidam ludimagistri et paedagogi, quibus nostrorum adventus et aperta schola, ut assolet, displicebat, ut si quid deprehenderent, ignorantiae notam nostris inurerent. Fuerunt aliqui insolentiores inter caeteros, qui etiam publice reprehendere P. Oliverium sunt ausi, qui, observata modestia, reprehensores ignorantiae suae convicit; et cum illi, ut male dicta defenderent, latine loqui inciperent, sic impegerunt in grammaticorum regulas ut scholasticis circumstantibus risum excitaverint, et cum pudore ipsi recedere cogerentur, dum plus sapere quam oportebat voluerunt, ignorantiae suae specimen publice praebentes. In aede igitur Divi Nicolai lectiones inchoatae sunt, ad quas etiam aliqui ludimagistri, ut auditores jam et non ut censores, assidue accedebant. In lectionibus autem variis latinae et graecae linguae, in compositionibus ac disputationibus scholasticos diligenter exercebant.

62. Cum autem scholae publicae urbis praeceptore destitutae tunc essent, instituerunt senatores ut nostri ad tempus, dum ipsi alium praeceptorem pro more suo illis praeficiebant, curam susciperent. Cum autem consultus P. Ignatius civitati et Cardinali Sanctae Crucis id cupienti morem gerendum censeret, ad publicas scholas se nostri transtulerunt, in quibus scholasticorum numerus ad centum quinquaginta ascendebat; et quidam in re litteraria egregie scholastici proficiebant, majoresque in dies progressus facturi credebantur.

63. Quod ad spiritualem autem profectum attinet, varius is admodum erat, nam aetate adultiores effrenata juventutis licentia et spiritu quodam militari, quo in illa civitate institui solebant, non multum consolationis de suo in virtutibus progressu nostris dabant. Hic enim mos erat juventutis Eugubinae ut, coactis agminibus et armis instructi, quasi signa collaturi, omni modestia calcata omnique observantia, per urbem festis diebus armati incederent, et aliqui, qui vix videbantur ensem trahere posse, cum armis tamen ac instrumentis bellicis, vexillis ac tympanis, turmatim, parentibus ac superioribus consentientibus, vagabantur. Hi autem, si quid peccassent, punitionem omnino detrectabant; et, quamvis correctorem nostri diligenter

Digitized by Google

pro Societatis more ad puniendos scholasticos quaererent, nullum tamen invenerunt; nam si manus in aliquem injecisset, ne occideretur timebant. Tota ea urbs Eugubium satis martia est, trium dierum fere itinere Roma distat,. Perusio viginti millibus passuum, versus Apenninum, in cujus radicibus sub ditione ducis Urbini posita est; et ut parentes ad bella propensi sunt, ita filios militarem in modum instituunt. Quidam autem ex eis tam molesti et insolentes in scholis et erga nostros erant, ut edicto publico a magistratibus cautum fuerit ne quis ad scholas publicas sine facultate nostrorum posset accedere.

64. Juniores nihilominus morum suorum reformatione tantum splendoris scholis nostris attulere ut angelicos nonnulli eos vocarent; quotidie sacro intererant, et die lunae doctrinae christianae lectioni, quam P. Albertus, Rector, profiteri coeperat cum magna spectantium aedificatione, aderant eamque addiscebant, menstruisque confessionibus ad conscientiae puritatem proficiebant, privatisque et communibus exhortationibus ad virtutes capessendas urgebantur et non poenitendos progressus faciebant.

65. Sed et nostri fratres, quamvis ex parte bona aliorum institutione occupati, proficere tamen et ipsi in litteris curabant, et ad perfectionem nihilominus spiritualem consuetis Societatis exercitationibus adspirabant, ut fraeno potius quam stimulo indigerent tam in litterarum quam in orationum et carnis castigandae studio. Eumdem enim modum atque ordinem, quem in Collegio Romano didicerant, Eugubii observare conabantur. Cum autem ii externos alloquerentur, privatis exhortationibus ad optima quaeque non sine fructu, ut experientia docuit, excitabant adolescentes.

66. Erat inter eos Simon, qui, abnegationis sui gratia ac proximi juvandi studio fervens, in foro, hominibus omnis generis frequentissimo, tanta cum aedificatione concionatus est, et quidem eo tempore, quo solent homines ante quadragesimam nimia uti licentia, ut ex ore infantium et lactentium laudem Dei perfectam omnes observare possent; et tantopere placuit ut in quodam virginum monasterio eodem munere cum fungeretur, ad id saepius praestandum a virginibus sacris invitaretur; quamvis, ne studia ejus interrumperentur, non id obtinuerunt.

67. Invisebant et nostri xenodochium et confessiones aegro-

Digitized by Google

tantium sunt auditae; pauci tamen ibi hujusmodi homines erant, sed multae puellae parentibus destitutae, quas P. Albertus suis exhortationibus reficiebat. Indigebant illae quidem doctrinae christianae institutione; sed tam prona est civitas ad suspiciones ut abstinendum ab hoc pietatis officio fuerit, ne quid sinistrum hominibus in mentem veniret.

68. In quatuor monasteriis monialium, quae Episcopo subdita sunt et nostris a Cardinali Sanctae Crucis commendata, crebro a nostris conciones sunt habitae, et unius confessiones ipsemet audivit, et magna in illis sacris virginibus morum immutatio, his praesertim, quarum confessiones idem P. audierat, consecuta est.

69. Quod ad confessiones populi attinet, pauci prorsus viri eas frequentabant, magna tamen mulierum multitudo singulis mensibus et confitebatur et communicabat, et frequentius illae et alii homines id praestitissent, si nostri templum proprium habuissent; nam ad cathedralem ecclesiam saepius venire et sacramenta accipere erubescebant, et tamen in eo summo templo sacrificia nostri celebrabant et etiam sacramenta ministrabant. Verum vix dies ullus elabebatur, quo aliquis ad confessionem non accederet. Quamvis autem et humanus pudor viros et zelotypia foeminas a frequenti usu sacramentorum revocaret, et inspirationibus interius pulsantis spiritus obsisterent, et liberos parentes ipsi, uxores viri arcerent, Adventus tamen tempore tantus confitentium numerus utriusque sexus, sed praesertim foeminarum, fuit et communicantium etiam in natalitiis festis, ut prorsus canonici et alii sacerdotes tanquam rem valde inusitatam obstupescerent; nam praestigiae ab oculis multorum sublatae et inutilis immo et perniciosus pudor abjectus est, et vanae suspiciones contemptae; et ita frequentes et nostris duobus et aliis etiam sacerdotibus religiosis confessi sunt. Accidebat autem ut multi, alibi confessi, eodem die nostrorum operam implorarent, eo quod sibi ab aliis satisfactum non esse dicerent; quod cum impetrassent, hilares vultu et animo laetiores recedebant; plerique altius confessiones factas repetentes, totius fere vitae insigniora peccata confessario prodebant, consilium ac remedium accepturi.

70. Non parum ad hujusmodi sacramenta exoptanda praedicatio verbi Dei contulit; nam Joannes Baptista Velati, quam-

Digitized by Google

vis juvenis, et ad nullos sacros ordines promotus, et in lectionibus suae scholae occupatus, hoc officio concionandi, primo quidem in monasteriis vel aliis locis, deinde in cathedrali ecclesia functus est, ubi duas habuit conciones ab ipso Vicario Episcopi invitatus, qui cum prius Cardinali Sanctae Crucis scripsisset reliqua bene habere, sed concionatorem novo collegio deesse, postquam concionem primam magistratibus praesentibus et nobilibus ejus urbis civibus habitam audivit, suam sententiam sic mutavit ut Joanni Baptistae congratulatus sit, qui exspectationem et aetatem superasset, et eidem Cardinali se scribere velle dixit satis de concionatore prospectum esse, quasi scrupulo tactus quod in Collegio concionatorem non esse prius scripsisset. Post secundam autem concionem religiosi ordinis servorum Beatae Mariae multis precibus rogarunt ut idem Magister Baptista concionaretur, et quia eorum templum commodius erat, ut in medio urbis situm, impetratum est a Vicario ut ibi cum bona ipsius venia praedicaretur; et ita dominicis diebus cum magna auditorum frequentia ferventer et multa cum gratia concionatus est. Accidit autem ut processiones vel pompas in honorem Sanctissimi Sacramenti Eucharistiae celebrari solitas semel et iterum non angustia templi, quod magnum erat, sed propter turbam auditorum confertissimam cessare necesse fuerit; et ita ad ipsum altare, omissa processione, *Pange lingua* et alii hymni fuerunt decantati. Paces inter dissidentes aliquos tentatae, Deo propitio, feliciter sunt compositae. Circiter quinquaginta foeminas spiritualibus exercitationibus deditas Pater Albertus confessionis ac communionis sacramentis singulis mensibus reficiebat et exhortationibus ad perseverantiam et augmentum incitabat. Ad custodiam publicam optabant quidem nostri se conferre; sed difficilis admodum ad eos homines aditus, facilior in posterum sperabatur.

71. Existimatio nostrorum in urbe optima erat; majori quam voluissent honore afficiebantur; religiosorum monasteria officii gratia invisentes magna ab ipsis charitate excipiebantur. Cum autem ordinis minorum monasterium adirent, non exiguo pudore suffundi debuerunt, cum janitor portam nostris pulsantibus diceret: vosne estis Patres illi, quorum opera tam copiosus fructus in civitate provenit? Et cum nostri se mutuo intuentes irrideri se putarent, ille coepta sic prosequebatur, ut serio et ex

Digitized by Google

animo loqui cerneretur. Alterius religiosi postea occurrentis salutatio ac demum ipsius Guardiani congratulatio eo tendens quo janitor primo aspectu pro sua simplicitate tendebat, nostris occasionem Deum laudandi et suam imperfectionem agnoscendi dedit. Accessit etiam venerandus quidam senex et doctus ejus ordinis, qui nostros ad perseverandum in coeptis exercitationibus excitabat, speculum ejus urbis nostros vocans; et cum nostri valde indignos esse se hujusmodi compellationibus agnoscerent, ille tamen melius esse bonum nomen quam divitias multas ad Dei honorem et ad aedificationem populi dixit. Iidem boni patres aliqua ad corporis castigationem arma donarunt, et libros quosdam mutuo dederunt, et demum charitatem non mediocrem in omnibus exhibuerunt.

72. Quod ad nostrorum habitationem attinet, satis incommoda ea fuit, quamvis ut aliam commodiorem diligenter quaererent eis a P. Ignatio injunctum et a Cardinali commendatum est. Supellectilem ad usum necessariam Cardinalis nostris donare jussit, et, quamvis nulli reditus applicati fuerunt, a pistore panem capere pro suo arbitratu licebat et claves cellae vinariae domus episcopalis nostris datae sunt; unde et olei et hujusmodi rerum copia suppetebat. Deinde ad vestitum octoginta aureos, ad carnem et ea emenda, quae necessaria essent, sex aureos in singulos menses assignarunt, et Cardinalis, cujus expensis haec fiebant, ne quid nostris deesset injunxerat. Cum satis obnoxia frigori ea civitas esset, nostri, perinde atque Perusii, patientiae exercendae occasionem habebant; sed melius quam illi valetudinem, Deo propitio, tuebantur. Magna a nostris exspectabantur tam a nobilibus quam a plebe et tam in praedicatione quam in sacrae scripturae lectione; sed a nostris intellexerunt non hunc esse morem Societatis ut ab altioribus his ministeriis inciperent. Cum autem ad clericorum institutionem praeceptorem habere Episcopus solitus esset, simul atque nostri advenerunt, ille dimissus est.

73. Quatuor scholae quatuor ex nostris occupabant, et quamvis quinque vel sex tantum auditores lectio Rhetorices haberet, eam tamen P. Oliverius praelegebat, sed in aliis plures erant auditores. Coadjutorem nullum, qui culinae officio inserviret, habebant et, cum alii sex scholastici id non bene admodum et cum detrimento studiorum praestarent, aliquem ad hoc mu-

Digitized by Google

nus Roma mitti postulabant. Magister Baptista Velati tribus ordinibus puerorum ternas lectiones, captui eorum accommodatas, legebat, et id quidem mane; post meridiem graecae grammaticae lectionem addebat, et suis ac P. Oliverii discipulis vernacula lingua epistolam dictabat, quam in latinum sermonem converterent, et easdem epistolas emendandi curam habebat. Praeterea subminister erat collegii, et quia alius, qui hoc officium praestaret, non aderat, emptoris officio fungebatur, et olera ex foro et alia necessaria comportabat. Et nihilominus diebus festis, ut dictum est, concionabatur. Sed cum de his occupationibus P. Ignatium admonuisset, jussit ille per litteras ut emendi onere levaretur, cum praesertim ad praedicationem serio exercendam eum in posterum vacare vellet, ad quod ministerium satis ille propensus erat, quamvis nec in theologicis nec philosophicis studiis adhuc versatus esset. Antequam vero praeceptum P. Ignatii accederet, jam ipse ab officio emptoris liberatus erat ex eo tempore, quo in cathedrali ecclesia concionandum ipsi fuit; quia P. Alberto non decere admodum videbatur nec ad conciliandam auctoritatem expedire ut emptor simul et summi templi concionator cerneretur. Non potuit tamen omnino eum scholae laboribus sublevare, ut liberius concionibus vacaret; quia alium qui ei in schola succederet non habebat. Et haec minuta libuit explicare, ut intelligatur quam paucis et debilibus operariis divina providencia ad magnam aedificationem et spiritualem fructum populorum uteretur.

COLLEGIUM MUTINENSE

74. Sub autumnum hujus anni Collegium Mutinense inchoatum est. Quia tamen ibidem P. Sylvester Landinus ante Collegii missionem agebat, de his, quae ab eo gesta sunt hoc anno, prius agendum est. Valetudinarius ille quidem corpore fuit, et tamen quotidie semel saltem hoc tempore est concionatus, partim in ecclesia Conversarum, partim in parochiis civitatis, ipsum Episcopum comitando. Numerus autem frequenter confitentium et communicantium non solum conservatus sed et auctus fuit, sicut et spiritualia exercitia primae hebdomadae plurimis tradita.

Digitized by Google

75. Ejus opera aliquae peccatrices resipiscentes monasterium Conversarum sunt ingressae, tanta cum aedificatione populi, ut vix explicari possit. Duae insignes, quae magnae multitudini hominum offendiculo fuerant, deducendae cum armata manu ad monasterium fuerunt, cum milites armati ingressum earum impedire velle putarentur; qui tamen, comitatum harum mulierum et publicam auctoritatem timentes, nihil tentarunt. Virgines etiam quaedam in idem monasterium ingressae sunt propter bonum odorem religiosae ac spiritualis vitae, quam illae agebant; nec defuit ex his, cui cum facultas ad ingressum negaretur ab externis quibusdam, cum silentio, dum praesides ac visitatores monasterii ingrederentur, tacite illapsa et egredi postea nolens, cum aedificatione civitatis insolita ibidem mansit. Aliae etiam de civium numero, quod viderent monasterium illud frui concionibus et ministerio sacramentorum P. Sylvestri, ad idem monasterium adspirabant; quod, ut aliquando infamia laboraverat, ita nunc suavi boni nominis fragrantia etiam primarias matronas invitabat, quae illud haud dubie erant ingressurae, si sub umbra Societatis nostrae illud perseveraturum credidissent. Quia autem templum Conversarum et mane angustum nimis erat ad confitentium et communicantium frequentiam excipiendam, et a prandio ad auditores concionum, auctum est et duplo majus effectum; sed ne id quidem sufficiebat, cum multo plures quam capere posset eo accederent, et ad portam ac porticum externum multi audiebant. Sacristiam etiam ibi aedificari curavit.

76. Cum partem dioecesis mutinensis versus Ferrariam visitasset, multas superstitiones et errores sustulit et pro suo more frequentem communionem introduxit.

77. Multi, qui carnibus in quadragesima vesci soliti erant, ejus opera ad abstinentiam, quam Ecclesia praecipit, observandam adducti fuerunt. Cum pauci ad ecclesiam accedere ipsi viderentur et plures in plateis inveniri posse, petebat facultatem P. Sylvester a P. Ignatio ut in hujusmodi plateis publicis concionari ei liceret; quia tamen id expedire non videbatur, propter alia munia, quibus Mutinae ipse fungebatur, haec facultas ei non est concessa.

78. Postulavit a P. Ignatio Joannes Castelvetrus suo et aliorum nomine, qui domus Conversarum curam gerebant, ut

Digitized by Google

a Summo Pontifice facultatem impetraret domum illam in monasterium erigendi ad similitudinem ejus, qui Romae sub invocatione Sanctae Marthae institutum fuerat et cum eisdem institutis; quod P. Ignatius diligenter curavit et obtinuit; non tamen admisit vota Hieronymae Pacanae, praesidis, et aliarum religiosarum, quae sub ipso P. Ignatio obedientiam voverant.

79. Hortatus fuerat P. Sylvester pro sua charitate aliquos ex mutinensibus ut concionatorem de Societate a P. Ignatio obtinendum curarent; sed reprehensus est et admonitus ne cuipiam persuaderet aut suggereret ut aliquem de Societate postularent, nisi prius Generali consulto intelligeret id ipsi gratum fore [1].

80. Ex monasteriis, in quibus reclusae moniales erant, aliquae ex familiaribus non professis ut P. Sylvestro confiterentur et verbum Dei ab eo audirent nitebantur, ut bene instructae aliis postea referrent, quae ab ipso didicissent.

81. Nobili cuidam virgini magnus ornatus praeparatus erat ut in palatium quoddam insigne mitteretur; sed illa, quae virtutibus ornari et in gratia Dei potius quam principum proficere studebat, cum audisset illa verba in concione P. Sylvestri: *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione,* sibi dicta existimans, nec resistendum esse amplius Spiritui Sancto, constituit ex ea ecclesia, quae Conversarum erat, non recedere, donec quod inspiratio interna ab ea exigebat exsequeretur; et, absoluta concione, ad pedes P. Sylvestri provoluta et cum lacrymis petens ne preces ipsius excluderet et inter Conversas eam admitti curaret, tam eas, quae intra monasterium erant, quam viros nobiles ac matronas, quae foras audiebant, ad lacrymas etiam provocavit, et ita inter alias virgines, quae apud Conversas erant, admissa fuit.

82. Tam debilis erat ob nimios labores P. Sylvester ut vix Missae sacrificium peragere posset; et tamen nec illud nec conciones omittebat; et cum admoneretur ut, quod ad delectum ciborum attinet, suae valetudini consuleret, ille quidem ad obedientiam paratus erat, sed partim ad poenitentiam vitae anteactae, partim ad aedificationem proximorum, qui exemplis po-

---

[1] Haec admonitio continetur in litteris a Polanco, *ex com.,* ad Sylvestrum datis 9 Januarii.

Digitized by Google

tius quam verbis movebantur, partim quia sic consolationem majorem spiritualem inveniebat, partim etiam ne gravaret expensis pauperes, inter quos praecipue in missionibus agebat, semper ad parcam ac duram vivendi rationen erat propensus [1].

83. Cum haeretica pravitas multos Mutinae infecisset, perdiligens erat P. Sylvester ut ab his et illis nomina haereticorum ad Inquisitorem deferrentur; et hic latratus tam utilis ad custodiam gregis Domini videbatur, ut concionator cathedralis ecclesiae diceret nec Episcopum, nec Vicarium nec ipsummet P. Sylvestrum in confessionibus aut concionibus tantum praestare quantum in hac sollicitudine, qua haereticorum errores ad tribunal jam dictum deferri curabat; et quidam ex viris primariis ac juxta piis ad P. Ignatium scripsit urbem illam pene totam quodammodo corrumpi potuisse, si ei Patris Sylvestri sollicitudo et charitas defuisset. Quamvis enim multorum mens mala non esset, decepti tamen ab haereticis ipsorum licentiam plurimi sequebantur et de Sede Apostolica male sentiebant et loquebantur.

84. Duo vel tres ex illis sacerdotibus Garfagnanae, ad P. Sylvestrum venientes, ab eo ad P. Paschasium Provincialem missi sunt, ut eorum opera in aliquo Societatis loco uteretur.

85. Cum ad alicujus infirmi confessionem audiendam vocabatur, aliquando septem et octo alii eum exspectabant, quorum etiam confessiones, licet sani essent, privatis in domibus audire oportebat. Aliquae etiam ex confessionibus generales totius vitae erant; et accidit aliquem per duas horas et amplius cum amarissimis ac continuis fletibus suam confessionem peragere.

86. Multi ejus opera, qui ab haereticis subversi et ob ignorantiam vel malitiam eorum errores sectati fuerant, concionibus P. Sylvestri illustrati, ad Ecclesiae catholicae gremium redeuntes, intellectum suum in obsequium fidei captivarunt.

87. Cardinalis Carpensis, Protector Societatis, optabat ut Rhegium se aliquis ex nostris conferret, et monasterium quoddam monialium, quod reformatione indigere magnopere vide-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Sylvestro Landino, quid ipsi agendum, quid pratermittendum, ut valetudini, sat jam debili, melius consulat, 19 Martii; eidem ut in iis quae ad victum etc. pertinent, medici et confessoris consiliis omnino se subjiciat, 26 Martii.

Digitized by Google

batur, adjuvare niteretur; et quia vicinus erat P. Sylvester, delectus ille est a P. Ignatio ad hoc munus obeundum; et ne mutinenses amici impedire niterentur ejus profectionem, in obedientiae virtute P. Ignatius hanc illi missionem, simul cum litteris Cardinalis Carpensis, injunxit et instructionem addidit; et quindecim diebus elapsis, quibus pro virili parte ut negotium illud conficeretur curaret, ut Mutinam rediret scriptum ei est [1].

88. Profectus ille primo quoque tempore et ad seniores ejus urbis (hoc nomen magistratuum est) se conferens, monasterii negotium aggressus est, et scribit expertum se esse vim praecepti obedientiae; nam omnia, quae ipsi commissa erant apud moniales illas, cum multis eorum lacrymis et devotione confecta fuerunt, quod litteris ad Cardinalem Carpensem missis tam ipse quam seniores urbis explicatius ad Dei gloriam et ipsius Cardinalis consolationem scripserunt. Aliqui etiam ex primoribus ejus urbis de Collegio Societatis Rhegii instituendo agere coeperunt, nec deerat qui jam reditus aliquos perpetuos offerrent; sed ille praescripto tempore Mutinam rediit. Et cum ex sententia successissent quae in virtute obedientiae aggressus erat, rogabat ipse P. Ignatium ut semper ipse in virtute sanctae obedientiae praeciperet. Professionem ipse nondum emiserat et compertum certumque erat humilitatis gratia eam nunquam postulaturum esse, sed ut in virtute obedientiae ea sibi injungeretur exspectaturum.

89. Sic de P. Sylvestro sentiebat mutinensis Episcopus ut omnino sub ejus obedientia regi vellet, rogaretque Sylvestrum ut votum suum, quod de obedientia ei praestanda emittere volebat, admitteret, nam se inspirationem ad id internam sentire affirmabat. Episcopi quidem obedientiae potius ipse P. Sylvester subjici debebat et optabat, quoad ejus fieri posset; at vero ad Praelati illius doctissimi atque gravissimi humilitatem declarandam et existimationem, quam de ipso P. Sylvestro conceperat, haec dicere oportuit [2].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Episcopo Mutinensi, de visitatione monasterii Rhegiensis a Sylvestro Landino faciendae, 10 Augusti; eadem die, Ignatii patentes seu obedientiae litterae quibus, Cardinali Carpensi morem gerens, Sylvestrum Landinum jubet ut monasterium monialium Rhegii visitet.

[2] Polancus, *ex com.*, Sylvestro Landino, plura de Cardinali Morone, Mutinensi Episcopo, 23 Januarii; eidem, ut omnino curet ne Episcopi Mutinensis erga Societatem

Digitized by Google

90. Vicarius Parmensis cum Mutinam venisset et de Collegio Societatis agi intellexisset, obloqui Societati coepit; sed ita a mutinensibus, quibus mendacia quaedam venditabat, rejectus fuit, ut erubesceret et sic recederet ut nullo alio remedio opus esse videretur; quamvis sententiam olim in favorem presbyterorum Parmensium pronunciatam contra obtrectatores hujusmodi P. Sylvester postulasset et non illam tantum sed omnem suam operam P. Ignatius obtulisset. Sed nihil aliud necessarium fuit quam ipsa veritas, quae oblocutorem repressit abunde[1].

91. Jam ab initio hujus anni agebatur de Collegio Societatis Mutinae instituendo et quamvis propter bella et annonae caritatem et alias honestas causas cum ipsa communitate nihil agendum esse videretur, aliqui ex privatis amicis quinquaginta aureos in singulos annos se daturos subscripserunt. Cardinalis Moronus, qui hujus Collegii Mutinam mittendi praecipuus auctor erat, quique, licet Episcopatum reliquerat, partem redituum bonam pensionis loco sibi reservaverat, quinquaginta alios aureos annuos obtulit. A Duce Ferrariae, qui et Mutinae Dux est, alii quinquaginta per amicos impetrati fuerunt. Episcopus, quamvis fructus mutinensis ecclesiae, ut dictum est, nec integros immo nec majorem eorum partem perciperet, pro sua tamen benignitate et charitate, qua Societatem complectebatur, suam operam offerebat et locum nostris Divo Bernardino sacrum assignavit, cui et schola quaedam vicina adjuncta fuit, et aliqua in eo cubicula ad usum nostrorum concinnata[2].

92. Inter amicos quidam non minus pietate quam fortunis inter primos cives censendi, ut Joannes Castelvetrus, Benedictus Charandinus et Hercules Purinus, et inter foeminas Domina Constantia Pallavicina Cortesia, omnem suam operam

---

benevolentia minuatur, quae ad tot pia opera tum Mutinae, tum Romae sustentanda utilis est. Minuetur autem si non ipsum prudenter moneat prudenterque utatur potestate, quam ipsi confert pium vinculum quo ei Episcopus devinctus est, 28 Junii.—*Pium hoc vinculum* erat obedientiae votum, quo ad parendum suo confessario Landino se obstrinxerat Episcopus.

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Sylvestro Landino, de sententia in Societatis favorem Parmae data, 28 Junii.

[2] Polancus, *ex com.*, Sylvestro Landino, de iis, quae Cardinalis Moronus offert pro Collegio Societatis Mutinae erigendo, 6 Februarii; eidem plura de Collegio, scholasticorum numero, scholis, domo, etc., ut Mutinensem Episcopum plene docere possit quem modum in suis Collegiis teneat Societas, 18 Junii. Ignatius eadem die Mutinensi Episcopo officiose, ut in iis quae ad Collegium spectat, plenam Sylvestro Landino adhibeat fidem.

Digitized by Google

offerebant, nec nostris quidquam defuturum recipiebant; et prae caeteris haec ipsa Domina Constantia, cum pecuniam largiorem ad res necessarias contulisset, et ad se recursum haberi, quandocumque re aliqua opus esset, jussisset, non solum supellectilibus juvare futurum Collegium voluit; sed, ut erat insigni pietate praedita, propriis manibus omnes lectos concinnare voluit, antequam nostri Mutinam venirent; et quamvis aliqui satis esse si quinque vel sex mitterentur in initio dicerent, illa tamen cum praenominatis amicis decem mitti posse nec illis quidquam defuturum affirmabat [1].

93. Scripsit itaque Episcopus Patri Ignatio, Collegium hoc Societatis postulando, et, quamvis hunc locum, ne res protraheretur, assignaverat, alium commodiorem, cum occasio se offerret, se assignaturum pollicebatur. Et cum ad visitandam dioecesim esset egressurus mense Aprili, commendavit concionatori cathedralis ecclesiae ut ex suggestu venturum Societatis Collegium diligenter populo commendaret. Cum autem ille, qui religiosus erat, magna dilectione Societatem prosequeretur, eo munere officiosissime functus est. Ut tamen habitatio et res necessariae praepararentur et aestus defervesceret, dilata est Collegii missio usque ad Septembrem. Maluit enim Ignatius tunc omnes simul mittere quam, ut Episcopus optabat, mense Maio quatuor aut quinque et reliquos in Septembri Mutinam transmittere.

94. Electus est in Rectorem hujus Collegii P. Caesar Aversanus, qui, Gandiam missus, initio hujus anni Romam venerat. Adjunctus est ei P. Adrianus Candidus, Belga, Parisiis missus cum magistro Francisco Scipione, qui etiam Mutinam supremae scholae curam habiturus missus est. Itaque ad haec tria Collegia, Perusinum, Eugubinum et Mutinense inchoanda, inter

---

[1] His addit Orlandinus Petrum Nicolaum Bisciola, "qui cum duos e Sociis primo statim eorum adventu domum suam hospites recepisset, eorum admiratus virtutem, ita precatus est Deum: Utinam liberi mei in numerum horum Patrum adsciscerentur! Duos eo tempore dumtaxat habebat liberos, e priore susceptos conjuge, Joannem Gabrielem et Laelium, et uterque non multis post annis in Societatem a Beato Ignatio cooptatus est Romae. Adeo pii parentis vota respexit Deus, adeo gratiam brevis hospitii duobus commodati famulis suis, totidem ejus liberis perpetuo apud se domicilio cumulatam rependit„. *Hist. Soc.*, l. XII, n. 17.—Ignatius Dominae Jacobae Pallavicini, ejus bonam voluntatem laudans, et ostendens ex iis, quae in novis Collegiis, Mutinae praesertim, Societas agit et patitur, non esse nunc opportunum tempus ad aliud Societatis Collegium Cremonae inchoandum; sub finem hujus anni.

Digitized by Google

praecipuos illi fuerunt, quos Parisiense Collegium Romam destinaverat. Peregrinantes ergo et in hospitiis ac viis publicis benemeriti de multis, Perusium venerunt, et non parum consolationis et acceperunt et nostris dederunt; et cum ab amicis perusinis in privatis domibus divisi admitterentur, odorem optimum suae virtutis ac spiritus apud eos reliquerunt. Florentiae et Bononiae a nostris etiam amanter excepti, demum Mutinam 24 Septembris pervenerunt, et ab Episcopo cum summa humanitate excepti, et apud eum omnes simul pransi, ad novum Collegium deducti sunt, cujus possessionem eodem die ceperunt. A Mutinensibus etiam non solum amicis, qui prae laetitia *Te Deum laudamus* cum magna devotione cecinerunt, sed et reliquis amanter et cum congratulatione excepti fuerunt. Fuit etiam eis ab Episcopo commendatum ut Conversarum curam aliquam susciperent, quam instituti nostri ratio ferret; illae enim, et jejuniis et orationibus et votis emissis pro adventu Collegii, hoc promereri videbantur. Episcopus idem et libros et vestimenta, frumenta, vina et pecuniam et alia, quae opus erant, dono dedit, et in posterum suam operam obtulit; et tam diligenter domestica supellex parata fuerat, et tanto cum favore omnium haec initia Collegii transigebantur ut P. Caesari prosperitas nimia suspecta videretur.

95. Sed laetitiam, quam mutinenses amici conceperant, quae certe maxima fuit, temperavit dolor obedientiae P. Sylvestro missae ut in Corsicam proficisceretur. Cum enim Genuensium respublica, cui Corsica subjacet, Summo Pontifici significandum curasset eam provinciam in summa rerum saluti necessariarum ignorantia et peccatis versari, ad P. Ignatium Pontifex conversus et duos sacerdotes nostrae Societatis eo mittere injunxit, et Breve apostolicum P. Sylvestro misit, quo non solum profectio injungebatur sed facultates etiam amplissimae Sedis Apostolicae ei cum socio conferebantur. Simul igitur cum Collegio Mutinensi missus est P. Emmanuel de Monte Majore, qui Patri Sylvestro socius hujus missionis in Corsicam futurus erat, et eidem Sylvestro litterae a P. Ignatio missae fuerunt, quibus ex praescripto Summi Pontificis ut Genuam se conferret et inde in Corsicam injunctum ei fuit [1].

---

[1] **Ignatius Episcopo mutinensi, alium Sylvestri Landini loco sacerdotem aliosque Societatis scholasticos Octobri ineunte missurum se promittens, qui litteras simul et**

Digitized by Google

96. Is magna cum alacritate obedientiae litteras suscepit; sed amici, qui ejus opera juvari solebant, suspiriis et planctibus hanc missionem sibi acerbissimam esse demonstrarunt. Quia tamen Dei servi erant et P. Sylvestri loco alii ex nostris successuri exspectabantur, consolationem tandem acceperunt. Ante tamen quam proficisceretur (fuit autem profectio 28.ª Septembris cum viatico et equis Episcopi mutinensis, nec enim aliter eos passus est Mutina recedere), nostros domi suae rebus necessariis instructos et P. Caesarem suo loco concionantem et ab Episcopo dilectum reliquit; 26.ª etiam Septembris scholae nostrae apertae fuerunt; quae omnia magna consolatione P. Sylvestrum recessurum affecerunt, adeo ut tunc sibi libentissime moriturus videretur.

97. Habita fuit initio studiorum latina oratio a Magistro Francisco Scipione in templo nostro, qua mens Societatis in admittendis hujusmodi Collegiis et ratio instituendae juventutis explicabatur, studia etiam humaniorum litterarum et ingenuarum artium commendabantur et ad eas percipiendas juventus incitabatur. Aderat Episcopus, et plurimi canonici, ac nobiles et alii cives, et tantopere oratio placuit ut doleret Episcopus quod totum populum praesentem orator non habuisset. Sic etiam civibus placuit, ut nonnulli, qui nostros odio prosequebantur, amici esse et nostrorum studiis favere inciperent; et quidam eorum non infimae notae adeo hac ratione fuit commotus ut prae gaudio flendo palam diceret Mutinam nostrorum consuetudine et studiis dignam non esse, quod locum commodiorem nostris non praeberet. Quamvis enim is locus nostris non displiceret, ejus tamen humilitas illi et aliis non satisfaciebat.

98. Scholastici in quatuor classes distributi fuerunt, et totidem praeceptores illis praefecti ut captui discipulorum vario lectiones et exercitationes scholarum accomodarentur. Et tam in compositionibus quam in pronunciandis orationibus et aliis exercitationibus non mediocris profectus scholasticorum cerne-

---

christianam doctrinam doceant, 14 Maii; Polancus, *ex com.*, Sylvestro Landino ut solerter cum Episcopo mutinensi agat eumque doceat Collegiorum utilitatem non ab eo unice nec praecipue pendere quod in eis plures sint sacerdotes; plurimum enim ad commune bonum conferunt etiam scholastici, etsi sacerdotes non sint, dum litteras docent, doctrinam christianam explicant, concionantur, etc., 14 Maii.

Digitized by Google

batur. Erant autem ex eis nonnulli praeclaro ingenio et animo praediti et tam parvi quam natu grandiores sese submisse ac prudenter et modeste gerebant. Singulis mensibus universi pro more Collegiorum Societatis, aliqui autem frequentius, confitebantur, et in spiritu haud obscure crescere videbantur, quamvis enim Mutinae juvenes satis flagitiosi ac maledictis, juramentis et execrationibus assuefacti essent, qui in scholis nostris instituebantur, ab his abhorrentes, simplices et mansueti incedebant, nec inter se pugnare, et praeceptoribus sedulo dare operam cernebantur. Diebus dominicis et feriatis etiam rei divinae et concioni intererant, quamvis frigus non parum molestum esset. Editae fuerunt regulae et quidem in tabula descriptae, quibus informabantur quomodo se gerere deberent tum in ludo litterario, tum in viis, tum domi, prout in Collegio Romano fiebat. Addebatur modus atque ordo conscientiam examinandi ante tempus quietis, et, cum surgerent, Deum precandi et se totos ei tradendi ac dedicandi; quibus rebus maxime ad virtutis studium juvenes inflammabantur. Nostri etiam, qui externorum profectui in scholis vacabant, domi proficere nitebantur, et alii latinis et alii etiam graecis litteris dabant operam. Satis tamen intellectum est, diuturniorem probationem esse necessariam, illis praecipue, qui ad nova Collegia mittendi sunt. Satis namque negotii aliqui, etiam ex majoribus, Rectori exhibebant. Cum autem P. Adrianus Candidus in collateralem P. Caesari Aversanensi datus esset, etiam experientia docuit hujusmodi officii praxim potius ad enervandam obedientiae vim conferre quam magnum aliquod auxilium Rectori et subditis afferre.

99. Quamvis praecipuus fructus ex juventutis institutione speraretur, qui suos etiam parentes ad bene vivendum et ad confessiones crebrius faciendas exhortabantur, et id obtinebant, et sua modestia populo admirationi et aedificationi erant, nihilominus nostri per confessiones, communiones et conciones mutinensem populum in Christo juvare nitebantur; et id quidem in templo proprio, ubi pro ipsius angustia frequentes erant auditores; et cum omissa fuisset concio, quae in summo templo habebatur, aliqui, praesertim matronae, ad nostrum convolabant et Sacramenta saepe suscipiebant. Cum autem Natalitia festa imminerent, tam multi ad confessiones nostris faciendas conveniebant ut, cum nullo modo omnibus posset satisfieri, plurimi, licet

Digitized by Google

inviti, alio se conferre cogerentur. Generales etiam confessiones cum maxima poenitentium utilitate in eodem templo sunt auditae, et singulis diebus festis aliqui post confessionem communicabant; ii autem, aliis ad eumdem fructum invitatis et secum adductis, quae a Domino ipsi acceperant, communicare curabant et obtinebant.

100. Sed in templo etiam Conversarum eadem ministeria confessionum et concionum exercebantur, cum propter loci commoditatem multi eo accederent, plures etiam quam ad nostrum templum [1].

101. Ad hospitale frequenter nostri accedebant, et curaverunt ut singulis hebdomadis post confessionem perciperent Eucharistiam non aegroti solum sed etiam xenodochii praefectus et ejus familia, quae ministerio pauperum vacabat. Aliqui etiam ex fratribus diebus dominicis ad consolationem et instructionem eorumdem conciones ibi habebant. Inventi sunt inter alios aliqui in peccatorum consuetudine quodammodo sepulti, qui multis ante annis nec confessi peccata fuerant nec serio de rebus ad animae salutem pertinentibus cogitaverant; qui nostrorum sacerdotum opera per confessionem a gravissimo animarum morbo sanati, cum maximo vitae transactae dolore novam secundum Deum vitam agere proponerent. Quidam autem eorum, gravi vulnere laesus, libenter injuriam adversariis condonavit; alius infectus haeresi (qui in oculis propriis satis erat sapiens) sic opera cujusdam horum Patrum, in cujus manus inciderat, ad tenebras suorum errorum cognoscendas fuit illustratus, ut tantam suam caecitatem obstupesceret et Patrem illum suae salutis auctorem post Deum agnosceret, ac demum per confessionem, abjectis opinionibus falsis, Deo reconciliari studeret.

102. In custodia publica qui tenebantur, magno etiam cum fructu a nostris invisebantur, quos ad peccata relinquenda et patienter suam miseriam ferendam, unus ex Patribus est adhortatus, et deinde panem, quem secum intulerat, pauperibus, qui inter eos erant, dividebat. Omnes hi de peccatis confessi sunt,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Caesari Helmi, ne se nimium occupari sinat concionando et confessiones audiendo praesertim piarum foeminarum, si id cedat in detrimentum aut scholarum aut aliorum, qui plus nostrorum opera indigeant, 15 Octobris.

Digitized by Google

et injurias acceptas alter alteri condonarunt. Unus eorum erat, qui nulla ratione ad condonandam injuriam adduci poterat, ad cujus pedes quidam ex Patribus nostris se prostravit et vehementi spiritus impetu, pro amore, inquit, Christi, qui cruci affixus inimicis pepercit, et tu omnia condona inimicis, et Deus tibi tua condonabit. Repente cor hominis, saxeum prius, emollitum est, et clamare coepit se universis ignoscere, nec amplius ulcisci velle, sed potius perferre patienter adversa omnia et injurias. Mulier etiam quaedam erat pannis et squalore obsita, et ab Episcopo impetratum est ut ei necessaria subministrarentur. Ea demum cura et opera in eorum, qui in carcere versabantur, utilitatem est adhibita ut omnes hi etiam animarum suarum saluti consulerent et maxima in Domino consolatione spiritus explerentur. Custos etiam carceris cum uxore peccata sua confessi sunt; et aliqua peccata per annos aliquot celata eo in carcere per contritionem et confessionem deleta fuerunt.

103. Vicarius etiam Episcopi, qui magna nostros observantia prosequebatur, uni eorum confessus est; Episcopus ut patrem prorsus nostrorum se gerebat, aliquoties scholas invisens et pueros in magna pietate et modestia institutos cernens, maximo animi gaudio perfundebatur; suis etiam exhortationibus eos ad obedientiam praeceptoribus et proficiendum in litteris ac moribus hortabatur. In alios etiam de populo existimatio Societatis in dies diffundebatur; sed ut optimo cuique nostrorum institutum ac ministeria charitatis placebant, ita non deerant qui eorum patientiam exercerent, nostros dissimulatores vocitantes et qui docendi rationem non tenerent; et inter hos ludimagistri quaestum sibi eripi, nam fere centum et viginti scholastici ad nostros conveniebant, indigne ferentes, et superfluam esse nostrorum operam, cum praeceptoribus Mutina abundaret, dicentes, multa contra nostros obloquebantur; sed veritate aliqui compulsi melius de nostris sentire et melius eis affici coeperunt. Aliqui juvenes tam insolentes erant ut etiam ad portam novi Collegii audaciae suae importunitate permolesti essent; quod cum Dux Ferrariae intellexisset, qui Mutinam eo tempore venerat, ad gubernatorem ire nostros volebat ut horum insolentiam reprimeret. Invisit eum Rector, et amanter ab ipso Duce exceptus est. Tunc quidam ex amicis subsidium pro Collegii sustentatione postulavit, et suam operam Dux obtulit

Digitized by Google

et, quorum superius mentionem fecimus, quinquaginta aureos singulis annis assignavit.

104. Ad pueros admittendos, qui legere ignorabant, nostros parentes urgebant; sed consultus P. Ignatius non probabat hoc onus a Collegio suscipi; sed, si quis frater adultior minorem fratrem secum in scholam adduceret, et negotium ejus docendi susciperet, tunc ad scholas admitti posse eum etiam, qui legere nesciret, existimabat; et idem Episcopus censuit, ad quem Pater Ignatius rem rejecerat.

105. Nihil certi aut stabilis ad nostrorum sustentationem, ut ex praedictis cerni potest, novum hoc Collegium habebat, et quamvis charitas amicorum et praecipue Episcopi et Dominae Constantiae Pallavicinae, quae ut matrem se gerebat, in plurimis subveniret, in libris ac vestimentis aliquid penuriae nostri sentiebant; aequo tamen animo id ferebant.

106. Inter scholasticos aliqui admissi sunt, qui opinionibus haereticis infecti fuerant; et id pergratum erat Episcopo, ut hac ratione simul cum bonis litteris in catholica etiam religione proficerent; nam christiana doctrina illis pro more Societatis declarata occasionem resipiscendi ab erroribus dabat.

107. Cum Episcopus in dioecesis visitatione opera alicujus ex nostris uti vellet, consultus P. Ignatius a Rectore cum duabus conditionibus id munus admitti posse scripsit; altera erat, si Rectori ipse idoneus ad id officium videretur; altera, si propter ejus absentiam detrimentum non pateretur Collegium; et cum ùtraque conditio deesse videretur, munus visitandi non est admissum; quod boni consuluit Episcopus pro sua charitate.

108. Positiones Romae habitae hoc anno in renovatione studiorum et orationes publicae pronunciatae cum Episcopo Mutinensi referrentur, magnopere ipsi exercitationes hujusmodi placebant, et Mutinae tale aliquid ad excitandos hominum animos ut filios ad scholas mitterent optabat; at non eadem, quae Romae, Mutinae commoditas erat nec praeceptorum nec etiam scholarum, cum in ecclesia ipsa scholae tenerentur, quod non sine magno incommodo ac perturbatione divinorum officiorum fieri poterat; et tamen pueri, ut dictum est, proficiebant, et orare mane et vespere et rebus spiritualibus dare operam discebant [1].

[1] **Habitae sunt hae disputationes in festo die Sanctorum Simonis et Judae in templo.**

Digitized by Google

109. Duo juvenes Societatem ingredi cupiebant; et tamen res differenda visa est, cum ibi commode probari non possent.

DE ITINERE P. SYLVESTRI ET P. EMMANUELIS IN CORSICAM

110. Mittebantur ii, ut superius tetigimus, in Corsicam a Summo Pontifice, ut visitatores et extremis ejus insulae necessitatibus spiritualibus consulturi, quae magnae erant, cum sexaginta annis vel septuaginta nullus Episcopus (septem autem in ea insula dioeceses sunt) eam ingressus esset. Sed Archiepiscopus Genuensis, qui Prolegatus erat Bononiae, obtinuit a Summo Pontifice per Cardinales aliquos amicos ut, antequam in Corsicam navigarent, per unum mensem vel duos in dioecesi Genuensi haererent et ei visitandae operam darent. Relicto ergo ipsa in civitate P. Emmanuele, egressus est ad varia loca dioecesis P. Sylvester et uno mense, quem huic functioni impendit, eximium Dominus per eum animarum fructum retulit. Quotidie plurimorum confessiones audiebat et eis sanctissimam Eucharistiam ministrabat, et usque ad duas et tres horas noctis poenitentibus audiendis vacabat, cum vix ad cibum capiendum interdiu tempus suppeteret; et sic frequentiam sacramentorum induxit ut aliqui ex parochis dicerent aut scriberent Vicario, hic quod centum, ille centum et quinquaginta confessiones singulis hebdomadis audire teneretur, cum paulo plures domus sub ipsorum cura essent. Aliquot apostatas a cura animarum removit, ex quibus quatuor ad suas religiones redierunt, quorum alius erat qui viginti, alius qui etiam triginta annis a religione et conventu profugus curam animarum exercuerat. Alios concubinarios, alios summopere ignorantes inveniebat. Et demum oves sine pastore tanto ad eum ferventius currebant, quanto ipsarum salutem et non proprium commodum quaerere ipsum purius videbant, et ab uno loco in alium euntem sequebantur, ut verbum Dei, quod bis quotidie praedicabat, audirent; et dicebant aliqui magnis clamoribus: cur, o

---

Sancti Eustachii. Positionum seu conclusionum exempla typis edita ad omnes fere Societatis domos missa fuere simul cum litteris, in quibus Polancus rem totam fuse enarrabat, 5 Novembris.

Digitized by Google

Pater! ante multos annos huc non venisti, ut nos a tantis tenebris ignorantiae liberares? Christianam etiam doctrinam eis praelegebat, quae cum Vicario valde placeret, eam imprimi curavit.

111. Rapalli magnum quoddam monialium monasterium valde perturbatum invenit, et aliquae ex religiosis mulieribus e monasterio egredi constituerant; quod populo illi magnarum molestiarum causa erat. His ergo ter concionatus est P. Sylvester et omnium confessiones audivit, et sanctissimae Eucharistiae Sacramentum eis communicavit cum uberrimis lacrymis; quo peracto, quidquid proprium contra regulam retinebant, reliquerunt et ad pedes suae Abbatissae deposuerunt, nihil prorsus retinendo; nec inter eas alia de re jam agebatur quam de observatione eorum quae Deo voverant. Et ita hac mutatione dexterae Excelsi conversae in abundantiam pacis turbae cum summa aedificatione rapallensium, immo et aliquorum civium Genuensium, qui ejus monasterii procuratores erant. Erat autem monasterium ordinis Stae. Clarae; et illae moniales, quae recedere prius nitebantur, stabilitae prorsus fuerunt et cum magnis fletibus et profunda humilitate suas tentationes superarunt.

112. Multis in templis, quae reparatione indigebant, vel aedificii, vel ornamentorum, et corporalium et hujusmodi rerum ad Dei cultum pertinentium, ut id fieret curavit. Domini genuenses litteras ad Vicarium scriptas videndo aut parochos audiendo, qui ad Vicarium venerant ut constitutiones, quas illis praescripserat P. Sylvester, cum eo conferrent, aut libros emerent, quos ipsis emendos suggesserat, mirum in modum afficiebantur et aedificationis plurimum accipiebant. Demum post unum mensem, quamvis aliquando diem integrum in itinere faciendo consumeret et saepe usque ad noctem nihil cibi caperet, ex consolatione spiritus, quae in corpus redundabat, tam prospera valetudine et viribus rediit ex visitatione P. Sylvester, ut se nunquam melius habuisse fateretur. Interim dum ille per dioecesim discurrebat, P. Emmanuel in urbe in quatuor aut quinque ecclesiis concionatus est, cui aderant ex dominis genuensibus hi, quibus hoc negotium commissum erat, et multorum ex illis confessiones audiebat, quibus quantopere satisfieret, Vicario cum consolatione sua referebant

Digitized by Google

Agebatur jam tum de Collegio Societatis in urbe instituendo, et omnis mora illis longa videbatur.

113. Triremes Domini Antonii Doria adire constituerunt; sed tantum praetoriam triremem visitare potuerunt, ubi multi peccata confessi sunt, et virum quemdam turcam, qui multa expertus erat, post disputationem divina lux illustravit ut christianus fieret. Valetudinarius erat P. Emmanuel, qui in Collegio romano ex nimio studio eam habitudinem contraxerat, ut in hecticam febrem vergeret; ideo a studiis avocatus in expeditionem Corsicam electus fuerat. Recidit is Genuae in morbum; sed utcumque recuperata valetudine, ejus opera statim Vicarius uti coepit ad varia pia opera visitanda, quod non sine fructu factum est. Aliqui etiam sacerdotes, qui hujusmodi bonis operibus Genuae vacabant, ad Societatem animum adjecerunt, quorum caput erat P. Franciscus de Tortona, et hi cupiebant nostros in Corsicam discedere [1], et ita Vicarius et Domini officiales Sancti Georgii supplicarunt.

114. Sed quia Corsicae necessitas et praeceptum Summi Pontificis urgebant, non id obtinuerunt, immo 16.ª die Novembris navigare versus Corsicam nostri coeperunt; mare perturbatum expeditam alias navigationem satis longam fecit, sed ad spiritualem profectum multorum ea tarditas redundavit; plurimi enim, dum subsistit navigium Sestri, Castiglioni, Portuveneris, Lerici, Zarzanae, Pisis et Livorni, ad sancta Sacramenta accesserunt; et quidem Livorni, qui in castello erant et magna pars oppidi sanctis Sacramentis adjuti sunt; qui, cum tumidissimum esset mare, laudabant Dominum quod hac occasione nostri diutius ibi haererent. Constitutum fuit, et quidem stipulatione per manum notarii facta, ut ecclesiae quaedam instaurarentur; concubinae expulsae fuerunt; et sacerdotibus et laicis instructiones ad bene vivendum ac suum officium faciendum relictae fuerunt. Navigium tandem ingressis ut in Corsicam trajicerent, nocte quadam undarum impetu antenna confracta est; tum nauclerus magnis clamoribus omnes, inquit, perimus. Eadem hora P. Sylvester himnum *Te Deum laudamus* absolverat; et cum tota ea nocte ad transitum in meliorem vitam se praeparasset, omnibus qui erant in na-

---

[1] Sic; sensus tamen et contextus requirere videntur ut addatur *non* ante verbum *discedere*.

Digitized by Google

vicula absolutionem impendere parabat. Puppim et proram fluctus ingredientes obruebant. P. Emmanuel interim magno animo, pallio suo relicto, super partem quamdam antennae ascendit, quae in mare pendebat, et aliis adjuvantibus eam inde extraxit; et ita Dominus navigium in Capraram insulam deduxit, quam paulo ante Dragut pirata vastaverat. Nobiles autem illi, qui in navigio veniebant, a Deo se liberatos in gratiam nostrorum dicebant.

115. Cum in Insulam nostri ingressi essent, curatum est ut multi peccata confiterentur et communicarent; multi etiam discordes ad pacem ineundam adducti sunt, gubernatore ipso et cancellario bono exemplo caeteris praeeunte, qui duo saepius nostris confessi sunt; multae eleemosynae pauperibus datae; multi, qui uxores reliquerant, ad eas redierunt; christiana doctrina populo fuit explicata; clericis et populo formula, ut christianos decet, vivendi relicta est; alia etiam pietatis opera effecta fuerunt; et inter caetera multi lapides adsportati ut muris fortibus infidelium incursiones arcerent; prius enim gubernator ad hos labores suos inducere non poterat. Primus ipse P. Sylvester coram populo lapides humeris comportare coepit; quod cum viderent, tam viri quam foeminae cujusvis aetatis ad lapides deferendos se converterunt, et eos quotidie deferre perrexerunt.

116. Summa ibi ignorantia inventa est; ecclesiae dirutae; sacerdos ne formam quidem consecrationis tenebat, et vitam militarem cum suis filiis agebat. Omnes fere nudis pedibus hyemis tempore propter paupertatem incedebant; humi cubabant, vix aliquas paleas substernendo; erat inter eos, qui quinquaginta annos natus, pane nunquam satiatus fuerat; pisciculis quibusdam elixis sola aqua et deinde sale maceratis victitant, ingrati admodum odoris illis, qui assueti non sunt. Tam caste vivunt ut multi juvenes post nuptias diu ab uxoribus abstineant, et ne ipsas quidem alloquantur, donec ad suas domos deducant. Ex Caprara in Corsicam tandem pervenerunt 22 Decembris et insigne oppidum, nomine Bastia, ubi totius insulae gubernator residet; a quo magna cum humanitate hospitio excepti fuerunt, et in monasterio fratrum minorum collocati, ubi minister ejus ordinis amanter admodum erga suos hospites se gessit. Quid in ea insula egerint, anno sequenti, Deo propitio, dicetur.

Digitized by Google

DE NOSTRIS QUI IN CONCILIO TRIDENTINO
VERSABANTUR

117. Primis mensibus hujus anni Patres Jacobus Laynez et Alphonsus Salmeron in Concilio Tridentino versabantur, ad quod nondum venerant protestantes, nec eos esse venturos credebatur. Dux Mauritius ac Saxoniae Dux legatos Tridentum miserant, qui quasdam a Concilio conditiones iniquas sane postulabant, ut ad illud lutherani doctores venirent, quae non eis concedendae videbantur. Interim cum disputatum esset de Sacrificio Missae et de Sacramento ordinis, et doctrina jam formata et canones essent, 21.ª Januarii sessio prima erat celebranda; sed protestantium legati postularunt, ut sessio differretur, quoniam suos doctores propediem venturos exspectabant, qui de illis rebus suas sententias dicere volebant, et cum legatis Imperatoris id egerunt ut triginta vel quadraginta dies protestantes exspectarentur, ut de rebus propositis suas sententias dicerent; quamvis non deerant qui existimarent eos non esse audiendos, si prius non protestarent se obedientes fore sententiae ac definitioni Concilii [1].

118. Die 23.ª Januarii propositum fuit nomine Pontificis in Praelatorum Congregatione an expediret filio Marchionis Magdeburgensis, licet juveni fere duorum supra viginti annorum et de haeresi male audienti duas ecclesias cathedrales vacantes, Magdeburgensem scilicet et Alberstatensem conferre; et nihil eo die fuit constitutum, cum paria essent in utramque partem suffragia; at die sequenti, cum viginti quinque suffragia hispanorum non esse conferenda censuissent, triginta et quinque conferenda censebant; sic fortassis Marchionis animum conciliare catholicae religioni cupientes. Et res sic definita, ad Summum Pontificem transmissa est, ut quod ipsi videretur efficeret.

119. Eodem 24.° die Januarii ad Episcoporum Congregationem admissi sunt ante meridiem legati Ducis Wurtembergensis

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Salmeron, ut de rebus Concilii fuse et diligenter Romam scribat et ne amplius curet Societatis institutum a Concilio approbari, 6 Januarii; idem Patri Claudio Jaio, ne litteras ad Concilium mittendas amplius curet, non enim in eo de approbatione Societatis agetur, 12 Januarii.

Digitized by Google

et post meridiem Ducis Saxoniae; et, quamvis diverso modo, eamdem utrique cantilenam protulerunt, dixeruntque suos principes, ab Imperatore rogatos, Tridentum ipsos misisse, ubi conventum celebrari ferebatur hominum, qui de rebus fidei tractabant, et Concilium universale vocabant, et quod principes Imperatori promiserant suos doctores se missuros esse, et eis quae Tridenti definirentur obedituros, si ibi Concilium liberum, universale, et christianum celebraretur; sed conventum illum non esse liberum, quoniam Episcopi, qui ei intererant, juramento fidelitatis Pontifici romano obstricti essent; non etiam esse universale, quia non ex omnibus nationibus ad eum homines convenerant; sed nec christianum esse, cum multa definita essent contra Scripturam sacram praecipue in articulo justificationis; ideo petere se ut alii deputarentur judices praeter Episcopos et Papam, quia hi pars sunt, et ut Papa, prout in Concilio Basileensi definitum fuit, Concilio subjectus esset, quod attinet ad definitionem dogmatum fidei, et in casu schismatis, ac reformationis suae personae; et in primis ut defineretur Concilium esse supra Papam. Praesentarunt etiam Wurtembergenses librum manu scriptum, quo fides ipsorum continebatur; et, si de sensu ac intelligentia dubitaretur, principem suum doctores suos missurum, qui declararent et defenderent contra eos, qui aliter sentirent. Haec et similia hi legati proposuerunt.

120. Die vero sequenti 25.ª Januarii sessio indicta celebrata est; sed nihil ibi constitutum nisi quod salvum conductum amplissimum ibidem legerunt, ut protestantes libere ad tractandum et disputandum de rebus fidei secundum Scripturas sacras, traditiones apostolorum, Ecclesiae consensum, Patrum auctoritatem et approbata Concilia venirent; nam haeretici tantum de Scripturis agere volebant; et in diem 19.am Februarii indicta sessio est. Interim de matrimonio inter theologos disputandum erat, ut praefixa die de eo ac simul de sacrificio Missae et Sacramento Ordinis definitio Concilii promulgaretur. Suspensae itaque res Concilii in dies magis reddebantur, et exspectabatur interim fiscalis ad Imperatorem missus, et timebatur ne sine nomine suspensionis suspensio fieret; sed rediens ille nomine Imperatoris Concilio significavit nolle Caesaream Majestatem suspensionem ullam sed ut progrederetur Concilium et, si quidem haeretici ante sessionem venirent, ut ipsis responderetur; sin

Digitized by Google

minus, ut disputata Concilium definiret. Nihil tamen decimanona die constitutum est.

121. Admonuerunt nostri P. Ignatium frigere valde Concilii res, ut videret an a Summo Pontifice petere oporteret, ut liceret nostris alio se conferre, ubi cum majori fructu versarentur, statim redituri, si quid serio ageretur. P. quidem Jacobus Laynez febri quartana adhuc laborabat, et mense Januario, accedentibus quibusdam doloribus, sic ejus valetudo afflicta fuit, ut de ejus vita medici dubitarent, et propter nimiam debilitatem lectulo se continere cogebatur; et tamen, cum facultatem a legato peteret recedendi Tridento, eam non obtinuit. Dicebat enim legatus se non posse theologos Pontificis dimittere; et, si potuisset, se tamen facultatem non daturum Patri Laynez, cum de adventu haereticorum ageretur, qui si venissent, aliquis theologorum catholicorum numerus ut eis responderet erat eligendus, inter quos nostros esse volebat. Melius tamen eo tempore valere coeperat P. Laynez; unde subjungebat legatus, si extra Tridentum esset, quod evocari ad hoc ipsum debebat.

122. Cum surgere coepisset et domo egredi, Praelatos non paucos invisebat et de rebus ad Societatem et ad commune bonum pertinentibus cum eis agebat, et a quibusdam suspiciones aliquas falsas auferebat, cum aliis de erigendis Collegiis tractabat, ac praecipue cum Episcopo Plasentino, qui serio ad Collegium Plasentiae instituendum animum adjecit, et quaedam a Pontifice impetrari et etiam a Principe Hispaniarum, adjuvante Societate ipsa, volebat, et tunc intra unius anni spatium se collegium aedificaturum dicebat; et ut erat vir strenuus et fervens in his ad quae manum admovebat, plura praestiturus quam offerret putabatur. Non solum Plasentiae, sed in vicinis etiam civitatibus, Truxillo et Caceres, quae sub ejus dioecesi erant, se Collegia erecturum significabat; quae res, ut postea videbitur, multo major quam ipse tunc constituebat effecta est; sed hanc voluntatem, quam postea opere comprobavit, in Concilio concepit; ubi etiam in rebus spiritualibus a P. Laynez adjutus fuit [1].

123. Episcopus etiam Verdunensis de Collegio in sua civi-

[1] Ignatius Patri Laynez, ne Tridento recedat, si melius habere incipiat, 6 Januarii. Idem Plasentino Episcopo, officiose suam operam offerens et gratias agens de Collegio promisso, 9 Martii, 2 Aprilis et 27 Augusti.

Digitized by Google

tate instituendo serio agebat, quamvis reditum suum Verdunum exspectari necessario ducebat. Turritanus item Archiepiscopus in civitate Sardiniae, quae Sacer vulgo dicitur, Collegium aliud institui obnixe cupiebat, de quo et ad P. Ignatium scripsit. Sed et Lovanii ut facultas instituendi Collegii obtineretur ab Imperatore curatum est, nihil aliud ab eo petendo quam ut aedificari et institui Collegium illud permitteret. Voluit autem P. Ignatius, cum occupationes Concilii eum minime impedirent, ut P. Salmeron Oenipontum se conferret, ubi Carolus Imperator tunc agebat; et multorum litteris instructus eo se contulit; et tamen brevi re infecta rediit. 29.ª Martii Tridento profectus, et 2.ª Aprilis Oenipontum perveniens, 4.ª jam inde recesserat. Et non absque dolore reditum socii tulit P. Laynez, cui gratum fuisset ut saltem ad confessiones curiae eo tempore, scilicet, sub finem quadragesimae excipiendas, ibi mansisset; quia magna penuria confessariorum hispanicae linguae laborabant. Sed tam turbatae res erant bellis ubique Imperatori imminentibus ut mirum non esset si hujusmodi negotiis locus apud Imperatorem relictus non esset [1].

124. Scripserat Summus Pontifex ad Nuncium Apostolicum de hoc eodem negotio ut, scilicet, ab Imperatore facultatem illam erigendi Collegii obtineret, et octo dies antequam eo perveniret P. Salmeron, fuerat Imperatorem allocutus, qui de quibusdam rebus ad Societatem pertinentibus informari voluerat, et ei Nuncius satisfecit; sed demum responsum per Atrebatensem Episcopum Granvellanum se daturum dixit. Hoc autem Atrebatensis nomine Caesaris respondit scribi posse Summo Pontifici : quod prius Imperator a curia Flandriae vel-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, pleniorem ab Ignatio desiderari notitiam de Collegio, quod in Sardiniae insula quidam Episcopus erigi cupiebat; cui Collegio favebit absque dubio illius insulae Regens, qui amicitia nostris, Natali praesertim, conjunctus est, 26 Martii; Ignatius Sassaritano seu Turritano Archiepiscopo, fore ut sub hyemis initium aliqui de Societate Sassarim mitti possint; interim autem paranda sive ab ipso Archiepiscopo sive ab alio, quem Laynez indicabit, quae necessaria Collegio erunt; quod si beneficia aliqua Collegio applicare velit, ut de iis per Cardinalem aliquem et sollicitatorem Romae ipse agat; non enim ea tractare negotia Societatem decet aut expedit, 5 Aprilis.—Eadem fere scripsit Ignatius Archiepiscopo Calaritano.—Polancus, *ex com.*, Patri Jacobo Laynez, ut Archiepiscopis Calaritano et Sassaritano, aliisque, dum necesse fuerit, exponat socios, qui ad Collegium aliquod mittantur inchoandum, duodecim aut tredecim, non autem pauciores esse debere, ut Collegium bene jam ab initio juxta Societatis institutum procedat, 5 Aprilis. Eidem Ignatius non ante hyemis initium hoc anno aut primo vere sequentis posse aliquos de Societate mitti, quos postulant Tridentinus, Verdunensis, Sassaritanus, Siracusanus, aliique Praelati, 30 Aprilis.

Digitized by Google

let intelligere num Societas illis placeret nec ne; et hoc Nuncius Summo Pontifici rescripserat. Et cum vellet ulterius negotium hoc prosequi P. Salmeron, qui litteras Cardinalium Montis et Maffaei ad Nuncium attulerat, et legati etiam Crescentii et aliorum, qui Concilio praesidebant, et legatorum Imperatoris ad Atrebatensem Episcopum, et aliquas litteras in favorem Collegii Lovaniensis vellet ab Imperatore ad Reginam, ipsius sororem, obtinere, visum est Nuncio apostolico tempus minime opportunum esse ut hoc negotium urgeret; cum id temporis jam Mauritius, exercitu cum Galliae rege colligato et ab eodem stipendia accipiente, compluribus Germaniae urbibus occupatis, Augustam obsidebat; et alia de re nec Imperator nec ejus ministri agebant, quam de rebus ad bellum pertinentibus; itaque Principum legati negotia nulla tractare poterant. Cum igitur apostolicum Nuncium et ejus secretarium de toto negotio diligenter instruxisset ac ejus promotionem commendasset, ut suo tempore et loco id tractare posset, Tridentum rediit. Et re quidem vera, cum in periculo magno Imperator esset constitutus ne a tota Germania parum decore expelleretur, non opportune negotia hujusmodi cum eo tractari potuissent [1].

125. Theologum quemdam non mediocriter in philosophia et in ipsa theologia eruditum, nomine Franciscum Marinum, Calagurritanus Episcopus, ad nostros Tridenti miserat, qui ad Societatem propensus Romam cum fratre transmissus est [2].

126. Cum Oenipontum versus iter faceret P. Salmeron, Brixinae Cardinalem Tridentinum invenit; cui cum redderet itineris sui rationem, voluit ille de Collegiorum instituto certior fieri. Quod autem hac de re a P. Salmerone accepit, cum magno-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Salmeron ut per Flandrum legatum curet Lovanienses adjuvare, 6 Januarii. Missa est etiam longa Adriani Adriaenssens ad Ignatium epistola, ut eam Cancellario Ruardo Taper legendam traderet. Eidem Salmeroni Ignatius de obtinenda Imperatoris venia ad Collegia Societatis in Flandria erigenda, ut ipse aliusve, cui tanquam sibi ipsi confidat, Oenipontum ad Imperatorem se conferat, 20 Februarii et 9 Martii; eidem Polancus, de Collegio Lovaniensi, et ut offerendam Imperatori supplicationem, juxta summam Romae confectam, concinnent ipsi, sc., Salmeron et Laynez, ea lingua et forma quam magis expedire judicent, et ad eam nitide scribendam, opera fratris Guerici utantur, 26 Martii.

[2] Ignatius Episcopo Calagurritano, de quodam Gundisalvo, qui Episcopo fuerat famulatus, 6 Januarii; Polancus, *ex com.*, eadem die, de eodem Gundisalvo, Patri Alphonso Salmeron; Ignatius Episcopo Calagurritano, de eodem Gundisalvo et de Magistro Marin et aliis, 9 Februarii.

Digitized by Google

pere ipsi probatum esset, promisit se Tridenti aut Brixinae Collegium erecturum; et cum paulo post per equos dispositos Tridentum Cardinalis venisset, qui patentes litteras Imperatoris ferre dicebatur, ut qui vellent Episcopi in aliqua Italiae loca se conferrent, eumdem alloquuti sunt Patres Laynez et Salmeron; et praeter domum, quam illi ut idoneam nostri repraesentabant, ducentos florenos annui reditus obtulit, et ampliores se curaturum significavit, sed non promisit; et ea de re P. Ignatio scripsit. At, quamvis multa ex eo Collegio commoda consequi poterant, res tamen non magnopere expetenda tunc quidem visa est, et ita progressum non habuit.

127. Jam ex eo tempore, quo Mauritius electorum aliqua loca occupaverat, electores Moguntinus et Coloniensis propere ex Concilio recesserunt, et ut eorum adventus calorem multum rebus Concilii dederat, ita et recessus magnopere eas debilitavit; unde et reliqui Germani discesserunt, quamvis eo tempore theologi Ducis Wurtembergensis, inter quos Brentius erat, Tridentum venerunt. Nec enim princeps ille aliorum conjuratorum contra Imperatorem partes sequi voluerat. Quo die igitur sessio indicta fuerat apud legatum, ad calendas Maii prorogata fuit. Et quamvis legatus Imperatoris urgeret ut de matrimonio ageretur, nullius disputationis jam amplius mentio fiebat; et 20.ª Aprilis Breve Apostolicum Tridentum pervenit de suspensione Concilii. Non tamen statim promulgatum est, quia legatis videbatur decere ut conciliariter suspensio fieret. Sed P. Jacobus Laynez ob suae quartanae morbum facile recedendi veniam obtinuit, et Bassanum ac Patavium versus se contulit.

128. 24.ª Aprilis congregatio Praelatorum coacta fuit, in qua omnes in eam sententiam convenerunt ut Concilium suspenderetur; et modus suspensionis hic fuit visus convenire, ut ad biennium et ad beneplacitum Summi Pontificis, ut sic posset tempus extrahi vel contrahi, prorogaretur. Demum 28.ª Aprilis in publica sessione Concilii decretum suspensionis promulgatum est; et cum essent quinquaginta septem suffragia etiam tunc, duodecim tamen hispanorum suffragia suspensioni non consenserunt; sed nihilominus suspensio obtinuit.

129. Jam eo tempore, quo Breve Apostolicum Tridentum pervenit, sollicite impedire exercitum Mauritii Imperator cura-

Digitized by Google

bat a comitatu Tyrolis, arcta quaedam loca *(clausas* vocant) militibus munire studens; et Tridentinus Cardinalis mille milites ad eum misit; et Episcopi hispani, cum non minus pecunia quam militibus Caesar destitutus esset, hic mille, ille duo millia, ille tria millia ducatorum mittebat, prout poterat. Mardones etiam, Praefectus domus Pro-regis Neapolitani, cum ducentis millibus scutorum Tridento transierat; et a Sicilia aliud subsidium exspectabatur. Sed cum Mauritius et cum eo confoederati, praetexens religionem et libertatem Germaniae, Augustam et Ulmam et demum clausa illa loca, quae munire voluerat Imperator, transiret, et ad ipsum Imperatorem cum infestis signis properaret, Oeniponto Imperator propere recedens, Biliacham usque in Charintia progressus est. Unde, cum Cardinalis Tridentinus hispanos Praelatos admonuisset quod eos securos reddere non poterat, etiam ante hunc recessum Imperatoris, et timeret grisones ne, ad direptionem Praelatorum, etiam urbem ipsam diriperent, et ad recessum ipse urgere videretur, omnes paulatim recesserunt.

130. Ante tamen quam P. Salmeron recederet, 2.ª die Maii, salutatis Praelatis, optimam multorum voluntatem de Collegiis instituendis intellexit, qui etiam Patri Laynez hanc animi sui voluntatem aperuerant; inter quos fuerunt in Hispania, praeter superius dictos, Episcopus Legionensis et Asturicensis, et in Sardinia Archiepiscopus Calaritanus, in Sicilia Siracusanus Episcopus. Ut autem P. Laynez 21.ª Aprilis recesserat, ita P. Salmeron 2.ª Maii Tridento recessit. Interim autem Cardinalis Crescentius, legatus Sedis apostolicae, gravissimo morbo laborabat, et cum meliuscule habere coepisset, post promulgatam suspensionem Concilii, morbo ingravescente, ex hac vita decessit.

131. P. Laynez Bassanum Tridento se contulerat, quem eo usque legatus Imperatoris, ad venetos missus, Vargas cognomine, secum deduxit et humanissime tractavit; et quia aër illius oppidi salubris erat, melius habere coepit P. Laynez, et quindecim dies ibidem commoratus et, ex duplicis quartanae febribus altera recedente, Patavium uno vel altero die post P. Salmeronem pervenit. Acceperat autem a P. Ignatio responsum ut ipse, animi relaxandi causa et valetudinis recuperandae, in his locis versaretur, ubi magis liberet; et quamvis P. Salmeronem ad

Digitized by Google

Collegium Neapolitanum promovendum destinasset, quia aestus ingruere coeperant nec admodum opportune Neapolim ingressurus hac aestate videbatur, injunxit ei ut Florentiam veniret, et ibi legendo et concionando hanc aestatem exigeret, sub autumnum Romam et Neapolim venturus; quo tempore, si P. Jacobus Laynez valetudinem recuperasset, Florentiam ut veniret, et res novi illius Collegii promoveret, injunctum erat. Interim autem dum P. Laynez valetudini recuperandae et quartanae expellendae dabat operam, aliquos juvenes, qui videbantur idonei Societatis instituto, ad Societatem adducere sollicitus erat [1].

DE COLLEGIO PATAVINO

132. Antequam Patres, qui a Concilio recesserant, Patavium venirent, nostris ibi praeerat P. Elpidius Ugolettus, et quamvis nullus concionator aut lector ibi populum excitaret, et nostri suis studiis darent operam, aliqui tamen, qui gravissimis molestiis ad summam desperationem adducti videbantur, eorum opera recreati et animum resumentes, nostris amicitia conjunctissimi dimissi sunt. Nobilis etiam quidam Neapolitanus, qui multos annos a confessione abstinuerat, a quodam ex nostris olim sibi noto ad Collegium deductus, non solum animae saluti per confessionem consuluit et vitae mutationem serio proposuit, sed nisi quibusdam impeditus nexibus fuisset, ad nostrae Societatis ingressum valde se propensum ostendebat. Sex septemve mulieres, quarum vita turpissimo libidinum gurgiti immersa erat, postquam P. Elpidio confessae sunt, ita eas anteactae vitae poenituit, ut in Corversarum monasterium sese statim recipere vellent, et quamvis illius loci angustia id non permiserit, vitae tamen pristinae nuncium remiserunt et honestam vivendi rationem inierunt. Quaedam etiam alia, ex domo cujusdam, apud quem honeste non tenebatur, cuidam Patavino viro optimo, ut in ipsius familia honeste viveret, tradita est.

133. Quidam etiam juvenis egregiae indolis, qui se nostris

---

[1] Ignatius Patri Laynez, ut Florentiam tandem se conferat, habita tamen peculiari suae valetudinis ratione, 30 Aprilis.

Digitized by Google

adjungendi desiderio flagrabat, quamvis differendam ejus admissionem nostri putarent, pia ejus importunitas ut statim compos voti fieret impetravit.

134. Invenerat P. Elpidius duos ex nostris, se absente, dialecticae studium aliis superioribus inconsultis inchoasse, et utrumque ea de causa ab eo studio removit.

135. Eorum, qui confitebantur et ad nostram ecclesiam communionis gratia accedebant, numerus augebatur; et ex his, quae ab Urbe Roma et ab aliis Societatis locis, praesertim ab India, ad aedificationem pertinentia ferebantur, multum consolationis non solum nostri sed et externi accipiebant. Curatum est etiam ut mulieres quaedam, quae a suis maritis cum magno populi offendiculo sejunctae erant, cum eis in pacem et cohabitationem redirent.

136. Venit Patavium P. Jacobus Laynez ante medium mensem Majum et coepit ad scholas Patavii incipiendas animum adjicere; et Patri Ignatio quibus rationibus expedire id videretur significavit; quod cum probaretur eidem Patri, denuo quibus dotibus praediti esse deberent praeceptores paulo delicatius quam oportuisset scripsit; non quidem ex propria sententia, sed scriptas ab alio litteras hac de re ipse subscripsit; et tamen reprehensionem a P. Ignatio retulit, quod exquisitas quasdam qualitates requireret, quae potius ad mathematicum quam ad practicum procedendi modum pertinebant. Nec tacebo quod, cum quaedam in juvenibus, qui in Collegio Patavino tunc erant, quae parum ipsi placebant, invenisset, cum quartana alioqui liber non esset, quod morbi genus satis melancholicum est, aliquid afflictionis initio patiebatur; sed deinde ipsemet mirari desiit et, ubi multi sunt, experientia docente affirmabat cum auro scoriam mixtam esse, sed nosse Dominum qui sint ejus; et hos tantum Societatem vere conficere existimabat.

137. Sub finem mensis Junii cum jam a quartana, licet non ab ejus reliquiis, liber esset, litteras a P. Ignatio accepit, quibus gratum sibi fore scribebat, si Provincialis citra Italiam curam susciperet, quam anno quidem praeterito eidem injungere P. Ignatius voluerat, sed, cum subterfugeret hoc onus et in Concilii rebus et sua cum quartana satis occupatus esset, Patri Paschasio sub anni praeteriti finem ea provincia demandata fuerat. Nunc vero cum de praedicto P. Paschasio in Galliam mit-

Digitized by Google

tendo, ut inferius dicetur, P. Ignatius cogitaret, et a Concilio liberum et a quartana Laynez videret, rursus dicto tempore ei hoc munus injungendum judicabat. Respondit P. Laynez urgeri se a conscientia sua ut significaret P. Ignatio quo magis rem considerasset, eo se magis ab ea functione abhorrere; nec enim sibi videbatur in obedientia profecisse ut ad alios gubernandos idoneus esset, et quod attinet ad informationem collegiorum ac personarum se posse sine officio Provincialis et suo periculo ad P. Ignatium eam transmittere; et a reliquiis quartanae nondum liber molestias, quae gubernationem sequuntur, quaeque ex defectibus sive corporalibus sive spiritualibus eorum, qui gubernant, saepe proveniunt, non facile se sine afflictione laturum putabat. Si itaque in arbitrio ipsius, nec enim P. Ignatii litterae quidquam praecipiebant, id relinqueretur, supplex petebat a P. Ignatio ut, quamdiu viveret, servum Societatis sine obligatione gubernationis ipsum relinqueret. Cum tamen P. Ignatius, auditis ejus rationibus, mentem suam clarius explicaret, 15 Julii officium Provincialis, prout ipsi injungebatur, admisit; et quia nullae constitutiones scriptae Patavii adhuc erant, ad se eas mitti postulavit, quae ad domesticam Collegiorum oeconomiam pertinebant; et, cum ad ipsum capita quaedam, quae perutilia eidem visa sunt, mitterentur, ad ea observanda tam superiores quam subditos allecturum se recepit [1].

138. Angelus Surianus, nobilis venetus, qui votis emissis Societati se obstrinxerat, et bonis suis, quae ad quatuor millia ducatorum valebant, pauperes Christi in Societate nostra non solum adjuvare constituisset sed etiam Deo promisisset, is, inquam, in gravem inciderat aegritudinem, adeo ut mortem illi imminere medici timerent. Videbatur P. Andreae Frusio mediam partem hujusmodi facultatum fratribus ipsius esse relinquendam, ut minori cum ipsorum molestia et sua alia media parte Societas juvari posset; sed Patri Jacobo Laynez aliter videbatur, ut,

[1] Ignatii patentes litterae, quibus Patrem Jacobum Laynez Praepositum Provincialem constituit omnium in Italia Societatis domorum, Roma et Neapoli exceptis, 11 Junii. Eidem Polancus, *ex com.*, ne amplius Provincialis munus recuset, sed nec eo fungatur, nisi cum ejus valetudo et vires id ferre valeant, eadem die. Idem Andreae Frusio de Patre Laynez Provinciali Italiae, ne dum non bene valet, eum litteris, etc., quoad fieri possit, opprimant, 28 Junii; eadem die Patri Laynez, quomodo Provincialis munere, juxta Ignatii mentem, erit ei fungendum, praesertim quamdiu infirma, ut nunc, utatur valetudine: respondet etiam rationibus, propter quas ineptum se ad Provincialis officium judicabat Laynez, 28 Junii.

Digitized by Google

scilicet, quandoquidem ipse Angelus ad omnia Christi pauperibus relinquenda propensus esset, non ab eis partem eam subtraheret, ut fratres, qui ditiores ipso erant, magis locupletaret. At mors succedens ne immutari posset quod jam testamento, juxta P. Frusii mentem, constitutum erat, effecit [1].

139. Cum autem P. Ignatius ad Collegii romani lectiones, quae de omnibus facultatibus erant praelegendae, praesertim post acceptum onus Collegii Germanici instituendi, P. Andream Frusium Venetiis cum magistro Fulvio Cardulo evocasset, suggerebat P. Laynez perutilem Venetiis esse publicam ejusdem Frusii concionem, nec esse alium, qui in eo munere ipsi substitueretur, nec ad conscientiae casus decidendos alium ibi idoneum relinqui, et eumdem P. Andream fundatori pergratum esse. Nihilominus negotio fidei et Sedis Apostolicae omnia posthabenda P. Ignatius sensit et ut secum P. Andream ipse duceret, cum Florentiam veniret, simul cum Doctore Martino Olavio [2].

140. Adfuerat is, ut supra dictum est, Concilio Tridentino et post ejus suspensionem Patavium venerat, animo prorsus deliberato ut Societati se dederet; et quatuor arcas librorum ibi servandas attulerat, donec Romam, quo ipse post aestatem venire destinabat, deferrentur; et cum alios libros Lovanii haberet, alios Ingolstadii, ut priores illos P. Adrianus, posteriores Collegium Viennense haberet constituerat. Ipse autem, antequam Romam veniret, ad P. Petrum de Soto, olim Imperatoris Caroli confessarium, invisendum, qui ex Dilinga recedens in oppido quodam Salisburgensis Episcopi prope ditionem [3] versabatur, ire constituerat; nam ejus amicitia plurimum usus erat. Non probabant id admodum nostri Patres, sed nec impediebant. At cum

---

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, de Angelo Suriano, posse eum, si velit, reditus ex suis bonis Collegio Patavino relinquere ad duos ibi professores alendos; opportuniorem facilioremque modum hos reditus ad talem scopum in testamento assignandi fortassis fore quem alii jam tenuerunt, sc., ut illos reditus Ignatio tradendos injungat, qui eos Patavino Collegio applicabit; de hoc tamen legisperitos adeant, eorumque consilio regantur, 17 Aprilis et 7 Maii.

[2] Polancus, *ex com.*, Andreae de Frusis, ut Romam veniens Bononia transeat et inde itineris socium Fulvium Cardulum habeat, et interim graecas, hebraeas, etc., *positiones* pro studiorum in Collegio romano renovatione praeparet, 27 Augusti; idem Alphonso Salmeron ut Florentia Romam veniat cum Fulvio Cardulo, ibi relinquens Frusium, qui post dies aliquot iter cum Olave arripiet, 10 Septembris.

[3] Sic; suspicamur tamen Polancum verbo *ditionem* aut alio simili, quod non intellexit librarius, locum indicare voluisse magis notum quam illud Salisburgensis Episcopi, ubi erat Petrus de Soto.

Digitized by Google

Venetias venisset, et Cardinalem Augustanum ac Legatum Imperatoris officii gratia inviseret et hanc profectionem cum eis conferret, magnopere illi dissuaserunt. Unde Doctor Olavius, qui officii gratia et ut fidem suam liberaret eo proficisci decreverat, horum tam gravium virorum auctoritate motus, qui timebant ne dissuaderet nostri instituti susceptionem P. Petrus de Soto, non ulterius progressus est; sed litteris per famulum quemdam ad eum transmissis eum salutavit et animi sui propositum de Societatis nostrae ingressu aperuit. Ille vero, ut decebat servum Dei tam gravem ac religiosum, collaudavit ut sanctum et bonum Doctoris Olavii propositum et in eo ejus animum confirmavit. Itaque Patavium doctor rediit et magno cum desiderio se obedientiae sanctae submittendi Romam sub autumni initium venit, cum Florentiam usque P. Laynez esset comitatus. Laynez tamen non prius Florentiam versus iter suscepit quam Bassanum et Tridentum se conferret [1].

141. Causa cur Bassanum iverit haec fuit, quod quidam pius sacerdos, Gaspar Gropillus nomine, qui locum quemdam extramuros Bassani, satis amoenum et ad contemplationem ac recreationem aptum cum ecclesia, habebat, ad quam aliqui confratres corporis castigandi gratia et orationis venire solebant, locum illum P. Jacobo Laynez ad Societatis usum obtulit, et, re cum P. Ignatio collata et ab eodem probata, judicabant amici Bassanenses, qui omnes in Societatis usum dari locum illum consentiebant, ut aliquis de Societate ad possessionem capiendam se eo conferret; et ita cum jam satis commode valeret, et aliquot conciones habere Patavii coepisset, Bassanum profectus, quod viginti quatuor milliaribus Patavio distat, decima quarta Augusti pervenit, ubi sequenti die, qui dominicus erat, et postridie, quo festum Assumptionis B. Virginis celebrabatur, quater, partim populo, partim monasteriis concionatus est. Tunc, adhibito notario, applicatus est locus ille Societati,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Doctori Martino Olave, causas exponit quibus motus Ignatius eum ut Romam quamprimum se conferat hortatur, 20 Februarii; idem Alphonso Salmeroni ut Martinum Olave in bono animi proposito confirmet horteturque ut Romam veniat; non tamen aperiat hoc sibi scriptum injunctumque fuisse, eadem die; idem Doctori Martino Olave, gratulans de iis quae cum Petro de Soto per litteras egerat ut amicitiae, quae inter ipsos est, satisfaceret, 28 Junii; eidem Ignatius eum in Societatem admittens et ut Romam post aestivos calores se conferat injungens, 2 Julii; Polancus Doctori Astudillo, de Doctore Martino de Olave in Societatem admisso, ut ejus exemplum Astudillo sequatur, 23 Julii et 27 Augusti.

Digitized by Google

et P. Gasparo P. Laynez commendavit, ut praeter ea cubicula, quae ibi tunc erant, alia quaedam conficienda curaret, et locum etiam quemdam ad scholam tenendam praepararet, quamvis non ea hyeme esset inchoanda [1].

142. Inde Tridentum progressus est, cujus itineris haec fuit ratio, quod, cum Cardinalis Tridentinus de Collegio instituendo Tridenti ad P. Ignatium scripsisset, nec recusaret Pater Ignatius illud admittere, sed aliquandiu exspectandum diceret, donec illi pararentur operarii, qui ad hujusmodi opus idonei forent, visum est P. Laynez, qui satis ad hoc Collegium propensus erat, Tridentum usque pervenire ut coram cum Cardinali hoc de negotio ageret; et quidem invenit ipsum ad id satis propensum, qui et eum statim misit ad domum quamdam ipsius urbis communem, ut judicaret num ad Collegium instituendum ea idonea videretur. Probabat P. Laynez domum, si sacellum in ea construeretur, quod Cardinalis omnino se confecturum dicebat; sed cum congregari jussisset magistratus ut suis suffragiis de hoc loco Societati dando decernerent, illi gratias agere Cardinali et Societati statuerunt, quod Tridento Collegium hoc vellent instituere, et promiserunt non hanc publicam sed aliam domum cum horto et ecclesia se daturos, et interim dum ea pararetur, domum ipsam Communitatis offerebant, aulam tantum ejus ad suas congregationes reservantes. Sed et Cardinalis aliam domum ad Abbatiam quamdam pertinentem, quam ei P. Laynez commostravit, dare volebat; et quod ad reditus attinet, tum quidem ducentos aureos annuos applicabat, sed aucturum se in posterum hos reditus promittebat. Addebat etiam olim, cum boni essent praeceptores Tridenti, scholasticos ex variis Italiae et Germaniae locis eo confluere solitos, et se nepotes suos ad scholas missurum et ad nobiles Tyrolenses scripturum ut suos filios eo mitterent; ipse etiam in rebus spiritualibus juvari a Societate cupiebat. Rebus igitur hoc in statu relictis, P. Laynez recessit et quanto citius Collegium missum esset, eo gratius Cardinali fore Ignatium admonuit [2].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Gasparo Gropillo, eum Ignatii nomine in Societatem admittens eique potestatem faciens ut suo non Societatis nomine eleemosynam petat, 15 Octobris.—Hic probabilius est ille Gaspar, de quo Polancus litteris ad Patrem Laynez datis 2 Novembris hujus anni 1552, quas habes in t. III, *Cartas de San Ignacio*, pag. 129 et seq.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, quid a Societate expetat Cardinalis Tridentinus, 30 Aprilis.

Digitized by Google

143. Cum Patavio transiret Cardinalis Augustanus, nostris affirmabat si Dominus eum Augustam reduxisset (nam Romam pergebat), omnino se Collegium Societati esse erecturum; at P. Laynez eum interim rogavit, quandoquidem Ferraria et Florentia transiturus erat, ut Ducibus illis Collegia, quae jam ibi erant, ut promoverent, commendaret; quod se facturum omnino recepit.

144. Cum praeceptores ex Urbe sub autumnum P. Ignatius Patavium misit, jam duas ibi scholas nostri praeparaverant et tertiam parare coeperant. Missi sunt autem ex Urbe non solum tres praeceptores, quorum primus P. Eleutherius Pontanus erat, sed et minister, qui in Collegii gubernatione P. Elpidium, viribus imbecillum, juvaret, P. Baptista Tavonus, qui in officio Rectoris eidem postea successit. Apertis autem scholis mense Septembri, primo tantum pueri conveniebant, qui parum in litteris profecerant, et P. Eleutherius nihil publice primis diebus legere potuit; nam ad duas tantum inferiores classes pauci pueri ut rudimentis grammaticae imbuerentur et aliqui, qui nondum legere recte sciebant, venire coeperunt. Sed re paulatim bonum odorem spargente, et numerus crevit scholasticorum et eruditio; et ita tres classes inchoatae sunt; et nondum hoc ipso anno vertente, cum super centum et tringinta scholastici venissent, quartam addi classem necessarium videbatur. Ne tamen eos pueros admitterent, qui recte legere nesciebant et scribere, Roma scriptum eis est, et diligenter curarent ut saltem tertia illa schola concinnaretur [1].

145. Proficere autem scholastici incipiebant non solum in litteris sed etiam in christiana doctrina, quam dominicis diebus docebantur (multi enim, quae ad salutem necessaria erant, ignorabant); quod parentibus eorum magnam aedificationem praestabat. In moribus etiam non parum profecerunt, nec quidquam a scholasticis, qui licentia satis magna uti solebant, nisi modestum audiebatur, et aliqui inter eos bono ingenio praediti socios ad scholam invitabant, et omnino in eis mutatio magna animadversa est. P. Elpidius christianae doctrinae lectionem eis

---

[1] Jam inde ab initio hujus anni curabat Ignatius ut scholae pro externis aperirentur Patavii, quod certum est ex litteris Andreae Frusio Venetias 27 Februarii datis.— Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, de Baptista Tavono et Eleutherio Pontano Roma mittendis, 27 Augusti.

Digitized by Google

explicandam susceperat, et quamvis nostri tantum ad confessionem menstruam eos hortarentur, pro Collegiorum more, tamen aliqui ipsorum crebrius confiteri cupiebant; nec deerant ex eis qui ad Societatem adspirarent. Praestabat autem multum aedificationis civitati quod, cum avaritia illis in locis regnare in multis videretur, nihil prorsus a nostris emolumenti ex hoc docendi labore vel ex aliis ministeriis acciperetur, et dicebant aliqui nullum opus ad Dei gloriam utilius et ad juventutis profectum institui posse.

146. Occasione filiorum parentes ipsorum ad confessionem peccatorum faciendam apud nostros accedebant, et cum alii alios, ut fieri solet, invitarent, hac ratione poenitentium numerus etiam crevit; inter quos aliqui erant qui compluribus annis non fuerant confessi; alii, qui confiteri coeperant, licet in remotis locis habitarent, ad Collegium tamen accedentes, omnibus se molestiis levari, dum peccata confitebantur, affirmabant; et quidam prorsus a misero admodum statu vitiorum ad vitae puritatem se transtulerunt.

147. Ad hospitale P. Baptista se conferens aliquorum confessiones audivit, inter quos unus cum lacrymis de saeculo relinquendo et religione adeunda firmum propositum concepit et explicavit, alii etiam in magna afflictione constituti per sacramenta et colloquia pia consolationem acceperunt.

148. Mulier quaedam, quae in loco publico octo annos a marito sejuncta turpiter vixerat, curatum est ut marito reconciliaretur, praemissa utriusque generali confessione. Accidit etiam ut quaedam mulier, dum filium nostris commendatura veniret, ad vitam religione christiana dignam invitata non prius discessit quam peccata confiteretur, qua de re ne cogitaverat quidem prius; cum tamen magnopere spirituali auxilio indigeret.

149. Cum admonuisset Rectorem Patavini Collegii P. Ignatius ut juxta medici praescriptum in victu et vestitu nostrorum se gereret, id se exsequi non posse significavit, cum sine pecunia numerata, quam non habebat, carnes sumere cogerentur, quas lanio non pro necessitate nostrorum sed pro sua voluntate dabat. Nec in victu solum sed etiam in vestitu nostri penuriam patiebantur; quod fundatoris viventis penuria cum charitate conjuncta non aliud permitteret [1].

[1] Polancus, *ex com.*, Elpidio Ugoletti, posse, si velit, protectorem Collegii consti-

Digitized by Google

150. Docuit etiam experientia eos, qui extra Urbem ac domum Romanam in Societatem admittebantur, non ita fuisse examinatos ut oportuerat; et ideo ut romanum examen mitteretur Patavium, vel ut nullus ibi admitteretur expedire videbatur.

DE COLLEGIO VENETO

151. Octo aut novem mensibus hujus anni praefuit Collegio nostro Veneto P. Andreas Frusius, praeter quem decem alii, sacerdotibus et scholarum praeceptoribus computatis, ibi erant, qui suis quisque officiis vel docendi vel discendi cum externorum aedificatione operam dabant. Schola super centum et quadraginta scholasticos numerabat in quatuor classes distributos; suprema autem humaniores tradebat litteras, nec ad ulteriora auditores erant idonei; de graecis litteris nonnihil tradebatur, et precibus parentum aliqui, non satis in legendo et scribendo versati, admissi fuerant. Quia tamen ea civitas potius mercaturae quam studiis vacare solet, non parum videbatur quod multi scholastici a duobus et tribus milliaribus veniebant. His etiam diebus veneris christianam doctrinam P. Caesar explicabat [1].

152. Proficiebant in litteris et in morum etiam probitate ad admirationem usque eorum, quibus prius noti fuerant, cum et a vitiis abstinere et rei divinae devote assistere quotidie et singulis mensibus (ac crebrius nonnulli faciebant) ad sacramenta accedere viderent. Multorum tamen parentes, qui filiorum opera ad res alias uti cupiebant, complures a studiis revocabant, unde magis tenuis quam optabatur ex scholis fructus a nostris capiebatur, nec magnopere numerus augebatur, quamvis in eorum, qui removebantur, locum alii succederent. Cessavit tamen ob-

---

tuere Matthaeum Dandolo, sed ne de hoc litteras ab Ignatio exposcat aut exspectet, 9 Martii; eidem ut medici consilio se regi sinat in iis, quae ad corporis valetudinem spectant; quod medici consilium non ab ipso Elpidio sed ab aliis exquirendum est, prout de omnibus praepositis seu domorum superioribus ab Ignatio fuit jamdiu statutum, 14 Maii.

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, ne, cum de rebus Collegii, sociis et ministeriis scribat, litteras det Polanco sed Ignatio, 9 Januarii. Eidem de studiorum renovatione quando et quomodo facienda, de typis edendo Martiali a P. Frusio jam expurgato, cujus operis exempla tercenta in Societatis Collegia distribuentur, 19 Martii; eidem, de intermissionibus seu vacationibus aestivo tempore, quid Romae fiat et quid Venetiis fieri oportebit, 28 Junii.

Digitized by Google

trectatio aliorum ludimagistrorum magna ex parte cum nostros nihil emolumenti percipere a suis scholasticis intelligerent; et non parum consolationis nostris adferebant, quod etiam illi, qui a studiis avocati erant, propensionem tamen ad pietatis exercitationes ex priori bona institutione retinere videbantur.

153. Concionabatur P. Andreas Frusius singulis dominicis ac festis diebus cum satis frequenti, nobilium praecipue hominum, auditorio, qui etiam in eleemosynis, quae commendari pro suggestu solebant, non parum liberales se exhibebant. Et aliqui mirabantur, cum tam remotus hic locus esset a frequentibus urbis habitationibus, quod tam multi ad eum convenirent. Interpretabatur etiam catechismum P. Caesar eisdem diebus dominicis in praedicationis modum et, quamvis ipse sibi parum in eo munere satisfaceret, nunquam a suggestu recessit, quin aliqui ad sacram confessionem verbo Dei commoti accederent; idem cum alio Patre monasteriis religiosarum foeminarum verbum Dei proponebat nec sine fructu. Cum autem ad Conversas, quae ibi numerosum habent monasterium, sacerdos quidam noster semel concionatus esset, tam ipsae quam alii multi saeculares, qui aderant, gemitibus inter concionandum et postea precibus, quibus ut concionari perseveraret rogabant, quanto cum gustu spirituali eum audirent testabantur [1].

154. Verum praecipuus fructus animarum in ministerio Sacramentorum confessionis et communionis percipiebatur; erant enim confessiones frequentissimae, et permultae animae ex faucibus daemonis ereptae fuerunt; inter quos decem vel duodecim haeretici et gravissimis irretiti daemonis laqueis ad viam salutis per Domini gratiam sunt reducti. Aliqui eorum in eam caecitatem mentis venerant, accedente morum depravatione, quae haereses hujus temporis sequi solet (testabantur hoc et ipsi qui ad cor redierunt, et non solum de seipsis sed de aliis sibi notis tantumdem asserebant) ut non contenti communibus erroribus lutheranorum, hic animam mortalem esse, alius spiritus nullos inveniri, nec a spiritibus obsessos affirmarent. Alius quidam, cum animo dubius ex alia provincia venisset et

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Andreae Frusio, ut circa quotidianas conciones et alia hujusmodi, Priori morem gerere satagat, 6 Februarii; idem Caesari Helmi ut medicum et Priorem adeat eosque consulat circa ea quae ad Frusii valetudinem viresque fovendas pertinent, quorum judicio in omnibus Frusius pareat, 9 Aprilis.

Digitized by Google

monachum quemdam consuleret an Eucharistiam adorare deberet, responsum hoc ab eo accepit; idololatriam id fore [1].

155. Quamvis autem hi aliquid negotii P. Andreae exhiberent, majus tamen exhibuit quidam anabaptista qui et Christi divinitatem et Beatae Matris ejus virginitatem negabat nec daemonia esse alia quam carnis prudentiam, nec ullos exteriores actus, ne quidem signum crucis, admittebat. Hic obstinatissimus in custodia publica detinebatur, sed nec ignem sibi timendum esse existimabat. Cum autem in morbum incidisset et, vadibus datis, ad corpus curandum e custodia missus esset, saepius a nostris, ac praecipue a P. Andreà, compellatus ac de erroribus convictus, eos agnoscere videbatur et cum animo haereses abjurandi relictus est. Sed cum illum paulo post nostri inviserent et in bono proposito confirmare vellent, pejus quam unquam affectum invenerunt, qui de nostris etiam conquerebatur quod dissuasissent opiniones, quas ipse tenebat, et illa nocte dixit se Deum vidisse, qui minabatur ei et vehementer terrebat quod veritatem propter nostrorum verba reliquisset, nec Patres nostros audire nec videre, sed mortem quantumvis gravem se subire velle. Licet autem diabolus hoc modo miserum hominem seduxerat, placuit tamen divinae bonitati eum ex ejus faucibus eripere, et contra ejus obstinationem constantem zelum salutis ejus Patri Andreae dedit, qui ab eo non recessit donec id, quod optabat, obtineret et ille publice suos errores cum magna audientium aedificatione abjuraret. Mulieres etiam aliquae erroribus infectae, ab eis revocatae ad Ecclesiae gremium redierunt [2].

156. Quidam multos annos concubinam tenuerat, vir alioqui non ignobilis. Is cum in periculo mortis constitutus eam dimisisset, exhortatione alicujus ex nostris permotus, sanus tandem animae suae etiam aliis in rebus consuluit et cum magno animi dolore confessus est. Alius etiam majoris auctoritatis, generali confessione instituta, divitias misericordiae et longanimitatis Dei ac simul justitiae ostendit, qui permisit eum

---

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, ut in absolvendis haereticis et publice excommunicatis, quamvis ei liceat, videat tamen an expediat id agere absque Nuncii Apostolici aut Inquisitoris notitia et venia, 9 Aprilis.

[2] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio ut in iis quae ad cujusdam anabaptistae reductionem ad catholicae Ecclesiae gremium praestari oporteat, omnino Inquisitorem consulat ejusque judicio se regi sinat, 9 Martii.

Digitized by Google

gravissimis persecutionibus et calumniis falsis premi, alia mundo occulta sed coram Deo gravissima peccata in eo castigando. Alterius etiam viri non exiguae auctoritatis vita confessarium ipsius ad stuporem adduxit, quem cum ille admonuisset, quandoquidem volebat confessionem generalem instituere, ut aliquos libellos, qui ad exomologesim hujusmodi faciendam conferunt, legeret, rediit ille post illorum lectionem, ignorantiam auctorum illorum ridendo, quod de peccatis pauca scirent; et ita re ipsa ostendit quod plura scilicet ipse peccata perpetrasset quam illi scripsissent, sed nec scribere debuissent. Et satis ostendit diaboli tyrannidem ac malitiam erga eos, qui liberum ei additum praebent, et multo magis Dei bonitatem, qui ejus animum ab omnimoda corruptione affectus et intellectus ad veram cognitionem veritatis et vitae emendationem adduxit. Inter eos, qui hoc sacramento reconciliati Domino fuerunt, alii decem, quindecim alii et pluribus annis ab hoc sanctissimo Sacramento abstinuerant.

157. Aliqui casus matrimoniales perdifficiles remedium opera nostrorum acceperunt; casus etiam usurae subtilissimae discussi lucem acceperunt, et ab eorum laqueis animae quorumdam ereptae fuerunt. Aliqui nobiles ex civitatibus Reipublicae Venetae subditis ad nostros Venetias missi quod expetebant ad conscientiae suae quietem etiam sunt consecuti. Et nonnulli sacerdotes, consilio nostrorum et confessionibus adjuti, et saluti suae et animarum ipsis commissarum cum bona aedificatione aliorum consulere coeperunt.

158. Aliquae impudicae mulieres, post confessionem a turpi vita revocatae, in monasterium Conversarum ingressae sunt; aliae, dum de reconciliatione agebatur, honeste viventes expectabant. Juvenis quidam religiosus a suo monasterio egressus, cum redire ad illud ipsum vellet, nec admitteretur, adductus est ut in aliud arctioris ordinis ingrederetur, cum alioqui perditae vitae prius fuisset. Cum duobus aut tribus viris, ut a periculis animae abstraherentur, curatum est ut eas in uxores ducerent, a quibus periculum imminebat; quamvis alioqui res ipsis incommoda accidebat.

159. Qui in custodia publica detinebantur, ad confessionem peccatorum faciendam sunt excitati; et quia eos tunc nostri audire non potuerunt, per quosdam nobiles curarunt ne eis con-

Digitized by Google

fessarii deesset. Inclusorum aliqui in eam desperationem prius adducti erant ut vel negarent providentiam Dei vel eam improbarent; et tamen antequam nostri ab eis recederent, se confessionem peccatorum facturos promiserunt. Aegrotantes aliqui in domibus suis per confessionem ad bonum ex hac vita transitum sunt adducti; inter quos aliquis fuit, ad cujus reconciliationem audiendam aliquis nostrorum sacerdos cum vocatus esset, intellexit quod totius vitae generali confessione indigebat, perinde ac si nunquam fuisset confessus. Quibusdam etiam puellis prospexerunt, in securum locum a gravibus periculis eas reduci curando. Concubinae etiam a quibusdam sacerdotibus abductae. Hebraeus quidam, instructus a nostris, baptismum accepit. Quidam etiam, qui apud turcas fidem abnegaverat et sexdecim annos ibi vixerat, per confessionem Ecclesiae reconciliatus fuit; ejus etiam uxor et filia, quae cum ipso Venetias venerant, baptismum acceperunt. Cum postea duae naves turcarum et saracenorum Venetias appulissent, ad fidem christianam aliqui eorum et non pauci adducti sunt, et alii, qui fidem christianam abnegaverant et inter hos saracenos versabantur, ad Ecclesiae gremium reducti fuerunt. Quo in negotio charitas D. Andreae Lipomani, Prioris Sanctissimae Trinitatis, multum effecit, qui hujusmodi homines domi suae excipere solitus erat, et frater noster, ab anno superiori in Societatem admissus, Joannes Baptista, quondam hebraeus et lingua illorum peregrinorum peritus, ad hujusmodi conversiones divinae providentiae instrumentum se praebebat.

160. Alii multi tam viri quam mulieres afflicti supra modum, cum ad nostros perducti essent, perturbationibus a Domino liberati, pacem spiritus consequuti sunt, et sacramenta apud nostros quidam eorum crebro sumere coeperunt. Inter uxores ac maritos, et alios sanguine conjunctos, magnopere inter se dissidentes, pax inita est. Duae vel tres, quae, cum bonum Domini spiritum aliquando gustassent, ad peccata multa dilapsae fuerant, Domino reconciliatae, pristinam pietatem colere coeperunt. Fuit mulier quaedam quae, a filiis exagitata, eo redacta fuerat ut timeretur ne se in mare praecipitem daret, prout tentaverat; ad nostros adducta, per confessionem pacem animi invenit, et crebro ad sacramenta accedens eam conservavit.

161. Inter mulieres multas, quae a Domino per nostros ad-

Digitized by Google

jutae fuerunt, virgo quaedam nubilis et sponsum ambiens, postquam nostris confessa est, abjecto velo, quo nubiles Venetiis obvelare caput solent, magno cum ardore spiritus bis in hebdomada tantisper ad Sacramenta accedebat, donec in monasterium esset admissa.

162. Duo viri capitali odio inter se dissidentes ad nostros perducti sunt, ubi, cum ante confessionem nihil difficilius ab eis peti posset quam ut in gratiam redirent, immo id fieri non posse affirmarent, effectum tamen est per Dei gratiam, ut post confessionem ad forum D. Marci, frequentissimo populo admirante, supplices alter ab altero veniam postularent, confessionemque et Sanctissimam Eucharistiam una postmodum repeterent.

163. Quidam perditissimae vitae sacerdos, qui Missas idololatriam esse et caetera mysteria ac sacramenta nulla esse affirmabat, per disputationem a P. Andrea divino auxilio convictus, et ad sanam mentem revocatus, peccata confessus et absolutus recessit.

164. Tantum fidei suis confessariis poenitentes tribuebant ut vel semel ab illis commoniti, nec laboribus nec impensis parcerent ad alios ad salutis viam promovendos; et hi multos periculosae vel deploratae vitae homines utriusque sexus ad nostros adducebant Christo reconciliandos, et eis postea variis modis prospiciebant, vel adjuvando ut monasterium ingrederentur, vel ut vitam Christianis dignam agerent.

165. Ex discipulis autem nostrarum scholarum hic religionem ingrediebatur, ille ingredi cupiebat; quinque aut sex ex illis ad nostram Societatem adspirabant, alii etiam non pauci extra scholasticorum numerum; sed pedetentim nostri procedendum existimabant, cum praesertim qui ea in civitate hujusmodi desideriis movebantur, parum in litteris essent instructi. Ad multam usque noetem aliquando confessiones erant audiendae; sed magnum laborum condimentum erat seria poenitentium ad Dominum conversio; ex quibus aliqui singulis bimestribus, alii singulis mensibus, alii etiam singulis hebdomadis confiteri deinde proponebant, qua in re ea tarditas compensabatur, qua complures annos confessi non fuerant. Accidebat autem ut peccata tota in juventute celata aliquando retexerent, unde et totius vitae confessio erat repetenda. Multi a daemone variis praestigiis ludificati, et alii vexati, ad Christum redierunt.

Digitized by Google

166. Sed insignis fuit foeminae cujusdam mutatio, quae cum plurimos annos in gravissimis peccatis volutaretur, et ficte ad confessionem accederet, vel ut satisfaceret consanguineis, vel ut melius fallere posset, tamen sua peccata non confitebatur. Ad confessarium ergo nostrum cum hoc animo accedens, sic a Domino ejus opera compuncta est, ut magnis cum fletibus totius vitae peccata, quae nunquam confessa erat, confiteretur, et sacramenta, quae nefaria fictione indignissime ter singulis annis acceperat, jam tum sincere et humiliter acciperet. Tantumdem fere alii cuidam accidit. Et demum hujusmodi plurima, quae recensere longum esset, utriusque sexus hominibus per ministerium confessionis beneficia a Domino conferebantur. Inventa est et aliqua Manichaeorum erroribus infecta et ab eis liberata; aliqua, quae triginta annos, cum conjugata esset, in adulterio vixerat, ad viam salutis revocata. Demum admirandum se praebuit Dominus et in patientia et in misericordia per horum sacramentorum ministerium.

167. Benevolentia autem Domini Prioris erga nostros paterna prorsus erat, cui et nostri filiorum observantiam exhibebant; apud nobiles autem viros, ac matronas, et populum etiam magna existimatio et devotio erga nostros erat, et ex eis nec consolationem spiritus nec recte vivendi rationem se invenisse aliqui profitebantur, nisi post primam suam apud nostros confessionem; et nostrorum arbitrio multi se totos tradebant in via Domini instituendos, ac supplices ne rejicerentur petebant; et cum oblata munera nostros non admittere viderent, admirationi et aedificationi ipsis magnae erat [1].

168. Monachus quidam ordinis minorum, qui inter concionatores Adventus primas tenuisse a multis dicebatur, cum in postrema sua concione suos auditores doceret quos sectari, ut religionis purioris cultores, tutissime possent, se non habere quos Societati Jesu anteponeret, immo nec quos compararet, prout liber erat, publice dixit, multisque laudibus, quam sibi familiariter cognitam affirmabat, extulit.

169. Initio hujus anni, cum in concione scholarum institu-

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, ut suae aliorumque valetudini consulat, ideoque, haud repugnante, et, si necesse foret, inscio etiam Priore, victum aliaque ad vitam necessaria meliora esse, juxta medici praescriptum, curet quam hactenus fuerunt, 20 Februarii.

Digitized by Google

tum P. Andreas Frusius populo declarasset, et quidem cum magna audientium aedificatione, Dominus Prior in earumdem scholarum usum et nostrorum etiam habitationem eam partem domus dedit, quam dare constituerat ac promiserat.

170. Misit praeterea Romam P. Frusius regulas quasdam hebraicae linguae, quas earum professor ab eo postulaverat. Confecit et ipse in scholasticorum externorum usum regulas quasdam, quae perutiliter eis propositae fuerunt, cum ad pietatem ac modestiam et ad studia ipsa, quibus vacabant, promovenda essent accommodatae.

171. Cum autem primis etiam mensibus hujus anni operam P. Andreae Galvanelli ac magistri Fulvii Carduli magis Bononiae, quam Venetiis esse necessariam intelligeret, quamvis P. Ignatius ipsimet P. Frusio constituendum hoc relinqueret, eos tamen Bononiam misit [1].

172. Patres Laynez et Salmeron ex Concilio Tridentino, ubi etiam tunc versabantur, miserunt ad P. Andream Frusium partem quamdam libri Philonis judaei, ubi de primo instituto christianorum et de aliis multis, quae contra lutheranos catholicae doctrinae favebant, mentio fiebat, et in sermonem latinum, ut rogabatur, opus illud vertit.

173. Curavit ut ex quorumdam manibus libri haereticorum aut suspecti ad se ferrentur, ne nocerent eis quos penes erant; multis etiam restitutionibus, quae necessario faciendae videbantur curam impendit; et quamvis satis circumspectus esset in admittendis ad Societatem his, qui id postulabant, voluit tamen P. Ignatius se consuli antequam admitterentur.

174. Mense Julio Angelus Surianus, qui Venetias venerat, ad fratres secundum carnem salutandos, cum Viennam ad Regem Romanorum profecturi essent, quia natu maximus suae Reipublicae legatus futurus erat, illis recedentibus, statim in morbum, a quo utcumque convaluerat, recidit, nec commodum fuit aut Patavium ad nostros, aut ad Collegium Venetum eum deducere, ne mortis tempus praevertere qui eum loco movisset videretur; et tam feliciter ad Dominum migravit, cum ei nostri

---

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, ut Fulvium Cardulum, ni repugnet Prior, Florentiam quamprimum mittat; prius tamen, si ipse Fulvius id cupiat, eum ad sacerdotium promovendum curet, 9 et 23 Januarii. Eidem ut in rebus alicujus momenti consilio utatur Andreae Galvanelli.

Digitized by Google

adessent, ut consolationis potius quam compassionis occasionem nostris praeberet. Saepius ejus confessionem audivit, ac viatico eum munivit; et, extrema unctione accepta, cum aedificatione omnium ex hac vita decessit. Non est admissa omnium bonorum ipsius donatio, quam ipse Societati fecerat. Nihilominus in testamento, quod condidit, legavit quingentos aureos ad scholas Patavini Collegii concinnandas et mille quingentos ut darentur Praeposito Generali Societatis nostrae dispensandi, prout intelligebat ipsius conscientiae convenire, in opera pietatis et satisfactoria. Sed quingentos etiam aureos ad debita quaedam sua solvenda et cum hoc onere suam possesionem fratribus reliquit.

175. Quatuor aut sex turcae et totidem qui apud turcas fidem abnegaverant, cum ad baptismum adduci nostri curassent, litteris suis P. Ignatio commendarunt, cum Romam venirent, ut consilio et auxilio teneras plantas foveret.

176. Cum recessit Venetiis P. Andreas Frusius, id est, 17 Septembris, secum deduxit Joannem Baptistam, quondam hebraeum; et, ut ipse libentissime Romam veniebat, ita plurimos Venetiis reliquit, qui cum magno doloris sensu ejus recessum ferebant; et cum ultimam concionem habuisset apud eos, quodammodo seipsum vicit, nec satiari auditores poterant eam commendando. Qui tamen tenere prae caeteris discessum sensit illius ipse Dominus Prior fuit, qui flens, ut ipse scribit P. Ignatio, tanquam homo orbatus consolatione relictus est. Sed tam ipse quam alii ut Dei servi intelligendo voluntatem Dei per P. Ignatium fuisse explicatam, aequo tandem animo et patienti omnia tulerunt [1].

177. Expedire visum fuerat ut Cardinalis Maffaeus, ut Summi Pontificis Secretarius, Domino Priori scriberet petens ad Collegii Germanici institutionem P. Andream, sed hoc parum ipsum Priorem moverat, qui rescribere et se excusare constituerat; at litterae ipsius P. Ignatii eum scrupulum ei injecerunt impediendi majoris gloriae et servitii Dei, ut omnino sine ulla excusatione P. Andream recedere permiserit, quamvis et in

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio, ut se ad veniendum Romam accingat, et modum mediaque adhibeat quibus Patavinum et Venetum Collegium, se absente, bene procedant, 26 Martii; Ignatius Andreae Lipomano, Frusii operam necessariam Romae esse demonstrans, 27 Augusti.

Digitized by Google

concionibus detrimentum ecclesia passura erat, et scholae nuper institutae et alia plurima pietatis opera [1].

178. P. Hieronymum Otellum ad concionandum postulavit, quem tamen non obtinuit, quia in Siciliam mittendus potius visus fuerat ad Dei gloriam; et hoc ipsum etiam charitas Prioris boni consuluit. Antequam recederet P. Andreas, cum Patavini Collegii simul cum Veneti curam gereret, eo se contulit, et quae ad scholas instituendas pertinebant ordinavit; et ita P. Elpidium Patavii cum ministro, P. Baptista Tavono, et Venetiis P. Caesarem Helmum Superiorem reliquit; hunc enim P. Jacobus Laynez, Provincialis, cum Collegium Venetum inviseret, idoneum ad hoc munus judicaverat.

DE LOCO BASSANENSI

179. Postquam locus ille in oppido Bassano, de quo supra, Societati applicatus fuit, sacerdos, Gaspar Gropillus nomine, quin in eodem loco sub eremita, fratre Antonio, aliquandiu vixerat, illo defuncto, postquam curavit locum Societatis applicari, se ipsum etiam Societatis obedientiae subjecit. Erat et vir quidam bonus, qui sub eremitico habitu illo in loco olim eidem fratri Antonio cum sociis inservierat et eleemosynas per oppidum quaerebat, et hic etiam in eodem loco et ministerio, habitu deposito, mansit; quamvis non ita ut P. Gaspar in obedientiam Societatis fuit admissus. Tertius erat quidam puer, qui ob charitatem eo in loco tenebatur ac instituebatur. Ex nostris valetudinarius unus tantum illis est adjunctus, et ita quatuor numero eum locum, postquam Societatis esse coepit, inhabitabant. Potius tamen ut recreationis locus quam Collegium admissus est. Injunxerat et P. Laynez Provincialis ut aliqua cubicula aedificanda curarentur, quod paulatim est effectum [2].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Frusio ut videat an expediat Cardinalem de Carpi ad Priorem scribere, quo is patienter ejusdem Frusii recessum proximo Septembri ferat, 9 Aprilis.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, si initium aliquod Collegii Bassani velit jam habere nec exspectare donec proximo Octobri aliquis Roma mittatur, ut ex Collegiis Italiae unum alterumve seligat, qui aptior videatur, videlicet: ex Florentino aut Petrum Adrianum, aut Ludovicum Coloniensem, aut Magistrum Philippum; ex Bononiensi aut Guilielmum, aut Lazarum, aut Jacobum castellanum; ex Ferrariensi aut Petrum Britonem, aut Philippum Parisiensem, etc., 18 Junii.

Digitized by Google

180. Interim bonus ille sacerdos, P. Gaspar Gropillus, singulis mensibus confessiones audiebat triginta virorum, qui confraternitatem conficiebant ad quaedam pietatis opera illo in loco exercenda et, vel in illa ecclesia, vel in parochia communicabant. Diebus dominicis idem P. Gaspar oppidum ingrediebatur, et in parochia quadam circa meridiem exhortationem ad populum habebat; et christianam doctrinam edocere pueros curabat; aetate provectiores tam catechismo quam concioni intererant; deinde ad suum locum regrediens, post vespertinum officium aliam etiam concionem ad confratres jam dictos habebat, qui totum diem dominicum in oratione, pia lectione atque exhortatione et flagellatione consumebant.

181. Profestis interim diebus locum illum suum colebat et amoeniorem ac utiliorem simul reddebat. Ex eleemosynis frumentum et vinum duobus aut tribus hebdomadis in totum annum reponebat; reliqua ex fructibus ac praesertim ex melle et cera ab apibus confecta et divendita comparabat; et ita quatuor personae ibi sustentabantur; et non solum animi gratia ac valetudinis aliqui ex nostris eo divertebant, quod, antequam Romam veniret, P. Doctor Olavius fecit, et cum aedificatione quae ibi fiebant observavit, sed etiam qui ex Germania veniebant aut in eam ex Italia transibant, hospitium in illis locis inveniebant, ubi cum charitate excipiebantur.

182. Crescebat autem eorum, qui conciones audiebant, numerus et multo magis crevisset, si, quod Archipresbyter Bassanensis rogabat, ac idem P. Gaspar, ut, scilicet, P. Hieronymus Otellus vel alius concionator eo mitteretur, fieri potuisset. Alia etiam quaedam pietatis opera ab eodem sacerdote fiebant, cui rescripsit P. Ignatius, ut locum preapararet aptiorem, ut possent, qui mitterentur, melius Dei obsequio vacare; sed hoc anno nullum mittendum censuit. Hac tamen sola spe et scriptis litteris magnopere P. Gasparum consolatus est. Quem tandem habuerit exitum hic locus temporis succesu videri poterit.

DE FERRARIENSI COLLEGIO

183. Idem modus in scholis Ferrariensibus tenebatur, qui anno superiore descriptus est; fructus tamen hoc anno schola-

Digitized by Google

rum fuit uberior. Nam praeter nostrorum in litteris profectum, crevit externorum scholasticorum numerus, et ad centum et quinquaginta pervenit; qui autem accedebant, mirum quanta studiorum commoda reportabant. Ipsimet, aut parentes eorum, triennio et quadriennio in scholis aliis trito minus se quam uno anno profecisse in hoc Collegio affirmabant, quod ad litteras attinet; sed in pietate ac moribus multo majores progressus quam in litteris fecerunt; adeo namque nonnulli flagrabant, ut etiam judaeorum filios, qui Ferrariae habitabant, ad Christi fidem suscipiendam hortarentur et ad nostros adducerent; adeo sacris concionibus, lectionibus et sacrificiis dediti et Sacramento confessionis et communionis, cum per aetatem idonei sunt, ut plane uno anno renati et in alios mutati censeantur.

184. Illud unum incommodi in hac parte nostri sentiebant quod timeri poterat ne ipsorum parentes moleste ferrent, quod eorum multi ad religionem adspirabant, et cum in Societatem nostram non admitterentur, quod vel aetas minus tenera esset, vel eruditio major desideraretur, ad alias se religiones convertebant, et in monasterio Sti. Georgii hoc anno decem vel duodecim admissi fuerunt, et monachi non parum mirabantur in tam tenera aetate tantopere spiritum Domini relucere et bonam institutionem tam intime ab eis perceptam esse. Numerum jam dictum superasset multitudo, nisi loci angustia exclusi multi fuissent; quamvis domus quaedam nostrae in usum scholarum adjuncta est [1].

185. Satis multi inter eos non solum animi sed et generis nobilitate praediti erant; horum probatissimos aliquos et morae impatientes in Societatem suam nostri ferrarienses admiserunt. Inter hos quidam novocomensis ex Valtellina, nomine Michaël, admissus est, et paulo post, cum ejus et integritas et eruditio probaretur, et vota Societatis simplicia emisisset, secundae classi praefectus est. Is praeter latinam linguam, graecam et hebraicam, chaldaicam atque arabicam non ignorabat, et annos plurimos in philosophiae studio consumpserat. Admissus et magister Laurentius, faber caementarius egregius, et statim Romam missus, cujus virtus tantopere P. Ignatio probabatur,

[1] Polancus, *ex com.*, Joanni Pelletario, si quando de status religiosi laudibus coram pueris ei sit disserendum, ne obliviscatur eos monere laude etiam dignum esse in re tanti momenti maturo cum consilio et non temere aut praepropere agere, 21 Maii.

Digitized by Google

ut si alius fructus ex Collegio Ferrariensi perceptus non esset, hunc non poenitendum esse diceret, quod Societati Magistrum Laurentium acquisisset, qui non minus exemplo vitae quam arte aedificationi fuit. Celebris erat in officio suo Ferrariae. Tertius etiam admissus est, spectatae indolis, qui ad parentum turbas vitandas Patavium est missus. Alii plurimi in nostram Societatem cooptari cupiebant; sed admissionem differendam esse judicabatur et juvenes sacramentorum frequentia et oratione ac conscientiae examinatione in bono proposito fovendos. Duo vel tres inter caeteros conspicui inter hos viciniores erant. Litterae Indiae non hos tantum sed et alios multos vehementer inflammabant [1].

186. Virgines complures sacramentorum frequentia et aliis pietatis exercitationibus sic in spiritu profecerunt ut viginti quinque ex illis Deo se totas cum voto paupertatis, castitatis et obedientiae consecraverint, et optimo sui odore totam civitatem repleverunt.

187. Ad haec Sacramenta confessionis et communionis ardor multorum, sed praecipue foeminei sexus, augebatur, ut bis terque in hebdomada ad ea accedere exoptarent; quarum in spiritu profectus rarus admodum erat. Horum etiam, qui non tam crebro confitebantur, pro numero confessariorum satis magnus erat numerus et in dies augebatur; et in die natalis Domini in templo domui nostrae vicino, quod postea Societati applicatum est, quadringenti et quinquaginta magna cum pietate Corpori Domini communicarunt; quod miraculi loco in ea civitate accipiebatur; inusitatum enim hujusmodi spectaculum ibi erat; et horum exemplo alii subinde ad idem pium opus invitabantur.

188. Miles quidam Ducis Ferrariae, qui vitam in bellis gerendis contriverat, concione ter aut quater audita, P. Paschasium allocutus est, qui hominem verbi Dei sagitta potenti vulneratum ad confessionem est adhortatus; quam cum ille pie ac diligenter fecisset, a militia Ducis in Christi militiam transiens, ad Carthusiam se contulit. Fatebatur Collegii Rector talem se militem numquam cognovisse.

189. Incidit in manus ejusdem P. Paschasii mulier quae-

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Paschasio Broet, ut neminem, pueros praesertim, Romam in Societatem admittendos mittat, quin prius Ignatium moneat, 17 Aprilis; eidem de admittendis et rejiciendis, 18 Junii.

Digitized by Google

dam, quae venenum propinare cuidam satagebat; sed prius ab eo Patre non recessit quam a detestabili flagitio revocata, et animo prorsus immutato, ab eo, cui propinatura erat venenum, nullo retecto crimine, supplex veniam postularet. Alia etiam erat, quae mori mallebat quam injuriam cuidam, a quo laesa fuerat, condonare; et quamvis prima exhortatio frustra fuerit habita, in secunda divina lux ejus animi tenebras discussit, et delusam se a daemone agnoscens, experientia, inquit, didici, confessionem esse vitiorum expugnatricem, virtutisque cultricem. Alia etiam, quae priora Magdalenae opera imitata fuerat, posteriora etiam imitata est, et se totam Christo sacrare et illi soli vacare decrevit. Nec soli huic gratiam hanc divina contulit bonitas; sed et matrona quaedam haereticis conglutinata et familiaris daemonibus effecta, et a Christiana doctrina aversa, suosque errores ex male intellectis sacra pagina et Doctorum testimoniis procaciter defendens, simul a turpitudine vitae et erroribus intellectus, P. Paschasii opera, Dei bonitate liberata fuit, et quae prius deliramenta sentiebat, jam oracula certissima, vera et inconcussa fide tenebat et colebat.

190. Multos demum a pristina conversatione, animae corporique periculosa, P. Paschasii charitas revocavit. Sed inter alios unus excelluit, cui non satis erat deploratissimam agere vitam, sed uxorem etiam injuste prorsus occidere parabat; hunc ergo sic mansuefecit divina bonitas, hujus Patris opera, ut voto se obstrinxerit, si valetudinem recuperaret, se benevolentiam et amorem, quem matrimonii Sacramento debebat, uxori, quae in alia civitate agebat, praestiturum; et tunc tempore aliquo brevi succedente, quod innoxia esset a crimine, propter quod ei maritus succensebat, comprobata est. Hujusmodi charitatis functionibus tantopere bonus P. Paschasius oblectabatur, cum Spiritum Sanctum in suis creaturis talia operantem agnosceret, ut etiam in mensa, prae laetitia et sollicitudine hujusmodi operum, cibum capere aliquando oblivisceretur; ut alium cibum suaviorem se habere, cum ad capiendum illum fratres exhortabantur, dicere posset.

191. Plerique utriusque generis, catechismo prius instructi a nostris, baptismum demum accipiebant. Hi ad Dominum Augustinum Mostum, hospitalis Sanctae Annae praepositum,

Digitized by Google

ut ad sacrum asylum confugiebant, quo a judaeorum injuriis eos defenderet. Ille studiosus augendi dominici gregis, hujusmodi homines domi excipiebat, seseque veluti murum pro eis opponebat et invicto animo, si litigandum erat, pro eis litigabat. Societatis etiam opera, cui conjunctissimus ab initio semper fuit, utebatur; itaque ad pauperes etiam xenodochii, cui ipse praeerat, nostris crebro eundum erat; nam aegrotantium frequentia messem nostris abundantem et tamen vicinam praebebat; hortus enim hospitalis amplissimus domus nostrae hortui conjunctus erat, et ut ejus amoenitate nostri frui et ad hospitale commodius transire possent, portam aperiri nostris permisit, qua accessum ad hospitale per hortum haberent.

192. Inter hebraeos baptizatos insignis fuit quidam adolescens, qui magnum in religione christiana progressum fecit opera P. Pelletarii Rectoris; qui, ut multis dotibus praeditus erat, ad ejus baptismum numerosa nobilium turba confluxit. Alter etiam huic non dissimilis fuit, de quo magna sperari possent.

193. Conciones P. Pelletarii assiduas in templo vicino, ad usum Societatis dato, fructus etiam et instructionis et commotionis multorum sequebatur; cum magna enim attentione et multorum crebris lacrymis a frequentibus utriusque sexus hominibus audiebatur; et ut ex intimo corde verba Domini depromebat, ita per ea audientium animos non parum afficiebat, ad sacramenta crebro sumenda alliciebat, et a nimia sollicitudine in congerendis divitiis retrahebat.

194. Haereses quoque egregie ac libere insectabatur, quae tunc Ferrariae plus aequo in multis vigebant. Ab ipso festo Corporis Christi inchoando, inde sumpta occasione, multis concionibus de venerando Eucharistiae Sacramento disseruit et errores haereticorum confutavit, ex quo id secutum est, ut ab illo hominum genere, qui non bene sentiebant, cane pejus et angue, ut ajunt, ii caverent, qui Patris conciones audiebant, et familiaritatem, quam cum eis habebant, abrumperent. Unde vir fuit inter alios, qui uxorem suam apud Ducissam, quae eo morbo infecta credebatur, habebat et statim ab ejus domo abstraxit, quamvis illam incorrupte vivere Ducissa permitteret. Familiaribus etiam colloquiis ad meliorem mentem non paucos et ipse P. Pelletarius revocavit. Postquam autem P. Baptista

Digitized by Google

Viola Ferrariam missus est, partim cohortationibus privatis, partim confessionibus crebris, multos ad pietatem promovit; litibus etiam implicatos ac dissidentes dexteritate ac charitate conciliavit.

195. Multi ex nobilibus, qui prius non ita erga nostros erant affecti, amicissimi effecti sunt, et favore ac studio suo nostros prosequi coeperunt. Civium autem vulgus, immo et judaei, cum a nostris in suis calamitatibus praesidia quaererent et invenirent, bene nostris afficiebantur.

196. Populus etiam vicinus, cui Argenta nomen est, cum scholarum nostrarum ac sacerdotum fructum audivissent, Collegiolum apud se institui cupiebant; quamvis hoc anno non obtinuerint.

197. Incipiebat Domina Maria del Jeso, quae uxor fuerat primarii ministri Ducis *(Factorem* vocabant), nostrorum opera uti et in dies magis ad Collegium illud juvandum afficiebatur, et primo de legato aliquo relinquendo agebat ducentorum vel trecentorum scutorum; sed, crescente affectu et animo, domum, quam nostri conductitiam habitabant, emere nostris constituit, et a P. Ignatio per litteras postulavit ut id sibi permitteret. Cum autem ex marito, jam defuncto, nullos liberos suscepisset, P. Ignatius non solum consensit, sed pium ejus propositum suis litteris confirmavit et auxit. Nam situs opportunus erat; templum autem vicinum, cui Rosa cognomen erat, et in quo nostri celebrabant ac concionabantur, a Duce obtineri poterat [1].

198. Et sic, postquam constitutum esset pedem figere, coepit et ipsa Domina Maria pecuniam ex suis reditibus colligere, qua tandem domum emit. At prius, collocatis in quodam monasterio quibusdam virginibus, quas domi habebat, coeperat expensas imminuere, ut non solum domum emeret, sed et reditibus Collegium dotaret; et interim suis eleemosynis nostros benigne ac liberaliter juvabat, quibus ducenti aurei a Duce Hercule singulis annis Collegio dati non sufficiebant.

199. Injunxerat P. Ignatius P. Paschasio ut correctorem nostris scholis adhiberet; et ita sacerdotem quemdam invene-

[1] Polancus, *ex com.*, Joanni Pelletario, ne Mariam Frasonam del Jeso impediat a bono opere emendi domum Collegio aptam; et ne hoc aestivo tempore post prandium in schola legat nimiumque laboret, 10 Septembris.

Digitized by Google

runt, qui, eo officio fungens juxta constitutiones, nostros tali onere subblevaret.

200. Cum etiam qui prima rudimenta discebant, tribus praeceptoribus negotium facesserent, quartus praeceptor, qui solis his vacaret, adhibitus, magno onere caeteros levavit [1].

201. Dux Hercules quamvis de nostris bene sentiebat et quae per eos gerebantur probabat, vel ob P. Claudium Ferraria abstractum, vel quia pauci sacerdotes in Collegio erant, cum ipse fere omnes tales esse vellet, vel potius quia occupationibus bellicis distinebatur, parum familiarem se nostris tunc praebebat; unde, cum ipsum adire saepe tentassent, significari eis jussit ut suis [2] exponerent quae vellent. Erat tamen amicus conjunctissimus et de nostris benemereri serio studebat Dominus Alexander Fiascus, qui primas apud Ducem inter familiares tenebat. Alii etiam ex aula Ducis nostris erant benevoli; quamvis Alexandro et Augustino jam dictis, qui etiam familiaris erat Duci, et Julio Chavedono, pauci se pares praestarent.

202. Praeter tres illos, quos admissos Ferrariae diximus, et quartum Florentiam in coadjutorem missum, quintus fuit Albertus, juris Doctor, qui tanta humilitate praeditus erat, ut, cum Romam, ibi admittendus, mitteretur, rogaret P. Paschasium ne scriberet ipsum esse Doctorem. Sed, quod humilibus accidere solet, quos fugientes honor consequitur, non solum Doctor habitus est, sed postquam sex fere mensibus in probationibus est versatus et, votis emissis, suae integritatis ac stabilitatis bonum specimen dedit, Rector novi Collegii Eugubini, ut superius diximus, missus est [3].

203. Cum intellexisset Pater Ignatius aliquos ex eis praeceptoribus, qui Ferrariae docebant, lectiones P. Pelletarii audire, quas publice praelegebat, id ne fieret, propter necessariam magistris auctoritatem, praescripsit; quamvis privatas lectiones minime prohibuit [4].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Paschasio Broet, ne in scholas admitti sinat pueros, qui nondum legere et scribere sciunt, 27 Februarii.—Idem monitum datum est Patri Pelletario 21 Maii.

[2] Scilicet, *ministris*. Sat facile legitur vocabulum *suis* in mss.; potest tamen adhuc dubitari an sit *litteris*, quod librarius hic scribebat *lris*.

[3] Polancus, *ex com.*, Paschasio Broet, ut quamprimum Romam mittat, ni grave detrimentur Ferrarienses scholae exinde patiantur, Joannem Baptistam de Jesu qui post octavam Paschae P. Natalem in Siciliam euntem comitabitur, 26 Martii.

[4] Datae sunt hac litterae 6 Februarii. In iis autem additur posse quidem nostros,

Digitized by Google

204. Sub initium mensis Maji P. Paschasius, tunc Provincialis, ad visitandum Collegium bononiense se contulit. Tunc autem aegre et cum lacrymis ab his dimissus est, qui ejus opera in spiritu adjuvari solebant; major tamen molestia consecuta est, cum in Galliam, ut Parisiensis Collegii curam gereret, destinatus est. Cum enim P. Baptista Viola semper adversa valetudine premeretur, eum in Italiam revocare, et, ut nostris praeesset, P. Paschasium mittere ad Dei gloriam fore judicabatur [1].

205. Itaque obedientia sancta hoc iter Patri Paschasio injunxit; quod cum Ferrarienses intellexissent, mirum est quo affectu recessum ejus impedire sint conati. Longas litteras Dominus Alexander Fiaschus Patri Ignatio scripsit, et enixe ut Ferrariae relinqueret P. Paschasium orabat. Domina etiam Maria, quae fundatrix futura esse Collegii ferrariensis videbatur, cum nullo modo se consolationem aut quietem invenire posse in hac P. Paschasii profectione scripsisset et spem Collegii fundandi, quam conceperat, tot clamoribus hominum a se auferri conquereretur, et suo ac civitatis illius nomine rogaret ne inde auferretur P. Paschasius, responsum aliquot dies Pater Ignatius distulit. Interim cum prima obedientia urgeret P. Paschasium ad recessum, sed importunis precibus motus non sine scrupulo conscientiae aliquot dies substitisset, paulo post secundum et tertium exemplum ejusdem obedientiae simul ad eum pervenerunt; unde non amplius cunctandum ratus, amicis valedicens, itineri se accinxit, et 2.ª die Junii cum magno sensu spiritualium amicorum Parisios discessit [2].

---

qui domi legunt, alios lectores audire quandoque, ut quis modus ab iis in docendo teneatur inspiciant, 6 Februarii. Polancus, *ex com.*, Paschasio Broet, ne iidem sint publice lectores et discipuli, sed si cui otium post scholae labores suppetat, huic privatim aliquid legi possit, 12 Martii.

[1] Ignatius Paschasio Broet, ut Provinciam visitet, praesertim si sacerdotem habeat socium, quem Ferrariae suo loco substituat, 9 Januarii; eidem Polancus, de visitandis Italiae Collegiis, 19 Martii; Ignatii Paschasio Broet patentes seu *obedientiae* litterae, quibus eum Parisios proficisci jubet, 7 Maii.—Has comitabantur alii Ignatii litterae, quibus hanc Parisios profectionem omnino in manibus et arbitrio Paschasii relinquebat, ne, sc., eam aggrederetur, si id in grave detrimentum Ferrariensis Collegii cessurum crederetur.—Ut viam tamen sterneret et difficultates amoveret, scripsit Ignatius eadem die coadjutori Episcopo, Alphonso Rosetti, alium se Paschasii loco missurum promittens.—Ignatius Paschasio Broet, eum laudans quod se promptum ad proficiscendum Parisios exhibuerit, eique potestatem faciens ut, si velit, itineris comitem sibi unum seligat, 21 Maii.

[2] Ignatii patentes seu *obedientiae* litterae, quibus Patrem Paschasium Broet jubet Ferraria Lutetiam versus proficisci eadem ipsa die, qua litteras accipiat aut saltem sequenti, si infirma valetudine non praepediatur, 24 Maii. Has comitabatur scheda

Digitized by Google

206. Paucos post discessum dies responsum suarum litterarum Dominus Alexander ac D.ª Maria acceperunt, quibus eorum precibus ita cedere P. Ignatius videbatur, ut, si Paschasium vellent retinere, P. Pelletarium Parisios profecturum intelligerent. Itaque cum aegre hoc etiam Patre carituri essent, a Deo factum et juxta ipsius voluntatem sibi persuaserunt quod P. Paschasius jam esset profectus; et ita voluntati P. Ignatii suas libenter submiserunt, cum praesertim eos consolaretur spes adventus P. Baptistae Violae in Patris Paschasii locum. Nec interim post ejus recessum aut confessiones aut communiones imminutae sunt, quamvis labor P. Pelletarii fuit auctus, cum eas confessiones audire deberet, quas P. Paschasius audiebat, nec aut matutinam concionem diebus festis aut pomeridianam relinqueret, et privatas quasdam lectiones graecas et latinas, immo et dialecticam praelegeret; ex quibus laboribus ne succumberet oneri, aliqua parte eum levavit P. Ignatius et alia novus Provincialis P. Jacobus Laynez; et nominatim dialecticae lectio et christianae doctrinae interdicta est [1].

207. Sub medium Junii cum Ferrariam pervenisset Cardinalis Augustanus et a Duce Hercule ac fratre Hippolyto, Cardinali Ferrariensi, hospitio honorifice exceptus esset, in processione Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi duo Cardinales jam dicti, cum Duce et primogenito ejus filio, reverenter per urbem umbraculum* Sanctissimi Sacramenti detulerunt, cum magna populi aedificatione. Postea significavit Cardinalis Augustanus P. Pelletario quod ipsum videre cupiebat; quem, cum adiret, in palatio Ducis, omnibus, qui cum ipso erant, relictis,

---

quaedam (hispanice *hijuela)* Patris Polanco, qua nomine Ignatii Paschasium docebat ideo hanc *secundam obedientiam* ei mitti ut amicorum conatus frangere valeret, qui tamdiu eum Ferrariae haerere et profectionem differre cupiebant, quamdiu litterarum quas Ignatio dederant et daturi adhuc erant responsum non haberetur. Scripsit etiam Ignatius Claramontano Episcopo ei Paschasium commendans, et Joanni Baptistae Viola ut primis mensis Augusti diebus iter Italiam versus arriperet. Tandem, ut mos erat cum de re gravi ageretur, harum omnium litterarum exempla denuo missa sunt et quidem alia via, 28 Maii; itemque Pelletario injunctum ut Paschasium in removendis obstaculis adjuvaret.

[1] Ignatius Mariae Frassonae del Jeso, de Paschasii profectione, 18 Junii. Similes dedit Magistro Alexandro Fiaschi. Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, ut curet Pelletario subvenire, cui, post Paschasii discessum, alio sacerdote Ferrariae opus est: subveniet autem vel Caesarem Helmi ex Veneto Collegio eductum Ferrariensi, donec adveniat Parisiis Viola, commodans, vel Magistrum Philippum ex Florentino, vel denique eidem Pelletario injungens ut lectiones aliquantisper intermittat et piis operibus tantum vacet, 28 Junii. Eadem fere scripta sunt Pelletario.

Digitized by Google

eum more nostrorum amplexus est, et deinde tam multa coepit de Societatis laudibus dicere et de fructibus admirandis, quos ejus opera Dominus in orbe christiano producebat, ac praesertim in Germania, ut videretur finem dicendi non invenire; nec aperto capite esse P. Pelletarium permittebat, dicendo se fratrem esse; et cum intellexisset quomodo res nostrae se habebant Ferrariae, nemine rogante, Ducem se alloqui velle dixit; et optimam ac liberalem eleemosynam ad eos mittens, omnibus modis nostros est consolatus et tepiditatem aliquorum erga nostros suo fervore compensabat. Cum secundo ad eum redirent nostri, ut benedictionem ejus acciperent, de Societate coram multis suo more loqui coepit et se Ducem allocutum esse retulit, et quid de Societate sentiebat dixisse, quamvis eum benevolum invenerat; et, junctis manibus, a nostris petebat ut se Domino commendarent.

208. Paulo post, ne intumescerent, canonicus quidam nomine Episcopi mutinensis de nostrorum vita et moribus ac statu multa coepit investigare; et videbatur cuidam amico Societatis, a quo informatio capiebatur, inde hanc proficisci inquisitionem quod forte nostros ex mediolanensibus illis Patribus vel nescio quod hominum genus suspicarentur. Amicus ille respondit canonico: veni et vide. Quod cum fecisset simul cum alio canonico et rationem scholarum ac instituti nostri vidisset ac expendisset, cum magna aedificatione operam suam et auxilium offerens, recessit. Verisimile est non dubitasse ipsum Episcopum de Societatis instituto, sed ut dubitationem ab animis aliorum removeret, hanc investigationem fieri permisisse, cum ageret tunc de Collegio Mutinam evocando; quod res ipsa ostendisse videtur paulo post. Nam ipsemet Episcopus in Collegium ferrariense venit, et in cubiculum Rectoris se conferens, inde lectores audivit, et regulas scholasticorum et correctoris, et partem nostrarum, avidissime legit; immo et aliquot litterarum exempla, praesertim P. Francisci Borgiae habere voluit, et magnopere eam instituendi juventutis formam, qua utebatur Societas, commendavit, et auctores, quos legebant, probavit. Deinde ad Collegium suum mutinense sermonem transtulit, et quod locus esset exiguus querebatur. Tandem cum aedificatione, ut videbatur, non modica recessit. Hoc autem, quod dixi, mense Julio accidit, cum necdum Collegium Mutinam venisset.

Digitized by Google

209. Erat Dominae Mariae oeconomus quidam domus ejus, nomine Bartholomaeus, vir integritate et in rebus agendis dexteritate non mediocri, qui ad Societatem animum applicaverat; sed quia convenerat cum eadem Domina Maria ac se obligaverat, quamdiu ipsa viveret, ab ejus domo se non recessurum, ne interim obedientiae fructu careret, supplex a P. Ignatio postulavit ut se in Societatem admitteret, quamvis pactis staret, dum Domina Maria vivebat, nostrorum interim commodis in quavis occasione serviturus. Non id negavit P. Ignatius; et ita in festo D. Bartholomaei vota Societati consueta ille emisit, et nihilominus apud eamdem Mariam mansit, quamvis illa multos annos superstes vixit [1].

210. Canonici cathedralis ecclesiae et benevolentiam nostris et beneficentiam exhibebant. Qui etiam in mortis periculo versabantur, nostrorum opera in ea necessitate adjuti sunt; et quaedam domestica mulier Dominae Mariae inter alias eam mortem obiit, quae admirationi magnae fuit et memoria perpetua celebranda P. Pelletario videbatur.

211. Venit sub initium Septembris Ferrariam P. Laynez novus Provincialis et multa in meliorem formam redegit. Ipsi etiam Provinciali visum est nostros bono cum fructu Ferrariae versari. Quarumdam tamen puellarum orphanarum curam aliquam P. Pelletarius gerebat, quamvis alium sacerdotem externum illis ejus hortatu Domina Maria praefecerat; sed adventu P. Laynez effectum est ut omnino ab earum cura se nostri expedirent [2].

212. Venit tandem Ferrariam P. Baptista Violaeus, postquam aliquos dies Parmae substitisset, ubi domum et bona quaedam stabilia habebat, quae omnia Societati ad Collegium aliquod inchoandum obtulit. Deinde superintendens a P. Ignatio Collegii ferrariensis effectus est; immo, cum Florentiam esset progressus P. Provincialis Laynez, Collegii etiam bononiensis, mutinensis, patavini et veneti curam aliquam ipsi commisit. In

---

[1] Polancus, *ex com.*, Joanni Pelletario, posse Bartholomaeum Castaldum in Societatem adscribi, dummodo votum faciat eam tandem ingrediendi cum liber ab impedimentis sit, 13 Augusti.

[2] Polancus, *ex com.*, Joanni Pelletario, ut omnino curet ne quis ad Ignatium scribat de orphanarum cura; non enim id unquam concedet Ignatius, 28 Junii; eidem, ne pueros, qui legere et scribere nesciant, ad scholas admittat, licet eos ad doctrinam christianam addiscendam extra scholae tempus convocare possit, 20 Augusti.

Digitized by Google

confessionibus etiam juvare P. Pelletarium coepit. Tunc autem duo Sacerdotes solum erant, et computatis praeceptoribus, octo vel novem tantum nostri Ferrariae versabantur [1].

213. Auxit auctoritatem Collegii ferrariensis in his, quae ad litteras attinent, studiorum renovatio, quae sub festum Sti. Remigii more parisiensi celebrata est; in qua plurimae orationes habitae, et singulos oratores singuli poetae, carmina pronunciantes, sequebantur; et ita se gesserunt pueri, ut, cum magna nobilium et populi corona septi essent, summae admirationis illis fuerint, et aliqui, qui in gratiam alicujus ludimagistri suos liberos abduxerunt, precibus egerunt ut rursus nostri eos admitterent. Et omnino eorum profectus tunc egregius erat, cum nostri, qui eos susceperunt instituendos, nec talento nec diligentia destituerentur. Cum autem vicina domus, de qua superius actum est, conducta fuisset, omnes scholae in eam traslatae liberius nostris et quietius Collegium suum reliquerunt; nam ad classes per externas portas, quae in viam deducebant, ingrediebantur.

214. In daemonibus quibusdam ab energumenis ejiciendis plurimas horas P. Pelletarius consumpsit et stupenda quaedam illi spectacula exhibebant; sed, cum non admodum labori fructus responderet, constituit P. Pelletarius ab hoc exorcismorum exercitio abstinere. Melius succedebat labor et industria in daemone, qui per peccata in animis multorum regnabat, expellendo. Insignis quidem fuit cujusdam liberatio mulieris, quae tredecim annos in gravissimis peccatis insorduerat et, crebro confitendo leviora, et communicando, gravissima illa reticebat, et reticere usque ad articulum mortis decreverat. Ea sic affecta monasterium quoddam ingressa est, non tamen per ostium; et cum in externis quibusdam defectibus peccasset, et reprehensa non corrigeretur, quae praesidebat monasterio suspicari coepit quod haec aliquid monstri aleret et in peccatis versaretur; sed interrogata omnia constanter negabat. Rogatus est P. Pelletarius ut ad illud monasterium se conferret et eam alloqueretur; quod cum fecisset, quibusdam praesentibus coepit historiam

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, de Joanne Baptista Viola Italiae Commissario constituendo, 15 Octobris; idem Joanni Baptistae Viola, de Collegio Parmae erigendo, et ut *superintendens* Ferrariensis ipse sit, donec gravius ei onus a Patre Laynez imponatur, eadem die.

Digitized by Google

quamdam, quam Parisiis legerat, narrare de quodam, qui Carthusiam ingressus publicam confessionem coram omnibus fecit, inter quos quidam vir sanctus videbat daemonem in scripto quodam illud peccatum statim delere, quod ille confitebatur. Addidit Pelletarius verba quaedam de judicio Christi extremo, cum omnia omnibus manifestanda sunt. Tunc paupercula illa coepit ex intimo corde fluvium lacrymarum emittere, ut etiam alios ad planctum permoveret, deinde narrare omnia sua peccata aggressa est, et cum aliqua graviora dicere vellet, quasi suffocari et lingua ejus ligari videbatur; sed cum ad orandum coram Sanctissimo Sacramento mitteretur, redibat et cum majori adhuc contritione dicebat, et veniam a Deo et ab eis creaturis, quas offenderat, petebat. Petiit ab ea tunc P. Pelletarius quomodo se haberet, quando quae dicere voluit, absolverat. Respondit illa velut turrim quamdam gravissimi ponderis ex ejus corde sublatam sibi videri, et quod quasi tunc nata sibi videbatur. Exhortatus est tandem eam ut suo confessario rursus generalem confessionem totius vitae faceret et diligentius etiam circumstantias consideraret.

Et haec de Ferrariensi Collegio sint dicta.

DE COLLEGIO BONONIENSI

215. Sub finem anni 1551 dictum est ex praescripto P. Ignatii scholas Bononiae institutas fuisse. Commendatum autem fuerat cuidam religioso ordinis minorum ut populo denunciaret hoc sibi onus Societatem Jesu sibi assumpsisse ad honorem Dei, ut juventutem bonis moribus simul et litteris citra personarum discrimen et sine ulla temporalis praemii spe imbueret. Ille autem (frater Joannes Antonius de Buxeto dicebatur) magna dexteritate sed non minori charitate id est exsecutus; et tanta benevolentia nostram Societatem complectebatur, cum fructum spiritualem ex ejus ministeriis provenientem videret, ut dignis laudibus se eam non posse efferre existimaret. Sub initium hujus anni orationem latinam habuit P. Franciscus Palmius in ecclesia S.tae Luciae nostro Collegio conjuncta, ubi de schola instituta, de P. Ignatio, Societatis primo auctore, atque adeo de ipsius Societatis instituto coram Episcopo suffraganeo,

Digitized by Google

Vicario Episcopi, multis etiam aliis doctoribus, et scholasticis, et aliis primoribus civitatis disseruit; quae tantopere omnibus placuit ut vix ad congratulationem ejus descensum ex suggestu exspectarent, et omnem suam operam ad prosequendum incoeptum opus scholarum offerrent. Vicarius etiam, qui non bene in Societatem affectus fuerat aliquando, et suum errorem agnovit et compensaturum se favore ac beneficentia, quae prius aliter ab eo facta fuerant, promisit [1].

216. Non parum ea oratione res novae scholae promotae fuerunt. Fere centum et triginta scholastici convenerunt, quorum multi nobiles ac optimatum bononiensium filii, qui, in tres classes distributi, sic in litteris et bonis moribus proficiebant ut eorum parentes divulgare nostrae Societatis institutum non cessarent; et quod de omnibus benemereri et omnium salutem quaerere omnibus rationibus studerent fama vagari satis prospere coepit. Sexta Februarii Bononiam P. Andreas Galvanellus et magister Fulvius Cardulus pervenerunt; et P. quidam Andreas nostrorum fratrum curam suscepit, quamvis P. Franciscus Palmius, quae ad sustentationem omnium necessaria erant, diligenter curabat [2].

217. Fuit autem scholis praefectus magister Fulvius, qui omnia in meliorem ordinem redegit, et studiorum domesticorum, quod ad fratres nostros attinet, curam etiam gessit, et simul cum magistro Guilielmo Limburgio onus primae scholae suscepturus, praesentibus multis juris ac philosophiae professoribus, sacerdotibus item, religiosis ac scholasticis, orationem ipse habuit, non minus piam quam eruditam, in laudem studiorum, explicans quid in scholis nostra Societas agat, juventutis instituendae curam suscipiens. Nec sine magna plurimorum aedificatione tam de modestia quam de doctrina praestanti illo officio functus est. Curabatur etiam ut aliquid memoriter quotidie pueri discerent; caetera etiam, sc., de sacro quotidie audiendo et menstruis confessionibus et communionibus, qui natu grandiores erant observabant; et ita perversam educatio-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Francisco Palmio, de templo Sanctae Luciae et alio, cujus curam quidam Dominus Pantaleo habebat, neutrum admittendum, dum animarum cura eis sit adnexa, 8 Octobris.

[2] Polancus, *ex com.*, Elpidio Ugoletti, ut Patavium, si melius illic valere speret, se conferat, et Venetiis Bononiam Andream Galvanellum avocet, 9 Januarii.

Digitized by Google

nem multi exuebant. Haec quidem magistro Fulvio, pro zelo quo in id operis ferebatur, non satis erant; sed puerorum parentes, qui magnam in filiis mutationem agnoscebant, pro eorum institutione gratias immortales agebant, et se suaque bona omnia offerendo, grati animi significationem prae se abunde ferebant [1].

218. Quod ad confessionum et communionum fructum attinet, hoc tantum dicam: accedente P. Andrea Galvanello, strenuo ac diligenti operario, poenitentium et communicantium numerum et aegrotantium visitationes atque consolationem aucta esse; et in hospitalibus non tantum aegrotis sed ipsis etiam xenodochiorum procuratoribus et ministris grati et utiles erant.

219. Cum tempore hyemis summa egestate pauperes premerentur, ita ut fame non paucos periisse intelligeretur, misericordia erga eos P. Pranciscus Palmius commotus, ut pauperibus parochiae Divae Luciae, quae late admodum patet, subveniretur, contulit se ad nobiliores et opulentiores ejus parochiae viros, et eos propter Christi amorem obsecravit ut pauperibus ad tantam inopiam redactis subvenirent, quod illi prompte ac libenter praestiterunt et ad menses aliquot pauperibus consuluerunt. Cum etiam in quadam concione pauperes commendasset, ea absoluta, ad eorum miseriam sublevandam aliqui vestes, aliqui pannum, alii telam, alii farinam, permulti panem, caeteri pecuniam attulerunt; sed et quosdam viros ac mulieres, nobiles ac pios, rogarunt nostri ut pauperes aliquando inviserent, consolarentur et eis subvenirent, quod cum charitate magna et consolatione pauperum illi praestiterunt [2].

220. Prolegatus, ac Vicarius, et multi alii ex primoribus monasteria quaedam reformari cupientes, P. Francisco Palmio, ut unum ex eis privatas ad moniales exhortationes habendo, alterum etiam concionando juvaret injungentes, eam provin-

[1] Polancus, *ex com.*, Francisco Palmio, pueros in scholis nostris debere singulis aut alternis diebus aliquid ex christiana doctrina memoriter addiscere, donec aliud pro omnibus Societatis Collegiis statuatur, 27 Februarii. Eidem, ut in scholis die Sabbati mane quidem habeatur repetitio, vespere autem disputatio, licet vespertinarum scholarum tempus brevius sit quam aliis in hebdomada diebus, 12 Martii.

[2] Polancus, *ex com.*, Francisco Palmio, eum laudans quod sublevandis pauperibus tam diligenter incumbat, praesertim cum non ipse per se eleemosynas colligat et distribuat, sed alios ad id moveat eosque in tanto pietatis opere dirigat, 28 Junii.

Digitized by Google

ciam delegarunt; et in utraque functione cum non poenitenda aedificatione monialium, immo et civitatis, versatus est; et tam in monasteriis quam in populo observari poterat quod brevi tempore a pristinis moribus et consuetudine prava homines recesserint. Nonnulli etiam adolescentes, peractis exercitiis spiritualibus, ad diversas religiones, quod minus apti ad Societatis nostrae institutum viderentur, accesserunt; aliquae etiam virgines monialium monasteria ingressae sunt, aliae brevi ingressum parabant.

221. In quodam extra civitatem loco multos mendicos civitas congregaverat, qui ibidem ex eleemosynis alebantur. Cum autem quidam ex civibus primariis ad id deputatis obnixe P. Franciscum Palmium rogarent ut pauperes illos pro concione populo commendaret, id facile et non sine fructu obtinuerunt. Postularunt etiam ut ad eos ire aliquando non gravaretur, et ad pie christianeque vivendum hortaretur. Diebus itaque festis eo se conferebat, et bis terve in hebdomada eisdem concionabatur, et cum P. Andrea eorum confessiones audire et eisdem pauperibus sacramentum Eucharistiae communicare coepit; et cum paucissimi inter eos invenirentur, qui dominicam orationem, angelicam salutationem et symbolum apostolicum, ut decet, tenerent, sedulo ut haec addiscerent curaverunt, et etiam ne otio torperent, ut ibi in aliquo opere exercerentur operam dederunt. In ipso die carnisprivii plusquam quadraginta utriusque sexus ad confessionem et communionem devote accesserunt.

222. Sed inter multa, quae ad aedificationem fiebant, aliquid hoc anno Bononiae accidit, quod diabolus ad infamiam nostrorum, ut mendax et mendacii pater, convertere voluit. Quidam sacerdos, qui parocho templi Sanctae Luciae in illa parochiae cura suam operam locaverat, in quodam facinore deprehensus et in carcerem conjectus cum esset (Aloysio illi nomen erat), vox in vulgus spargi coepit quod nostri, qui in templo Divae Luciae Societatis ministeria exercere solebant, facinus illud perpetrassent; quae res non levem infamiae notam inurebat. Cum autem in publicum prodiret pro more suo P. Franciscus Palmius, quidam admirabantur, quia captum eum intellexerant; quidam interrogabant quomodo se res illa habuisset; alii, cum ad nostros id non pertinere intelligerent, congratulabantur, nec

Digitized by Google

id solum, sed alios etiam, qui infamiam hanc spargebant, adibant et veritatem eis objiciebant et ad famae restitutionem stimulabant. Eo experimento edocta fuit Societas quod non ad aedificationem pertineat idem templum cum saecularibus commune habere, ne ab aliis quae perperam geruntur, nostris adscribantur. Hunc tamen falsum sed perniciosum rumorem facile veritas ipsa prostravit et extinxit.

223. Adhibitus est etiam corrector scholis, quod ubique P. Ignatius, quoad ejus fieri poterat, nostris in scholis curabat. Quia etiam aliquos Romam venientes, cum sibi utiles fore conjectabant, penes se retinebant, de quibusdam etiam admittendis in Societatem parum exactas informationes Romam mittebant, injunxit P. Ignatius, ne quem hujusmodi sine facultate accepta retinerent et ut eorum, qui admitti volunt, dotes diligenter describerent, capita etiam, de quibus informatio scribenda erat, transmissa sunt.

224. P. Andreas ut muneri suo diligentius satisfaceret, quotidie per horam unam concionem ad fratres nostros privatam habebat, diebus autem festis per duas horas. Quamvis autem ejus labor moribus quorumdam non parum contulisset, quia studiis impedimentum adferebat et res erat in Societate insolita, praescribente id P. Ignatio, ad eam moderationem res est reducta ut semel singulis hebdomadis hanc exhortationem haberet [1].

225. Crebro nostri Prolegatum vel negotiorum vel officii causa adibant, qui memorem esse se promissionis, quam aliquando fecerat de Collegio Societatis applicando ostendebat. Nam fundatio illa familiae Saulorum jam inchoata fuerat ad Carignanum (sic vocant situm quemdam, bonum quidem sed a frequentia civium remotum), non tamen eo consilio ut Collegium Societatis institueretur; sed Archiepiscopus Genuensis, qui Prolegatus erat Bononiae, cum auctoritatem ea in familia, ut senex et Archiepiscopus, haberet, opus illud in Societatis Collegium convertere cogitabat.

226. Confessionum fructus non poenitendi percipiebantur; inter quos aliqua restitutio magni momenti fuit et aliquae concordiae inter dissidentes initae. Cum autem paulo post alio mis-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Andreae Galvanello, ne quid novi inducat nconsulto Francisco Palmio et aliis, 11 Junii.

Digitized by Google

sus esset P. Andreas Galvanellus, et solus P. Franciscus Palmius sacerdos relictus esset, quamvis et rector et concionator erat, multis tamen confessionibus vacabat, adeo ut vix tempus ad cibum capiendum ei relinqueretur. In festis natalitiis ad sexcentos pervenerunt qui Sanctissimo Christi Corpori communicarunt; nec tamen ab ipso P. Francisco concio relicta est, et forte efficacior eo tempore fuit ad multorum corda commovenda quam prius fuerit, cum minoribus occupationibus premeretur. Aliquem tamen sacerdotem ad se mitti, qui suppetias ei ferret, et ipse et amici ac devoti merito postulabant; cui responsum fuit a P. Ignatio ut ad Provincialem scriberet et ipsemet aliquem sacerdotem ad Societatis institutum Christo acquirere studeret; nam eo tempore qui ad inchoanda Collegia mittebantur, velut semina quaedam esse et adniti ad sui conservationem et propagationem debere intelligebatur; et sic P. Franciscus Palmius se sollicitum fore de aliquo socio acquirendo respondit. Hebraeus quidam opera nostrorum adjutus et instructus baptismum recepit [1].

227. In monasterio, cujus reformationem Prolegatus Patri Francisco commiserat, quod ipsius legationi subditus esset, non parum curae et diligentiae ille impendit, bonum illi confessarium prospexit, confitendi et communicandi frequenter, et alia peragendi, quae pietatem promovere poterant, ordinem praescripsit.

228. Sub autumnum magister Fulvius Cardulus, qui quamdiu Bononiae fuit, perutiliter scholis bononiensibus praefuit, Romam a P. Ignatio est evocatus, ubi magister Joachimus, juvenis pietate et eruditione, linguarum praesertim, insignis, in gravissimum morbum inciderat, quo paulatim consumptus est. Et quia suscepta fuerat Collegii Germanici provincia et alioqui Collegium nostrum Romanum bene instructum praeceptoribus esse oportebat, cum Romae in oculis orbis scholas aperuisset et ut seminarium quoddam ad praeceptores in alia Collegia mittendos institueretur, cum haec, inquam, ita se haberent, non mirum est si et Venetiis P. Andream Frusium et Bononia magistrum Fulvium evocaverit. Vix enim eo tempore alii, qui pari talento praediti essent, ad scholas romanas adhiberi poterant.

[1] Ignatius Dominae Margaritae Fantuzzi del Giglio, quae unum alterumve sacerdotem in Collegium Bononiense mitti postulaverat, 24 Decembris.

Digitized by Google

Sed sensit bononiensis schola detrimentum ex magistri Fulvii recessu; cum praesertim magister Guilielmus Limburgus, qui primae classi praeerat, nec propter valetudinem adversam officio suo recte fungi posset, nec ejus pronunciatio, ut aliorum ultramontanorum, italis pueris aut adolescentibus grata esset. Nihilominus bono animo, qui praeficiebantur scholis, officio suo fungebantur; id tamen observari poterat quod fructus vel augebatur vel minuebatur prout magis vel minus idonei praeceptores praeficiebantur, et sic italus aliquis loco magistri Fulvii merito postulabatur [1].

229. Sub initium Septembris P. Franciscus Palmius, qui prius perfectae Societatis obedientiae non se tradiderat, quamvis omni studio res ipsius promovebat, adjutus consilio P. Provincialis Laynez, cum Bononia Florentiam is transiret, magno cum animo et resignatione se obedientiae Societatis consecravit; et sic P. Ignatius ejus oblationem admisit, sicque ejus virtuti confidit, quae semper in eo magna eluxit, ut Rectorem Collegii bononiensis eum fecerit; et quamvis ille paratum se obtulerit ut quocumque vellet obedientia eum transmitteret, non tamen Bononia removendus esse visus est.

230. Quod ad temporalem attinet Collegii sustentationem, quam ex amicis ille accipiebat, quidam bonus sacerdos, qui ducentos aureos decedens Collegio legavit hoc anno, commoditatem opportune auxit [2].

231. Cum Bononia transiret Collegium Mutinam missum et ibidem tunc esset P. Andreas Frusius, Venetiis Romam veniens, simul cum illis Prolegatum adierunt. Solebat enim hoc injungere P. Ignatius ut Collegia hujusmodi, quae mittebantur, omnibus simul congregatis et decenter indutis, Praelatos Societati benevolos inviserent, aliquos praesertim, qui hoc officio excitandi ad res Societatis fovendas videbantur. Itaque Prolegatus hic conspectu hujus novi Collegii non solum consolationem accepit sed suam tarditatem in Collegio Genuensi erigendo accu-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Francisco Palmio, de Collegio romano, ejusque scholis, utilitate et hominum, quam experitur, penuria; ut ad id venire patiatur Fulvium Cardulum, 27 Augusti; eidem ne cunctetur Fulvium Cardulum Romam dimittere, 10 Septembris.

[2] Polancus, *ex com.*, Francisco Palmio ut accurate Ignatio scribat quomodo procedat negotium fundationis Bononiensis Collegii, cui promovendo plura Romae ab Ignatio aguntur, 6 Februarii.

Digitized by Google

sabat. Cum autem P. Emmanuelem, qui in Corsicam mittebatur, alloqueretur, et instructionem ipsi simul cum P. Sylvestro datam vidisset, eam magnopere probavit et ejus exemplum Mutina ad se mitti voluit.

232. Multa praeterea ad Dei honorem et animarum utilitatem Bononiae gesta sunt; et quidam, qui diu in peccatis vixerant sub daemonis servitute, in libertatem filiorum Dei per Sacramentum confessionis vindicati sunt. Inter alios meretrix quaedam fuit, quae ad vitam modestam et honestam et piam, Deo juvante, traducta est. Aliqui, qui per fraudem vel usuram vel alia ratione aliena bona penes se retinebant, non solum de praeteritis doluerunt, sed magnam pecuniae vim restituerunt. Inter aliquos etiam pax reconciliata est. Juvenis quidam rhegiensis, judaeus et dives, qui, relictis parentibus et amicis, Bononiam venerat et Vicario se sistens baptismum petierat, statim nostris traditus et bene institutus ad baptismum magna cum solemnitate celebratum deductus, et tanta cum devotione sancti baptismi Sacramentum accepit, cum alioqui et civilis et honesto admodum esset adspectu, ut populum, quo plena erat ecclesia, ad lacrymas commoveret, et quidam in facie ipsius splendor et gratia admiranda videbatur; et cum eum deduceret Rector ad vicinum quoddam oppidum, ubi habitabat, cui a Sancto Joanne nomen est, populo concurrente ad ecclesiam deductus est, et Rector ad concionandum invitatus, id aliquoties praestitit, et multi ad meliorem vitae rationem instituendam commoti fuerunt; inter quos tres sacerdotes, quorum exemplum aliis prius nocebat, ad vitam religiosis dignam habendam traducti sunt. Pacem etiam ibi a multis frustra tentatam, Deo propitio, composuit et cum plusquam quadraginta confessiones audisset magno cum fructu, Bononiam rediit; ubi etiam in custodiis publicis et virginum monasteriis per confessionem et spiritualia exercitia ad reformationem juvandis egregiam navavit operam.

Et haec de bononiensi Collegio.

DE COLLEGIO FLORENTINO

233. Sub finem anni praecedentis, ut jam dictum est, Collegium florentinum in conductitia domo inchoatum est; nec exi-

Digitized by Google

gua incommoda initio nostri, laeto tamen animo, ferebant; cum enim coadjutores non haberent, unusquisque coqui officium, muneris loco, sibi dari precibus contendebat. P. ipse Ludovicus a Coudreto, Rector, inter paucos socios Collegiales omnia domestica officia partitus est, et ipsemet et mensis serviebat et janitoris atque aliis officiis se exercebat. Interim magnam de nostris existimationem florentini conceperant, et cum eo tempore haeretici quidam in carcerem conjecti essent, et quidem suspectus concionator summi templi a praedicatione prohibitus fuisset, et alius ordinis Sancti Dominici, vir optimus et nostris perfamiliaris substitutus esset, nostros hujusmodi rerum auctores fama circumferebat [1].

234. Quatuor vel quinque in Societatem admitti statim petebant, ex quibus unus tantum missus ad probationem Romam; alii non admissi [2].

235. Post Epiphaniam P. Ludovicus latinam habuit orationem, ad quam audiendam plurimi et ex nobilioribus convenerunt. Agebat illa de Societatis nostrae et Collegiorum instituto, quae magna cum attentione et, ut videbatur, satisfactione audita fuit. Postridie lectiones aggresi sunt tribus in scholis, et scholasticorum numerus in dies augebatur; et quia pueri ingeniosi et ad pietatem propensi erant, bene nostri de profectu tam doctrinae quam morum sperare coeperunt; et utrumque diligenter praeceptores curabant; et praeter consuetudinem singulis mensibus confitendi curabant quod bis singulis diebus aliquam christianae doctrinae partem recitarent, quo illa memoriae firmius haereret [3].

236. P. Ludovicus praeterea cuidam equiti [4] florentino spiritualia exercitia proposuit, qui cum in eis donum lacrymarum et magnum spiritus profectum esset consecutus, et in alium

---

[1] Polancus, *ex com.*, Ludovico de Coudreto, ejus animum erigens, eique promittens sacerdotem, qui eum in concionando, etc., adjuvet; ut Paschasium Provincialem in singulis adeat; quod si Romam scribet, litteras non Polanco sed Ignatio det, 9 Januarii. Idem Christophorum Laynez reprehendit quod ad Ignatium non scribat, eadem die; idem Ludovico de Coudreto, ne nostros sine discrimine omnes cum externis colloquia miscere sinat, praesertim juniores; et ut officium coqui per vices ipsi subeant, donec per Patrem Provincialem Paschasium sit provisum, aut aliquem ipsi pretio conducant, qui de Societate non sit, 30 Januarii.

[2] Polancus, *ex com.*, Ludovico de Coudreto, de admittendis, 27 Februarii.

[3] Polancus, *ex com.*, Ludovico de Coudreto, de magistro Ayllon, de lectionibus, praesertim doctrinae christianae, 20 Februarii.

[4] Hispanice *caballero*, quod respondet saepius italico *gentiluomo*.

Digitized by Google

hominem sibi mutatus videretur, coepit Cardinalem Farnesium, cui familiaris erat ad eadem exercitia spiritualia hortari. Cum etiam civis quidam rebus adversis tam oppressus esset, ut videretur molestiarum magnitudini succumbere, P. Ludovici colloquiis et equitis jam dicti non mediocriter sublevatus fuit; et cum ab eodem ad exercitia spiritualia excitatus esset et eorum quaedam principia degustasset, quasi ex turbulentissima tempestate in tranquillum portum sibi adductus videbatur. Scripsit idem eques ad Ducissam, cui familiaris erat, beatam ipsam esse quod nostros penes se haberet; postmodum vir hic et ipsi Duci pro concionatore fuit; cum enim ille ad conciones raro accederet, ea suggerebat, quibus meliora concionatores vix suggerere potuissent.

237. Confessiones P. Philippus etiam eo tempore quo, imminente quadragesima, insanire quodammodo homines videntur, plurimorum audivit et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ministravit. Inter eos qui ex peccatis emerserunt, mulier quedam fuit, quae totos viginti quinque annos sine sacramento confessionis in publicis peccatis demersa fuerat. Tota autem domus hospitis nostri, magistri Joannis, tam parentes quam filii ac famuli, etiam cum lacrymis confessiones frequentabat. Cum autem ad xenodochia et custodias publicas pro nostro more se conferrent, non solum afflictos consolati sunt, sed ad confessiones etiam hortati; unde accidit ut nonnulli, qui permultos annos confessiones intermiserant, confiterentur; idque tam libenter praestabant ut etiam nostros ad se redire rogarent, quod eorum consuetudine refici se ac recreari in Domino sentirent.

238. Ad oppidum Florentiae vicinum, quod Pratum vocant, P. Ludovicus cum duobus fratribus deductus est et templum ingressus; statim magna multitudo ad eos concurrere coepit, ut confessiones eorum audirent, adeo ut fratrum nondum Sacerdotum ante pedes aliqui se prosternerent, et ad confessiones, quas non poterant, audiendas cogere quodammodo eos viderentur. Cujus rei causam bonum Societatis odorem fuisse non dubito. Quidam ibi juvenis in extremis laborabat; nec tamen de confessione cogitabat; adduxit autem eum P. Ludovicus ad confessionem, quam statim fecit et se ad profectionem in patriam praeparavit. Hoc officio nostri saepius fungi debebant ut, scilicet, eis adessent aegrotis, de quorum salute desperabatur; unde et

Digitized by Google

vigilabant, et pro virili parte ad bene moriendum juvabant, et contra daemonis impetus armabant; et ita eorum opera plures a Domino adjuti, ex hac vita placide constanterque recesserunt.

239. Ut autem plures nostrorum opera in confessionibus uti possent, canonicorum suffragio facultas nostris confessiones audiendi in summo templo data est; nostri enim propriam ecclesiam non habebant; et ea loci commoditas in cathedrali frequentiores poenitentes ad eos adducebat. Mulieres pleraeque nobiles generali confessione vitae anteactae maculas delere apud nostros voluerunt; aliae crebro ad Sanctissimum Sacramentum Eucharistiae accedebant, et admirando ardore charitatis flagrare in functionibus pietatis cernebantur. Satis vero, in initio praesertim, novum videbatur, cum nostri nec post confessiones auditas nec post Missas in aliorum gratiam celebratas praemii quidquam aut eleemosynae exspectare immo nec admittere cernerentur.

240. Ante quadragesimam cujusdam monasterii religiosae litteris P. Ludovico missis rogaverunt et impetraverunt ut aliquis nostrorum diebus dominicis ac festis quadragesimae apud ipsas concionaretur. Tantumdem accidit alteri monasterio et Societati Sancti Angeli; nam uterque pius locus concionatores obtinuit; et quamvis alia monasteria id peterent, solis his tribus concessum est, ne cum studiorum jactura eis satisfaciendum esset. Indicae litterae et hic et Florentiae etiam cum magna aedificatione per manus tam religiosorum quam saecularium personarum circumferebantur.

241. Inter aegrotantes quidam erat, qui fractus prolixitate morbi, cum quo triennium conflictatus erat, sic coeperat de divina misericordia diffidere ut jam quodammodo nigra inferni caligine ac tenebris involvi et opprimi sibi videretur, et more humano inverso, desperabundus noctes vigil traducebat, diem clausis cubiculi fenestris, quas aperiri non patiebatur, dormitabat, et semel jam multa nocte cibum tenuem capiebat; nec hanc rationem admonitus ab illis religiosis mutare voluit. Hunc P. Philippus, belga, invisere et animare et in spem divinae bonitatis erigere tam diligenter curavit ut ad confessionem peccatorum ipsum pellexerit, quo facto, jam ut fenestram aperiret, et horis convenientibus cibum caperet, caeteraque animae et cor-

Digitized by Google

pori convenientia faceret, eum adduxit; itaque paucis diebus et animi et corporis valetudinem est consecutus; et res tam difficilis et nova miraculi loco habita fuit.

242. Alius praeterea tam iniquo animo aegritudinem longam ferebat ut tam is quam ejus uxor animum despondisset, et in blasphemiam res erumpebat, quasi afficeretur incommodis a Deo, a quo bene merita esset. Huic mulieri et marito simul P. Ludovicus multum consolationis attulit, dum propter Christum aequo animo ferenda hujusmodi amanter ostendit, qui propter ipsius salutem tam multa usque ad mortem crucis passus est; et ita aegrotus novas vires collegit ut ipsa infirmitas et dolor corporis in robur animi redundare videretur. Is paulatim ad communionis et confessionis sacramenta crebro percipienda adductus est: quod cum uxor etiam faceret, ad vitae perfectionem magno gradu contendebat.

243. Vicarius Archiepiscopi, sacrarum Deo foeminarum saluti consultum cupiens, obtinuit a P. Alphonso Salmeron, qui jam Florentiam venerat, ut aliqui ex nostris verbum Dei apud illas praedicaret; quod cum fructu, ut in Domino speratur, praestiterunt. Ipse autem P. Salmeron multum auxit et existimationem Collegii et aedificationem, qui praeclaris concionibus ac lectionibus mirum in modum eam civitatem refecit ac recreavit in Domino; et quamvis aestus satis essent molesti, tanta multitudo ad eum audiendum conveniebat ut pauciores in quadragesima convenire solitos diceretur; et in ea multitudine aliqui esse tam alieni a pietate fuisse prius dicebantur ut eos in templo numquam visos antea fuisse aliqui affirmarent. Attentio vero summa erat, adeo ut in ingenti illo templo cathedrali nullus strepitus, nullus excreatus audiretur; sed vultu et oculis in eum intenti pendere, ut ajunt, ab ejus ore videbantur. Aderant saepe quidam Episcopi, canonici et aulici Ducis, unde optimus odor Societatis longe et late diffusus est. Petebant aliqui ut lectiones, quas enarraverat, typis excusas ad commune bonum evulgaret [1].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Ludovico de Coudreto, ut inspiciat ipse qui ad concionandum sint apti et loca assignet ubi concionandum sit, neminemque suggestum ascendere, juniores praesertim, permittat, quin prius ipse quod dicturus ille pro concione est, recognoscat et approbet, 30 Januarii; Polancus, *ex com.*, Patri Laynez licere ei Salmeron suo loco et nomine Florentiam mittere; quod si eum mittat, litteras ei det ad Duces commendatitias, 14 Maii.

Digitized by Google

244. Verum quo gratior ille fuit et fructuosior, eo molestius ejus discessum Perusiam et Romam versus Florentini sensissent, si P. Jacobus Laynez Provincialis, optatissimus ab omnibus, Florentiam non venisset, cujus adventus Ducibus et urbi, non solum nostris, consolationis multum attulit. Is lectionem a P. Alphonso Salmerone coeptam sic prosecutus est, ut spiritum ac sapientiam et efficaciam merito admirantes dicerent auditores a quadraginta annis concionatorem nullum Florentiae visum esse quem cum his Patribus Societatis compararent. Et fructus non dissimilis huic hominum satisfactioni exspectabatur. Magnum etiam lumen rebus Collegii debiliter inchoatis attulere [1].

245. Nostrae scholae post adventum P. Laynez non parum profecerunt. Cum enim in summo templo sub medium Novembris promulgasset inter concionandum quod sequenti die in Collegio nostro pro studiorum renovatione tres habendae essent orationes, inde occasione arrepta, multis et appositis verbis rationem, qua nos utimur in instituenda juventute declaravit, quantique referat ut juvenilis aetas ad quemcumque habitum sequax bene formetur. Die autem constituto, tres ex nostris praeceptoribus suas orationes habuerunt, prima de virtutis, secunda de romanae linguae laudibus agebat, tertia utrumque conjungendum docebat. Sic autem auditoribus placuerunt ut dignas eas frequentissimo florentinorum conventu censerent. Coepit eo tempore P. Ludovicus Isocratis paraenesim interpretari et diebus dominicis graecum Evangelium Sancti Lucae exponebat. In reliquis ordo jam alibi dictus tenebatur. Augebatur porro scholasticorum numerus et nobiles non pauci accedere inter alios coeperunt; et in litteris ac pietate ut progressus pares facerent curabatur. Addebat P. Laynez octavo quoque die exhortationem ad scholasticos et saluberrimis praeceptis ad veram sapientiam eos instruebat. Aliqui ex his ad Societatem animum adjiciebant, unus autem eorum Romam se contulit ut in Societatem admitteretur, qui inter scholasticos, qui nostris dabant operam, ingenium ad litteras et pietatem valde appositum ostenderat. Cum autem commendatitias litteras ei dare P. Lay-

---

[1] **Polancus, *ex com.,* Patri Laynez, de modo, quem in visitandis ex officio domibus tenet, et de admittendis et rejiciendis, et ne Ferrariam Florentia eat, sed potius Genuam aut Perusium, 1 Octobris.**

Digitized by Google

nez differret, desiderio Societatis accensus etiam sine litteris se Romam profecturum affirmabat. Ad nostros etiam privatam semel in hebdomada concionem P. Laynez habebat de rebus, quae ad nostram vocationem pertinebant [1].

246. Nondum nostri certum locum Florentiae habebant, et de templo quodam D. Michaëlis, quod in ipso civitatis umbilico situm erat, Collegio assignando agebatur; et Ducis favor nullo modo ad ea defuit; sed cum ad muniendam urbem monasterium ordinis S.ti Benedicti Divo Miniato sacrum, utilitatis communis gratia, in arcem convertendum esset, monachi inde discedentes D. Michaëlis locum praeoccuparunt, quod satis moleste cives eo loco vicini tulerunt; qui, si res integra fuisset, se ad Ducem ituros affirmabant; et aliqui eorum se indignos fuisse hoc munere Dei, ut nostros vicinos haberent, pro sua modestia profitebantur. Non deerant eleemosynae a compluribus subministratae, quibus nostrorum tenuitas sublevaretur; et praeter domum magistri Joannis de Rosis, hospitis antiqui, D.a Maria de Gondi peculiari et constanti affectu matrem se Collegio Florentino exhibuit; Ducissa ducentos aureos, ut promiserat, et aliquid amplius largiebatur; sed Collegium majori subsidio indigebat [2].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Ludovico de Coudreto, ut in scholis ordinandis Collegii Romani regulas modumque adhibeant; si quid autem novi expedire ipsis videatur, nihil, Ignatio inconsulto, statuant, 23 Januarii; idem Patri Laynez, mittit Collegii Romani regulas, ut eas in Collegio Florentino servandas, quoad fieri possit, curet, 30 Julii; eidem, ut renovationem studiorum promulgari per urbem faciant, ne tamen schedas angulis viarum affigant, 27 Augusti.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Ludovico de Coudreto, ne importunus Ducissae sit, neve publice emendicet, sed aut mutuo, quod opus sit, accipiat, aut Romam ad Ignatium scribat, 9 et 23 Januarii; Ignatius Joanni de Rosis, officiose et se fauturum Florentino Collegio promittens, eadem die. Idem Ludovico de Coudreto, ut Dominum Ludovicum de Toledo, aliumve similem florentinum civem, protectorem Collegii constituant, et omnino curent ut suum quisque lectum habeat separatum, et ut modeste cauteque se gerant circa negotium templi Sancti Michaëlis nec adversus fratres Sancti Benedicti obloquantur, 23 Januarii. Eidem Polancus, *ex com.*, ut a Domino Ludovico de Toledo procuratores Collegii constituendos curet Ludovicum de Polanco et Joannem de Rosis, 27 Februarii; eidem, ut cum hospites plures Florentiam advenient, eos cum Joanne de Rosis partiatur, 26 Martii; eidem, ne suam spem omnem in subsidiis ad eorum penuriam sublevandam Roma mittendis ponat; non enim abundat pecunia Ignatius; sed ad Ducissam confugiant aut, si necesse foret, publice emendicent, 2 Aprilis et 11 Junii.—Ea fuit iis initiis Florentini Collegii penuria ut fratrem suum Ludovicum rogaret Polancus litteris ad eum 28 Junii datis ut quae ad nostros uno mense sustentandos necessaria forent, ipse eis aut in eleemosynam aut mutuo saltem daret, et seipsum vadem pro eis obtulit. Annuit vero fratris precibus Ludovicus et saepius Collegii extremam inopiam sublevavit, ut patet ex ipsius et fratris Joannis de Polanco et Salmeronis et aliorum litteris, mense Julio et sequentibus datis.—Polancus, *ex com.*, Alphonso Salmeroni, ne ecclesiam, cui adnexa sit animarum cura, accipiant, nisi *ad tempus*, sc., cum promissione eam curam, quantocius fieri possit, alio transferendi, 20 Augusti.

Digitized by Google

247. In Adventu Domini conciones habuit magna cum frequentia et summa consolatione auditorum P. Laynez et hoc in cathedrali ecclesia. Rogatus etiam tam utilem concionem in quodam monialium monasterio habuit, ut illae manifestos fructus animi reformati ediderint. Filii natu majores Ducis signum propensi animi sui erga Collegium dederunt, cum in gratiam P. Jacobi Laynez, ut creditur, ad Collegium venerunt. Duae oratiunculae coram eis habitae sunt, altera christianum principem ad veram felicitatem instituebat, altera veri Episcopi laudes prosequebatur; nam ex illis alter Dux futurus, alter Episcopus credebatur; et inter utramque orationem graecae et latinae disputationes puerorum intercesserunt, et in doctrinam christianam interrogationes, et carmina ad rem accommodata; et omnia bene admodum habuerunt, et visenda fuit quorumdam puerorum actio et pronunciatio pervenusta. Dicebat quidam Episcopus, qui hos principes comitabatur, pares horas, quibus his litterariis exercitationibus interfuerat, se nunquam melius collocasse. Alia non pauca pietatis opera, quia jam dictis similia, non hic repetuntur [1].

DE TYBURTINO COLLEGIO

248. Collegiolum Tyburtinum fere totum renovatum fuit, et Superior constitutus P. Desiderius Lotharingius. Nondum propriam intra urbem habitationem nostri habebant; et quidem Tyburtina civitas facile nostris locum conduxisset, cum magnopere optaret ut dimissa schola resumeretur; non tamen expedire videbatur ut hoc beneficium a civitate exciperetur, ne jus sibi in scholas nostras vindicaret. Demum fere medio mense Martio schola rursus aperta est, sed etiam tunc aliquis ex nostris in inferiori ecclesia S.tae Mariae del Passo adhuc manebat. Multis officiis bonus P. Desiderius in initio fungebatur; nam

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, Ignatium in eo esse ut non multiplicentur collegiola, sed potius ut jam admissa rebus, reditibus et hominibus melius in dies instruantur, 20 Augusti; idem Ludovico de Coudreto, ut curam habeat valetudinis Patris Laynez, eumque a studendo, legendo, confessiones audiendo, etc., si necesse sit, impediat, 8 Octobris; idem Patri Laynez, de ejus concionibus, ut valetudinis prius et praecipue recuperandae sit sollicitus, et si alio extra Florentiam concionaturus ire velit, Genuam eat, 15 Octobris.

Digitized by Google

praeterquam quod multas horas scholae mane et post meridiem impendebat, postea coqui officium ipsemet exercebat, nec propterea vel Missam singulis diebus vel conciones diebus dominicis et festis omittebat. Habitabat autem prope locum eumdem, in quo postea firmam habitationem habuit Societas. Auxilium tamen a P. Ignatio missum est, ut onus suum levius P. Desiderius ferret [1].

249. Facessebat ei negotium puerorum elatio, qui se puniri, licet peccarent, nolebant, et aliqui ab eo castigati ad scholas non redibant. Postquam etiam mensis Majus advenerat, incerti admodum erant auditores grandiores, cum ad inserviendum parentibus ad agros aut vineas ituri essent; et hoc non parum patientiam praeceptoris exercebat. Praeter litteras eos christianam doctrinam docebat et, ut poterat, de illis benemereri non desinebat. Volebat autem P. Ignatius ut ad se scriberet Rector quot confessiones singulis hebdomadis audiebat, et sic bonum Patrem de hoc pio ministerio sollicitum reddebat; quamvis tribus aut quatuor ordinibus scholasticorum, qui ad nonaginta ascendebant, solus ipse praeesset [2].

250. Ad aliquos a daemone obsessos interdum vocabatur, sed alio remedio non utebatur quam oratione et sacrificio Missae, et, cum per intervalla ad sensum integrum redibant, confessionem eorum audiebat; alicui etiam evangelium cum *Agnus Dei* collo appendit.

251. Rediens ex Alvito P. Ignatius Tybur invisit, et cum expeteretur aliquis, qui in Adventu concionaretur, ac nominatim P. Doctor Olavius, qui Septembri proxime elapso Romam ut novitius venerat, Tybur eum misit, quamvis suas praedicationes et exhortationes P. Desiderius non reliquerit. Et licet italicam linguam P. Olavius non bene didicisset, concionari tamen apud Tyburtinos coepit in templo D. Thomae, ubi et Missam celebrabat; et cum a prandio magistratum, quem caput militiae vocant, salutasset, cum quo multi ex pri-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Desiderio, Tyburim, de aperiendis denuo scholis, 12 Martii.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Desiderio, circa puerorum in scholis nostris punitionem triplicem hanc regulam ab Ignatio statutam: 1.am ubi ad eos coërcendos verba sufficiant, non esse aliud punitionis genus adhibendum; 2.am secus agendum cum iis, quos verba, dedecus, etc., non moveant; 3.am hos, si puniri prout ipsis opus est eorum parentes nolint, non esse in scholis retinendos, 14 Maii.

Digitized by Google

moribus Tyburtinis in foro erant, omnes amanter admodum eum exceperunt, et gratias egerunt P. Ignatio, quod eum Tybur misisset, rogaruntque ut in templo Sancti Laurentii, quod cathedrale est ipsis, concionaretur. Obtendebat ipse linguae italicae imperitiam; sed cum excusationem non admitterent, id quod petebant praestitit; et, quamvis non vere italicum, expeditum tamen sermonem cum haberet, non potuit ejus doctrina non placere et satisfacere. Nec tamen desiit apud S. Thomam, ut coeperat, concionari. Probabat autem magnopere laborem et industriam P. Desiderii, qui certe boni et strenui servi Dei officio functus est.

252. Ex eleemosynis panis, vinum et oleum pro paucis abunde accipiebat; caetera aliunde quaerenda erant. Talia Collegia, spe fructus et fundationis futurae, P. Ignatius eo tempore non recusabat.

DE COLLEGIO NEAPOLITANO

253. Quamvis hoc Collegium sub finem praecedentis anni sit inchoatum, scholae tamen initio hujus anni apertae fuerunt. Quidam autem ex magistris, nomine Nicolaus, orationem, qua consilium Societatis nostrae ex scholis exponeret, praemisit; sed et magister Theodorus Peltanus declamationem in laudem linguarum habuit, et cum praeter latinam graeca et hebraica satis ex ejus ore luculenter flueret, multis mirum in modum placuit. Ipso in initio quatuor classes constituerunt, sed quintam etiam, quae graecae et hebraicae linguae lectiones profiteretur, addiderunt; nec segniter scholasticae disputationes, declamationes, et hujusmodi exercitationes adhiberi coeperunt, et minus humiliter quam aliis in locis studia inchoata, non propterea in posterum cursum magis prosperum tenuerunt. Quinque igitur praeceptores jam ab initio tercentos fere scholasticos docere coeperunt, quorum numerus in dies incrementum sumebat, nec fructus exiguus ex eis percipiebatur, dum juventus illa, satis vaga, dum ad menstruas confessiones et ad alia pietatis exercitia adducitur, in bonis moribus non minus quam in doctrina proficiebat, et multi ex eis singulis hebdomadis cum nostris post confessionem communicabant; et tanta

Digitized by Google

dilectione accensi ad res spirituales erant ut aegre a Collegio nostro avelli possent, nisi serio hora discessus urgerentur. Et, si nostri permisissent, ad actus humilitatis et abnegationis, cujusmodi sunt pedes osculari et publice suam culpam fateri, et alia hujusmodi, prompti erant, quamvis non eis permitterentur nedum exigerentur. Coeperunt et declamationes a scholasticis publice haberi more romano et omnino satis feliciter scholae procedebant; sed aestate accedente, partim ob nimium aestum, partim ob regni neapolitani tumultus, partim alias ob causas rarior esse coepit numerus quam primis mensibus fuerat. Tamen qui perseverabant, quod numero decesserat, profectu satis supplebant, cum eorum plurimi singulis hebdomadis et in celebrioribus solemnitatibus ad sacramenta confessionis et communionis accedebant [1].

254. Non pauci ex eis, perfectioris vitae institutum sectantes, in religionibus se Deo consecrarunt, et plerique, ad nostram Societatem adspirantes, donec admitterentur exspectabant. In litteris etiam quantum profecissent, vel ex hoc patuit quod quidam succo litterarum leviter illiti, cum primum scholas nostras accederent, easdem profiteri post aliquot menses incoeperunt, et qui vix aliquid latine balbutiebant, declamatoriae functioni jam satis idonei censebantur.

255. P. Bobadilla quadragesimae tempore Jonae historiam quadraginta lectionibus ea doctrina eoque modo est prosequutus, ut Archiepiscopus numquam cessaret eum rogare, donec impetravit, ut epistolam B. Pauli ad Romanos in cathedrali ecclesia interpretandi provinciam susciperet. Prima igitur dominica in octava Paschae eam lectionem aggressus, singulis dominicis ac festis diebus eamdem est prosequutus, et quidem tanta auditorum utriusque sexus multitudine, quod rarum ibi erat, ut non facile id credi potuisset. Sed et P. Andreas de

---

[1] Plures, cum hoc Collegium Neapolim missum est, commendatitias scripsit misitque litteras Ignatius; primam Pro-regi Neapolitano, alteram Duci Montisleonis, tertiam Comiti de Montorio, quartam Lupo de Mardones, quintam fratri Dionysio de Caesena, sextam Antonio Minturno, septimam Hieronymo Vignes, octavam denique Hieronymo de Fonseca, 17 Januarii; itemque dedit Andreae de Oviedo plenam modi, quem in ordinandis litterariis exercitationibus tenere deberet, informationem. Paucis post diebus, sc., 20 Februarii scripsit idem Ignatius Duci Montisleonis eumque enixe rogabat ne nimiis laudibus efferret quod a nostris in Collegio fiebat, nimiumque largus in pollicendo esset circa lectiones, etc.; fieri enim poterit, ut, licet maxime conentur, tantae exspectationi respondere nostri non valeant.

Digitized by Google

Oviedo, Collegii Rector, ex quo Neapolim ingressus est, diebus festis magno cum auditorum fructu boni concionatoris officium exsequutus est, christianam praeterea doctrinam numerosae semper hominum multitudini explicavit eisdem diebus; sed postea, ad puerorum utilitatem, lectionem hanc in sextam feriam transtulit. Quatuor etiam ex fratribus jussu Episcopi in diversis monasteriis per quadragesimae tempus concionati sunt. Aliis etiam in locis, ut in carcere publico, ubi duo fere millia hominum erant, semen verbi Dei seminarunt cum magna eorum, qui ibi detinebantur, spirituali consolatione. Postquam autem P. Bobadilla epistolam ad Romanos coeptam absolvit, in Psalmorum interpretatione P. Andreas illi successit; et quamvis aestivi calores satis molesti Neapoli esse solent, non minorem tamen auditorii frequentiam habuit, et non sine fructu in multorum cordibus hoc sanctum semen jactum esse creditum est [1].

256. Quod attinet ad confessionis et communionis sacramenta, praeter scholasticos, multi omnis generis et conditionis homines nostrorum opera sunt usi, nec negotia et occupationes aliae vel P. Bobadillam vel P. Andream impedierunt quominus huic labori diligenter manum admoverent. Nec solum saeculares sed et sacras virgines diversis in locis P. Andreas hoc Sacramento est consolatus; effectumque est Dei gratia, ut non pauci, qui procul ab ovili Christi vagabant, pedem revocaverint; et multi vel religionem ingressi sunt, vel idipsum magnopere expetebant. Exstiterunt autem generales aliquae confessiones et aegrotantium, quibus multum spiritualis emolumenti ex hoc pietatis officio accessit [2].

257. Civium summus favor erat, quod satis jam inde ab initio testati sunt, catervatim ad nostros accedentes, et non solum de adventu Neapolim nostros congratulantes, sed summas Deo gratias agentes quod tali beneficio magnopere indigentem civitatem illam affecisset. Nec omittam quod inter primarios viros quidam ea ipsa nocte, qua venerant nostri Neapolim, cum

---

[1] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla, de expositione doctrinae christianae singulis dominicis festisque diebus facienda, 5 Martii; eidem de lectione Sacrae Scripturae, mittens Moguntini *Commentaria super Jonam*, 26 Martii.

[2] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla et Andreae de Oviedo, liberum nostris, qui sacerdotes non sunt, relinqui debere ut praeterquam in dominicis primariisque per annum diebus festis, aliis etiam festis Eucharistiae sacramentum accipiant, 5 Martii.

Digitized by Google

aquam calidam ad id praeparasset, ad lavandum omnium nostrum pedes venit. Legatus Pontificis, quem nostri inviserunt, mirum quantum et humanitatis et charitatis eis impenderit, et quam alte de instituto Societatis ipsi explicato senserit; se autem totum ad res Collegii promovendas paratissimum obtulit, et si qua re opus haberent, id sibi significari injunxit.

258. Substiterat in itinere magister Franciscus Araldus morbo, quem ex laboribus, ut creditur, contraxerat, dum in concionando et aliis functionibus charitatis nimis fervet, impeditus, et multos ad confessionem adducendo, etiam ex eo genere hominum, qui non solent ad pietatem admodum esse propensi, cujusmodi sunt hospites et eorum familiae, ex quibus unus aut alter religionem ingredi constituit; sed brevi Neapolim cum duobus sociis ibi relictis pervenit; et quamvis initio tentati fuerint morbis, brevi tamen bene habuerunt. Admissus est hoc ipso anno in Societatem juvenis quidam siculus et litteris et pietate praeditus, et duo vel tres alii Romam ut admitterentur venerunt [1].

259. Inter amicos Dux Montis Leonis paterno affectu nostros prosequebatur. Comes etiam Montorii, Dominus Hieronymus de Fonseca, ac Dominus Mardones prae caeteris eminebant; sed et alii deinde plurimi non solum officiis sed etiam bonis suis quanta dilectione Societatem prosequerentur ostenderunt.

260. Cum ageretur de praedicatione nostrorum in plateis, non id visum est expedire Domino Lupo de Mardones, nec etiam Duci Montis Leonis; et ita ea exercitatio relicta est, et tam ipse P. Andreas, Rector, quam alii, qui ad id talentum habebant, per monasteria monialium, et hospitalia, et hujusmodi pia loca concionari coeperunt; et in multis fructus ex semine divini verbi satis conspicuus fuit; praesertim in monialibus cujusdam monasterii, ubi quidam ex nostris scholasticis quamdam exhortationem habuit et ad confessionem eas etiam adduxit, quae de eo Sacramento minime cogitabant; et ad quadragesimam eumdem concionatorem expetierunt.

---

[1] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla, de quodam adolescente Neapoli Romam misso, non esse ad Societatem aptus, et ne deinceps Romam mittat, quem Neapoli per aliquod tempus non cognoverit, Romam de eo scripserit et responsum acciplat, 19 Martii.

Digitized by Google

261. Sacerdos quidam, qui, dum esset Neapoli P. Laynez, spiritualia exercitia susceperat, his diebus Societatem ingredi omnino constituit; cum autem cujusdam monasterii curam sub Archiepiscopo gereret, perutiliter aliquandiu ibidem perseverare juxta nostrorum consilium debuit. Cum deinde ad patriam ire a P. Bobadilla permissus esset, ab optimo et diuturno proposito excidens, experimento docuit plantas novas non bene in aëre patrio coalescere, donec altas in religione radices egerint.

262. Eidem P. Bobadilla non videbantur regulae quaedam Societati consuetae a nostris esse observandae, sed christiana quadam (ut ipse ajebat) libertate, dummodo in solidis virtutibus defectus non videretur, nostros esse retinendos; et, cum ipse Superior esset et P. Andreae, Rectori, perexiguam sui officii exercendi facultatem relinqueret, facile docuit experientia quanta vis in constitutionibus ac regulis observandis sit posita, ut solidae virtutes conserventur; nam ex praeceptoribus unus et tandem postea alius ex scholasticis, quem paulo ante diximus cum fructu in quodam monasterio concionatum, a Societate defecerunt. Sed P. Ignatius ut regulae observarentur commendavit, et ut Rectori suum officium faciendi facultas relinqueretur, qui sancto suo exemplo et colloquiis non solum domesticorum sed externorum etiam affectum magnum in se concitavit. Libertas externa, quamvis solidam virtutem et doctrinam omnes in P. Bobadilla laudarent, efficiebat ut ipsius loco P. Salmeronem jam a Concilio Tridentino liberum expeterent. Cujus rei haec etiam erat causa quod, licet magna satisfactione et eruditione Jonam prophetam et Epistolam ad romanos legisset, linguae italicae talentum adhuc in eo requirebant. Et ita Dux Montis Leonis litteris suis P. Ignatium urgere coepit ut P. Salmeronem, juxta promissionem olim factam, Neapolim mitteret, quamvis, quod aestas immineret, in autumnum usque adventus P. Salmeronis dilatus est [1].

[1] Ut difficultatibus quae ex hac in gubernando diversitate oriri poterant, obviam iretur, missae sunt 17 Januarii Andreae de Oviedo regulae *collateralis*. Polancus, *ex com.,* Nicolao Bobadilla, quaenam ei sit auctoritas et officia exponens, sc., si plura sub se haberet Bobadilla Societatis Collegia, ejus auctoritatem seu potestatem futuram qualem habent Provinciales; quoniam vero unum tantum Collegium sub se habet, sc., neapolitanum, dum in eo sit, pari cum Rectore potestate ei praeerit, 19 Martii. Idem Andreae de Oviedo, ut boni consulat in officio Rectoris a Bobadilla sublevari, eadem die; eidem, ut obedientiam, constitutiones et poenitentias, etc., quantum fieri possit,

Digitized by Google

263. Difficile persuaderi poterat amicis, cum satis angusta res temporalis ad nostrorum sustentationem esset, ut correctorem more collegii romani, dato stipendio, ad scholasticorum punitionem conducerent; sed scripsit P. Ignatius ut potius unum vel alterum ex nostris scholasticis alio mitterent, et expensam, qua illi alendi essent, in stipendium correctoris conferrent, et ut ille in Collegio non habitaret, ut amici volebant; et ita effectum est [1].

264. Dominus Joannes de Mendoza, arcis primariae, Castellum Novum vocant, praefectus, animum ad Societatem nostram adjicere coepit, et P. Andreae manibus totum hoc suae vocationis negotium dirigendum commisit, non tamen statim exsequi debere suum propositum visum est.

265. Diximus res temporales arctas esse; nam illi, qui multum polliciti fuerant, frigescentes, grave onus Duci Montis Leonis relinquebant. P. Dionysius, monachus Sti. Severini, sollicitum se amplius non futurum his de rebus significabat, quasi jam functus suo officio fuisset; et fidelis amicus, Hieronymus Vignes, quamvis omnem lapidem moveret, difficile quae necessaria erant ad Collegium sustentandum invenire poterat. Agebant aliqui ex amicis et protectoribus Collegii de confraternitate redemptionis captivorum cum Collegio nostro conjungenda; nam et illius ipsi protectores erant; et uno cubiculo ad negotia redemptionis tractanda sine alia Societatis molestia contenti erant. Alii etiam de transferendo Collegio ad hospitale Sti. Jacobi incurabilium, ut hoc opus cum illo conjungeretur, serio agebant. Et ad utrumque eo consilio movebantur non solum ut nostri de praedictis piis operibus bene mererentur, sed etiam ut inde sustentandi Collegii facultas facilius suppeteret. Neutrum tamen expedire P. Ignatio visum est, et, patientiam exercendo, ex eleemosynis per procuratorem quaesitis, ut potuit, Collegium sustentabatur; et bibliopolae, ut de libris ne-

---

servari ab omnibus curet; quae vero assequi per se non valeat, in adventum Hieronymi Natalis differat, 21 Maii.

[1] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla, de correctore in scholis adhibendo, si necessarius non videatur, omitti posse, ast nec tum licere nostris per seipsos seu propriis manibus punitionem discipulis infligere, 5 Martii. Eidem, eumdem esse posse et correctorem et emptorem *(espendidor)*, sed correctoris officio non bene functurum qui non assidue scholarum tempore in Collegio sit, 12 Martii: Ignatius Duci Montis Leonis, de correctore, qui de Societate non sit, in Collegio constituendo, 11 Junii.

Digitized by Google

cessariis nostris prospiceret, injunctum est. Satis tamen res ipsa docuit quantum spei in pollicitationibus hujusmodi constitui deberet [1].

266. Quod ad scholas attinet, quamvis multi nobiles adolescentes ad eas accederent et fructum non poenitendum perciperent, cum tamen major pars praeceptorum ultramontani essent, non ita eorum pronunciatio placebat, ut eruditio probabatur; itaque rogavit Dux Montis Leonis P. Ignatium per litteras ut cum P. Salmerone quosdam italicae linguae Neapolim mitteret. Ipsi etiam praeceptores, praesertim qui ex superiori et inferiori Germania erant, inter quos Balduinus ab Angelo, male admodum in aëre Neapolitano valebant [2].

267. Inter aliquos qui Romam ad Societatem missi sunt, Michaël Vignes, frater Hieronymi fuit, et alii tam multi hoc ipsum optabant ut plures quam duodecim eodem tempore P. Bobadilla scriberet id a se postulasse, et quidem non infimae notae homines. Nam inter molestias non exiguas, magna tamen erat aedificatio Collegii, cujus adventum in quadragesima omnes concionatores denunciaverant, sed et ipsa Societatis exercitia perspecta sic commendabant ut tale opus nunquam Neapoli fuisse visum homines faterentur. Et sic, si verba ad sustentationem sufficere potuissent, abundasset omnino Collegium. Alii tamen centum aurei praeter primos, quos ipso in initio dedit, a Pro-rege per Mardonem habiti sunt, et ab aliis alia [3].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Bobadilla, de confraternitate pro redemptione captivorum, 5 Martii. Eidem ut litteras indicas Fratri Dionysio de Caesena communicet, 19 Martii. Eidem causas exponit, quibus motus Ignatius judicat nostris non expedire curam hospitalium habere; hortatur tamen ut, ni majus divinum servitium id impediat, se promptos, quantum fieri possit, ad serviendum aegrotis exhibeant, 26 Martii; idem Andreae de Oviedo ut per Ducem Montisleonis, Societatis Neapoli protectorem, curet ne Pro-rex ad Ignatium scribat de negotio hospitalis redemptionis; non enim Ignatius etiam postulanti Pro-regi concedet quod petitur, et verendum est ne id Pro-regi non displiceat ejusque animum a Societate et proinde a nascente Neapolitano Collegio avertat, 30 Aprilis. Idem Nicolao Bobadilla, ne animo despondeat, sed certus sit nihil ab Ignatio, quod Societatis instituto non conveniat, circa Redemptionis confraternitatem statuendum, 11 Junii. Eadem die Ignatius Hieronymo Vignes ut solerter curet ne quis Romam scribat, quidquam postulando quod Societatis instituto repugnet. Similes 18 Junii dedit Lupo de Mardones.

[2] Polancus, *ex com.*, Andreae de Oviedo, ne omnes indiscriminatim nostros, praesertim juniores, cum externis loqui sinat, 30 Januarii.

[3] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla de Hieronymi Vignes fratre, ne eum nisi post aestatem admittat, sed interim in litteris exerceat et videat quam spem perseverandi in bono proposito faciat, 12 Martii; eidem Hieronymo Vignes, de ejus fratre Michaële in Societatem admisso, etc., 9 Aprilis.

Digitized by Google

268. Intermissiones, quae ob aestum fieri solent, non visae sunt faciendae in scholis neapolitanis, sed id tantum ut ad duas horas mane et ad totidem a prandio praeceptores scholis praeessent; nam tres in illis expendere soliti erant [1].

269. Qui ad domum orphanorum in meliorem ordinem redigendam Neapoli substiterat, scilicet, P. Florentius, judicabat, ipse satis effectum esse ad ejus pii operis reformationem; et ideo recedere omnino inde voluit, postquam satis negotii exhibuerat ejus domus protectoribus; quod Dominus Minturnus, praeceptor ducis Montis Leonis, suis ad P. Ignatium litteris conquestus est. Cum autem ille, licet de Societate non esset, exinde ne id quidem in posterum illi concessum est [2], et quo placuit extra Societatis obedientiam se contulit [3].

270. Non omittam quod intra domesticos parietes P. Joanni Francisco accidit et obedientiae virtuti adscribendum videtur. Injuncta fuerat ei poenitentia a P. Bobadilla ut in terra sedens cibum caperet, qui ei daretur, et aqua in potum uteretur, nam ille plus aequo in schola clamaverat et aliquem per seipsum castigaverat, quod per correctorem facere debuit. Laborabat is adversa aliquantulum valetudine ac debilitate; unde et ad P. Rectorem se conferens, dixit in conscientia sibi videri aquam ei nocumentum allaturam. Misit ille Joannem Franciscum ad P. Bobadilla ut, si placeret, poenitentiam relaxaret; quod si non fecisset, suasit ut aquam illam biberet, quae per obedientiam medicinae loco futura erat. Cum ergo non fuisset ei remissa poenitentia, aquam potavit, quae non solum non nocuit, sed juvit tantopere ut, qui prius debilis et valetudinarius erat, sanum se et validum experiretur; quae res poenitentiarum injunctarum usum non parum commendare debuit [4].

271. Cum jam Romam venisset P. Alphonsus Salmeron et

---

[1] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla, ne e nostris quemquam, aestivo praesertim tempore, bis in hebdomada jejunare permittat, 11 Junii.

[2] Hoc est: nunquam in posterum concessum Pauletto est ut obedientiae voto Societati se adstringeret. V. supra anno 1551, num. 17, pág. 172.

[3] Polancus, *ex com.*, Florentio Pauletto, in eo Ignatium esse ut mos ipsi Pauletto circa orphanorum gubernationem geratur, si tamen et Dux Montisleonis et Patres Bobadilla et Oviedo consentiant, 5 Martii.

[4] Polancus, *ex com.*, Andreae de Oviedo, ut memor conditionis Joannis Francisci Araldi ad tristitiam seu melancholiam propensi, aliquid solatii seu relaxationis (italice *spassi*) ei quandoque procuret, 14 Maii; eidem ut Joannem Franciscum rusticatum mittat et ejus animum erigat, 7 Julii.

Digitized by Google

Neapolim brevi esset venturus, de P. Bobadilla Salernum mittendo rogatu Archiepiscopi agebatur. Sed cum non vacaret suis incommodis haec missio, et ad eam ipse P. Bobadilla parum esset propensus, ac praeterea Dux Montis Leonis suis litteris postulasset ut sibi is Pater saltem ad duos menses concederetur, ut suae ditionis varia loca inviseret simul cum suo Auditore, et si quid vel ab ipso vel a suis antecessoribus aliquis injuriae se accepisse quereretur, ut juxta rationem ei satisfieri curaret, et sic demum conscientiam Ducis exoneraret, placuit id P. Ignatio, et ita ad ea loca profectus non id tantum, quod Dux scribebat, curavit, sed concionibus etiam ac pietatis functionibus loca illa in spiritu promovere studuit. Expetebatur ejusdem Patris praesentia in civitate Ragusia, quae in Illyrico sita est et turcarum ditioni confinis, sed ea missio aliquandiu dilata fuit. Miserat autem subscriptionem suae manus cum sigillo impresso ut in alba papyro conficeret P. Bobadilla patentes litteras, prout ipsi in Domino videretur; quae res cum ad magnam confidentiam pertinere P. Bobadilla interpretaretur, maximas ipsi gratias de eo favore per litteras egit [1].

272. Juxta medium Octobrem P. Salmeron Neapolim pervenit, cui Bobadilla suum officium, antequam versus Calabriam recederet, resignavit; et, illo recedente, aliqua ad disciplinam domesticam pertinentia et ad scholarum meliorem directionem constituit, et regularum observantiam domi et foris induxit, cum libertas, quae prius ibidem fuerat, tam domi quam foris damnum attulisse deprehensa sit; et quia duo vel tres externi scholastici noxii erant, curatum est ut omnino a scholis recederent. Itaque et domi et in scholis mutatio haec ad profectum cessit. P. Andreae de Oviedo, Rectori, ut suum officium exsequeretur pleno jure injunxit, et cum Roma attulisset regulas in

---

[1] Ignatius Duci Montisleonis, plura de Salmerone ituro Neapolim proximo Septembri, 11 Junii; Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla, ut juxta promissionem Salernitano Archiepiscopo factam ejus Archiepiscopatum visitare aggrediatur, cum Neapolim demum Salmeron adveniet, 20 Augusti; Ignatius Thomae Gomez, de removendo Neapoli Bobadilla et de Abbate Feltrensi, 3 Septembris; Ignatius Pro-regi Neapolitano, Lupo Mardones et Duci Montisleonis, de Alphonso Salmerone, 8 Octobris; eadem die Polancus, Patri Bobadilla, de Archiepiscopo Salernitano, et ut se Consentiam aut Bisignanum conferat; eidem, de iis quae in subditorum suorum bonum postulat Dux Montisleonis, 15 Octobris. Eadem die Ignatius Duci Montisleonis, ei permittens Patrem Bobadilla.

Digitized by Google

Collegio observandas P. Salmeron, opportune et utiliter ad praxim deductae sunt.

273. Fuit autem exceptus Neapoli cum magna hominum alacritate; et praesertim Pro-rex et Montis Leonis Dux, et alii ex primoribus cum laetitiae significatione magna ipsum exceperunt. Cum autem lectiones Sacrae Scripturae inchoaturus esset, P. Andreas, qui in cathedrali ecclesia Psalmos enarrabat, P. Ignatio scripsit non aequum sibi videri ut ipse in eo loco praelegeret, et in alio P. Salmeron, cui cedere ipse debebat, quamvis in virtute obedientiae eas lectiones Psalmorum inchoasset. Placuit P. Ignatio ut, juxta Vicarii Archiepiscopi sententiam, P. Salmeron in cathedrali ecclesia legeret, quod frequenti et nobili auditorio et miro cum applausu ejus et aviditate prosecutus est. Ipse autem P. Andreas visitandis custodiis publicis et aliis pietatis operibus vacabat, et ad eos praesertim, qui propter causam fidei inquisiti erant, juvandos operam suam adhibuit.

274. Quod ad temporalia attinet, toto hoc anno aliqua crucis portiuncula portanda fuit, adeo ut in paupertate nostris florentinis non cedere neapolitani viderentur; sed omnino ut Dei donum haec rerum penuria admittebatur cum actione gratiarum; itaque de stabiliendis Collegii rebus cogitandum non erat, nec parum videbatur si in diem, ut ajunt, viventes Collegium utcumque sustentarent. Cum autem sub hujus anni finem Pro-rex neapolitanus ad bellum senense gerendum se pararet, et eum Dux Montis Leonis et alii Societatis amici sequerentur, major occasio spei anchoram in solo Deo figendi relinquebatur [1].

275. Renovata interim studia fuerunt, tribus orationibus, et quidem optime pronunciatis, praecedentibus; et quia numerus scholasticorum imminutus fuerat, et ad centum quadra-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla et Andreae de Oviedo, ut circa designationem loci pro Collegio Neapolitano libere quidquid melius ipsis in Domino videbitur expedire decernant, prius tamen habita sive expresse sive tacite Ducis Montisleonis venia, 5 Martii. Eisdem, si coquum, qui de Societate sit, non habeant, externum aliquem pretio conducant, 12 Martii; eidem, ut curet reditus perpetuos Collegio, sive ex Abbatia aliqua vacante, sive ex pecunia a civitate assignata, applicari, 9 Aprilis; eisdem, licere quidem mendicare, et, si alia non suppetant ad sustentationem media, esse eis mendicandum; non tamen id expedire aut consuetum esse debere Collegiis, 23 Julii.

Digitized by Google

ginta fere reductus, tres tantum praeceptores ipsis praefecti fuerunt, quamvis quartus, Theodorus, graecas et hebraicas lectiones praelegeret. Ilud tamen in melius immutatum est, quod, cum prius scholasticis liceret aliis confessariis confiteri, a quibus non sine irrisione aliquando excipiebantur, cum etiam accideret commentitia chirographa scholasticos adferre in testimonium confessionis, quam non fecerant, injunctum est ut in posterum nostris confiterentur; et, ut possent eis commodius vacare, missa est facultas, ut Joannes Franciscus Araldus ad sacros ordines promoveretur, ut eos audiret. Interim autem P. Andreas multos eorum audivit, sicut et alios externos, praesertim in festo Omnium Sanctorum [1].

276. Praeter Michaëlem Vignes alius frater Domini Hieronymi Vignes, nomine Fabricius, ad Societatem nostram admissus est. Sed et ipse Hieronymus, antequam fratres ipsius, Societatem ingredi constituit et tempus exsequendi hoc propositum P. Ignatii arbitrio reliquit; quod ideo factum est, non quod illi voluntas deesset statim ingrediendi, sed quia P. Bobadilla, rebus ejus domesticis cognitis, differendum esse ejus ingressum est ratus, et ita in posterum etiam esse differendum nostri senserunt. Aliqui praeterea, qui ad Societatem adspirabant, quorum admissio differebatur, ad clericos regulares, alicujus, ut creditur, exhortatione se contulerunt; quod cum fecisset etiam siculus quidam, de quo superius mentio facta est, qui jam quatuor menses culinae nostrae inservierat, juvenis alioqui eruditus, satis ostendit quod in Collegiis hujusmodi novis et ubi nullus peculiarem novitiorum curam gerit, novae plantae non bene coalescunt [2].

Et haec de neapolitano Collegio.

---

[1] Bernardus Oliverius Nicolao Bobadilla, multa in commendationem Theodori Peltani, sub finem Januarii. Eidem et Andreae de Oviedo Polancus, *ex com.*, ne Theodorum Peltanum labore et occupationibus obruant sed ejus vires metiantur et valetudini consulant, 5 Martii. Ipsi Theodoro ut Patrem Bobadilla fidenter adeat et ab eo regi se sinat, eadem die; Patribus Nicolao Bobadilla et Andreae de Oviedo, de intermittendis studiis ex parte saltem aestivo tempore, et de confessionibus puerorum ad nostras scholas accedentium, 2 Julii.

[2] Polancus, *ex com.*, Nicolao Bobadilla et Andreae de Oviedo, ut neminem in Societatem admittant quin prius Ignatium moneant eumque de admittendorum dotibus certiorem reddant et ejus responsum exspectent, 17 Aprilis; idem Fabricio Vignes, ut post aestivos calores aut Romam veniat aut Siciliam, si malit, eat, et ab Ignatio ideo libentius in Societatem admitti, quo firmiorem adversus difficultates expertus est, 7 Julii; de eodem Fabritio Polancus, Nicolao Bobadilla et Doctori Thomae Gomez, 1 Octobris.

Digitized by Google

DE COLLEGIO MESSANENSI

277. Pater Antonius Vinchius, belga, occupato aliis in rebus P. Hieronymo Natali, Messanensi Collegio praeerat, in quo res domesticae bene se habebant, et tam novitii quam alii in litteris ac fervore spiritus proficiebant. Idem autem ordo servabatur, qui jam ab initio a P. Natali fuerat institutus. Quamvis autem praeclarus is videretur, quia tamen Romam evocatus P. Natalis, constitutiones et regulas Societatis allaturus in Siciliam dicebatur (quod ita accidit, ut paulo post dicemus), avidissime omnes nostri eas exspectabant. Commendabant messanenses homines simplicitatem ac modestiam religiosam quorumdam ex nostris, qui prius ipsi noti fuerant, quos obviam factos si forte compellabant, aliud responsum non referebant quam sibi sine facultate non licere cuiquam loqui; si quid esset quod urgeret, ad Collegium venirent; ibi fore ut eis satisfieret. Et tantum aberat ut saeculares homines aegre ferrent in hunc modum sibi responderi, ut gratulabundi nonnunquam ad P. Antonium accederent ista narraturi. De his autem, qui in domo probationis versabantur, et de scholis, quae superiori anno dicta fuerunt, hoc etiam dici possent; sed similia illis intelligantur, ut repetere non sit opus. Hoc solum dicam magnam utilitatis spem in puerorum institutione fuisse positam.

278. Concionatus est in quadragesima hujus anni in templo nostro magister Benedictus Palmius, et dominicis ac festis diebus evangelium, profestis autem simul evangelia et epistolas; idque multa auditorum frequentia exponebat, quamvis praeter ipsum quinque alii ecclesiastici Messanae concionarentur. Cumque non pauci ad meliorem vitae rationem his concionibus conversi fuerint, unus praecipue singulari quodam Spiritus Sancti ductu ad poenitentiam rediit, qui, ut erat vir nobilis ac potens et in illa civitate magni habitus, ita ejus ad saniorem mentem reductio majori aedificationi omnibus fuit. Huic cum propter occisum fratrem grave odium jam septem annis cum alio viro, nobili etiam ac opibus claro, intercessisset, aliquando inter ipsos depugnatum fuerat magno totius fere civitatis tu-

multu, ut bonam nobilium partem secum traherent hae duae factiones, nec una tantum sed plurimae familiae eodem odio eadem ex causa arderent, multi supplicio addicti, multi in exilium relegati, et vir ille alterius factionis princeps jamdiu in carcere cum magno moerore civitatis nexus et saepe jam tortus tenebatur, nec inde evasurus, nisi ad extremum supplicium, credebatur, cum adversarius nullis lacrymis aut precibus flecteretur, et apud Pro-regem vehementer pro supplicio ejus instaret. Hunc ita ferocem animum ita movit Deus in hunc modum: circa initium quadragesimae frequens ad templum nostrum accedebat, conciones etiam vel lectiones attentissimus, lacrymis etiam per genas decurrentibus, audiebat; instante autem solemni Resurrectionis die, coepit colloquiis privatis agitare an redire cum Deo in gratiam posset. Cum autem id intelligeret non posse fieri nisi adversario ignosceret, adduci ad id non poterat; nec tamen a suo more audiendi sacra et conciones discedebat. Cum ergo in die Parasceve concionatoris nostri mentem in praedicatione Passionis Dominus igne charitatis accendisset, cum magno spiritus fervore inter caetera de condonandis injuriis disseruit, ita ut non solum huic, de quo loquimur, sed multis etiam aliis haec dies initium melioris vitae credatur attulisse. Permotis enim vehementer omnium animis, cum jam eo ventum esset ut imaginem crucifixi Domini Nostri Jesuchristi esset ostensurus, ea paulisper detecta ac rursus obtecta, se non prius ostensurum eam serio affirmavit quam alta voce pollicerentur se omnia facturos quae ad salutem iis erant necessaria. Trepidantibus auditoribus, et jam prae lacrymis et planctu vix se continentibus, cunctantibus tamen ad id respondere, quod propositum fuerat (nec enim putabant illud serio exigere sed ex more concionatorum id facere voluisse, quo magis eos afficeret), tunc ipse ad crucem conversus, quae panno nigri coloris velata erat eamque amplexatus, en, inquit, Christe, verumne est quod dicimus: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me?* en se servos tuos profiteri nolunt. Hac voce velut perfossis cordibus, ex variis locis audiebatur *volumus, volumus, tu modo crucifixum ostende;* sed submissiores erant quam ut id mereri viderentur, donec vir ille nobilis, cujus gratia haec relata sunt, qui jam dudum animo responderat sed

Digitized by Google

lingua prae dolore ac lacrymis proferre verba non poterat, misso prius clam servo, qui concionatori fidem daret omnia se facturum, antequam ad suggestum ille accessisset, non ferens animi dolorem et angustiam, qua premebatur, voce quanta potuit maxima exclamavit: Ego, Domine, faciam quod voles. Tunc concionator, qui vocem ejus non agnoverat, licet ipsum maxime peteret, et quis, inquit, tu es? Ego, inquit ille, Sebastianus Ansalonius. Quanta ad hanc vocem mixta fuerint omnium lacrymis gaudia, eorum, qui statum ejus habitumque noverant, Dei misericordiam collaudantium, explicari non posset. Ostensa igitur populo cruce et concione feliciter dimissa, promissi nequaquam Sebastianus immemor concionatorem e suggestu descendentem exspectans in atrio templi eumque amplexatus, negavit se a nobis exiturum, donec quae promiserat, praestitisset. Missis ergo litteris ad Vicarium urbis, fratri suo (cui laetum admodum fuit hoc nuncium), suis etiam aliis renunciavit, nisi sibi assentirent ut hanc injuriam dimitteret, domo se nostra non egressurum; statimque advocato scriba publico, tam illis, qui in carcere sua causa detinebantur, quam missis in exilium, libero hilarique animo se parcere testatus est; et hoc onere levatus de confitendo cogitare coepit; tantusque eum peccati mortalis coepit horror, quod inculcaverat concionator mortis Christi causam fuisse, ut se nunquam deinceps mortale peccatum commissurum asseveranter diceret; immo vero octavo quoque die se confessurum.

279. Replevit hujus rei fama non Messanam modo sed magnam etiam Siciliae partem. Ejus adversarius, factionis alterius caput, qui in carcere detinebatur, roganti uni ex connexis [1] quid sibi consilii daret, se enim odium in quemdam exercere, velle tamen communicare et injuriam condonare, responderat institutum ejus laudando et ut perficeret, quod cogitaverat, eum hortatus est. Eo autem digresso, ad se conversus ac se compellans, heus tu, inquit, qui aliis tam probe nosti consilium dare, cur non et saluti tuae prospicis? Et his dictis, statuit confiteri; et die Jovis Sancti communicavit, statuens apud se mortem in peccatorum poenitentiam admittere, si Dei voluntas ita ferret et Ansalonii id vellent; nam, quod ad se atti-

[1] Uni, scilicet, ex iis, qui in eodem ac ipse carcere tenebantur.

Digitized by Google

net, omnia se illis ignoscere, quaecumque in se commisissent. Hoc animo cum esset et noctem sequentem in legenda ac meditanda Passione Domini non sine lacrymis transegisset, statim die sequenti Veneris Sancti nuncium laetissimum accepit Ansalonium sibi pepercisse.

280. Alius vir quidam nobilis decem annos conceptum in quosdam odium nunquam confessus aluerat. Erant autem et illi nobiles, quorum unus ei pollicem, alter ejusdem manus indicem, tertius digitum medium alterius manus amputaverat, alii simul cum his occidere ipsum conati fuerant. Hic ergo die Sabbati Sancti in quemdam Patrem Collegii Messanensis incidit, cui cum coepisset confiteri, etsi initio imparatus accessisset, paulo post ita ejus animus incaluit ut in uberrimas solutus lacrymas odia se depositurum et quodcumque vellet confessarius facturum promisit. Perfecta itaque in hunc modum confessione, accersito notario et testibus, libere omnibus quidquid in se commisissent condonavit. Inter adversarios, qui partim Messanae partim in exilio hac ex causa degebant, duo fratres erant praecipui, ad quorum alterum, qui erat Messanae, scriptam remissionem transmisit; nec satis id illi fuit, sed quaesitum in urbe et inventum magno pietatis affectu amplexus ac osculo pacis deosculatus est; quod cum pater horum duorum fratrum intellexisset, qui viginti annis a confessione abstinuerat, miratus hoc adversarii sui factum, saluti suae per Sacramentum poenitentiae consuluit. Nec omittam quod ille, cui abscissi erant digiti, postquam communionis Sacramentum devote accepisset, eodem die laetus ad nostros rediens et gratias agens, inter caetera id se mirari dixit, quod cum antea ebullire illi sanguis et ipse totus commoveri soleret, quoties manus suas inspiceret, tunc non solum id non patiebatur, sed et sanos propemodum atque integros digitos habere sibi videretur. Sensit et hic nihil esse iucundius quam pura conscientia Deum colere; quod, cum verbis praedicabat, tum et factis, octavo quoque die confitendo et decimoquinto communicando, confirmavit.

281. Duo, qui sacerdoti cuidam mortem inferre tentaverant, eadem die, quae ad hoc ipsis designata erat, in templum nostrum deducti, uni ex nostris confessi sunt, et, remissis plene injuriis odioque deposito, hilares post absolutionem abie-

Digitized by Google

runt. Alia hujusmodi non pauca dici possent, eorum, qui complures annos a confessionibus abtinuerant propter hujusmodi odia et vindictas, qui generoso animo propter Deum illas dimiserunt.

282. Sed et mulier quaedam, quae multos annos usuris vacaverat, confessione generali facta et tali vitae genere relicto, ad Christum rediit. Plurimae mulieres ex coeno libidinis ereptae, in quo multos annos haeserant, ab illo per confessionem generalem emerserunt; inter quas una fuit, quae flammam ignis per os suum exeuntem sibi sentire visa est, quae velut mortua ad pedes confessarii cecidit. Hanc daemon videlicet obsederat, a quo liberata domum sana mente et valido corpore reversa est, et postea communicavit. Fuit inter has mulieres, quae sexdecim et quae decem et octo annos a confessione abstinuerat. Alia quaedam nobilis totos triginta sex annos propter varia peccata a sacramento abstinuerat, et per generalem confessionem ad honestam vitae rationem redacta est. Viri etiam complures concubinas reliquerunt; inter quos aliquis fuit, qui cum uxore duas alias domi et quidem gravidas habebat, et tamen, retenta sola uxore, illas dimisit et octavo quoque die confiteri decrevit.

283. Fuit etiam inter hos, qui aegritudine correptus de salute pene desperabat; hic, cum Patrem unum ex Collegio accersiri fecisset, ejus hortatu, post confessionem, quam antea concubinam habuerat, in uxorem duxit; quod ubi fecisset, praeter omnium spem convaluit ac sanus ad confessionem et communionem in templo D. Nicolai laetus accessit, quod ex retibus daemonis exsilire prope jam oppressus potuisset. Fuerunt inter hos, qui non tantum ex domo sed etiam ex urbe concubinas expulerunt. Alia hujus generis plurima hoc anno acciderunt; nec ex hoc solum sed ex aliis mortalium peccatorum generibus tandem post multos annos a Domino per hoc Sacramentum poenitentiae liberati multi fuerunt.

284. Aliqui etiam juvenes, animo vagi et moribus parum honestis, conversi ad meliorem mentem fuerunt; quorum unus libros, qui nihil nisi vanum et lascivum docebant, ad nostros deferens, eorum loco alios pios et bonos comparavit. Nec ullo tempore ab iis pietatis officiis nostri vacabant; nam etiam in bacchanalibus, pridie cinerum, confessiones quorumdam gene-

Digitized by Google

rales in templo nostro auditae fuerunt. Milites etiam et quidem praecipui ex praesidiis hispanorum nostris sunt confessi; et infirmi plerique, tum in xenodochio, tum in multorum domibus, ad quas advocabantur, idem faciebant; et in carcere tam infirmi quam sani eo Sacramento purgati fuerunt, et multi liberati, qui ob aes alienum ibi detinebantur nec erant solvendo; et id eleemosynis nostrorum opera quaesitis.

285. Non solum ex animis multorum daemones fugati fuerunt, sed etiam ex nonnullorum corporibus. Inter hos puer erat tumefacto gutture, quod a muto spiritu obsideretur; jam dies aliquot omni cibo abstinuerat. Is ad templum nostrum adductus, postquam confessus est, laetus ac liber cum parentibus domum rediit. Sic et duae puellae, quae a daemonio vexatae credebantur, remedium in templo nostro acceperunt; infantula erat altera et nobilis et, lecto super ea evangelio Joannis et oratione dominica, domum sana reportata est. Nobilissimae cujusdam matronae, cui Donata nomen erat, domus cum noctu diuque quibusdam daemonum terriculamentis infestaretur, et aliis adhibitis remediis parum proficeretur, vocatus est unus ex nostris, qui cum illi domui benedixisset, additis etiam exorcismis, nihil ultra molestiae senserunt, sed quieta omnia diu noctuque fuere.

286. Multae virgines suam Domino virginitatem consecrarunt nec pauciores viduae continentiam, voto emisso, Deo obtulerunt. Quinque minimum adolescentes religiosum habitum induerunt ex quibus tres inter capuccinos sunt admissi. Inter virgines jam dictas aliquae desponsatae fuerant, sed Christo sponso adhaerere maluerunt. Hujusmodi rerum artifex P. Cornelius, belga, erat, cujus nomen satis erat celebre hanc ob causam Messanae, ferebaturque vix ullam virginem aut viduam in ejus manus incidere, quas Christo non lucrifaceret. Tres virgines, quae experiri voluerunt anne verum esset quod de P. Cornelio dicebatur, certissimae quod nulla ratione se vinci ab eo permissurae erant, hominem accedunt simul omnes; et cum prima confiteretur, antequam ab ea confessione surgeret, se religiosam esse velle serio affirmabat; laudavit ille institutum, et in proposito ingrediendi religionem confirmavit, et abeuntem ne quid aliis de hoc proposito suo diceret admonuit. Accessit altera, et ipsa similiter eodem hamo inescata cum pro-

Digitized by Google

posito ingrediendi religionem dimissa est. Tantumdem accidit tertiae. Et ita, quae ridendi causa quodammodo venerant, longe alio animo recesserunt; et tandem mutuo expositis votis suis, gratulationibus mutuis laetae, ac Domino gratias agentes domos suas recesserunt.

287. In monasteriis mulierum nonnihil etiam profectum est, et qui ad eas concionaturi mittebantur, non ab eis tantum libenter sed ab aliis etiam audiebantur, quod ipsa indicabat populi frequentia, si modo praesciri ubi futura esset concio posset. Nostri vero templi conciones tanto affectu et devotione accipiebantur ut facile auditorum lacrymae et commotio animorum et vitae mutatio id testaretur. Qui autem crebro nostris confitebantur, pauperibus et in carcere reclusis atque in xenodochio jacentibus infirmis multas eleemosynas erogabant, non solum quas colligebant ab aliis sed de sua etiam ipsorum substantia. Visitabant et ipsi carcerem frequenter et multos liberabant numeratis, quas debebant, pecuniis. Xenodochia item (quod et nostri diebus dominicis faciebant) et pauperum domos homines hi pietati dediti invisebant, ut egenis succurrerent, nec suo labori nec rebus parcentes.

288. Et haec de viris intellige, quibus nihilo inferiores se esse mulieres patiebantur quantum decoris ratio permittebat. Nam et mulieribus inopia laborantibus ipsae aderant, et vestimenta etiam serica interdum illis elargiebantur. Quo autem affectu talia facerent, ex re una, quam commemorabo, perspici poterit. Duae mulieres hospitale foeminarum inviserant, ubi quaedam paupercula illis occurrens reticulum muliebre ab altera postulavit. At illa, nihil, inquit, hic non est aliud quam id quod gesto; sed hic tantisper exspecta, dum revertar domum et inde ad te mittam. Hoc cernens quae illi erat socia, occasionem sibi oblatam pro re levi multa lucrifaciendi cogitans, si se etiam suo privaret, conversa ad pauperculam, accipe, inquit, et detractum sibi modeste de capite reticulum ei porrexit. Hic se increpare illa prior tacite et apud se dicere longe se a charitate alterius distare, nec domum reversa a lacrymis sibi temperavit.

289. Sed ad viros redeundo, eo charitas quorumdam eos adducebat ut domos etiam meretricum circumirent (hoc vero nonnisi pauci et probati faciebant) ad poenitentiam eas exhortando. Duo inter hos cujusdam meretriculae domum ingressi,

Digitized by Google

quorum alter imaginem crucifixi alter mortui calvariam sub pallio gestabat, his armis illam aggressi atque ubertim lacrymas effundentes, ipsam quoque ad lacrymas compulerunt. Coacta vero illuc vicinorum multitudine, adhortari eos coeperunt ad poenitentiam, nec, ut putabatur, inutiliter. Dabantque operam ut nunquam ad concionem venirent, quin aliquem secum adducerent, gravi aliquo peccato implicitum. Permultos etiam ad confessionem adducebant; inter quos erant illi, quos e carceribus eduxerant, nec prius eos dimittebant quam in templum nostrum confessuros deducerent. Parabant etiam domi suae cibos in pauperum usum, eosque vel invitatis dispensabant vel domum mittebant, praesertim si essent infirmi aut invitati venire non possent. Quae in concionibus audiebant, privatim inter amicos referentes, concionatoris officio et ipsi fungebantur; monebant, hortabantur, terrebant modo hunc, modo illum; factumque est hac ratione ut multi ad meliorem frugem ex vita perdita fuerint eorum opera revocati. Et hic sunt continuae confessionis et concionis proventus.

290. Cum magna rerum penuria hoc anno pauperes premerentur, magnam eis sublevandi curam P. Natalis adhibuit. Cum autem in carcere magna esset inclusorum multitudo, ex quibus aliqui fame mortui dicebantur et alii in graves morbos incidisse, egit ille cum Pro-rege, Joanne de Vega, ut hospitale in aegrotantium inclusorum usum erigeretur. Jam aliquid hujusmodi Panormi institutum et Messanae coeptum fuerat; sed quia locus parum salubris erat, nec pecunia ad eos curandos suppetebat, nec qui aegrotantibus inserviret, inventus est locus salubrior, et cum eo aegrotantes deducti essent, ipse P. Natalis curam totius hospitalis, sic Pro-rege decernente, suscepit, quam postea uni de Collegio demandavit; qui cum duobus sociis ex domo probationis mane ac vespere ad hospitale veniebant, et infirmis cum magna aedificatione inserviebant; cui pietatis operi tamdiu nostri vacarunt, donec ea cura a jurisperitis et notariis suscepta. Aequum enim esse videbatur, ut quorum illi controversiis ditabantur, eorum quoque miseriis subvenirent. Curavit igitur P. Natalis ut ad Pro-regem tam juris periti quam notarii convenirent; rem illis proponit; nullus est, qui non consentiat; demum singuli eorum una cum curia, quam magnam vocant, et civitate ipsa contribuere singulis annis quamdam

Digitized by Google

pecuniae summam statuerunt, ut ejus reditibus, qui perpetui futuri erant, non solum hospitale sustentaretur, sed illi quoque ex inclusis in custodia publica sublevarentur, qui facultatibus essent ad se sustentandos destituti. Illi vero, quibus onus curandi hujusmodi aegrotos incumbebat, statuta inter se conscripserunt, procuratores et ministros crearunt, et demum nostros omni cura absolverunt, quamvis aliquis ex sacerdotibus festis diebus eo mitteretur, qui coram aegrotantibus sacrum celebraret aut confessionem alicujus, si necesse esset, audiret.

291. Hac aestate cum turcica classis Neapolim pervenisset, antequam recederet, de redimendis quibusdam captivis actum fuit, et duobus diebus P. Natalis quadringentos fere aureos collegit; sed cum turcae recedentes redemptioni locum non dedissent, jussit Pro-rex eam pecuniam servari et ex poenis damnatorum sexcentos aureos addi, ut haec summa mille ducatorum Constantinopolim ad captivos redimendos mitteretur. Cum autem ea classis eo animo advenisse diceretur ut omnia ferro et igne vastaret, sic divina bonitas regno Siciliae prospexit ut nullam prorsus ab ea molestiam sit passa, quod Pro-rex divinae protectioni tribuens et orationibus, quae sine intermissione fiebant, supplicationes fieri et eleemosynas in gratiarum actiones jussit, et triginta pauperibus vestes confectae sunt; et cum una ex his supplicationibus vel processionibus mane ad cathedralem ecclesiam convenisset, ibi magister Benedictus frequentissimo auditorio concionatus est, Pro-rege id postulante, ut omnibus beneficium hoc Dei innotesceret; altera supplicatio a prandio est habita et in ea pars quaedam crucis Domini deportata est per urbem, quam Pro-rex aperto capite, cereum album in manu ferens, sequebatur, quod omnes primarii viri ad crucis Domini venerationem sunt imitati.

292. Cum etiam Domina Isabella de Vega Comiti Bibonae nuptui tradita fuisset, curavit Pater nuptiarum occasione, ut ne unus quidem pauper relinqueretur, qui non commodum illis diebus experiretur; nam per quindecim dies nihil fere cuiquam defuit.

293. Curavit idem Pater ut mons pietatis Messanae erigeretur, qui pauperibus civitatis provideret, qui non haberent aliunde sustentandi se facultatem; quamvis magnae difficultates ad ejus exsecutionem sese obtulerunt, sed illis non statim cessit

Digitized by Google

nec desiit negotium urgere valde populo salutare. Ejusdem Patris opera multis prospectum est, qui, mendicare erubescentes, potius extrema quaeque pati eligebant. Multos etiam patrocinio destitutos apud Pro-regem suo favore promovit, qui alioqui gravissimis incommodis affecti fuissent; et hi multi numero fuerunt; cum enim magnae auctoritatis apud Pro-regem esset, multi ad eum confugiebant, quibus suam deesse operam non patiebatur.

294. Cum quidam armati devenissent ut inter se depugnarent, quod graves inter eos odii occasiones exarserant, quidam ex Patribus nostris ad eos deductus est, cujus adventu ita omnium animi mutati fuerunt, ut ad amicitiam, armis et odiis depositis, sint adducti. Sed omitto alios, qui capitali odio se prosequebantur, reconciliatos, quia dictis similia, licet alia atque alia, dicenda essent.

295. Spiritus poenitentiae et compunctionis in quibusdam, postquam nostris peccata aperuissent, non parum viguit; sed inter alios nobiles, quaedam fuit foemina, quae cum diu in adulterio vixisset, in carnem suam, qua peccaverat, sic saevire coepit, ut a flagellis non cessaret, nisi postquam multum sanguinem effudisset.

296. Fuit etiam confessio perutilis inventa etiam obsessis a daemone; non pauci enim hujusmodi ad nostram ecclesiam deducti per solam confessionem liberati discesserunt. Sed et ille confessionum effectus admirandus fuit, quod cum quidam apostemate gravi laboraret, et in medicos multis pecuniis erogatis sanitatem obtinere nunquam potuerat, illi persuaserunt amici ut nostris confiteretur, sic forte sanitatem animi et corporis consecuturus. Obedivit vir bonus, nec sua spe frustratus fuit; brevi namque sanitatem corporis est adeptus, cum prius animae, ut speratur, obtinuisset.

297. Cum jubilaeum, a Pontifice concessum pro pace inter principes Christianos impetranda, publicatum fuisset, carceres omnes nostri visitarunt, et ad illud suscipiendum omnes ibidem inclusos sunt cohortati; et, cum multi eleemosynam non haberent, quam juxta jubilaei tenorem elargirentur, nostri quantum necessarium erat eis dederunt; et quia non omnium confessiones soli et in aliis audiendis occupati audire poterant, curavit P. Natalis ut ex aliis quoque religionibus sacerdotes mitteren-

Digitized by Google

tur; quod cum factum esset, fere omnes inclusi, qui sane multi erant, jubilaei gratiam lucrati sunt.

298. In Societatem nostram multi admitti cupiebant; sed eorum vocatio diutius probanda visa est; sic enim fiebat ut de admissis non poeniteret; egregie enim et perseverabant et in spiritu proficiebant [1].

299. Singulis diebus veneris D. Matthaei lectio in nostro templo cum magna commotione et fructu praelecta est.

300. Duo Saraceni, qui de navibus fugerant, a quibus capti fuerant, missi a Pro-rege et a nostris instructi ac deinde baptizati fuerunt. Studium concionum nostrarum alios etiam excitavit; itaque, quamvis insolitum id prius esset, in compluribus locis frequentissime conciones habitae fuerunt. Sed et confitentium ac communicantium multitudo, cum nostros, praesertim sub festa solemniora, integros dies et bonam partem noctis detineret, tamen alibi etiam frequens erat, ac praecipue in summo templo; ubi magnae admirationis hominibus fuit tam lauta communicantium multitudo.

301. Convenerunt ex his, qui crebro confiteri nostris solebant, in confraternitatem quamdam aliquot spectatae fidei et pietatis viri, qui sub noctem pauperum domos circuibant, viventes juvabant, mortuos, si qui fuissent, suis ipsis humeris efferebant ad sepulturam, et quidquid impensae necessarium erat suppeditabant, inter quos commode quidam sacerdos erat et hoc officio charitatis devote admodum et cum magna aedificatione fungebatur. Mulier quaedam, a daemone obsessa, cum liberata fuisset, aliquot alias ad confessionis sacramentum adduxit. Alia, quae et ipsa obsideri credebatur, cum multis diebus ab omni cibo abstinuisset, evocato P. Cornelio, cibum capere coepit. Quaedam alia tam debili corpore fuit ut nec jejunare nec aliud quidquam fere, quod in poenitentiam injungeretur, praestare poterat; haec, ubi aliquoties confessa est, ita vires recuperavit ut non jam satis illi esset quae a confessario imponerentur exsequi, sed multo plura sua sponte ad corporis castigationem subire. Nec omittam cujusdam nobilis matronae dictum,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Antonio Vinck, de iis, qui in Societatem admitti petunt, ut quos recipere ipse non possit Messanae, Romam mittat, dummodo boni sint, 26 Novembris.

Digitized by Google

cujus animum cum a nostris concionibus vir ejus vellet avertere, laudaretque magnifice concionatorem alium, quem ipse audiebat, respondit, modeste quidem, sed tamen acute: cur tu igitur vivendi rationem non mutas quemadmodum ego mutavi? Et subdit: licet saxa pluant, Sancti Nicolai conciones nollem deserere.

302. Religiosi ac docti viri erga nostros bene se affectos, interdum plusquam nostri voluissent, ostendebant; ut accidit praesidi cujusdam monasterii observantiae Sti. Francisci (in quo tamen prius non deerant qui nostris detraherent et multorum animos ab eis averterent), qui cum etiam concionator esset, suos auditores palam inter concionandum et quidem cum lacrymis ut ad nostros accederent hortabatur, multa interim amplissimis et ornatissimis verbis de Societatis nostrae laude pro suae charitatis affectu dicens, affirmansque nunquam defuisse Summum Pastorem, Christum, gregi suo quin viros verbi Dei ministros ei suppeditaret ac doctores, ac nunc quoque istius Societatis Jesu opera Ecclesiam suam juvare statuisse. Idem professus est vix ab aliis eleemosynam ad suum deferri monasterium quam ab his, qui in templo nostro frequenter et concionibus interessent et ad confessiones crebro accedebant. Magnum itaque Societatis nomen Messanae jam erat et auctoritas per Dei gratiam.

303. Instaurata fuerunt studia quinta die Octobris, habita a magistro Annibale de Coudreto oratione in laudem trium linguarum, quas Collegium nostrum profitebatur, quae cum aliis, praecipue Pro-regi (aderat enim ipse et magistratus multique cives) ac scholasticis magnopere placuit; nec tantum doctrinam et eloquentiam sed actionem etiam ipsam magnopere probabant. Nec irritus is labor fuit; nam et auditorum numerus postea crevit, et qui prius fuerant in scholis, visi sunt ferventiori animo studiis operam dare. In moribus etiam ac pietate proficiebant.

304. Nostri scholastici non in hac solum parte sed etiam in eruditione suo exemplo praeibant, qui in graecis et latinis litteris, aliqui praesertim ex eis, tam provecti erant, ut non solum ad aemulationem externos sed etiam ad admirationem excitarent, cum praesertim ipso in festo D. Nicolai in ejus laudem quasdam odas ad pindaricarum exemplar confectas pro templi

Digitized by Google

nostri foribus, quod eidem Divo Nicolao dicatum est, affixerunt, praeter alia carmina non pauca latina et graeca, quae pro more collegiorum quotannis publice ostendere solebant. Diligentius ergo quam unquam alias leges sibi cum extra scholas tum in scholis praescriptas observabant, et ne a Missis et concionibus abessent, designatus est eis in templo locus, quamvis obmurmurarent aliqui de populo quod templum illud tantae frequentiae auditorum angustum erat. Pergebant et ipsi, ut superiori anno diximus, distribuendas pauperibus eleemosynas quaeritare, et satis multas colligebant. Nec solum ipsi confitendi regulam observabant, sed et alios ad confessionem adducebant; quae eo gratiora nostris erant, quod a grandioribus et nobilioribus fiebant, inter quos erant et aliquot, qui ad religionis institutum adspirabant, et praesertim ad Societatem nostram; et praeter quatuor, quos diximus, capuccinorum monasteria ingressos, unus etiam ordini Sancti Dominici se addixit. Unus etiam horum, qui decreverat nostram ingredi Societatem, cum morbo diutius laborasset, nihil tale parentibus exspectantibus, inter orandum placida morte in aeternam ingressus esse vitam creditus est. Hanc autem animorum pietatem non ex praeceptorum tantum lectionibus ac monitis sed multo etiam magis ex concionibus hauriebant.

305. Ex Collegio Messanensi, rogatu Domini Joannis Osorii de Silva, cui multum debebat Collegium Messanense, missus est, probante P. Ignatio, P. Joannes Philippus Casinus in ejus Abbatiam tribus passuum millibus Messana distantem. Non autem visum est aliquem ibi totos dies agere debere, sed festis diebus Messana mittebatur; quibus P. Joannes Philippus strenue illam Domini vineam coluit, et multus inde animarum profectus est consecutus. Nam dulcedine verbi Dei, addam et novitate, ita gens illa, quantumlibet effera et quae crudelitatis nomine super reliquos Siciliae populos male audiebat, delinita affectaque fuit, ut concionis audiendae gratia, cum duo et tria millia passuum distarent permulti, venire tamen immo et accurrere non detinerentur; et quoniam matutinas horas sacro peragendo concionique P. Joannes Philippus impendebat, pomeridianis in docenda doctrina christiana occupabatur, qui longius adveniebant, ne horum altero carere cogerentur, si domum prandii gratia redirent, cibos secum adferebant, quo totum diem Do-

Digitized by Google

mino impenderent; et felicissime secum actum dicebant, quod talis Abbas ipsis contigisset, cujus opera tantum hoc bonum essent assecuti.

306. Nec vero frequentiae ac affectui auditorum fructus impar exstitit; nam confessiones ita multae ibi auditae sunt, ut non solum festos dies, sed alios duos tresve singulis hebdomadis illic morari aliquando oporteret, ac bonam quadragesimae partem ibidem transigere. Paces aliquot confectae, exules revocati (editis etiam in hoc publicis per notarium actibus); virgines nonnullae se Deo devovere sua sponte; aliqui generaliter confessi sunt; alii aliquot annorum confessiones repetere voluerunt; nullum enim se hactenus talem confessarium fuisse expertos ajebant; demum dum ab iis student sedulo cavere, quae damnari in concionibus et confessionibus audiunt, effectum est ut multi ad meliorem vitae normam sese converterent; nec laici modo verum etiam presbyteri aliquot illius regionis, qui ludis et aliis, quae parum eos decebant, dediti erant, abstinere ab eis coeperunt, et illos, qui ipsorum curae commissi erant, ut ad S.ti Philippi venirent (hoc erat nomen Abbatiae) conciones audituri hortabantur. Petebant et ipsi tradi sibi aliquam vivendi rationem, quae sacerdotes deceret; sed et confiteri eidem Patri voluerunt. Monachi quoque ordinis S.ti Basilii, qui in Abbatia habitabant, libentissime ejusdem Patris se submittebant consiliis, rogabantque ut suum vitae institutum ad D. Basilii normam emendari apud Abbatem curaret, se fore ad omnia promptissimos, dummodo suae saluti consulerent: nam eatenus liberiores aequo se fuisse sponte ipsi fatebantur. Paulatim ergo meliores mores induere coeperunt.

307. Accessit ad caetera, propter quae Deo gratias agerent incolae ejus regionis, evidens etiam miraculum; cum enim a multis diebus nihil penitus pluisset, jamque desperare rustici de segetibus viderentur, die quodam, circumacta per agros a P. Joanne Philippo pulcherrima cruce, quae, cum Dominicae crucis ex ligno confecta credatur, pretiosissimus ejus loci habeatur thesaurus, comitante longa hominum serie utriusque sexus devote et cum lacrymis supplicantium divinamque misericordiam implorantium, eodem vespere, quo in Abbatiam crux sancta relata est, misit Dei clementia copiosissimos imbres, nec unquam postea pluviarum affluentia suo tempore desiderata est.

Digitized by Google

308. Curatum est Messanae ut congregatio quaedam cogeretur hominum, qui operis orphanorum curam gererent, et inita est ratio pecuniam obtinendi ad ejus dotationem.

309. Non tacebo, antequam a rebus messanensibus me expediam, quod inter eos qui poenitentia ducti peccata detestabantur, quidam fuit qui per contractum publicum notario et testibus adhibitis tam serio se concubinam relicturum promisit, ut, si unquam ad eam rediisset, se ipsum ad triremes damnabat.

310. Mons ille pietatis, in quo stabiliendo multum elaborabat P. Natalis, tandem in autumno inchoatus est, ex quo ad pauperum sublevationem magnus fructus merito sperabatur. Aliquae etiam puellae, pauperes et parentibus destitutae, P. Natalis opera in matrimonio collocatae fuerunt.

311. De studiis nostrorum hoc etiam addam, quod, cum non haberet auditores philosophiae professor, lectio philosophica prorsus omissa est; lectio hebraea tantum a domesticis audiebatur; rhetorica vero lectio praeter nostros, quatuor tantum externos habebat; cum tamen in inferioribus classibus fere ducenti septuaginta scholastici essent. Nostri tamen, qui in Collegio et domo probationis versabantur, P. Annibali messem non poenitendam praebebant. Hoc autem anno undecim ex novitiis, more scholasticorum Societatis, talaribus togis uti coeperunt cum magna totius urbis ac parentum praecipue, immo et ipsius Pro-regis, satisfactione, qui cum novas illas plantas more Societatis indutas vidisset, non parum animo recreatus est. Jam esse inter novitios desierat Dominus Ferdinandus de Vega, Pro-regis nepos, qui, cum ad Societatem se adspirare prius significasset, et inter novitios se numerari obtinuisset, nihilominus vel illud propositum animi verum non fuisse existimatum est, vel saltem leviter ab eo Ferdinandus recessit et ad curiam, aegre admodum id ferente Domina Isabella de Vega, Pro-regis filia, rediit.

312. Quod autem de multis obsessis a daemone superius facta sit mentio, minus mirandum Rectori Collegii Messanensis videbatur, cum Messana in valle, cui daemona nomen, sita sit, nec procul ab aliquo ore inferni, prout Sanctorum aliqui magnae auctoritatis asseruerunt; nec mirandum etiam si tentationes ibi graves vigerent potius quam alibi importunae ac violentae.

Digitized by Google

DE COLLEGIO PANORMITANO

313. Praeerat Collegio Parnomitano P. Paulus Achilles, parmensis, et quod ad scholas attinet, praeceptores tam diligenter munus suum in imbuendis discipulis sana doctrina moribusque nec quidquam ex his omittere, quae ad id conducere possent, tamque strenue curabant, ut alii praeceptores et paedagogi civitatis admirarentur, et se non usque adeo suis erudiendis insudare et nec ea dexteritate et industria uti faterentur. Inter hos quidam septuagenarius, qui in docendis pueris totos quinquaginta annos consenuerat, nostrorum quotidie lectionibus intererat, sperans se posse paucis mensibus consequi in recta docendorum puerorum ratione, quam in nostris suspiciebat et miris laudibus efferebat, quod multis annis non erat consecutus. Alii mallebant nescire quam discere. Tamen ex illis nonnulli clam nostros consulere solebant, si quis locus auctoris alicujus obscurior enodandus erat; si quid etiam dubii inter ipsos oriebatur, nostros judices constituebant. Discipuli tamen diligentia sua minime laboribus praeceptorum respondebant, quia multi negligentius domi suae vel indulgentia vel negligentia parentum in officio continebantur; haec tamen eorum negligentia praeceptorum cura in dies minui videbatur [1].

314. In renovatione studiorum magister Joannes Rogerius latinam habuit orationem coram magistratu ac nobilibus ac primariis viris, idque, Dei gratia, cum omnium applausu. Postridie lectiones aggressi sunt cum solitis tam litterarum quam pietatis exercitationibus, ex quibus quantum fructus et utilitatis emanaret, quotidie clarius cernebatur. Aggressus est graecas litteras profiteri Magister Angelus Policinus, quem Messana, ubi admissus egregie profecerat, secum P. Natalis adduxerat. Ipse P. Natalis profiteri hebraeas litteras in eadem renovatione studiorum coepit, et quidem satis frequenti auditorio, in quo duo theologi doctores, alter saecularis, alter dominicanus,

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Paulo de Achillis, de non permittendo ut nostri, praesertim scholastici, promiscue cum quibuscumque externis colloquantur, 6 Februarii.— Similes missae sunt eadem die in omnes fere Societatis domos, tum intra tum extra Italiam.

Digitized by Google

uterque magni nominis, erant; nec negotia plurima in causa fuerunt, quamdiu Panormi fuit, ut eam lectionem omitteret. Omnium scholarum discipuli ad tercentos et quinquaginta hoc anno ascendebant.

315. Nec segniores erant in templo sacerdotes quam praeceptores in scholis; quamvis aliqui utrobique, quod et praeceptores et confessarii essent, in vinea Domini laborabant. Confitentium numerus toto quidem anno non exiguus erat, sed solemnioribus festis instantibus eorum multitudo pene nostros obruebat; et cum, praeter magistros, duo tantum essent Sacerdotes, et eorum alter ipse Rector, super mille et ducentos ad confessionem accedentes poenitentiae sacramento adjuverunt; ita ut ab ortu solis usque ad tertiam et interdiu quartam noctis horam impransi nostri maxima corporis molestia sed summa animi laetitia multis diebus permanserunt; quod enim corpus extenuabat, id animum recreabat ac reficiebat. Multi nobiles viri ac matronae etiam ex remotissimis urbis locis ad nostros confluebant, et non pauci, aliis confessi, ut suam conscientiam pacarent, confessionem cum nostris iterabant; nec defuerunt qui multis annis confessi non fuerant. Fructus has confessiones consequens multiplex fuit; nam multi concubinarii suas pellices reliquerunt; aliquae foeminae nobiles, et quidem jam nubiles, perpetuam virginitatem Deo consecrarunt; aliae, ejusdem sponsi amore captae, eidem se devovere statuerunt; aliqui juvenes, nostrorum sacerdotum alumni ac spirituales filii, religionem dominicanorum, alii capuccinorum, sunt ingressi; complures ingredi decreverunt; multi singulis mensibus, quidam frequentius confiteri proposuerunt; quamplurimi generali confessione totius vitae maculas abluerunt; aliquae mulieres, quae parum honeste vixerant, a faucibus daemonis ereptae fuerunt; inter quas filia erat, ab ipsa matre prostituta et in eam voraginem turpitudinis prolapsa, ut se vix unquam emersuram speraret; quidam tentatione exagitatus, qui sese praecipitem bis terve in mare dederat, totiesque divino auxilio, quod tamen minime invocabat, illaesus evadens, ad nostros accedens poenitentiam egit; sed et mulier, quae seipsam veneno necare constituerat, liberata fuit; odia ardentissima restincta; inimicitiae sedatae; et alia hujusmodi plurima, quae sigillatim non referentur.

Digitized by Google

316. Augebatur autem in dies in ecclesia D. Antonii, qua nostri utebantur, confitentium et communicantium numerus, multis non minus admirantibus quam probantibus hanc hujusmodi Sacramentorum frequentiam. Sed cum hac aestate Jubilaeum, ob principum christianorum inter se pacem, Panormi promulgatum esset, tanta fuit messis abundantia ut paucitas operariorum multorum desideriis satisfacere non valuerit, quamvis diem integrum et aliquot horas noctis sic in hunc laborem incumberent ut ne loco quidem ad paulisper respirandum vel cibum capiendum moverentur; quod in aestibus Panormi gravibus non facile corpus tolerasset, si animi vigor cum Dei auxilio non illud sublevasset. Sed hoc unum dolebat nostris quod cum plus quodammodo quam possent praestarent, plurimis tamen satisfacere non valerent, qui spe sua frustrati non sine magno dolore, quem apertis prae se ferebant indiciis, alio se recipere cogebantur. In consequenti festo Assumptionis maximus etiam confitentium numerus et communicantium, et quidem ex primariis civitatis viris ac mulieribus, confluxit. Fructus autem jam praedictis inde similes nascebantur.

317. Fuerunt, qui quandiu vixissent, se ignorasse faterentur quid esset confessio, non quod alias confessi non fuissent, sed quod novam in confessariis spiritus prudentiae atque consilii rationem considerabant, et serio ipsi ad cor redeuntes, de vitae mutatione agebant, et ex his plerique octavo quoque die, vel saltem singulis mensibus confiteri, in animum induxerunt, et impigre sunt exsecuti; et qui religiosum vitae institutum magno animi fervore amplectebantur, sic proficiebant, ut praepositus quidam capuccinorum concionatori Collegii, Petro de Rivadeneira, retulerit multos ex his, qui frequentare nostros consueverant, et ab eis velut propinatum religionis amorem imbiberant, divino quodam spiritu flagrantes in eorum coenobium cooptatos, augescente in dies spiritus ardore, magnos progressus in via perfectionis et cum magno caeterorum exemplo facere.

318. Accersebantur nostri ad aegrotos ex multis partibus civitatis audiendos, et saepius a nobilioribus, qui propter existimationem, quam de nostris conceperant, eo in statu constituti multum eis confidebant.

319. Habebantur praeterea conciones variis in locis. Magi-

Digitized by Google

ster Petrus de Rivadeneira, necdum sacerdos, singulis dominicis diebus in D. Antonii templo majori semper hominum frequentia conciones est prosecutus; alibi nonnunquam rogatus concionabatur. In die D. Marci, in supplicationibus publicis, rogatu praetoris ad magistratum populumque frequentissimum extemporalem pene habuit concionem, sed ex obedientiae praescripto, quia P. Paulo visum est id munus non posse decenter detrectari; quae magistratibus caeterisque nobilibus, qui tunc erant complurimi, summopere satisfecit, ut non tantum ex attentione et applausu, sed ex multorum dictis postea cognitum est; et in futuris rogationibus praemonitus est idem ut se ad concionandum praepararet. Et quamvis arduum satis sit et laboriosum hoc concionandi munus cum docendi assiduo labore conjunctum, utrumque tamen ipse, Deo adjuvante, sustinuit.

320. Magister Michaël Botellus etiam hoc anno perseveravit in concionibus prima dominica cujusque mensis ad nobiles matronas inchoatis, et primo quoque die sabbati ad peccatrices; ex cujus concionibus in dies uberiores fructus producebantur; nam et nobiles matronae promptiores collatis eleemosynis ad conversas a peccatis mulieres in honesto matrimonio vel in coenobio collocandas, et peccatrices ipsae ad cognoscendum miserum suum statum perspicaciores et ad luendas turpis vitae sordes ardentiores reddebantur. Quaedam enim ex eis ex coeno suo penitus emerserunt, et honestum vitae genus elegerunt.

321. Idem autem P. Michaël singulis quadragesimae et festis aliquot diebus in amplissimo D. Catharinae coenobio, ubi numerosissimus est virginum omniumque pene nobilium exercitus, nam trecentae moniales, praeter eas, quae inserviunt monasterio, ibi inclusae manebant, concionatus est, et maximum in monialibus pietatis religionisque studium accendit, ac tantopere ipsius afficiebantur concionibus ut ardentissimis desideriis crebras illas esse apud se optarent, nec ulla eorum prolixitate satiarentur; immo cum a suo comite pro more admoneretur ut dicendi finem faceret, quod diutius concionem protraxisset, id monialibus ingratissimum accidebat, et ab ipso P. Michaële postularunt ne in posterum talem comitem suum duceret, qui in dicendi fervore et ipsum interpellaret et audientes consolatione spirituali privaret.

322. In alio quidem monasterio idem P. Michaël conciona-

Digitized by Google

batur, cujus religiosae non multo minus quam superius dictae ejus concionibus afficiebantur. Alii praeterea fratres in aliis coenobiis eodem charitatis officio fungebantur. P. Paulus Achilles, Rector, diebus veneris omnibus discipulis simul conjunctis in aede D. Antonii ac, praeter eos, hominibus utriusque sexus eodem accedere solitis, christianam doctrinam interpretabatur. Confessionum vero frequentia, quibus ille sedulo vacabat, tam lectionem istam quam aliam Epistolae ad romanos, quam diebus dominicis populo enarrabat, impedivit; easdem tamen post Paschae festum eadem, qua coeperat, diligentia prosequutus est.

323. Inter alios autem concionum fructus hic non minimus fuit, quod cum superioribus annis, antequam nostri Panormum venissent et concionari coepissent, mirum et importunum quodammodo videretur de concionibus loqui vel cogitare alio quam quadragesimae tempore et quatuor dominicis Adventus, extra quae tempora si quis conciones expetivisset, non minus insanire quam qui rosas hyeme vel in glacie lilium quaesivisset putaretur, exemplo nostro excitati coeperunt et patres dominicani singulis dominicis diebus, alia tamen hora quam nostri, id est, pomeridiana in suo templo etiam in mensibus aestivis concionari, nec amplius ut novum vel intempestivum quid Dei verbum toto anno proponebatur.

324. Hoc addam de monasterio illo D. Catharinae, quod cum se initio aliquid injuriae accepisse a Pro-regina, piae me., Domina Leonora existimasset, quod illa quasdam januas ejus monasterii, sicut et aliorum, quod liberiorem in vicos haberent prospectum, jusserat occludi, scientes hujus rei auctorem Patrem Hieronymum Domenech exstitisse, pati nullo modo poterant ut quis nostrorum eo concionaturus vocaretur; sed ex quo coepit P. Michaël ibi concionari, tanta repente animorum mutatio facta est, ut jam alterius ordinis concionatorem non ferrent, usque adeo illi addictae, ut in festo D. Dominici, cujus regulae subjacent, quo die consueverat aliquis religiosus ordinis Sancti Dominici concionari, rogatus nihilominus Magister Michaël, facta per Superiorem conventus dominicani eis potestate, ibidem concionari debuerit; nec eas et alias virgines nobiles, quae potentiorum quorumdam filiae apud illas bonis moribus imbuendae instituebantur, spes internae laetitiae fefellit, et earum multae ad vitae perfectioris rationem juxta suum in-

Digitized by Google

stitutum promotae fuerunt, et rebus propriis omnibus abnegatis et in medium productis, in posterum in commune vivere decreverunt, et octavo quoque die ad sanctissima sacramenta accedere; quod quia non poterant nisi consentiente Antistite, Magistrum Michaëlem sollicitaverunt, ut haec ipsis impetraret, uti, scilicet, octavo quoque die possent communicare.

325. Illma. quaedam matrona, Domini Berengelli, praefecti triremium sicularum, uxor, quae his monialibus familiarissime utebatur, summis precibus a Magistro Michaële contendebat ne conciones incoeptas intermitteret, proposita illius conventus admiranda quadam in melius commutatione, quae eisdem, quibus exorta fuerat, concionibus fovenda retinendaque erat, fore insuper ut, illo monasterio ad perfectiorem vivendi rationem redacto, reliqua sibi illud tanquam exemplar quod imitentur, quia in tota civitate celeberrimum est, sibi ob oculos proponerent, et suavi hoc concionum medio id conficiatur, quod multi nobiles atque adeo principes viri magno conatu ne incipere quidem potuerant. Nonnumquam, ad restinguenda sua auctoritate et industria multorum inter se odia gravissima et simultates, nostri sollicitantur; quod ab ipsis maturo consilio prudentiaque ad Dei gloriam conficitur.

326. Cum Romam evocatus fuisset Magister Petrus Rivadeneira, in ejus locum Magister Michaël Botellus successit, et quamvis illius recedentis desiderium non exiguum sit relictum, cum tam eruditione docendi quam gratia concionandi ex praecipuis esset illius Collegii columnis, nihilominus qui in concionandi munere ei successit, Deo adjuvante, et conservavit auditorum frequentiam et auxit. Sic etiam ad christianae doctrinae lectiones et ad confessionis et communionis Sacramenta frequentanda major in posteriori anni parte quam in priore numerus erat, et cum ipso numero spiritualis fructus animarum crescebat in quolibet hominum statu; et inter alios ille etiam fructus Domino fuit oblatus ut, praeterquam quod virgines nonnullae religionem ingressae sunt, aliae extra monasteria virginitatem illibatam custodire cum Dei gratia constituerunt [1].

[1] Polancus, *ex com.*, Hieronymo Natali, ne Petrus Rivadeneira socios itineris exspectet, sed statim Romam veniat, 16 Julii. Eidem, ut Petrum Rivadeneira Romam mittat cum socio Guidone Roilet, 6 Augusti. Eidem, ut Petrus Rivadeneira, antequam iter Romam versus arripiat et in ipso itinere se ad *positiones* in studiorum renovatione in Collegio Romano ponendas praeparet, 27 Augusti.

Digitized by Google

327. In Societatem duo sunt admissi, qui ingenio atque indole et perseverantia in hoc proposito id promeruerant, et ita in Collegio numero viginti, in domo probationis septem novitii erant; plures alii urgebant ut admitterentur, sed tamen eos, quos diximus, eligens P. Natalis, aliorum constantiae periculum extra Collegium facere voluit; licet enim ubique delectus sit valde opportunus, in Sicilia tamen est valde necessarius.

328. Quamvis ad sacerdotum numerum augendum facultatem misisset P. Ignatius ut tres vel quatuor ad sacros ordines possent promoveri, inter quos erant Magister Petrus de Rivadeneira, Magister Joannes Rogerius, Magister Michaël Botellus et Magister Joannes Forcadamus, ultimus tantum ad ordines sacros fuit promotus, cum alii honestas ob causas id differre optavissent. Fuit autem Romam missus, simul cum Magistro Petro de Rivadeneira, Magister Guido Roiletus et Martinus Zornoza mense Octobri; et, ut in concionando Magister Michaël, ita et in legendo Magister Rogerius Magistri Petri locum strenue implevit.

DE P. HIERONYMO NATALI

ET ALIIS QUIBUSDAM MISSIONIBUS IN ITALIA

329. Cum P. Ignatius de promulgandis et ad praxim deducendis constitutionibus in universa Societate cogitasset, et P. Hieronymum Natalem ad hoc munus obeundum multis in locis idoneum judicasset, scripsit eidem ut ita res in Sicilia componeret, ut saltem post festum Resurrectionis Domini Romam veniret; cum enim abesset P. Hieronymus Domenech, et solitus esset P. Natalis confessionem Pro-regis audire, illo absente, non videbatur P. Ignatio, antequam eo functus esset officio sub Pascha, inde removendus [1].

[1] Polancus, *ex commissione*, P. Natali, ut se ad veniendum Romam accingat, 9 Januarii. Eadem die scriptum est Patri Domenech de modo se a negotiis expediendi ut in Siciliam remeare quamprimum possit. Ignatius Pro-regi Siciliae, de evocando ex Hispania Patre Hieronymo Domenech ut possit e Sicilia ad tempus saltem educi P. Natalis, 23 Januarii. Polancus, *ex com.*, Domino Joanni Osorio gratulatoria de iis quae Messanae in favorem Societatis agit ipse Osorio, eadem die.

Digitized by Google

330. Initio ergo hujus anni contractus fundationis Collegii Messanensis, strenuam operam navante Domino Joanne Osorio ac Pro-regis auctoritate adhibita (qui Catanae tunc versabatur), cum magistratibus ejus urbis confectus est die 4.ª Januarii. Dotatio haec fuit septingentorum et quinquaginta scutorum auri, hanc enim summam conficiunt unciae trecentae; addiderunt etiam viginti octo uncias singulis annis in subsidium domus probationis; donarunt etiam Collegio omnes domos, scholas, et situs, qui empti fuerant ad illud usque tempus; et ita reditus hi assignati fuerunt, ut libere Rector Collegii eos posset recipere singulis annis; illud onus tantum additum fuit ut teneretur Collegium perpetuo ad quinque lectiones, unam in grammaticis, alteram in humanioribus litteris, tertiam in rhetorica, quartam in graecis, quintam in hebraicis litteris. Trilingue itaque Collegium fuit institutum, nec ad ullam superioris facultatis lectionem fuit obligatum. Et summa difficultas, qua hoc negotium confectum est, fructus inde secuturi magnum argumentum erat. De Universitate nihil est actum, quae tamen a Summo Pontifice Societati fuit subjecta, et si quid ea de re messanenses agere vellent, ad Societatem se convertere debebant. Confirmavit autem Pro-rex laeto animo quod civitas messanensis effecerat.

331. Nihilominus de augendis reditibus hujus Collegii jam tunc agebatur; itaque sub anni finem, cum Siciliae regnum subsidium, quod ad centum et quinquaginta millium ducatorum ascendebat, Imperatori Carolo mitteret, curatum est, adjuvante Pro-rege et eodem jam dicto Domino Joanne Osorio, ut altera Abbatia nomine regni Siciliae ab Imperatore peteretur ad augmentum Collegii Messanensis; nam jam altera pro Collegio Panormitano obtenta fuerat, non quidem illa, quam de Arco vocabant, et prius petita fuit, sed alia commodior, scilicet, Sancti Philippi de la Grotta, quae, cum vacaret per mortem Abbatis Platamonis, ut commodior a Pro-rege obtenta est, quia et domum et ecclesiam Panormi habebat. Non fuerat de augendo Collegio messanensi quidquam tentatum nec admissum, donec civitas suam dotationem confecisset [1].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Natali de expeditione negotii Abbatiae Sanctae Mariae della Grotta, et de afferendis secum Romam qui legere linguam graecam

Digitized by Google

332. Postea tamen nobilis quaedam et dives matrona, quae superius Domina Donata vocata fuit, vineam quamdam non longe ab oppido Myllis [1], viginti quatuor millibus passuum Messana distantem, Collegio donavit, quae amplissima erat, et, praeter octo et decem millia vitium et domum ibi extructam, latum adhuc spatium et incultum habebat, quod, si coleretur, augeri reditus poterat, quo major numerus scholasticorum eo in Collegio ali posset.

333. Scripsit autem Pro-rex P. Ignatio, ut litteras daret Imperatoris ejus legato in Curia apostolica ut unionem hujus Abbatiae Sti. Felicis [2] a Summo Pontifice impetraret, quod facile Summus Pontifex concessit, cum ad praesentationem Imperatoris ea pertineret et ad tam pium opus esset applicanda; et ita supplicatio statim obsignata fuit, et possessio capta nomine Collegii.

334. Profectus est autem P. Natalis Messana Catanam sexta die Januarii, ubi amanter a Pro-rege fuit exceptus, et pietatis operibus dare operam serio coepit; et inter caetera mille aureos coronatos curavit ad erectionem domus orphanorum Catanae faciendam, similem illi, quae Messanae erecta fuerat; de hospitali etiam incurabilium inchoando diligenter egit; magnam etiam pecuniae summam ad reaedificandum capuccinorum monasterium, paulo longe ab urbe distans, coëgit; nam quod prius habebant, quod moenibus imminere videbatur, dirutum fuerat; alios etiam centum aureos in pauperes distribui curavit, et haec satis brevi tempore curata ab illo fuerunt, et alia non pauca, quae Pro-rex ad eum rejiciebat. Jam tunc etiam de Collegio Calatagironae agebatur, quamvis res tunc confecta non fuerit.

335. Cum autem consideraret P. Natalis quod, si festum Resurrectionis exspectaret et deinde, Romam veniens et per unum mensem ibidem manens, in Siciliam rediret, nonnisi in media aestate redire poterat (nam omnino in Siciliam redeundum erat, absente P. Hieronymo Domenech), decrevit profectionem hanc cum ipso Pro-rege conferre. Hoc etiam P. Natalem

---

et humaniores litteras cum laude valeant, 10 Decembris. Eidem, de requisitis ad applicationem Abbatiae della Grotta, 7 Julii.

[1] Sic; videtur tamen esse *Milazzo*, quod ab antiquis dicebatur *Mylae*.

[2] Sic; sed mendum esse putamus pro *Sancti Philippi*. Designabatur autem communius nomine *Sanctae Mariae della Grotta*.

Digitized by Google

inter caetera non parum movebat et ipsum movit Pro-regem, quod circa usum monarchiae intelligendam esse Summi Pontificis mentem censebat [1]. Cum autem Pro-rex ad id cogitandum, quod ipsius arbitrio relinquebatur, tempus sumpsisset, ultima Januarii die constituit ut primo quoque tempore Romam veniret, non solum ad id motus his rationibus, quae a P. Natali fuerant ei propositae, sed alia eidem committendo, quae ad ipsum et ad Siciliae regnum pertinebant. Ita postridie Stae. Agathae, cujus festum Catanae exspectari aequum erat, proficisci decrevit. Eum suis litteris Pro-rex ad P. Ignatium est comitatus, eique commendavit ut, si opus esset, in his, quae cum Pontifice agenda ferebat, eum juvaret, et quam breviter fieri posset, in Siciliam remitteret, ut multa pietatis opera coepta per eumdem conficere posset.

336. Venit ergo Romam primo vere appetente et vigesima quinta die Martii in manibus P. Ignatii suam professionem emisit, et multa cum eodem contulit. Eidem vicissim P. Ignatius constitutiones legendas dedit, et ut annotaret, si quid ei in mentem veniret, admonuit; et ut erat senio et afflicta corporis valetudine, cogitavit idem P. Ignatius, qui non potuerat se omnino in anno jubilaei exonerare suo munere, in multis eum sibi substituere. Attamen quia constitutionum promulgatio et praxis in Societate magni erat momenti, et alioqui initium hujus rei opportune in Siciliae Collegiis fieri poterat, et interim satisfaciendum erat Pro-regi, ut dictum est, quamdiu aberat P. Hieronymus Domenech, remittere in Siciliam eumdem P. Natalem, bene de sua mente instructum, decrevit. Prius tamen quae ad usum monarchiae pertinebant, ita Romae constituta fuerunt, ut Joannes de Vega suo officio fungi sine scrupulo posset. Commisit eidem ut Neapolim transeundo, quo nondum venerat P. Salmeron, quomodo se res haberent in novo illo Collegio consideraret et ad se per litteras referret [2].

---

[1] Quid hic usus monarchiae sit, de quo dubitabat Joannes de Vega, affirmare nihil certi possumus; indiciis tamen haud spernendis, quae in pluribus sparsa litteris et legibus hujus temporis reperiuntur, in hanc adducimur opinionem, scilicet, voluisse Joannem de Vega ut Summus Pontifex accurate definiret limites, quibus circumscriberetur regia Caesaris potestas in regno Siciliae, quod olim, ut notum est, ad Pontifices Romanos pertinebat. V. Litteras Patris Natalis, et *Capitula Regni Siciliae, edita cura ejusdem regni Deputatorum.* Panormi, MDCCXLIII.

[2] Ignatius Siciliae Pro-regi, de causis, quae Patrem Natalem diutius Romae haerere cogunt quam vellet Pro-rex et promiserat Ignatius, 23 Aprilis.

Digitized by Google

337. Cum duobus ergo mensibus fere Romae mansisset, Neapolim venit, unde cum triremibus Ducis Florentiae navigaturus erat; sed quia jam illae recesserant, per Calabriam itinere terrestri in Siciliam cum magno labore se contulit. Ante vero quam Neapoli recederet, quod illi commissum fuerat a P. Ignatio, est exsecutus, et res ejus parum bene dispositas, quod regulae perpaucae observarentur, domi et in scholis invenit; et nimia libertas a P. Bobadilla permissa, nihil ad bonum Collegii progressum juvabat. Fuit autem eidem commissum a P. Ignatio ut cum P. Bobadilla disputaret et libere quid sentiret circa ejus doctrinam aut legendi modum diceret; qua obedientia non impune functus est. Admonuit tamen illum de modo loquendi magis modesto in auctoritate Doctorum sanctorum rejicienda, et quod illi conveniebat nec de illis male loqui nec sua laudare, et opiniones in theologia communes et in sacra scriptura esse ab eo tenendas.

338. Messanam ergo perveniens decima Junii magna laetitia Pro-regem affecit, cum ea quae afferebat de usu monarchiae retulisset; jubilaeum etiam a Summo Pontifice concessum, quod secum ferebat, Pro-regi magnopere placuit. Sed cum Domina Isabella de Vega in summis tunc angustiis constituta esset, et quodammodo sine humano remedio, litteras ei P. Ignatius tradidit, quae eam ad vitam revocarunt. Agebatur de ejus matrimonio et aversus erat valde ejus animus ab eo in Sicilia contrahendo, et nominatim a Comite de Luna ac Marchione de Ieraci [1] (quorum alteri pater ejus eam in uxorem tradere cogitabat) ejus animus erat aversus; sed litteris P. Ignatii et adventu P. Natalis sic recreata est, et ad obedientiam patris animata, ut cum magna consolatione sua et animi quiete decreverit eum sponsum admittere, quem illi pater ipsius dedisset; et ita Comiti de Luna tradita est, qui simul cum ipsa Domina Isabella Patri Ignatio per litteras suas gratias egerunt, et Comes omnem suam operam obtulit [2].

339. Venerat jam Messanam Pro-rex; non tamen prius Ca-

---

[1] Sic; probabilius *Gerace*, quod latine est *Hieracium*.

[2] Polancus, *ex com.*, Dominae Elisabeth de Vega, Ignatium velle, antequam ejus litteris respondeat, plene de omnibus a P. Natali certiorem fieri, 5 Martii. Aliae difficultates his nuptiis obstabant, ut videre est in Vita Mss. Patris Cornelii Wischaven et alibi.

Digitized by Google

tana recessit, quam pium quoddam opus perfecisset; cum enim intellexisset multos nolle ad festum Paschae confiteri vel propter inimicitias vel propter aliquam infectionem haeresis, scribenda curavit nomina omnium catanensium et constituit ecclesias vel monasteria in quibus confiteri debebant; et ita voluit atque constituit ut omnes confiterentur.

340. Venerat hoc anno classis turcarum et Rhegium cum aliis vicinis villis incendio consumpserat; et ita parum illis diebus negotiari licuit cum Pro-rege; res tamen messanensis Collegii sic constituit etiam in sequentem annum, ut ipsius praesentia necessaria in eo non esset futura. Quia autem potestatem a P. Ignatio acceperat, Rectorem praefecit illi Collegio P. Antonium Vinchium, et magistrum Guidonem, cum magistro Petro de Rivadeneira mittendum, a philosophicis lectionibus liberavit; magistrum etiam Benedictum Palmium et magistrum Annibalem ex Sicilia educi posse affirmabat, si successores ad concionandum et legendum mitterentur.

341. Cum autem P. Ignatius, zelo contra turcarum classem motus, aliqua Pro-regi Joanni de Vega suggeri voluisset, rationibus confirmando quantopere expediret magnam ab Imperatore classem instrui, rationem etiam pecuniam ad eam expeditionem obtinendi, res Pro-regi satis placuit, et prius quidem illud summopere optari ab ipso Imperatore ac Principe Philippo, sed secundum de ratione pecuniae congerendae difficile visum esse; quamvis modus ille, quem suggerebat P. Ignatius, illi perplacuit, et suis litteris ad eum scriptis non solum id significavit sed et promoveri ab ipso P. Ignatio petiit. Et hoc insinuavi ut zelus etiam, quod ad negotia publica attinet, P. Ignatii videatur, et quod non alienum existimaverit a sua professione ea de re agere.

342. Cum esset Messanae, etiam inter occupationes multas absolvit P. Natalis quae circa constitutiones adnotaverat et ad P. Ignatium misit, et interim Messanae easdem ad praxim illius Collegii adtemperavit, quod et postea Panormi fecit, quo se contulit paulo antequam Pro-rex, scilicet, sexta Octobris, ut studiorum renovationem disponeret.

343. Fuit ibi exceptus avidissime a nostris, quibus non minus utilis quam jucundus fuit ejus adventus; complura enim ejus praesentiam desiderabant. Stabilivit autem et ejus Collegii

Digitized by Google

statum sua diligentia confirmavit; negotia vero omnia magno labore et industria confecit; et in multa pia opera, similia illis, quibus hoc eodem anno Messanae vacaverat, incubuit; et inter caetera, montem hic etiam pietatis ad pauperum subventionem suis consiliis et intercessione adjuvit; multi, qui diutius carceribus inclusi fuerant, ejus opera liberati fuerunt; nam, simul atque pervenit Panormum, quindecim ex illis, et ad Natale Domini plures quam quinquaginta solvendos curavit; aliquid etiam pecuniae ex variis eleemosynis non sine sollicitudine collectae ad illorum aes alienum persolvendum contulit, qua in re permultis, quos miseriarum magnitudo pene ad desperationem redegerat, singulari fuit solatio et sublevatione; effecit praeterea ut multis tum egenis tum aegrotantibus subveniretur, ita ut, Dei gratia juvante, viginti pauperibus domibus vel familiis in singulas hebdomadas provideretur, et duodecim aegrotis, qui praeter penuriam, qua circumventi erant, gravi morbo laborabant, ut quotidie succurreretur curavit, et qui, omni humano praesidio destituti, de vita periclitabantur, quam maxime hoc auxilio convalescere coeperunt.

344. Duabus etiam domibus puerorum orphanorum, quarum alteram Catanae, alteram Calatagironae institui curaverat, ut reditibus annuis dotarentur sollicite curavit; sed et coenobium Conversarum Drepani, anno superiori ejus opera inchoatum, ut etiam reditibus dotaretur satis pinguibus effecit. Studuit postremo ut Panormi Collegium quoddam saecularium sacerdotum, cum domo et reditibus non exiguis, orphanorum domui jungeretur, de qua unione multum boni consecuturum sperabatur, ad Dei honorem et spirituale orphanorum auxilium. Intentus etiam erat instituendo cuidam monasterio monialium vitae correctioris, in quo nobiles quaedam mulieres ex primis ejus urbis collocarentur, cujus cura religiosis quibusdam et probatis viris, quos vulgo *scalzos* vocant, erat demandanda.

345. Cum etiam Archiepiscopus Panormitanus cum tribus aliis Siciliae Episcopis rationem inirent monasteria in perfectiorem vivendi formulam reducendi, constituit Pro-rex, cujus favor ad hoc opus accedebat, ut P. Natalis illis accederet, qui praeclarum hoc opus ut posset promoveret, et qua ratione ad exitum deduceretur observaret. Nec mirum si tam multis pietatis operibus sollicite charitas Patris Natalis daret operam,

Digitized by Google

cum ipse Pro-rex Joannes de Vega summo arderet desiderio regnum illud Siciliae consilio, doctrina, atque opera nostrae Societatis in meliorem vivendi rationem adducendi, et cum Pater Hieronymus Domenech ex eo regno profiscisceretur, injunxit ut cum P. Ignatio de hac animi sui voluntate conferret, et aliquos idoneos nostrae Societatis operarios impetrare conaretur, qui multorum piorum operum per universum Siciliae regnum fundamenta jacerent, et in urbibus celebrioribus Societatis etiam Collegia propagarent; sed penuria operariorum ut pedetentim progressus hic fieret cogebat.

346. His tamen districtus curis P. Natalis nihilominus praeter hebraeam, quam supra diximus, lectionem, aliam etiam de casibus conscientiae praelegebat, et cum M. Rivadeneira propter valetudinem aliquando a concione abstineret, ejus loco P. Natalis concionatus est, et, eo recedente, in ejus locum Magistrum Michaëlem succedentem sublevavit P. Natalis in concionibus, quae ad nobiles matronas singulis mensibus habebantur, quibus Domina Isabella de Vega, nova Bibonae Comitissa, semper intererat. P. autem Paulus in concionibus apud peccatrices habendis eumdem Michaëlem sublevavit. Et haec duo opera magnae utilitatis Panormi censebantur.

347. Accomodabat interim P. Natalis constitutiones nostras ad Collegii Panormitani praxim, et toti gubernationi tam ejus quam messanensis Collegii praeerat, nullum tamen scholasticum approbatum nec coadjutorem formatum admisit. Agi autem coeptum est de transferendo Collegio Panormitano ex conducticia domo, in qua eatenus fuerat, in propriam domum Sancti Philippi de la Grotta, cujus possessio per simplicem supplicationem a Summo Pontifice subscriptam (*signaturam* vocant) tunc accepta fuit, quia constabat per litteras de Imperatoris consensu. Curatum est ex fructibus ejusdem Abbatiae ut et scholae, et refectorium, et aliae officinae ac cubicula ad usum Collegii necessaria concinnarentur. Erat enim hic animus Proregis ut primo quoque tempore eo commigrarent; et in hac migratione, habitis publicis conclusionibus, P. Natalis studiorum renovationem publicari volebat. Collegia quidem expetebantur et missiones nostrorum in variis urbibus Siciliae; sed dicebat P. Natalis permittenda esse haec duo Collegia radices altiores agere, et suo loco et tempore ex eis colonias alio deduci posse.

Digitized by Google

Agebatur etiam de Collegiis ad modum Germanici instituendis, quae seminaria essent clericorum totius regni; sed tam multa amplecti opera Societas tunc non poterat [1].

348. Venit in Siciliam Dominus Sanchius de Leyva, qui praesidio Africae praeerat, et seditione militum expulsus inde sine ulla sua culpa, et praefectus generalis triremium regni Neapolis ab Imperatore creatus fuerat. Expostulavit hic cum P. Natali quod a se ex Africa recessisset; sed magnam ei benevolentiam ostendens, eidem confiteri voluit et magnam eleemosynam per eum dispensari voluit. Missus autem fuit sub idem tempus dux quidam in Africam a Pro-rege ut eam urbem everteret; et dixit P. Natali velle se ut ossa tribunorum, ducum et aliorum primariorum militum, qui ibidem obierant et sepulti erant, ad ecclesiam Abbatiae nostrae Sti.. Philippi transferrentur, et ibidem vexilla et insignia cum inscriptionibus ad perpetuam rei memoriam ponerentur.

349. Mutavit deinde lectionem casuum conscientiae P. Natalis in concionem matutinam diebus festis in templo divi Antonii habendam, cum aliqua praeter diem dominicum acciderent, ut sic horae pomeridianae piis negotiis tribui possent. Nec tamen, quae de Sacramentis legere coeperat, omisit, sed in priorem partem concionis transtulit; posterior de ipso festo agebat; et ejus conciones auditoribus, viris primariis, non mediocriter placebant; sed in festo Conceptionis B.ae M.ae Virginis cum ejusdem favore prae caeteris concionibus satisfecit.

350. Venit tandem sub anni finem P. Hieronymus Domenech in Siciliam, quo recto itinere ex Hispania navigaverat, et magna laetitia non solum nostros sed etiam Pro-regem affecit. Quia tamen a P. Ignatio injunctum fuerat ut Romam veniret, bona cum venia et litteris Pro-regis cum triremibus siculis, quae Neapolim tunc ad bellum senense veniebant, iter inchoavit, et Neapoli Romam terrestri itinere pervenit. Significavit autem P. Ignatio P. Natalis, redeunte eodem P. Hieronymo Domenech, liberum se fore bona cum venia Pro-regis ut, quocumque vellet sancta obedientia, se conferret; quia tamen adventus turcarum in sequentem annum timebatur, non esse diu cunctan-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Natali, de Collegio, quod in urbe Montisregalis instituere vult Cardinalis Farnesius, de reditibus, etc., 26 Novembris et 3 Decembris.

Digitized by Google

dum ajebat si ex Sicilia educendus esset; quamvis enim rationes Roma missae et Pro-regi propositae ei persuaserunt expedire ut ex Siciliae regno P. Natalis educeretur, impedimenta nihilominus ratione belli nasci poterant; quod in causa fuit ut mature anno sequenti P. Natalis inde recederet, ut suo loco dicetur [1].

---

351. Cyperanum hoc anno missus fuit, Sebastianus Romei, cum aliquem peteret Cardinalis Mendozius; nec enim Sacerdos commode mitti potuit, ut ille optaverat. Coepit autem juxta Cardinalis mentem scholam aperire, in qua pueros legere et scribere, et aliquos eorum etiam grammaticam, omnes autem simul doctrinam christianam edocuit, quod non sine magno illorum fructu et parentum consolatione fuit. Aliquas etiam exhortationes habuit, et cum publica officia canonici non dicerent in communi, sed privatim quisque et parum reverenter ac sine lumine etiam ante Sanctissimum Sacramentum, adduxit eos ut omnes simul et alta voce illud dicerent, luminibus etiam accensis. Curavit etiam altaria concinnari ac vestiri decenter, ecclesiam mundari, campanam etiam pulsari, quod in usu non erat, cum Missas erant celebraturi aut officia divina. Constituit insuper ut meridie ad orationem pulsaretur, irreverentiam canonicorum erga Sanctissimum Sacramentum reformari, qui nec ante illud genua flectebant; et quia in pronuncianda Missa absurdissimum in modum errabant, rogavit eos ut se quotidie in locum aliquem accerserent, ubi illis evangelia et epistolas totius anni explicaret, grammaticam etiam se eis praelecturum recepit, si vellent. Curavit etiam ut bulla Sanctissimi Sacramenti populo illi communicaretur, ut reverenter erga illud se haberent; indulgentias etiam societatis rosarii, ut vocant, eis qui nomina tali societati darent, impetrare studuit. Ad Sacramenta confessionis et communionis aliquos adduxit, qui eidem,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, ne ipse cum sociis Romam ingrediatur ante 8 Septembris, sed aut Genuae subsistant aut in alia alii Collegia per Italiam se conferant, 28 Junii. Exiguus certe est, si cum aliis annis comparetur, numerus litterarum hoc anno de rebus in Sicilia gestis scriptarum, qui ad nos usque pervenit. Consuli tamen utiliter possunt *historicae* hujus anni et *quadrimestres* litterae et Patris Natalis, Domenech et aliorum.

Digitized by Google

cum Sacerdos non esset, omnino confiteri volebant. Accidit tamen eo tempore, quo Cyperani fuit, ut populus ille cum alio vicino contenderet, et cujusdam oppidani filius fuit interfectus, pater autem vulneratus in oppidum se recepit, et aliqui utrinqui capti. Cardinalis autem, ducentos milites inducens, pacem curare studebat. Curavit autem Sebastianus ut ille, qui vulneratus erat, confiteretur et communicaret, quod opportune factum fuit, cum postmodum ex vulnere decesserit. Haec perturbatio publica fructum spiritualem non parum impedivit. Cum autem inde brevi recessurus esset ut Romam rediret, nec aliquis reperiretur, quem sibi substituere in doctrina christiana enarranda posset, redegit in scripta expositionem orationis dominicae, symbolum apostolorum, praeceptorum decalogi ac peccatorum, quibus adjunxit alia documenta ut de remediis peccatorum; et haec reliquit sacerdotibus ut Missae tempore aliquid horum populo legerent, et tam ipsi quam populus aliquid ex his, quae ad salutem pertinent, sic melius perciperent. Cum autem ecclesiam Cardinalis refici curasset, curavit etiam ut tabernaculum et alia, ad decentiam Sanctissimi Sacramenti pertinentia, conficerentur. Et cum quidam in oppidum concubinam conduxisset, obtinuit ut eam statim dimitteret. Quoniam vero propter caedem suorum maxime concitati essent oppidanorum animi et ad vindictam propensi, persuadere illis studuit ut veniam inimicis condonarent, et ad confessionem accederent, et illi omnes, quos allocutus est, se id facturos promiserunt [1].

352. Quaedam ibi confraternitas erat, cujus bonae institutiones in desuetudinem atque oblivionem abierant, quas cum legisset Sebastianus, confratres admonuit et ad eas observandas hortatus est; inter quas erat confessio certis temporibus; omnes autem promiserunt se id facturos. Rogaverunt etiam ut confraternitatem eam dirigere vellet, cum reformari parati essent. Fere idem accidit alii confraternitati sub nomine Sancti Rochi. Non pauci ex ejus colloquiis ad vitae suae rationem recte instituendam moti sunt. Cum tamen ipse confessiones audire non posset, messis fuit minus copiosa, quamvis ut aliis

---

[1] V. supra hoc anno 1552, n. 34, pag. 428, quibus conjungenda certo videntur quae hic et num. sequenti narrantur.

Digitized by Google

sacerdotibus confiterentur non pauci effecit; et postquam advenisset bulla Sanctissimi Sacramenti, singulis mensibus se confessuros magna ex parte oppidani pollicebantur, qui non solum propter filiorum suorum institutionem in doctrina christiana et litteris se multum ei debere agnoscebant, sed etiam quod aliis multis modis ipsorum profectum spiritualem juvisset. Auxit autem benevolentiam quod cum Cardinalis quemdam ex oppidanis in carcerem conjici jussisset, quod quemdam ex aula sua male tractasset, rogatu Sebastiani, quem secum aliqui ut intercessorem ad Cardinalem deduxerant, statim liberatus est. Et duobus fere mensibus in hac missione utiliter expensis, Romam rediit.

353. Sub autumnum hujus anni P. Andream Galvanellum, bononiensis Collegii Rectorem, inde evocatum superius diximus. Is autem in oppido quodam Vallistellinae (*Morbegno* nomen illi erat) missus est. Vallis illa ex parte sub novocomensi Episcopatu est; sed temporales domini Grisones sunt, quod genus hominum, in Alpibus Italiam a Germania dividentibus, non longe a Tyrolensibus, libertatem suam more helvetiorum retinent, et quamvis ipsi domini haeretici sint, cum aliquam suae ditionis partem in ea valle, quae in Italiam praetenditur, habeant, ubi frequentissima sunt oppida, non prohibent catholicos suum cultum retinere; et ita oppidum Morbegni, quamvis magistratum haereticum haberet, fere totum catholicum erat. Cum igitur in parochia quadam primaria Morbegni aliqui ex primoribus inter se graviter dissentirent et litigarent, placuit Summo Pontifici, aliquorum rogatu, ut aliquis ex nostris eam ecclesiam teneret, donec aliquid constitueretur de rectore illius ecclesiae futuro; et id interim agebatur ut aliquid fructus spiritualis catholici homines, qui illis in locis versabantur, percipere possent. Cum autem P. Andreas ad id idoneus visus esset, litteras apostolicas in forma Brevis scribi jussit Pontifex cum quibus P. Ignatius eum Bononia abduxit.

354. Decima nona Novembris Comum Andreas pervenit, et vigesima secunda, quibusdam Morbegni oppidanis, qui ad eum deducendum Comum venerant, stipatus Morbegnum est perductus, et a nobilioribus ei occurrentibus et demum a toto oppido laetissimo animo exceptus est. Cum autem postridie consilium oppidanorum congregari fecisset et litteras apostolicas eis

Digitized by Google

ostendisset, deductus est ad magistratum, ut dixi, haereticum, ut qui ecclesiarum curam esset habiturus. Nihil ille tunc responsi dedit, nec Missam celebrandi facultatem tunc permisit; sed postquam omnia recte consideravit, liberum ei reliquit ut faceret quidquid ad animarum curam pertineret. Ipso ergo die Sanctae Catharinae Missam celebrare coepit, et dominica die sequenti concionem ad populum habens, omnium se spiritualibus commodis obtulit et exposuit; sic enim ab obedientia sibi injunctum esse, nec illud a se munus quaesitum, sed a superioribus injunctum sibi fuisse. Et cum post meridiem aliqua se verba facturum esset pollicitus, tanta multitudo convenit, ut ecclesiam repleret, et chorum et ipsum organorum locum, inter quos complures erant sacerdotes. Cum autem ea dixisset quae Dominus illi dederat, ad aliam deinde ecclesiam se contulit, ubi pueri et puellae et aliqui etiam homines convenerant, et ibi christianam doctrinam edocti sunt. Viri ejus oppidi civiles, eruditi et divites satis sunt, et majori ex parte boni; hospes, apud quem divertebat, primus fuit qui confessus est et communicavit. In vicinis locis multi quidem haeretici erant, immo et haeresiarchae nonnulli, ut qui olim fuerat Episcopus Istriae, et diversarum religionum apostatae; sed Morbegni nihil tale esse cernebatur. Admirabantur ut de re insolita quod pro nullo ministerio spirituali eleemosynam ullam accepisset, sed potius ut in pauperes eleemosynas illas conferrent hortaretur. Ratione Adventus jam inchoati multi sacramentum confessionis frequentabant. Cum magna denique consolatione ejus communitatis ibi versatus est. Pauperes etiam ab eo sunt adjuti; nam omnia emolumenta parochi in eorum utilitatem converti voluit per quemdam ad id deputatum. Displicebant illi retia multa ad pecuniam captandam proponi solita in baptismis, confessionibus, missis parturientium, et sponsarum benedictionibus, mortuorum sepulturis, et communionibus; et quamvis consuetudines bonas non esse relinquendas quidam causarentur, tamen ut quidquam horum susciperet nunquam est adductus. Doctor quidam, et idem pius et spiritualis vir, qui multorum sacerdotum curam in illis locis gerebat, ejus obedientiae se subjicere volebat. His igitur aliisque similibus operibus bonis deditus quod reliquum erat hujus anni ibidem exegit; et illud vere mirum expertus est, quod quamvis ad frequentem confessionem

Digitized by Google

non pauci accederent, difficile ad frequentem communionem adducebantur; aliqui tamen id sibi persuaderi sinebant.

DE NOSTRIS INGOLSTADIENSIBUS

355. Primis duobus mensibus hujus anni nostri Ingolstadii fuerunt; quo tempore tres novitii, de quibus superiori anno facta est mentio, Lovanio recedentes, illac transierunt, et quartus illic aderat, Magister Arnoldus Conchus; sed cum nostri de institutione Collegii Ingolstadiensis tunc quidem parum sperarent, tres illos Viennam ad P. Claudium miserunt. P. Canisius cum argentinensis capituli litteris et Romae peteretur et ipse invitaretur, timebat ne solum Doctorem Gaudanum ibi relinquere cogeretur, quem aliquando, licet magna pietate et virtute praeditum, tenebrae quaedam et desolationes vehementissimae ex melancholico humore procedentes vexabant, et ita in aliorum Viennensium societate potius quam solus Ingolstadii eum versari expedire judicabat Canisius. Quamvis autem frigeret negotium Ingolstadiensis Collegii, Eistetensis nihilominus Episcopus, sicut et Constantiensis, instituendorum Collegiorum bonum animum tunc ostendebant. Interim dum Ingolstadii hoc anno versarentur, praecipuum ex Augustanis concionatoribus et Carolo Imperatori, ut ferebatur, carum et aliis principibus catholicis ob suos in tuenda fide labores, ad gradum doctoratus in theologia promoverunt. Praefuit iis P. Canisius, qui orationes subinde ad rem novas afferebat et suam operam ut egregie disputationes haberentur conferebat; et cum ad nostros ex promotione theologica viginti floreni pro more Universitatis redirent, eidem, prout ipsi solebant, restituerunt. Ut enim, ne saeculares doctores conquererentur, admittere pecuniam cogebantur, ita, ne a nostri instituti ratione recederent, eam restituebant. Non tamen sine aedificatione id fiebat. Concionabatur interim P. Canisius populo, qui, licet non paucas Ingolstadii conciones eo tempore haberet, insolitam tamen et quodammodo insatiabilem aviditatem ejus audiendi ac proinde summam attentionem ostendebat, et ita fructum peculiarem se percipere ex eis declarabat.

356. Urgebat suis litteris P. Claudius Ingolstadienses no-

Digitized by Google

stros ut inde Viennam migrarent, cum eam esse P. Ignatii mentem intellexisset, quia Regi romanorum Ferdinando promissum fuerat, Collegio Viennae stabilito, omnium facultatum praeceptores, quas quidem Societas nostra profiteri solet, esse mittendos. Sed ratio, qua inde educti sunt, haec fuit. Rex romanorum Ferdinandus duos illos, scilicet, theologos, qui erant Ingolstadii, nostris suggerentibus, per litteras a Patre Ignatio postulavit. Quamvis autem ipse P. Ignatius omnino Ingolstadio removere nostros cuperet, donec Collegium integrum eo mitteretur, sine offensione Ducis Bavariae id fieri cupiebat, et ideo ab ipsius socero, Imperatore, eos postulari voluerat. Quia tamen charitas exigebat ut auferretur alicujus offensionis occasio, etiam inter generum et socerum, hanc rationem inivit, ut Romae a Summo Pontifice nomine Regis romanorum duo theologi nostrae Societatis peterentur, non Ingolstadienses nominando; et, cum Pontifex satisfieri Regi vellet, suggeri fecit Pontifici non esse alios idoneos quam duos illos Ingolstadienses, qui tamen Duci Bavariae ad inchoandum ibi Collegium missi erant, sed posse Suam Sanctitatem praecipere ut mutuo donarentur Imperatori, interim dum Collegium illud Ingolstadiense fiebat. Et ita per Cardinalem quemdam Pontifex P. Ignatio significavit; et ipse 28 Januarii nomine Summi Pontificis, cui obedientiam peculiari voto in missionibus debet Societas, ut inde Viennam se conferrent, nostris Ingolstadiensibus scripsit, et quidem intra decem dies postquam litteras accepissent. Scripsit etiam Duci Bavariae quod a Summo Pontifice praeceptum sibi erat ut Doctores Canisium et Gaudanum socero ipsius Viennam transmitteret, et se quidem missos Ingolstadium excusationem obtendisse, sed ut mutuo darentur et ad tempus tantum obtinuisse; et in hunc sensum Regi romanorum etiam rescripsit; et ita nostros, prout optabat, Ingolstadio eduxit; et quamvis res satis esset molesta Duci Bavariae, non tamen conqueri de Societatis Praeposito nec de socero poterat. 23.ª ergo Februarii Ingolstadium pervenit quidam cum litteris jam dictis a Rege Ferdinando missus, qui nostros Viennam deduceret, et cum expressam illi tam Summi Pontificis quam Generalis Praepositi obedientiam viderent, 24.ª die contulit se ad Ducem P. Canisius et, gratias agendo de beneficiis in Societatem collatis, ut bona cum ipsius venia sibi

Digitized by Google

et Doctori Gaudano liceret superioribus obedire postulavit. Aegre ferens eorum recessum Dux multis modis immo et precibus agebat ut aliquandiu subsisterent, donec ad socerum suum Ferdinandum ipse scriberet; sed cum praescriptum decem dierum tempus moram non ferret, hoc decrevit tandem, misso Romam secretario revocationem eorum curare juxta spem, quam P. Ignatius ei faciebat, cum Collegium Ingolstadiense inchoaretur [1].

357. Omnia necessaria ad iter nostris et praeterea centum florenos numerari in viaticum jussit, quod licet necessarium non esset, cum qui missus erat a Rege liberaliter expensas esset facturus, benevolentiae tamen Ducis signum fuit, et ita non refutandum. 28.ª igitur Februarii, quae dies erat dominica; cum post concionem populo valediceret P. Canisius, multi cum planctu et lacrymis quantum de recessu eorum dolerent testati sunt. Eumdem affectum professores Universitatis, cum eis valedicerent, ostenderunt, et pene tota Universitas. Salutarunt Episcopum Eistetensem, Universitatis Cancellarium, et quamvis stomacharetur contra P. Claudium, suam tamen benedictionem et ipse dedit; et cum ad navigium usque, per quod secundo flumine vehebantur, primores civitatis eos comitarentur, immo et aliqui cum eis aliquandiu navigarent, intra praescriptum decem dierum tempus Ingolstadio processerunt; nec parum fuit, salva obedientia, habita ratione debiti officii cum omnibus, inde recessisse. Duo germani novitii cum eis venerunt, quorum alter fuit Joannes Dirsius. Et hunc finem habuit eo tempore nostrorum residentia Ingolstadii.

DE VIENNENSI COLLEGIO

358. Praeerat nostris Viennae P. Claudius Jaius, quamvis sub eo P. Nicolaus Lanoyus a P. Ignatio curam eam acceperat. Addebant sese Societati rari, sed aliqui tamen, juvenes germani

---

[1] Ignatii litteras ad Romanorum Regem, Ferdinandum, et Bavariae Ducem, Albertum, habes in vol. III operis *Cartas de San Ignacio,* pp. 31, 32 et 389. De eadem re eademque die scriptum fuse fuit Patribus Claudio Jaio et Petro Canisio, missaeque sunt patentes seu *obedientiae* litterae Patribus Canisio et Gaudano, quibus eis injungebatur ut, cum bona Ducis, Aiestetensis Episcopi, Universitatis et populi venia, quamprimum Ingolstadio Viennam se conferrent.

Digitized by Google

et illyrici, ita ut, cum accederent Ingolstadienses, jam nostrorum numerus ad viginti quinque Viennae ascendisset. Civitas illa Viennensis, ut Austriae caput et ubi regia majestas diu residebat, confluentibus undecumque variarum provinciarum hominibus frequens erat, nec solum ex Ungaria, quam turcae vastabant, multi eo venerant, sed etiam ex Italia, ad arces et propugnacula constituenda, magna italorum multitudo convenerat; sed hi, dum apud nationem linguae peregrinae sollicite necessaria corpori quaerunt, in magna rerum spiritualium penuria versabantur, ut qui sacerdotum subsidio, qui ipsorum linguam intelligerent, destituti, Sacramento confessionis jamdiu plerique caruerant. Quod intelligens P. Claudius statis diebus haebdomadae aliquos ex fratribus mittebat, qui ea loca et officinas, ubi itali hujusmodi suam operam navabant, circumlustrarent et familiaribus colloquiis ad confessionem eos et ad concionem italicam invitarent; sine ulla mercede medicos animarum et spiritualia solatia eos inventuros esse. Et ita, cum res innotuisset, magna hominum multitudo in quadragesima ad poenitentiae et communionis sacramenta percipienda ad nostros convenerunt, et ad conciones sacras audiendas; nec solum illi, quos nostri fratres invitaverant, sed ingens caterva militum et eorum, qui aulas eorum principum sequebantur, quorum multi hispani et galli erant. Fama etiam ad alia remotiora loca ab ea urbe pervagata est, unde plurimi ad festum Paschae ex remotis etiam locis advenerunt, quorum confessiones nostri audierunt et, accepta a Viennensi Episcopo facultate, in festis Paschalibus Sanctissimam Eucharistiam ministraverunt. Inter hos familiae quaedam italorum, qui municipes jam mutinenses erant, non infimae notae homines exstiterunt, et alumni duorum collegiorum provinciae Austriae, quorum alterum pauperum erat. Nuncius etiam apostolicus, et Comes de Turnov, polonus, et alii plerique aulici his sacramentis refecti fuerunt, quorum aliqui P. Claudium in ordinarium confessorem elegerant. Alii etiam clari viri de casibus conscientiae subinde eum consulebant. Solus inter nostros sacerdotes in ea quadragesima linguam germanicam P. Canisius tenebat, qui suam operam non solum ultro venientibus impendit, sed ad carceres ipse se conferens ac magna sollicitudine ac difficultate eos praeparans, ad confessionem tandem et participationem corporis

Digitized by Google

Christi omnes simul perduxit. Nostri fratres, qui sacerdotes non erant et germanice noverant, in fidei rudimentis hoc genus hominum instruxerunt et suis exhortationibus ad studium pietatis stimulabant.

359. Idem P. Canisius coeptas post suum adventum conciones cum numerosa multitudine, tum nobilium, tum aliorum, prosequebatur, cujus dicendi modus actioque ejus gentis ingeniis ut erat accommoda, ita eum pergratum nec minus utilem Ecclesiae reddebat; quamvis nonnulli de plebe in initio ejus linguam plene non assequerentur, a qua idioma austriacum nonnihil discrepabat. Italica etiam concio continua fuit et, praeter communem audientium instructionem, ad adolescentum ac puerorum italicorum, qui Viennae permulti erant, captum se accommodabat, ut christianae religionis doctrinam addiscerent; vix enim in tanta multitudine, qui sciret orationem dominicam recitare aut symbolum apostolorum inveniebatur; praecepta Dei nullus sciebat; quae ignorantia non tantum in pueris sed in viris etiam erat.

360. In lectionibus, quae in publico fiebant, P. Claudius satis numerosum in lectione B. Pauli ad romanos auditorium habebat; P. Nicolaus Gaudanus Genesim, P. vero Canisius sub aestatem compendium quoddam theologiae vel doctrinae christianae, quod jussu Regis P. Claudio commendatum fuerat, et simul a nostris illis doctoribus concinnabatur, in usum studiosorum et pastorum, qui in ditionibus Regis degunt, quique permanere in Academiis diutius non poterant, enarrare simul et dictare coepit. Domi autem nostrae magister Jacobus Aldenardus, unus ex illis tribus, quos Lovanio profectos esse paulo ante diximus, logicam Aristotelis fratribus nostris praelegebat, et quidem quotidie ter per horam id praestabat. Aliquot etiam externi adolescentes eum audiebant; omnes autem ter in hebdomada in disputatione exercebat. Alii tres nostri, scilicet, Magister Petrus Schorichius, Erardus et Nicolaus, alios nostros graecas et latinas litteras docebant; adjungebantur autem se nostris aliqui etiam externi. Omnes itaque in duas erant classes distributi, alteram logices, alteram litterarum humaniorum, ubi tres ultimi praeceptores diversis horis praelegebant. Non tamen placuit P. Ignatio hic docendi modus, et voluit tres classes distingui juxta diversum auditorum captum, ut non unus et idem omnes

Digitized by Google

lectiones audiret, quae supra vel infra ejus captum essent. Id tamen initio satis durum ibi videbatur et ad externos scholasticos avertendos, qui, tanquam ad publicas lectiones, et nostrorum scholas et aliorum accedebant. Profecerunt nihilominus nostri in privatis his lectionibus ut etiam ad eas docendas idonei evaderent; nec tamen minores in pietate quam in eruditione progressus faciebant [1].

361. Hoc anno vota Societatis emiserunt Carolus Grin, in festo Nativitatis, sub finem anni 1551, et deinde Lambertus Aüer [2] hoc anno 1552 progrediente; hi duo Ingolstadio missi fuerant. Alii nonnulli juvenes et vir quidam jam integrae aetatis germanus Societati se dederant.

362. Constitutum fuerat in Universitate Viennensi, quam Rex instaurare cupiebat, ut sex annis vetus et novum testamentum praelegeretur, et ideo cum Bibliae professores magnopere expeterentur, praeter P. Claudium, etiam P. Gaudanus Sacram Scripturam enarravit. In Collegio etiam nostro, quia cupiebat Rex Romanorum in omni disciplina scholas aperiri, lectoria vel classes ibi confici jussit, ubi nostri, qui domi privatim legebant, publice docerent, quod nostris satis commodum accidit, qui eodem labore quo intra privatos parietes docuerant, docere publice coeperunt. Sed nihil in hoc genere gratius Regi romanorum fuit quam quod nostri Ingolstadienses ipsi fuerint concessi; modus etiam ipsi perplacuit, et hispanicis litteris P. Ignatio gratias egit.

363. Causa cur novitium, magistrum Jacobum Aldenardum, lectioni logices praefecerit Claudius, partim fuit sublevare P. Nicolaum Lanoyum, lectione theologiae et gubernatione domus satis occupatum, partim quia ipsimet Jacobo utile id fore videbatur, qui tentationibus non parum agitatus fuerat, quarum oblivisci propter hanc occupationem coepit. Res ipsa tamen postea docuit abnegationem et perturbationum victoriam per religiosas probationes magis convenire hujusmodi novitiis quam id, quod ipsis placet, indulgere; nam licet obducatur ulcus cica-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Claudio Jaio, ut aliquid ipse, si valeat, praelegat; de iis, quos secum habet, Morales, Victoria, Suetonio, Angelo, ut eos Romam mittat, si id expedire judicabit; de promovendis ad Doctoratus gradum; de concionandi munere; de struendo collegio; de non removendo Petro Canisio; de Labacensi Episcopo, 5 Aprilis.

[2] Ita Polancus; Sacchinus autem scribit *Auerus*, Verdière, *Histoire de l'Université d'Ingolstadt*, t. 1, pág. 272, *Aulbert*.

Digitized by Google

trice, sub pelle tamen morbus latet et demum erumpit; ut huic eidem accidit. Interim tamen, quia promotionem nec ipse nec Magister Otho, ejus socius, Lovanii susceperant, propter properum recessum, quamvis cursum ipsum philosophiae absolvissent, obtulit illos Universitati examinandos ac promovendos in hac quadragesima, et cum doctiores caeteris inventi essent, primum locum Jacobo, tertium Othoni detulerunt; non quod nostri locos hujusmodi curarent, sed quia examinatores jurare solent secundum merita se gradus hujusmodi distributuros. Itaque, licet gratis omnino promovendi erant (nam Imperator nostros sine ullo sumptu promoveri in ea Universitate semper voluerat), non sine aliquo murmure aliorum praeferri debuerunt [1].

364. Compendium theologicum jam dictum, quamvis quod ad ordinem attinet et res dicendas a P. Claudio ac P. Gaudano ex bona parte formaretur, P. tamen Canisius, praeter inventionem, stylum addebat; et ita quamvis argentinensibus eum expetentibus post Pascha mittendus credebatur, id fieri non potuit, ne compendium, cui formam ultimam ipse imponebat, tamdiu differendum esset, quod tam avide admodum exspectabatur, et, ex quo Viennam pervenerant ante medium mensem Martii, inter alias occupationes hanc vel primo loco habebant. Requirebant autem in hoc compendio regii consiliarii, ad Universitatis reformationem deputati, primo ut observaretur in eo ordo magistri Sententiarum; secundo ut in eo confirmarentur dogmata Ecclesiae contra haereticos ejus temporis per Scripturas Sacras et Patrum auctoritatem; tertio ut ex eo sufficienter instruerentur, qui pastores erant futuri nec theologiam in Universitate audire poterant; quarto, omissis quaestionibus metaphysicis, tantum theologicas tractari volebant; ultimo imprimi hoc compendium nomine Universitatis Viennensis volebant; et antequam absolveretur, immo ipso in initio, prout concinnatum erat, praelegi et citari incipiebat [2].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Gaudano, de Jacobo Aldenardo, 29 Novembris; idem Patri Adriano Adriaenssens, quid Othonis parentibus respondendum sit circa difficultates, quas de ejusdem Othonis professione et aliis proponunt, 9 Februarii; idem Patri Nicolao Launoyo, ut Romam mittat Jacobum Aldenardum, quem, si Romam, priusquam Lovanium, venire nolit, e Societate dimittat, 13 Septembris.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Claudio Jaio, Ignatium approbare quod summario seu compendio jam ab eis concinnato Viennae, ad tempus saltem, utantur; si tamen illud typis edere velint, meminerint id fieri non debere nisi prius a Societate videatur et pro-

Digitized by Google

365. Italice concionabatur ipse P. Nicolaus Lanoyus, sed magister Victoria, hoc ipso anno ad sacerdotium promotus, conciones est prosecutus.

366. Quamvis addita monasterii Sti. Dominici aliqua parte commodius nostri habitare et classes commodiores habere coeperant, quia tamen ad juventutem instituendam procul a frequentia urbis illud monasterium Sti. Dominici erat, Regi Ferdinando ut de loco commodiori prospiceret suggesserunt, et benigne admodum ut situs aliquis commodus quaereretur injunxit, et se nullis expensis velle parcere, quod ad aedificationem Collegii attinet, significavit; quod tanto majoris benevolentiae signum erat, quod in summis difficultatibus turcici belli hoc anno versabatur. Et ita situs quidam domorum, quae combustae fuerant, inventus est, de quo Regem erant allocuturi; sed cum pestis et belli necessitas extra Viennam regiam majestatem occuparet, nihil hoc anno de eo negotio actum est [1].

367. Coepit Magister Petrus Schorichius ipso die Resurrectionis Domini germanice concionari et mirum in modum auditoribus satisfecit; quamvis adversa valetudo ne prosequeretur impedivit. Non reliquit tamen suas conciones P. Canisius, nec qui italice concionabantur, nec suis temporibus misericordiae opera erga pauperes, in xenodochiis aegrotantes, vel in custodia publica inclusos; in hispanorum etiam confessionibus, qui in curia horum principum versabantur, utriusque sexus, P. Victoria cum magna ipsorum consolatione exercebatur, et per spiritualia exercitia atque colloquia multos et adjuvit et consolatus est. Inter caeteros fuit Domina Maria Manrique de Lara, quae post exercitia primae hebdomadae, confessionem generalem instituit et jam tunc magno charitatis affectu Societem prosequebatur; quod quamvis pro re nata in aula Reginae Bohemiae id ostenderet, Barcinone postea utilius ostendit, cum ejus Collegii fundatrix exstitit.

368. Nullus erat ex lectoribus, vel publicis vel domesticis, qui non satis multos haberet auditores, nec ulla Universitatis contradictio tunc sentiebatur. In tribus autem locis simul no-

---

betur, 7 Maii; idem Patri Nicolao Launoyo, de compendio theologiae, ejus conficiendi curam praecipuam committendam aut Patri Laynez aut Patri Olave, 29 Novembris.

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoyo, de situ et reditibus Viennensis Collegii, 29 Novembris.

Digitized by Google

stri concionabantur: P. quidam Canisius in ecclesia monasterii Sancti Dominici, in quo nostri habitabant; Magister Petrus Schorichius in alio monasterio et quidem satis frequenti auditorio; et P. Victoria in templo Sancti Joannis Baptistae militum ordinis ejusdem D. Joannis, et harum trium ordinariarum concionum primae duae germanicae erant, tertia italica.

369. Curatum est etiam non mediocri adhibita diligentia ut quidam parochi et monachi, qui communionem sub utraque specie et alios errores lutheranos inducebant, ex urbe ejicerentur. Aegrotantibus etiam in curia principum charitatis officium impendebatur. Regina Bohemiae, quae postea Imperatrix fuit, magno affectu Societatem fovebat, et Rex Maximilianus favorem etiam nostris exhibebat, et primores aulici suos principes in hac parte imitabantur, ut taceam de Nuncio apostolico, comite Martinengo, et de Episcopo Labacensi, cujus charitas crevit erga Societatem non parum, quod gratias quasdam spirituales a Summo Pontifice P. Ignatius ei impetraverat, quo perturbata admodum scrupulis quibusdam ipsius conscientia conquiescere potuit.

370. De cujus negotio, 30.ª die Julii, cum P. Claudius sua manu scripsisset, nec de ejus adversa valetudine quidquam magni momenti perceptum fuisset, sexta tamen die Augusti spiritum Domino reddidit. Sub initium Augusti tres paroxismos febris senserat, et quartus die praedicta exspectabatur et cum minore frigore et calore quam alias febris advenisse videbatur; sed debilitas major in eo apparebat, et cum aliquid cibi, medicorum praescripto, cepisset non sine difficultate, recedentes paulo ante meridiem medici nihil periculi se timere ostendebant.. Nihilominus paulo postea quam cibum cepit, signa quaedam mortis in eo videbantur, ut sudor frigidus, manuum ac pedum frigus, virium debilitas, qua nec spuere poterat nec verba, quae ei dicebantur, satis percipere; loquendi etiam facultatem amisit. Nostri itaque, quod reliquum erat, Extremae Unctionis sacramentum duas horas post meridiem ministrarunt; et quinta hora pomeridiana spiritum Domino reddidit. Ut insperata ejus mors magno dolore amicos externos afflixit ac praesertim Nuncium Apostolicum, Episcopum Labacensem, oratorem Venetum; et ipse etiam Rex Ferdinandus, qui tenere eum diligebat ac magni faciebat, intime

Digitized by Google

ejus recessum sensit. Nostri autem, a quibus mirum in modum diligebatur, non se amisisse sed in coelum misisse protectorem existimabant; et ita non solum Viennae sed aliis etiam in locis peculiari consolatione nostri afficiebantur, dum ejus mortem, qui tanta cum integritate ac charitate vixerat, transitum ad vitam perbeatam in Domino confidebant, unde Societati, magis quam dum vivebat, suis suffragiis utilis esse posset. Qui aliter ejus decessum considerabant, ut amici Universitatis illius et Curiae, Ferrarienses etiam, et Cardinalis Augustanus, et alii plurimi, amare ejus obitum fleverunt. Providentia Dei peculiari factum est ut, ante ipsius decessum, Collegium Viennense tam recte institutum et tam egregiis operariis instructum relinqueretur. Quamdiu vixit in eo, diligenter admodum in promovendis ejus commodis spiritualibus ac temporalibus elaboravit; studia etiam diligenter promovit; unde sub eo in omnibus magnopere omnes proficiebant; et, cum summam invenisset Viennae et concionatorum et lectorum idoneorum penuriam, quos diximus, concionatores et lectores reliquit, et ut se exercerent juvenes in germanica lingua, quo in concionatores evaderent, curavit. Zelus domus Dei semper in eo magnus fuit, et magnopere affligebatur, cum venenum lutheranae infectionis tam late spargi videret, ut nec Episcopi nec principes vires sufficientes ad eam expellendam habere viderentur, et in poenam haeresis furorem turcarum imminere illis regionibus justo Dei judicio timebat. Quibuscumque tamen rationibus poterat pro domo Dei se opponebat. Vir fuit mitissimus, et omnibus pro sua humilitate amabilis, et pro sua prudentia et sanctitate venerandus, ex primis P. Ignatii sociis, in ditione Ducis Sabaudiae natus, sed in Italia et Germania praesertim de religione christiana optime meritus. Non sepelierunt ejus corpus in templo D. Dominici, quia timebatur fore ut ad munitionem urbis ea domus cum templo aliquando dirueretur, sed in templo Patrum Sancti Francisci, qui peculiari eum charitate diligebant. Convenerunt autem sacerdotes cum Magistro Petro Schorichio, quod ex antiquioribus is esset, et in Superiorem elegerunt P. Nicolaum Lanoyum, donec P. Ignatius aliquid statueret; qui tamen postea eumdem Rectorem vel confirmavit vel instituit [1].

---

[1] Elucidari, confirmarique haec possunt litteris praesertim Nicolai Launoyi, Petri

Digitized by Google

371. Cum autem regem Ferdinandum adiissent, de cujus animo dubitabant an post mortem P. Claudii Collegii fundationem esset, ut coeperat, promoturus, aut, ut verius dicam, cum ab eo evocati fuissent, omnem liberalitatem et clementiam suo Collegio est pollicitus, jussitque bono animo ad se semper accedere, quandocumque ipsius auxilio indigerent, immo, licet non indigerent re ulla, gratum sibi fore eorum conspectum significavit; et paucis post diebus dono in Collegium misit sacerdotalia quaedam indumenta cum calicibus. Itaque nulla in re minorem quam prius benevolentiam ostendens, eos vates falsitatis convicit, qui regiam benignitatem propter obitum Patris Claudii clausam erga nostros iri divinabant; nam, si non majorem, eamdem certe quam prius nostris ostendit, et eorum opera in rebus magni momenti usus est; quod et de aliis primoribus amicis P. Claudii et Nuncio apostolico, qui fratrem suum morti vicinum curae nostrorum eisdem diebus commisit, in quorum manibus, ut christianum virum decebat, ex hac vita decessit. Labacensis etiam Episcopus omnem humanitatem nostris exhibens, de Collegio novo aedificando, cum situs inventus esset, Regem iterum atque iterum interpellabat. Regina Bohemiae sui semper similis in charitate versus Societatem fuit, et, cum instaret partus ipsius, peculiari quadam devotione nostros rogavit ut ad sesquimensem quotidie quatuor sacra pro ipsa fierent, quod diligenter curatum est, et omnia ipsi prospera successerunt [1].

372. Lectionis publicae B. Pauli curam P. Gaudanus suscepit, quam ita exponebat, ut nec nostri nec externi auditores quidquam desiderarent, nam aperte, breviter et docte difficillima quaeque loca enarrabat, haereticorum errores subvertendo et catholicam veritatem egregie confirmando; unde fiebat ut studiosi aequius ferrent inopinatum P. Claudii decessum. Qui quantum amaretur in ea Academia facile licuit in funere videre, quod magnis professorum, magistrorum, nobi-

---

Canisii (has habes in Prat, *Le Père Claude le Jay*, pag. 484) et Joannis de Victoria.— Ea erat Augustani Cardinalis de Jaio existimatio ut post ejus obitum, Testamenti Novi volumen, quo Jaius usus fuerat, sibi dono dari petierit, ut ex litteris novimus a Polanco ad Launoyum datis 2 Octobris.

[1] Polancus, *ex com.*, Nicolao Launoyo, ut morem gerat Romanorum Regi, etiam si is nostrorum aliquem, ut eum in bello contra turcas comitetur, requirat, 20 Septembris.

Digitized by Google

lium et studiosorum querelis, luctu et lamentationibus ad sepulchrum est deportatum.

373. P. Canisius perrexit, ut coeperat, magno cum applausu et utilitate explicare suum illud compendium, Regis nomine, ut superius dictum est, concinnatum. Gerebat idem praeterea domi officium praefecti studiorum, quae hoc autumno non ita ut a P. Ignatio constitutum erat, in diversas classes distingui potuerunt, quod ad externos attinet; pestis enim in causa fuit ut scholae omnes clauderentur ipso tempore renovationis studiorum, nam saevire in pueros praesertim coeperat. Quamvis itaque scholam nostri modo jam dicto aperire parati essent, non solum cum consensu Regis, Episcopi et magistratus, sed etiam cum eorumdem favore, differenda res fuit ad sequentis anni initium propter luem jam dictam, quae multa hominum millia paucis mensibus de medio sustulit, et non solum studiosos, sed aulam etiam universam Vienna fugavit. Magnum tamen fructum de hac schola sibi homines pollicebantur. Qui tamen ex externis ad nostros eo tempore accedebant, simul cum eis precabantur et christianam doctrinam audiebant; et tam propenso erga nostros animo erant nonnulli, ut Jesuitas se etiam esse velle (sic enim nostri vocabantur) profiterentur. Cum autem nostri ter quotidie ad orationem convenirent ut tam multa et dira Dei flagella averti a populo supplicarent, aderant hi juvenes saltem meridie, et precationes nostrorum transcribere curabant, et demum satis pietati dediti cernebantur. Non omittebant nostri conciones germanicas nec italicas, immo hae frequentiores erant quam prius; et admirabantur germani P. Canisii animum erga animarum salutem adeo ferventem. Rogavit autem eum Senatus Viennensis per consulem suum ut in templo D. Stephani, quod post cathedrale commodissimum erat, deinceps concionaretur, quod et praestitit. Alterum etiam concionatorem, P. Victoriam, antequam fugarentur, Nuncius apostolicus et Legatus Venetus et multi alii nobiles audiebant [1].

374. Coeperant aliqui juvenes studiosi post Pascha ad

[1] Ignatii patentes, seu *obedientiae* litterae, quibus Doctori Nicolao Launoyo injungit ut lectiones et scholas ac litterarias exercitationes Viennae ad modum Romani Collegii disponendas curet, 13 Septembris. Missa cum iis litteris est longa descriptio modi, qui in Collegio Romano servabatur. Polancus, *ex com.*, eidem, plura de ordinandis ad Ignatii mentem scholis, etc., 29 Novembris.

Digitized by Google

confessionem et communionem crebrius accedere, et horum numerus paulatim augebatur; sed invidens huic eorum profectui diabolus effecit ut alii eis familiares tam multis irrisionibus et conviciis hos juvenes exagitarent eo quod cum nostris familiariter agerent, ut magnopere eorum cursum in pietate retardarent. Magnus tamen fructus in horreum Domini per hujusmodi confessiones inferebatur.

375. Redibant ex Ungaria milites itali complures, partim morbis, partim vulneribus graviter affecti, sed peccatorum tabe magis adhuc confecti, cum eorum multi jam a compluribus annis hanc sarcinam peccatorum non deposuissent. Hi ergo sancto confessionis pharmaco ab interiori morbo diligenter curati fuerunt, et multi ut christianos decuit ex hac vita decesserunt. P. autem Nicolaus Lanoyus singularem infirmorum in hospitali decumbentium curam gerebat, et aliorum quoque pauperum aliis in locis Viennae commorantium, quibus paternum prorsus animum exhibebat; nec enim solum quae ad salutem animae pertinebant curabat, sed et corporum curam agebat. Et valde ejus et aliorum ex nostris pietas illis praesertim militibus in locis jam dictis necessaria erat; quamvis enim eorum nuditas, fames et morbus homines ad commiserationem excitare debuisset, fere nihil subsidii in ea urbe inveniebant, et laceri vestibus et inedia exhausti praeter morbum in plateis misere procumbere sinebantur, et, cum prae debilitate virium non possent consistere vel corpus movere, vix inveniebatur qui vel rarissimas paleas super humum nudam substerneret. Merito ergo P. Lanoyus et alii nostri, tantam calamitatem ab aliis non sublevatam videndo, putabant id negotii a Christo sibi dari. Effecit itaque ante curiae recessum tum apud eleemosynarium Reginae Bohemorum tum apud alios pios homines ut cibi, vestes et lecti his militibus et aliis quoque pauperibus subministrarentur. Constat autem non paucos in suburbiis et aliis locis civitatis frigore et aliis incommodis fuisse confectos, antequam illis P. Lanoyus subveniret, praesertim postquam cladem miseram regius exercitus in Ungaria a turcis accepit. Constituit autem idem Pater aliquos ex fratribus, qui subinde miseros hos homines inviserent et necessaria juxta morborum rationem ad eos deferrent. Cum autem mors imminebat, prompti aderant sacerdotes ad eorum confes-

Digitized by Google

siones audiendas ac praesertim P. ipse Lanoyus; multi enim in peccatis decessissent absque ullo poenitentiae remedio, nisi solicitudo ejus et charitas illis adfuisset. Ex his etiam nonnulli clara voce testabantur divinitus hunc Patrem ad se missum, per quem a morte corporis et animae liberarentur. Collectae autem eleemosynae fuerunt ab hispanis, qui in curia versabantur; ex qua, praeter pannos laneos et lineos egentibus distributos, pecunia etiam eisdem dispensata fuit, ut rebus suis consulerent.

376. Apud germanos ad hoc usque tempus insuetum prorsus erat saepius ad confessionem accedere, sed paulatim audebant nostrorum suasu hanc consuetudinem Viennae novam inducere; inter quos aliqui ex primo professorum ordine exstiterunt. Sub festum autem Assumptionis B. Virginis mulierum etiam germanarum messem valde copiosam P. Canisius habere coepit, et aliquae ex eis in templo nostro Sanctissimae Eucharistiae sacramentum receperunt, inter quas aliquot nobiles erant. Accersebatur idem Pater ad infirmos nonnunquam ut spiritualis medicus ad spiritualem medicinam adhibendam. Semel ad quamdam mulierem a daemone obsessam evocatus est, ut, si quid posset, in ejus auxilium praestaret; quamvis autem alii extrema quaeque ad eum daemonem expellendum frustra tentassent, in Christi nomine bono animo ad eam accessit et post colloquium non diuturnum cum mulieri confessionem persuasisset, eamdemque audivisset, non solum ex illa conflictatione diuturna cum daemone liberata est, sed sana ad nostrum templum accedens ibi sanctissimo Sacramento Christi Corporis communicavit. Peperit autem illi familiae laetitiam singularem, cum jam multos dies a vexatione maligni spiritus immunem eam perseverare viderent. Accedebat etiam diligenter ad conciones P. Canisii simul cum marito et matre, quae etiam confessa est et communicavit; filium itidem elegantem Societati offerebat; quia tamen aetatis erat tenerae, admissus non est. Non deerant etiam qui confessione generali totius vitae suam vellent conscientiam repurgare; nonnulli ex foedo concubinatu ad honestum matrimonium sese converterunt; aliqui publica scandala correxerunt, et injuste parta restituerunt. Non fuit autem exiguum divinae benignitatis beneficium quod, cum multi passim peste et aliis morbis interirent, nostri, Deo protegente, sani et laeti vivebant, cum tamen sacerdotes intrepide

Digitized by Google

ad infirmos accederent nullique sui copiam denegarent, parati semper et expositi ad dispensanda quibusvis etiam peste laborantibus sacramenta. Cum autem diebus veneris ex decreto regio ad precandum in summo templo convenire deberent, soli fere nostri ex tota Universitate et clero cernebantur, qui cum magna aedificatione et consolatione bonorum ibi continenter, licet per vices distributi, orarent.

377. Cum inclusi in carceribus prius raro ad confessionis Sacramentum accederent, jam saepius P. Canisio confitere coeperunt. Cum autem ex vinculis quidam ad supplicium adduceretur, Pater illi fidus hortator et consolator adfuit, et sic adjuvit hominem illum in publico morientem ut spectanti undique populo aedificationi magnae fuerit. Ex monasteriis virginum duo praecipua eumdem P. Canisium adsciverunt et in patrem spiritualem ac confessarium postularunt et ad tempus obtinuerunt; concionatorem tamen eumdem ne haberent senatus in causa fuit, qui ad populi utilitatem, ut superius diximus, in D. Stephani templo ut concionaretur impetravit.

378. Die sancto Natalis Domini cum ante lucem idem Pater Canisius Missae sacrificium obtulisset, in quo multos utriusque sexus communicantes homines habuit, statim egressus templo, currum spectantem invenit ut in pagum quemdam, ibi etiam sacrificium Missae oblaturus et concionaturus sese conferret; cum enim multis ante mensibus nullum ibi pastorem habuissent, enixe rogaverant ut aliquem ex nostris sacris illis diebus loco pastoris haberent. Illo ergo in loco amanter exceptus et receptus magnam messem comperit, partim in visitandis et consolandis infirmis, quorum etiam confessiones audire et dominico Corpore communicato recreare curavit, partim in docenda juventute, quam in templo collegerat, partim in rusticis illis adjuvandis, quos concione quotidiana ad pietatem exhortabatur et instruebat. Inter caetera domum quamdam ingressus, senem ibi decrepitum jam nonagenarium invenit, qui lacrymis et gestibus declarabat satis quam ipsi grata Patris praesentia fuisset, de cujus manu posset sacram synaxim suscipere. Diutius quidem illuc quam statuerat commorari debuit. Abiens autem vix eos compescere potuit ut munera et pecuniam, quae offerebant ac promittebant, sibi retinerent.

379. Idem Pater ab afflictis et desperatis quodammodo ho-

Digitized by Google

minibus vel accersiri vel visitari coeperat, quod sparsus de eo rumor esset, quod quibusdam in misero statu constitutis, Christo favente, subvenisset; ex quibus una multo jam tempore decumbens, omnem suae salutis spem amiserat, et nec a medicis jam curari nec a confessariis consolationem spiritualem accipere poterat, se a Deo relictam ajebat, magnisque signis comprobabat se a daemone obsessam; quod nec medicus negabat, nam in terram saepe prosterni et huc illuc violenter diu noctuque abripi videbatur; propalabat eadem aperte gravissima prioris vitae peccata, propter quae se juste damnatam et daemoni traditam asseverabat. Cum igitur P. Canisius ad illam venisset (nullus enim confessariorum amplius curam illius habere volebat), permovit primum mulierem ut integre totius vitae peccata confiteretur, deinde, tum orationibus tum exorcismis adhibitis, sic vires daemonis illam corporaliter affligentis repressit, ut jam domo libere exiret, et quotidie Dei templum visitaret, et ut sana domi suae laboraret, et singulis mensibus Eucharistiae Sacramentum acciperet, magnamque in omnibus vitae mutationem prae se ferret. Quae res ut multis magnae aedificationis fuit, ita plures matronae ad confessionem in dies accedebant, et Societatis nostrae institutum magis magisque celebre reddebatur, bonusque odor in Domino sic spargebatur ut jam non amplius nostros gallos, hispanos, vel italos quosdam esse dicerent, ut prius sentiebant ac dicebant.

380. Augebat autem apud populum bonum nomen quod munera constanter a nostris refutari viderent, quae nec raro nec exigua nostris obtrudebantur. Inter alios quidam vitulum, qui a P. Canisio admissus non fuerat, pro foribus projecit ac recessit; sed mox curatum est ut conductus bajulus ei, qui miserat vitulum, reportaret; alii gallinas, confectiones et hujusmodi afferentes, magna contentione ut reciperentur instabant; sed ab omni munere manus excutiebant; et cum a Rege romanorum necessaria acciperent, nihil ab alio quoquam admittendum nec suam libertatem imminuendam existimabant, aut institutum ipsum Societatis ulla ratione in hac parte immutandum. Admirabantur igitur non parum quod tam officiose requirentibus suam operam navarent, idque omnino gratis. Eleemosynae a multis petebantur ad aliorum pauperum sublevationem, sed nihil prorsus ad nostrorum usum cedebat.

Digitized by Google

381. Nuncius Apostolicus non solum ipse Sacramenta domi nostrae sumebat, sed a tota sua familia, quae satis erat ampla, cum nostris Sanctissimum Corpus Christi assumendo, Natalem Domini voluit celebrari. Sed et alii plurimi, ad hoc ipsum accedentes, non parum consolationis sua frequentia ac devotione nostris attulerunt. At vix in aliis tanta animorum immutatio visa est quanta in iis, qui in custodia publica detinebantur; qui, cum initio surdas aures immo rebelles animos praeberent, ac bene monentes deridere ac contemnere viderentur, tandem, animi ferocitate ac pervicacia deposita, audire nostros, amare et colere coeperunt, et eos, qui ad ipsorum consolationem mittebantur, humiliter et libenter excipiebant et auscultabant; collectas etiam eleemosynas ad illos ii adferebant, quae charitas non illos solum sed externos aedificabat; et nobiles quidam multos aureos, vestes et alia hujusmodi, quae illis dispensarent, mittebant; et non solum animis sed et corporibus eorum, qui in carcere detinebantur, consultum est, et longe alia facies ejus custodiae publicae cernebatur, quam prius. Orationes etiam communissimas aliqui prorsus ignorabant; rosaria illis empta, quibus suas preces persolverent, quae in usu frequenti habere coeperunt, nostrisque adventantibus ea ostendebant ut insigne pietatis.

382. Cura P. Nicolai Lanoy nostris non deerat, ut quibusdam cibis aut aliis remediis nostri contra pestem armarentur; et disciplina domestica non minus recte quam vivente P. Claudio procedebat, sive mores religiosos sive studiorum profectum spectes, ut summae concordiae, charitatis et obedientiae impetrator apud Dominum ipse P. Claudius merito credi posset. Certatim etiam ad discendam linguam germanicam dabant operam, magnopere ecclesiis a sacerdotibus desertis in vicinis pagis subvenire cupientes, quarum tanta desolatio ferebatur, ut non solum ad lutheranismum sed etiam ad paganismum multorum animi propensi viderentur; et male habebat etiam viros catholicos quod sub catholico principe vix decima pars catholice sentire etiam tunc inveniebatur.

383. Erat tamen inter alios magister Jacobus Aldenardus, de quo superius actum est, qui gravibus tentationibus post obitum P. Claudii oppugnari coepit et ad suos parentes consolandos ad inferiorem Germaniam redire omnino volebat, immemor

Digitized by Google

aut non certe habens rationem voti, quo se Domino obstrinxerat, et aegre potuit retineri, dum P. Ignatius consuleretur. Erat quidem ipse egregio ingenio praeditus et doctrina, sed qui potius ad philosophica quam ad spiritualia se propensum ostenderet. Demum Octobri mense Romam cum magistro Petro Schorichio missus est, ubi non diu ejus animus conquievit, et cum Doctore Antonio Marino, cujus ingenium et eruditio potius quam profectus spiritus eminebat, a Collegio romano recessit. Et licet uterque aptus ad philosophiam legendam haberetur, et posterior etiam ad theologiam, satis ostenderunt, nisi solida jacta fuerint abnegationis ac spiritus fundamenta, parum sibi posse Societatem polliceri de hujusmodi etiam eruditis et ingeniosis hominibus [1].

384. Quod paulo ante dicebam de desertis parochiis ita se habet, quod prope Viennam in Passaviensi Episcopatu *(Passao* [2] vulgo vocant) cum Rex romanorum magistratum viennensem ut visitatorem misisset, in inferiore parte Austriae, quae subest in spiritualibus praedicto Episcopo Passaviensi, ducentas et quinquaginta quatuor parochias sine ullo pastore, immo et sacerdote, invenit. Sic aliae aliis in locis erant plurimae vel sine pastoribus, vel, quod pejus est, lupos, scilicet haereticos, loco pastorum habentes. Cum autem Episcopi alios, quos mitterent, sacerdotes non haberent, permittunt populis ut id faciant, quod ipsis videtur; et ita contraria Ecclesiae catholicae plurimis in locis docebantur; vitae autem exemplum nihilo melius erat quam doctrina; ludimagistri non erant dissimiles pastoribus; haereticorum libros passim in manibus habebant. Ad remedium aliquod adhibendum quinquaginta juvenes Viennam mitti Ferdinandus Rex jussit ex Austriae provincia; sed cum male instituti accessissent eorum multi, tamen non eis rectoribus commissi sunt Viennae, a quibus emendari possent; et ita magna spes non erat quod in sacerdotes essent evassuri, minus utique in bonos et fideles operarios. Dicebant eorum quidam: quid vultis audire conciones magistri Canisii? papista est. Et haec erat ratio cur aliqui eum nollent audire. Unde videri potest congregationem juvenum hujus-

---

[1] Vide supra ad num. 363.
[2] Sic, pro *Passau*.

Digitized by Google

modi, si bonos instructores ac gubernatores nacta non sit, parum spei dare posse quod ruinas Ecclesiae catholicae sint instauraturi. Ideo P. Lanoyo videbatur non tam esse curandum ut singulis locis parochi instituerentur, quam ut eo modo, quo fit in India, praedicatores catholicae doctrinae instituerentur ac mitterentur, quorum unus multis in locis sanam doctrinam et quae ad pietatem faciunt docere posset. Cupiebat propterea idem Pater ut nostri juvenes germani per pagos vicinos eo tempore, quo a studiis vacabant, propter vindemias aut causas similes, ad verbum Dei praedicandum ad hujusmodi loca mitterentur.

385. Cum in Italiam veniret Magister Petrus Schorichius permissus est a P. Ignatio Veronam accedere, ubi ejus frater, Georgius Schorichius, cuidam nobili viro inserviebat, et ut ad Societatem eum adducere niteretur; quod et fecit, et juvenem alioqui bono ingenio praeditum et varias linguas tenentem ad Societatem attulit; qui ut strenuus operarius in ea vixit et mortuus est, cum tamen ille ipse qui ad Societatem eum deduxerat, ab eadem misere defecerit, ut postea videbitur [1].

386. Injunctum fuerat P. Nicolao Lanoyo ut professionem emitteret, cum professis Viennae praeesset; propter absentiam tamen Episcopi Labacensis non eam potuit emittere usque ad decimam quintam Januarii anni sequentis, et tunc in manibus Nuncii Apostolici, Comitis Hieronymi Martinengi, eam emisit [2].

387. Afflictus fuit valde quartana febri P. Gaudanus et duo alii germani, qui, cum in extremo vitae periculo versari viderentur, extrema unctione ipsis administrata, statim, Deo propitio, convaluerunt; quod in Germania efficaciae hujus Sacramenti non parum utile testimonium fuit [3].

---

[1] Ex iis collige haud temere a nobis dicta, quae conjectando scripsimus in vol. v operis *Cartas de San Ignacio*, pag. 128, not. 2.—Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoyo, ut Petrum Schorichium Romam mittat, aut id probante aut, si expedire videatur, inscio Romanorum Rege, 13 Septembris; eadem die Petro Schorichio ut Romam veniat, eidem, ut fratrem Georgium aut ad Germanicum Collegium secum deducat, aut ad facienda *exercitia* inducat, 25 Octobris.

[2] Ignatii patentes litterae, quibus Nicolao Launoyo Viennensis Collegii curam cum potestate Provincialis attribuit, 19 Septembris.—Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoyo, ne diutius moretur Professionem emittere; quod si in aliquo dubitet, Sacerdotes, qui cum ipso sunt, consulat eorumque judicio se submittat, 27 Decembris.

[3] Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoyo, ne Nicolaum Gaudanum labore nimio premi permittat, praesertim dum adversa est valetudine, 25 Octobris.

Digitized by Google

DE COLLEGIO COLONIENSI

388. Praeerat etiam hoc anno P. Leonardus Kessel nostris Coloniensibus. Accesserat ad Societatis institutum, ut anno superiori dictum est, Magister Joannes Retius, qui licet votum suum Romam miserit, non tamen P. Leonardo cohabitabat, sed in Collegio Coronarum, ubi prius versabatur, mansit; et inde occasio sumpta est ejus Collegii nostrae Societati annis sequentibus committendi, ut, scilicet, in eo nostri docerent; cujus origo haec fuit. Cum Universitas Coloniensis deflorescere magnopere coepisset eorum fortassis culpa, qui prae caeteris eam promovere debuerant, Senatus ipse coloniensis, ac praecipue quidam Dominus, Hermannus Sudermanus, consul, expensis non exiguis theologiam, jurisprudentiam, medicinam, philosophiam et linguas velut ab exilio Coloniam revocarunt, et inter caetera Collegium Coronarum erexerunt, in quo humaniores litterae et philosophica studia docerentur. Commisit autem ejus curam cuidam Domino, Jacobo Leichio, cui familiaris erat Magister Joannes Retius, et iis ipsis annis in illud commigrarunt ac scholam aperuerunt, quae paulatim frequentia discipulorum crescere coepit. Legebat inter alios Magister Joannes lectiones ad humaniores ac politiores litteras pertinentes, et quia Regens (sic vocabant Superiorem) eum amabat et cum eo gravissima quaeque communicabat et vices aliquando suas supplere jubebat, cum coepisset ipsum taedere hujus administrationis, de onere in ipsum Magistrum Joannem rejiciendo cogitabat. Hoc anno tamen cum consilio ipsius P. Leonardi sub illo Leichio docere perseveravit et interim arma illa eruditionis parabat privato studio atque exercitatione, quae Societati nostrae ad proximorum auxilio opportuna esse solent.

389. Pater autem Leonardus in eisdem exercitationibus, quibus anno superiore, versabatur; et quamvis bonus odor Societatis latius in dies spargeretur et a non paucis, inter quos erat nobilis illa Abbatissa Stae. Ursulae, ejus conatus promoverentur, nec deesset spes Collegii aliquando instituendi, etiam hoc anno expertus est illud Apostoli, quod *omnes, qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur*. Primis men-

Digitized by Google

sibus hujus anni quatuordecim domi juvenes ad Societatem adspirantes habebat, ex quibus magna pars voto se Domino consecraverat; alii etiam subinde ut admitterentur in Societatem urgebant; multi sacerdotes, canonici et studiosi ad ejus aedes frequenter accedebant; inter alios Decanus Noviomagensis toto corde ad vitam perfectiorem anhelabat, et ad id spiritualia exercitia sibi proponi instabat, quae eodem fere tempore non paucis cum copioso fructu proposita fuerunt [1].

390. Augebatur etiam in dies confitentium numerus et cum P. Arnoldus Hezeus, hoc anno ad sacerdotium promotus, primitias suas celebraret, vix explicari posset, cum quanta commotione auditorum, suspiriis et lacrymis, quae res insueta valde erat in eo populo, eum audiverint, plurima interim pro more offerentes, quae tamen a nostris non admissa sunt, sed omnia pastori relicta. Magnum etiam habuit idem Pater in sua prima Missa studiosorum communicantium numerum. Coepit et idem novus sacerdos confessionibus audiendis perutiliter vacare, et accidit ei aliquando ut usque ad mediam noctem se avellere a poenitentibus non posset. Ex poenitentibus autem tres ad religionem D. Francisci accesserunt. Suis etiam colloquiis de multis benemeritus est.

391. Rogatu Rectoris Bursae Luchanae et ipsius loco in templo quodam concionatus est P. Leonardus non absque frequentia et fructu. Aliis etiam in locis aut conciones aut exhortationes habere debuit. Rogatus autem ut ad populum vicinum, ejus opera magnopere indigentem, se conferret, nomine *Alphen,* exhortationem frequenti populo habuit; et cum eos, ad quorum conscientias juvandas eo venerat, juvare studuisset, inter caeteros ipsum pastorem illius populi, cum quo publice ipsius concubina manebat, ad saniorem mentem reducere curavit, qui, libenter audiens, emendationem in omnibus promisit. Cum autem multi peterent ut suos filios admitteret, tribus tantum adolescentibus facultatem ad se veniendi Coloniam dedit. Pergens inde in civitatem Tielt [2] et Noviomagum, ubi multorum animos ad Societatem penes se habendam propensos invenit, quibusdam pietatis operibus perfunctus, Coloniam rediit. Ibi magistri

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Leonardo Kessel, de admisso in Societatem Gerardo Cools (Brassica), ut eum theologiae addiscendae applicet, 4 Octobris.

[2] Sic; probabilius *Niehl.*

Digitized by Google

suis studiis dabant operam; quorum unus, Magister Gerardus Dordracensis, theologus, votum suum Romam misit.

392. Praeter parochiam, in qua soliti erant nostri sacramenta ministrare, in templo undecim millium Virginum sacellum quoddam B.ae Virgini dicatum Domina illa Abbatissa, quae et Ducissa erat, cum omnibus rebus necessariis concesserat, ut, quandocumque vellent, ibi celebrarent. Quae etiam rogavit P. Leonardum ut linguam superioris Germaniae melius disceret, quo in suo templo undecim millium Virginum posset concionari; quare majorem in eo diligentiam adhibere coepit.

393. Cum facultatem ei misisset P. Ignatius professionem emittendi et patrem haberet superstitem, contulit se in inferiorem Germaniam ut se a suis rebus expediret; nec in itinere Lovanium versus sine fructu eorum, quibuscum versabatur, dies illi aliquot effluxerunt, ut quorumdam lacrymae et pia desideria vitam mutandi et Societati filios tradendi testabantur. In domo parentis sui duo juvenes, ejus exhortatione audita, rebus saecularibus valedixerunt, et ad Societatem nostram se totos dediderunt, quorum alter jam theologiae annum unum impenderat et eum Coloniam secutus est. In reditu autem in pago quodam Coloniae vicino, cum dies esset dominicus, postquam deportasset venerabile sacramentum in processione et Missam celebrasset, post evangelium populo cum fructu concionatus est, quod etiam Coloniae ejus loco P. Arnoldus Hezeus facere solitus erat.

394. Non mediocrem tamen perturbationem in reditu suo Coloniae reperit; quidam enim ex illis juvenibus ab externo quodam viro docto nec exiguae auctoritatis seductus quemdam suum consanguineum, qui etiam Societatis votum emiserat, pervertit; mira enim mendacia contra Societatis institutum eis dicta fuerant. Unde alter eorum, Joannes Marbatius nomine, clam domo se substraxit; alii autem, qui hos duos ut columnas putabant, cum ad perfectionem ipsos hortari solerent, magnum scandalum passi sunt. P. igitur Leonardus, cum, evocato illo Joanne, malam animi ejus habitudinem vidisset, et alios, ut decebat religionis candidatos, non incedere videret, octo vel novem simul domo sua dimisit; et experientia edoctus est quod vel unus, si plusquam par sit toleretur, ad multos inficiendos et se-

Digitized by Google

cum in ruinam trahendos sufficiat. Duos etiam alios Lovanium misit [1].

395. Anno itaque proxime praeterito et hoc in dimittendis hujusmodi, qui suae emendationis spem non faciebant, satis se liberalem P. Leonardus ostendit; quod et P. Ignatius non parum commendavit. Sed et hoc experientia edocuit quod ex his novis plantis aliqui ad patriam profecti ut res suas componerent, cum radices altas in spiritu non egissent, facile subversi ad saecularia redierunt.

396. Plena erat aestas perturbationibus bellicis in inferiori Germania. Occupaverant haeretici Moguntiam et Episcopus, qui Tridento recesserat, cum suis sacerdotibus fugere coactus est, et eorum domos et ecclesias idem haeretici incenderunt tam in civitate quam extra eam. Occupaverunt et Treverim, unde timebatur vehementer ne et Coloniensem Episcopatum aggrederentur; nec difficile admodum fuisset multum illis damnum inferre, quia parum inter populum et clerum conveniebat, et mirum quam exosi sacerdotes et religiosi essent, qui quasi pro ludibrio habebantur et irreverenter in plateis appellabantur. Colonienses timuerunt valde et portis civitatis diu noctuque vigiles adhibuerunt. Illis itaque mensibus res catholicorum non parum in illis locis decreverunt. Nostri autem ob perturbationes publicas coacti fuerunt domi se magis quam solebant continere; pacifice nihilominus agebant, et studia sua tractabant; nec binas exhortationes dominicis diebus et festis diversis in locis P. Leonardus omittebat; quidam etiam studiosi et sacerdotes nostros invisere atque consulere pergebant; et bene apud populum nostri audiebant, quamvis aliqui ex magistris [2] non se admodum benevolos nostris exhibebant, et eorum unus etiam in concionibus nostros exagitabat.

397. Duos ante aestatem P. Leonardus Romam misit inter quos erat Andreas Frisius. Totidem in autumno aliis Lovanio missis adjunxit, inter quos fuit Andreas Avantianus. Misit autem Lovanium socium suum, Arnoldum Hezeum ut, dum

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Leonardo Kessel, de novem dimissis, de modo cum inobedientibus servando, de eo, qui Joannem Marbatiensem seduxit, etc., 4 Octobris.

[2] In septentrionalibus regionibus, saeculo praesertim decimo sexto, qui in theologia Doctoratus laurea insigniti erant, appellabantur communiter *Magistri nostri*. V. *Vita Patris Wishaven*, passim, et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I.

Digitized by Google

P. Adrianus valetudinem Antuerpiae curabat, fratribus Lovaniensibus praeesset. Consuluit P. Ignatium Magister Joannes Retius, postquam Societati se consecraverat, an placeret ut gymnasii Coronarum administrationem acciperet; sperabat enim se consilio et opera nostrorum Coloniae degentium Deo et patriae in eo genere officii satisfacturum; Collegium autem totum, labente tempore, ad Societatem esse deventurum. Quod cum P. Ignatius concessisset, postea onus illud subivit et semper optime se gessit. Plurimi adolescentes studiosi in vitae emendationem incumbebant, qui, cum ad P. Leonardum accederent, vitam ad debitum finem instituere docebantur; qua in re colloquia ejus Patris fructum non exiguum reportabant.

398. Cum litteras P. Ignatii de juvenibus aliquot bonae indolis ad novum Collegium Germanicum mittendis P. Leonardus accepisset, eas Rectoribus scholarum ostendit, ut studiosis eas communicarent; et brevi Collegii Germanici fama per universam Coloniam percrebuit, et plurimi adolescentes in studiis versati ad ipsum accedere coeperunt, optimo animo ad illud iter aggrediendum se offerentes. Pauci eorum ex superiori Germania erant. Qui ergo hoc anno Romam pervenerunt, ut superius dictum est, maxima ex parte a P. Leonardo missi sunt [1].

399. Sperabat idem P. Leonardus multum boni ad Societatem proventurum esse, si Magister Joannes Retius administrationem Collegii Coronarum susciperet. Significavit nihilominus P. Ignatio utile fore Magistro Joanni Retio si Romam venisset et res Societatis penitius ibi cognovisset; quod illi sequenti anno concessum est.

400. Fatetur autem nunquam se spem majorem nec meliorem de rebus Coloniae cepisse quam hoc autumno, post sedatos belli tumultus, quia occasione hujus Germanici Collegii

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Leonardo Kessel, de mittendis in Collegium Germanicum, 5 Aprilis; eidem Ignatius ut ad proximum Octobrem aliquos Romam ad Germanicum Collegium mittat, 10 Augusti.—Similes fere missae sunt 30 Julii Patri Claudio Jaio, quas habes in vol. III operis *Cartas de San Ignacio*, pp. 94 et 395.—Polancus, *ex com.*, eadem die 10 Augusti, Patri Kessel Coloniam et Claudio Jaio Viennam, fuse quales ii esse debeant qui ad Collegium Germanicum mittentur.—Diem jam supremum obierat Jaius 6 Augusti.-Eidem Polancus, ne, ad tempus saltem, Frisones aut Gueldrenses ad Collegium Germanicum mittat, sed solum eos qui Germanica utuntur lingua, 25 Octobris; idem Arnoldo Hezeo et Leonardo Kessel, de iis, qui Colonia ad Germanicum Collegium missi fuerant, 29 Novembris et 27 Decembris, qua die missae etiam sunt Constitutiones Germanici Collegii.

Digitized by Google

cum plurimis studiosis de rebus ad eorum profectum spiritualem pertinentibus agebat. Sacerdotes etiam seniores ac juniores ipsum accedebant de vita corrigenda solliciti et ad id rationem inire aliquam cupientes. Et sic bonus odor Societatis crescebat ut obmutescere adversarii, vellent, nollent, cogerentur. Mulier etiam quaedam meretrice pejor admirandam vitae mutationem Dei gratia per P. Leonardum fecit, ut sicut prius offendiculo jam exemplo et admirationi hominibus esset. Cum enim prius delicatissime vixisset, aqua jam et pane contenta, et super stramina paucis horis quiescens, dies noctesque vitam anteactam deflens, et Dei bonitatem et patientiam erga se laudans, magis valida et sana quam prius, alios nobiles et desperatae vitae homines, ipsi aliquando notos, ad poenitentiam pertrahebat, et ejus verba ut acutus gladius ad medullas usque penetrabant [1].

401. Sub anni finem coepit agere cum amicis P. Leonardus de modo obtinendi ab Archiepiscopo nostrorum privilegiorum admissionem et liberum usum, et inter alios D. Gropperum nostris amicissimum consuluit, cui nostra omnia mire placebant, et, cum die quodam quatuor integras horas cum P. Leonardo transegisset, eum postea in confessarium elegit magno cum desiderio spiritualis profectus. Dedit deinde litteras ad cancellarium Archiepiscopi, quem prius de omnibus informaverat, qui valde humaniter P. Leonardum excepit, et suam omnem operam obtulit apud Archiepiscopum, cui et litteras D. Gropperi se ostensurum dixit; sed quia Coloniae non erat, ejus adventus exspectandus fuit.

DE COLLEGIO LOVANIENSI

402. Hoc anno, sicut etiam superiore, praefuit nostris Lovaniensibus P. Adrianus ab Adriano; cujus adversitas, si hoc nomine censenda est in carcerem conjectio, de qua superiori anno meminimus, non solum nostros fratres aut amicos non revocavit ab instituto, verum et in frigidioribus singularem

---

1 **Polancus, *ex com.*, Patri Leonardo Kessel, ut videat an expediat, quo major in dies ex Societatis ministeriis in proximos proveniat utilitas, scholam aliquam, ubi nostri doceant, Coloniae instituere, 9 Februarii.**

Digitized by Google

virtutis ardorem accendit, et ferventibus fervorem addidit. Quotquot insigniores concionatores Lovanii fuerunt, hoc exemplo, ut putabatur, provocati, alius alio idiomate ad religionis ingressum alacriter et intrepide homines cohortabantur. Certe eodem tempore, quo illam afflictionem P. Adrianus passus erat, Magister Quintinus Charlart, canonicus Tornacensis et pietate conspicuus, parum noto Societatis Jesu contubernio se adjunxit. Tunc ille spiritualia exercitia tractabat, et hos tumultus in optimam partem interpretatus quam amabile sit propter justitiam persecutionem pati intelligebat, et, ut crucis amator, ex eo magis ad Societatis institutum accensus fuit. Sed et Magister Petrus Sylvius, qui in Collegio Falconis cum aliis praeceptoribus erat, audita et agitata inter ipsos P. Adriani tragoedia, sic ad Societatem sectandam fuit inflammatus ut nihil eum magis moverit ad ejus institutum amplectendum. Cum autem id exsecutus esset, et aditus ad Collegium illud Falconis propterea denegatus ei esset, Doctor quidam theologiae Rectorem Collegii Liliensis convenit ut nostros studiosos ad suas lectiones ibi admitteret; qui non id solum concessit sed ipsum etiam Collegium totum, quod amplissimum erat, Societati obtulit ut altera ejus pars, quae suam aream distinctam haberet, nostris fratribus, altera externis convictoribus et scholis deserviret. Alius etiam theologiae licenciatus, simul atque impetrata esset erigendi Collegii facultas, ad quinque vel sex de nostris fratribus sustentandos reditus annuos promisit. Alius etiam natione hispanus, optimis moribus praeditus et indole egregia, Societati etiam se obtulit. Tantumdem fecit et alius in artibus Magister, natione gallus, et cujusdam cathedralis ecclesiae canonicus [1].

403. Numerus etiam eorum, qui spiritualibus exercitiis excolebantur, non est propter illam tempestatem imminutus;

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Adriano Adriaenssens, de admittendo in Societatem Quintino Charlart, 12 Januarii; eidem Ignatius, de admittendis; de iis, quae apud Imperatorem fiunt ad facultatem erigendi in Belgio Collegia obtinendam: "quod potest recipere domi sine voto, si putat expedire, et hoc ejus discretioni relinquitur; quod sine voto possunt transmitti quovis volet, si ipsi velint, et quod ei datur haec facultas; de nepote Cornelii ut cum Domino Leonardo videat in quo possit patruo gratificari sine detrimento communis boni„, 9 Martii; eidem de admissione Arnoldi Hezei et Petri Sylvii, qui cum Quintino Charlart Romam mitti poterit sub finem Augusti ita ut Urbem nonnisi ineunte jam Octobri ingrediantur; et quot velit, Romam mittat, quos bonos judicaverit, 5 Aprilis.

Digitized by Google

nam primis illis mensibus cubiculum, ad haec exercitia destinatum, nunquam vacuum fuit; et quamvis aliqui ex iis, qui exercebantur, ad religionis institutum permoti non fuerint, magnis accessionibus seipsis meliores effecti sunt. Confessionum et communionum frequentia singulis quibusque dominicis ac festis diebus tanta erat, ut illis diebus oporteret calicem cum hostiis consecratis arae impositum extra tabernaculum teneri, ut passim ad Sanctissimum Sacramentum accedentes communicare possint, quod prius nonnisi in solemnioribus festis accidebat. Duo ut carthusiam ingrederentur moti a Domino fuerunt, quorum alter vir primarius et cujusdam Episcopi frater erat. Quaedam etiam mulieres P. Adriani opera magnopere adjutae fuerunt, inter quas quaedam fuit virgo locuples et in deliciis vivens, quae cum eidem esset confessa, mundum muliebrem divendere in pauperum usum volebat; sed cum intelligeret ab eodem Patre periculum esse ne Deus ab aliis offenderetur, quae hujusmodi curiosos ornatus emerent, eos locis sacris largiri in usum sanctarum imaginum constituit. Fuit et alia nobilis, quae hoc ipsum imitata est, quamvis marito conjuncta erat.

404. Tertio calendas Junii interno quodam impulsu Pater Adrianus professionem, quam anno praecedenti eodem die emiserat, renovare voluit, quae res in Societate nec prius usitata erat, nec in posterum ejus usus inducendus visus est; quamvis ad aedificationem tunc videtur cessisse, non ipsius tantum sed adstantium, qui plurimi fuerunt, concionem habente Doctore quodam et magna hominum multitudine communicante; ubi notatum est quod cum hostias plurimas Pater ille consecrasset citra numeri delectum, ejusdem numeri communicantes accesserunt, ut nec paucioribus nec pluribus opus fuerit. Magister illius hospitalis virginum, ubi haec solemnitas secunda celebrata est, quasi anniversaria, cum a multis mensibus decumberet, vires Eucharistiae Sacramento refecit.

405. Tres erant perdocti et optimi viri, qui de dotatione nostri Collegii Lovaniensis erant solliciti et inter se de ea conferebant. Duo tamen illorum animum suum non indicabant tertio, Regenti videlicet Liliensi (sic vocant praefectum Collegii Lovanii), sed agebant quibus mediis ipsum Liliense Collegium cum omnibus bonis mobilibus et immobilibus nostrae Societati applicaretur, et Regens ipse contentus erat ut statim nostri Collegii

Digitized by Google

partem occuparent. Duo tamen inter caetera effecerunt ne haec tractatio successum haberet; alterum, quod facultas bona stabilia habendi Societas non impetraverat Lovanii; alterum, quod non omnino pacificus possessor Regens ille videbatur. Deerat etiam hortus, quamvis post mortem suam Regens amplissimum donare volebat, undique lapide quadrato cinctum et cum domo lapidea satis magna. Cupiebat autem Regens ille ut nostri suum illud Collegium habitarent et Regentem Societas cum plena jurisdictione constitueret. Optabatur etiam a nostris germanicus concionator, qui, inferioris Germaniae idiomate utens, conciliaret sibi popularium animos, ut sic ab Imperatore et a lovaniensi Senatu facultatem nondum habitam impetrarent [1].

406. Interim ex Collegio Liliensi quidam, prae caeteris eruditione insignis nec minus modestus, post exercitia spiritualia se nostris adjunxit, qui eodem anno ad magisterium erat promovendus; aliqui etiam alii admissi sunt a P. Adriano in Societatem et Romam hoc anno missi cum P. Quintino et P. Antonio Bucleto et aliis quinque fratribus, quibus, ut superius diximus, cum P. Leonardus duos adjunxisset, novem simul Romam venerunt hoc autumno. Manserunt nihilominus octo ex nostris Lovanii; et quidam ad gradum magisterii Lovanii promotus et sacerdos, qui jam confessionibus et lectionibus vacabat, Societati nomen dare voluit, et complures alii idipsum animo moliebantur. Quemdam etiam ad religionem D. Francisci miserunt, qui ibi habitum induit; et multae virgines P. Adriano confitentes ad religionem erant propensae, quorum differebatur ingressus, quod omnia bona monasteria plena essent. Qui singulis diebus dominicis confitebantur et communicabant in parochia, ubi nostros audiebant, centum fere erant.

407. Medio fere Septembri P. Adrianus morbo quodam, quem medici herniam putaverant, vexatus, ut curationi commodius et sine molestia Collegii vacaret, quia etiam occupationes et ad eum confluentes Lovanii curationi locum non reliquissent, Antuerpiam se ad domum maternam recepit, sui loco P. Arnoldum, ut superius diximus, Colonia evocatum, Collegio praeficiens, et scissurae se tandem committere statuerat, et jam

---

[1] **Ignatius Patri Adriano Adriaenssens, ei potestatem faciens admittendi Collegium Liliense in Societatis usum, 7 Maii.**

Digitized by Google

cum chirurgo de die convenerat; quo insignis alius chirurgus non tunc exspectatus cum venisset et exactius morbum inspexisset, herniam non esse, ac proinde non debere incidi, sed alia ratione inflationem illam curari constituit. Sed multis frustra tentatis remediis, de medicorum auxilio parum sperans, Lovanium rediit, divino se auxilio committens; et convaluit adeo ut testaretur ipse nullo totius vitae suae tempore usum esse meliore valetudine quam ab illo die quo chirurgum, medicos, omnemque eorum operam facessere jussit. Nec duos illos menses, quibus haesit domi maternae, sine aliquo fructu spirituali transegit; nam et mater et alii sanguine conjuncti singulis hebdomadis confiteri et communicare coeperunt, et avidissime aliquid boni ab eo audire cupiebant; ejus etiam soror flexis genibus saepius rogavit ut de omnibus suis bonis tam libere disponeret atque si propria essent; et, cum intellexisset utilem fore nostris theologiae studiosis si singuli sacros Doctores ad manum haberent, eadem obnixe et humiliter petiit sibi concedi ut omnia antiquorum scriptorum volumina fratribus Societatis comparare posset; quod cum obtinuisset, liberaliter implevit. Mater autem, quae ad sustentationem fratrum lovaniensium singulis annis praecipua subsidia mittebat et pulcherrima ac preciosa ornamenta donaverat, testamento legare alia bona constituerat; nec sola illa ex consanguineis id agebat. Et tamen a domesticis cavendum etiam piis tamquam a veneno P. Adrianus existimans, cum primum potuit, Lovanium, ut diximus, se recepit [1].

408. Redierat jam Lovanium postrema hujus anni parte Dominus Roardus Taper decanus et cancellarius cum aliis sociis post Concilium Tridenti dissolutum; qui statim nostros ad prandium colloquendi gratia invitans, optimum suum animum erga nostros aperire coepit, nihil, inquiens, se omissurum in quo nostris prodesse posset, et ut eamdem nostri libertatem apud ipsum haberent, quam ipse in Concilio cum Patribus nostris Jacobo Laynez et Alphonso Salmerone habuerat, cum quibus egerat familiarissime, et quorum, ac simul P. Ignatii, in se charitati sedulo se commendabat. Similem affectum Doctor Tiletanus,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Adriano Adriaenssens, ab Ignatio ei concessum ut apud suos valetudinis curandae et aliorum negotiorum gratia, quamdiu necesse erit, versetur; ubi, si confessarium non habeat, qui de Societate sit, alii confiteatur, 25 Octobris.

Digitized by Google

affirmans Patrum nostrorum in Concilio exempla et doctrinam vix verbis se satis explicare posse, ostendebat.

409. Tractabant nostri sua studia diligenter, quorum unus in festo Omnium Sanctorum in aede sacra dominicanorum coram Universitatis totius proceribus adeo piam, cultam, et auditoribus gratam orationem habuit, ut se nunquam antea meliorem audivisse testarentur.

410. Ad aegrotantes nostri aliquando evocabantur, inter quos mater quaedam majoris xenodochii ordinis D. Augustini, cum in extremis laboraret, nostros sibi adesse unice cupiebat, et cum jam auditum amisisset, loquente tamen P. Arnoldo de patientia et laboribus Pauli, auditum tam exactum recepit (habebat autem, dum viveret, in ore pia illa mulier hunc Apostolum), ut etiam quae valde submissa voce dicerentur perciperet. Aderant ei pastor et alii non pauci; at Patrem illa Adrianum sibi adesse peroptabat. Adstantibus etiam D. Cancellario et aliis doctoribus et canonicis, porrecta manu nostrorum se precibus commendavit; et cum P. Adrianus omnes ad orandum pro ea hortatus esset et ipse orasset, statim, oratione absoluta, quasi aliud non exspectans, exspiravit. Confidebat autem se a purgatorii poenis cito per orationes quas postulabat liberandam. Sic alius senex, pastor templi D. Michaëlis, P. Adrianum, cum animam ageret, evocavit, et ut sibi jubilaeum communicare (concessum enim ei fuerat) dignaretur, petiit, eoque reverenter accepto, statim e vinculis corporis excessit.

411. Vir quidam, non exiguae auctoritatis, cum pro more patriae, ut familiaritate nostrorum uteretur, simul cum eis cibum capere vellet, responsum ei fuit fratres nostros suis studiis vacare, nec his externis affici recreationibus. At vir bonus satisfactum sibi putans, ut alio modo benevolentiam ostenderet, pulchras et amplas aedes nostris ad inhabitandum gratis obtulit. Alias tamen commodiores cum Dei gratia exspectabant; nam vir alius dives et Societati amicissimus amplam domum et in commodissimo loco sitam, quae tribus millibus florenorum vendebatur, nostris emere diligenter curabat, et paratus erat quatuor et quinque millia, si opus esset, exponere; quod, cum copiosus fructus in vinea Domini per operarios Societatis proventurus exspectaretur, aptissimum ei locum quaerendum existimabat.

Digitized by Google

412. Inter aliquos juvenes insignes, qui ad Societatem adspirabant, quidam Mechliniensis, in Castrensi Collegio promotus, et eruditione ac virtutis indole egregia praeditus Coloniam nostrorum consilio ad P. Leonardum missus est, ne a consanguineis et parentibus, quibus unicus erat filius, a bono suo proposito impediretur, ubi se totum Societati addixit. Hic fuit Magister Franciscus Costerus. Alius etiam Olandus, litteris humanioribus bene instructus nec minus virtutibus, qui, Societatis studio flagrans, votum ejus adeundae fecerat, ad eumdem P. Leonardum est missus. Alii praeterea ex Liliensi Collegio, et quidem ex primis, se nostris adjunxerunt. Et miro prorsus affectu qui in omnibus Collegiis promovebantur, et lectores, nostros diligebant, ac praecipue in Falconensi Collegio, unde tota tragoedia anno praecedenti exorta fuerat. Fuit inter alios Magister quidam, qui primas inter promotos Universitatis annis praecedentibus tulerat, qui, cum magnopere ad Societatem afficeretur, non poterat tamen parentum et amicorum bona venia id praestare. Adivit interim nostros et se obtulit Societati, rogavitque ut de ipso et de rebus ipsius disponerent; et cum se resignasset voluntati P. Adriani paratus quocumque gentium mitteretur proficisci, non est tamen tunc admissus; cum enim civitatis suae potentissimus esset pater ejus, timebatur ne multum negotii nostris facesseret. Sic alius quidam de Collegio theologorum, cum spiritualia exercitia domi nostrae cum fructu magno absolvisset, sic accensus fuit, ut ne recedere quidem inde vellet, donec P. Adrianus per obedientiam id ipsum ei praeciperet; voluit enim ut spiritum suum extra exercitia per aliquot dies probaret, ac tunc demum maturo consilio ad nostros veniret; interim odorem optimum inter suos spargebat, qui circiter quadraginta erant, et alios secum ad Christum adducturus credebatur [1].

413. Tam multi ad confessiones accedebant, ut sub festum Omnium Sanctorum P. Arnoldus fere trecentorum confessiones audierit, praeter plurimas, quas P. Adrianus audiebat; et imminentibus festis natalitiis in multam usque noctem uterque confessiones audire debuit. Et rarum admodum erat spectaculum,

---

[1] **Polancus**, *ex com.*, **Adriano Adriaenssens, de Petro Spiga in Societatem admittendo Romamque mittendo, 7 Maii et 25 Octobris.**

Digitized by Google

cum omnibus dominicis ac festis diebus mane audiebantur ii, qui communicaturi erant, a prandio studiosi, servi, ancillae et pueri; ut vehementer spectatores vel ex ipso intuitu commoverentur. In hac autem numerosa multitudine vix trigesimus aut quadragesimus quisque inveniebatur, qui non a Paschate confessus esset; nam quasi profanus habebatur, si quatuor aut quinque menses a confessione aliquis abstineret.

414. Quidam concionator summi templi, canonicus et theologiae Doctor, et rerum Societatis acris defensor, non parum auctoritatis ex suggestu doctrinae, quam nostri in confessionibus privatim tradebant, addidit. Cum enim illum frequentissimus populus sequeretur, illa ipsa auctoritatibus Sanctorum Patrum confirmabat et exaggerabat, quae nostri privatim docebant; unde audientium animi in his, quae privatim acceperant, stabiliebantur, et detrahentium ora obstruebantur.

415. Dives quaedam matrona et saecularibus deliciis affluens, postquam P. Adriano confiteri coepit, sic vanitatis suae praeteritae pertaesa est, ut non satis habuerit vana ornamenta deponere, sed aurea cingula et argentea et alia delicata mulierum ornamenta malleo confregit, timens ne aliis superbiendi ansam praebuissent, si vendidisset integra; bonam autem pretii partem pauperibus distribuit. Quaedam alia virgo, quae eidem Patri confitebatur, omnes facultates, quas habebat, vendere et pauperibus dare parata erat, si P. Adrianus id approbasset, et, quamdiu viveret, pro Christo mendicare statuerat; sed repressit Pater ille virginis desiderium dicens nondum illam apud Deum tantum perfectionis meruisse, sed precibus ad eam contendere debere. Tales complures mulieres, ac praesertim virgines, ibi erant, quae ad nutum Patris Adriani omnia relinquere paratae essent.

416. Monialis quaedam professa, succumbens quibusdam subtilibus tentationibus daemonis, clam ex monasterio ad saeculum redire decreverat. Cum autem jam manum operi admoveret, intolerabili cordis angustia correpta fuit; tunc autem commode subiit animum nostrorum memoria. Ante lucem itaque consurgens ad templum Sancti Michaëlis ad nostros accessit et uni eorum confiteri coepit cum compunctione maxima et lacrymarum effusione, nec inde discessit priusquam mirabili quadam Dei illustratione ab infantia tam aperte et integre

Digitized by Google

omnia peccata confessa est, ut nunquam alias se confessam diceret, et detectis diabolicis insidiis et in Dei amore confirmata ac consolatione plena ad suum monasterium reversa est, omnem afflictionem et mortem ipsam potius pati quam inde recedere constituens. Multa quidem coenobia Lovanii sunt; sed tam late patere coepit virginum affectus hoc religionis ardore exaestuans ut aliquando locum unius demortuae quatuor aut quinque exspectarent, graviter et moleste saecularem vitam ferentes, quod nudum Christum nudae sequi percuperent. In omnibus illis diebus festis natalitiis, non minus solemniter quam in Paschate communio celebrabatur, et venerabile Sacramentum cum ornatu et luminibus in altari expositum erat ab ipso diluculo usque ad meridiem, quod Lovanii ante biennium inauditum fuerat. Plurimorum peccatorum durissima corda in dies ad contritionem et Sancta Sacramenta sumenda movebantur et catervatim ex extremis etiam partibus civitatis ad templum Sancti Michaëlis confluebant, ibi promptuaria panis coelestis et quotidiani aperta esse dicentes ad spiritualem refectionem; et, quamvis oblatrarent multi, res tamen eo pervenit ut aliarum ecclesiarum pastores id ipsum in suis ecclesiis praestare cogerentur, ne paulatim a suis ovibus, quae pinguiora pascua sectabantur, desererentur.

417. Elaboratum est etiam ut in summo templo, in quo huic consuetudini communicandi publice aliquando contradicebatur, immo et famelicis sanctus hic panis vitae negari solebat, omnibus jam festis diebus in altari cunctis paratus exponeretur, praesente sacerdote, qui certo stipendio conductus, a prima luce usque in meridiem, accedentibus Corpus Domini administraturus assisteret. Qua ex re vix dici posset quantus sit fructus consecutus, cum vel unico hoc exemplo et pusillorum corda confirmari et oblatrantium ora occludi solita essent, quod hoc ipsum in summo templo Sancti Petri fieret, in quo tot proceres quotidie versabantur. Coeperunt autem et divites et pauperes, et in ipso templo Sancti Petri et Sancti Michaëlis, ubi nostri confessiones audiebant, certatim quae ad cultum venerabilis Sacramenti pertinebant conferre; illi ex auro, argento pretiosisque vestibus, quibus corpus ornare solebant, Sanctissimo Sacramento tabernacula et velamina conficiebant; hi non minori sollicitudine etiam de sua penuria et egestate corrade-

Digitized by Google

bant unde cereos, luminaria aliaque in divini cultus obsequium necessaria compararent, immo ut hoc ipsis concederetur multis precibus exorabant.

418. Nec defraudandus est debita commendatione cujusdam patrisfamilias pius animus, qui, cum senio et morbo confectus domi esset, cum prole etiam debili et uxore, quae nendo victum quaeritabant, parsimonia tamen et diligentia nescio quot annuos florenos emit, quos ad cultum venerabilis Sacramenti augendum dedicare statuit. Cum autem P. Adrianum pia uxor ad id consuleret, ad pastorem, cui magis familia haec nota erat, eam misit. Quamvis autem ille, rationem habens egestatis ejus familiae et imbecillitatis, hanc eleemosynam dissuaderet, senex ipse familiae pater nulla ratione a suo proposito avelli poterat; sed ad hoc ex composito tandem devenerunt, ut semel aliquam summam florenorum elargirentur, et reliqua liberis educandis reservarent; et, ut illa minuta duo, ita sane et hanc pecuniolam magnis divitum donis coram Domino praelatam existimo. Alia hujusmodi piorum hominum facta narrari possent. Seniores autem hac populi mutatione in stuporem rapiebantur et nunquam ea Lovanii visa, ne in provectioris quidem aetatis hominibus, quae tunc etiam in adolescentibus videbant, testabantur. Quaedam piae foeminae votum secreto emiserant de obedientia P. Adriano praestanda; sed eis declaravit se admittere nec posse nec velle hujusmodi vota et ut liberas se existimarent admonuit; quamvis ut confessarius quae ipsis expedire judicaret se dicturum obtulit [1].

DE COLLEGIO PARISIENSI

419. Parisiis in prima parte hujus anni Collegio nostro praefuit P. Baptista Violaeus, qui tanta rerum temporalium premebatur penuria, ut praeter eos, quos in fine anni praeteriti cum P. Everardo Romam miserat, tres alios hoc ipso anno primo vere mittere coactus fuerit, quorum caput erat P. Olive-

[1] **Polancus, *ex com.,* Patri Adriano Adriaenssens, fuse, de valetudinis cura, de admittendis in Societatem, de rejiciendo voto obedientiae a foeminis emisso, de Arnoldo Hezeo, de observantia Constitutionum, de procuranda Imperatoris venia ad Societatis Collegia in Belgio instituenda, etc., 27 Decembris.**

Digitized by Google

rius Manaraeus. Itaque quinque tantum ex nostris Parisiis manserunt, inter quos ipse P. Baptista Viola solus erat sacerdos. Ea autem rerum temporalium angustia, quae tam Parisiis quam Lovanii et Coloniae tunc erat, hoc utilitatis ad commune bonum adferebat, quod boni operarii vineae Domini futuri Romam mittebantur, et dum ipsi res Societatis penitius cognoscebant, ad fundanda etiam Collegia diversis in locis utilem operam praestabant.

420. Cum autem adversa valetudine semper laboraret P. Viola, et P. Ignatius, revocaturus illum in Italiam, dubitaret an aliquis ex eis, qui Parisiis substiterant, curam aliorum gerere et res Collegii Parisiensis promovere posset, neminem esse ille rescripsit, et suggessit P. Ignatio accommodum fore magnopere P. Paschasium Broëtium ut et nostros regeret et in illa Parisiensi vinea ad utilitatem animorum laboraret, et benevolentiam Episcopi Claramontani et aliorum amicorum conservaret, qui aegre laturi haud dubie videbantur si nullus Societatis nostrae professus cum aliis, qui juvenes erant, mansisset; et, si venturus erat aliquis, mature eo proficisci debere ut, antequam inde recederet P. Baptista, et amicos Societatis et rerum omnium, quae ad Societatem pertinent, statum posset cognoscere. Ea igitur causa fuit ut P. Paschasius initio Junii mensis Ferraria profectus Parisios se contulerit. Et ita P. Baptista, in Italiam sub autumnum veniens, primo Parmam, deinde, ut superius dictum est, Ferrariam se contulit, multorumque amicorum parisiensium nomina ad P. Ignatium misit, ut orationum et bonorum Societatis participes fierent. Aegre tulit ejus profectionem Claramontanus Episcopus et ex subsidio illo, quod Societati promiserat, illo in initio aliquid substrahebat; postea tamen liberalitate et charitate uberiore id compensavit [1].

421. P. autem Paschasius, qui nequaquam otiosus in domo

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae Viola, ut se ad veniendum in Italiam disponat, si quem habeat, cui domus Parisiensis curam possit committere, 5 Martii. Ignatii patentes litterae *communicationis gratiarum* Societatis Oliverio Manaraeo, 5 Martii; Ignatius Episcopo Claramontano, de Baptista Viola in Italiam Parisiis evocato et Paschasio Broët in Violae locum substituendo, 24 Maii; eadem die Polancus, *ex com.*, Patri Baptistae Viola, ut Augusto proximo ineunte iter Italiam versus arripiat. V. supra ad num. 204 et 205. Ignatii patentes litterae, quibus Paschasio Broet facultatem tribuit bona mobilia et immobilia acquirendi Societatis nomine pro Collegio Parisiensi, 1 Novembris.

Digitized by Google

Domini esse poterat, non solum Collegii administrationi vacabat, sed multorum externorum confessiones audire et spiritualia exercitia compluribus utriusque sexus hominibus proponere coepit. Alii quidem, qui sacerdotes non erant, familiaribus colloquiis de multis, praesertim scholasticis, benemereri studebant, et non pauci eorum, partim doctrinae, partim pietatis gratia, nostrorum familiaritatem expetebant, et aliqui ex eis ad Societatis institutum bene affecti erant. Aliis ergo studia sua tractantibus aut per colloquia quasi eminus agentibus, cominus P. Paschasius rem gerebat. Cuidam sacerdoti flandro magna modestia praedito cum exercitia tradidisset, magnos ille progressus in virtute fecit, ut se renatum quasi alterum hominem ipse experiretur; ne autem ad Societatem accederet, impedimenta quaedam in causa fuerunt; sed, negotiis expeditis, Christi militiam palam profiteri in animo habebat. Alius ejus socius, eisdem exercitiis instructus, Societatem etiam ingredi constituit, vir praeclaro ingenio et facundia, qui jam annum Sacramenta apud nostros frequentabat, qui praxis civilis exercitio compluribus annis vires intenderat, sed ad majora praestanda talentum a Domino acceperat. Ille tamen differre ingressum debuit, ut res domesticas, patre defuncto, componeret. Alius etiam Sacerdos post exercitia ad Carthusiam animum appulerat, sed, cum propter afflictam ejus valetudinem id ei non convenire P. Paschasius existimaret, aulica vita relicta, suo fungi canonicatu, nam canonicus erat, instituit, spretis honoribus, qui ei non petenti offerebantur. Inter alios sacerdos etiam quidam hispanus, et vir gravis eisdem exercitiis excultus fuit, quae cum commendare non cessaret, quamdiu viveret, tempus aliquod quotidie illis se daturum promisit.

422. Multo plures foeminae in eisdem profecerunt, inter quas quinque viduae magnum a Domino pietatis augmentum acceperunt, quarum una religionem ingressa est, reliquae vitam religiosis affinem agentes et pietatis operibus et orationibus vacantes in suo statu permanserunt. Una earum praenobilis alias nobilissimas matronas ad sacram confessionem ad nostros deduxit, et quatuordecim pauperes privatis impensis alebat, praeter alias eleemosynas, quibus etiam de nostro Collegio bene merita erat. Ex quatuor autem virginibus, quibus eadem exercitia proposita fuerunt, cum omnes valde profecerint,

Digitized by Google

una tantum religionem ingredi decrevit. Conjugatis etiam matronis quibusdam utiliter eadem proposuit.

423. Praeter exercitia autem confessionibus et aliis mediis sigillatim hos atque illos adjuvabat, inter quos tres nobiles virgines ad religionem animum adjecerunt et monasteria sunt ingressae. Diebus autem singulis confessiones P. Paschasius audiebat in aede S.tis Martyribus Cosmo et Damiano sacra, Claramontanae domui, quam inhabitabant nostri, contigua. Festis autem diebus in Abbatia Sti. Germani, pro antiquo more nostrorum parisiensium, poenitentiae et Eucharistiae sacramenta utriusque sexus et variis status hominibus eo convenientibus ministrabat. Ad infirmos etiam moribundos frequenter vocatus accedebat, confessiones interdum audiens eorum et, quamvis alii confessi essent, ad consolationem et spirituale auxilium ipsis aderat.

424. Claramontanus Episcopus nostrorum colloquiis delectabatur, et privilegium bona stabilia possidendi ut obtineremus optabat, et Margaritae, Regis sorori, se negotium nostrum commendaturum promisit. Jampridem a Rege ea facultas fuerat impetrata, sed Senatus nondum sibi persuaderi, ut eam confirmaret, permiserat. Secundam tamen jussionem sub initium anni sequentis, eodem Cardinali Lotharingio, protectore Societatis in Galliis, impetrante, ad Senatum misit, et expresse injunxit ut ad publicationem litterarum regiarum et ad approbationem et vulgationem litterarum apostolicarum procederet. Et ita Senatus parisiensis, audito procuratore generali Regis, decrevit ut communicarentur bullae et litterae regiae Episcopo parisiensi. Sed haec octava die Februarii anni sequentis decrevit; et in eo quid sit consequutum explicabitur. Illud unum hic addam quod litterae Societatis, quae manibus amicorum circumferebantur, aedificationem maximam et existimationem Societatis in multorum animis excitabant [1].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Paschasio Broët, vetitum per Constitutiones esse ne in domos nostras ad convivendum externos, licet ii vel monachi sint vel fratres, admittamus, videat tamen an in gratiam Claramontani Episcopi aliquis ad breve tempus admitti debeat, 25 Octobris.

Digitized by Google

DE P. FRANCISCO BORGIA

ET OGNATENSI COLLEGIO

425. Primis duobus mensibus hujus anni in Provincia Guipuzcoae P. Franciscus Borgia versatus est, et quamvis in eremitorio Magdalenae prope oppidum Ognate resideret, per varia oppida illius provinciae excurrebat, et in eisdem concionabatur et confessiones audiebat, et tanto cum fructu, ut scribat parochus oppidi de Vergara, cognomine Solis, quod, si quis non ageret de vitae emendatione et de rebus ad Dei obsequium pertinentibus, erubescendum sibi omnino existimaret, et pro nihilo haberi se dignum esse. Emendicabat etiam aliquando P. Franciscus, quod erat non minus facto quam verbo concionari. In quodam oppido his diebus cum ad eleemosynam petendam egressus esset, tanta devotione populus ad id concurrebat, ut brevi tempore super ducentos panes et quindecim capones et magnam carnis copiam atque olei, quae non solum nostris sed etiam pauperibus abunde sufficeret, dederunt [1].

426. Ipso die Purificationis Lazcanii concionatus est. Dominus autem ejus loci, qui inter primarios ejus provinciae censebatur, saeculari habitu relicto, ecclesiasticum, quo utitur Societas nostra, induere decrevit, et, ad eremitorium Magdalenae veniens, a P. Francisco spiritualibus exercitiis excultus est, et in Ognatensi Collegio se litteris velle dare operam affirmabat, et, mutato nomine, Philippus de Jesu vocari coepit. Vir erat prudens, et haec ejus mutatio magnae admirationis in ea provincia causa fuit. Ut autem rebus filiorum suorum consuleret, domum redire debuit.

427. Hoc ipso tempore Vicarius oppidi de Zumayå, sacrae theologiae licenciatus et egregie doctus et in magna existimatione integritatis habitus, cum Hierosolymam ivisset ac rediisset, religionem ingredi constituerat, et arbitrio P. Francisci se totum commisit. Non tamen expedire visum est P. Francisco ut ipsi consilium daret ad quam potissimum religionem accedere

---

[1] Ignatius Patri Francisco de Borja, ei potestatem tribuens ut libere, quo magis in Domino ad proximorum utilitatem facere judicet, intra Hispaniam, se conferat, 2 Januarii.

Digitized by Google

deberet. Abiit ipse Vicarius Victoriam, quae vicina huic provinciae civitas est, et, cum venerandum quemdam ac doctum religiosum ordinis S.ti Francisci consuluisset, rediit ad P. Franciscum et cum magna humilitate coram P. Michaële Ochoa Societati se totum tradidit; admisitque illum P. Franciscus, et ad concionandum idiomate cantabrico et confessiones in eodem audiendas perutilis operarius futurus videbatur.

428. Quidam etiam primariae nobilitatis juvenis, Doctor Petrus de Lodosa, cum ex Italia et Germania, ubi militaverat, rediisset, et in Universitate Ognatensi litteris daret operam, et magnam vitae mutationem fecisset, ad eremitorium B.ae Virgini de Aranzazu sacrum se contulit, ut melius de statu vitae suae decerneret, et Societati sese adjicere decrevit, et ut facultatem a suo patre obtineret, qui erat inter primores regni Navarrae, pedibus et per hospitalia iter facere voluit, et demum ad Societatem brevi rediit.

429. Hoc eodem fere tempore P. Bartholomaeus Bustamante, vir aetate maturus, doctrina et prudentia nec minus pietate praestans, cum Societatis institutum elegisset, ad P. Franciscum in provinciam Guipuzcoae se contulit, et, illum comitando in exercitationibus sanctis ad animarum utilitatem, suum tirocinium deposuit.

430. Habebat autem non exiguam messem illo in recessu P. Franciscus cum et confiteri volentium et spiritualibus exercitiis juvari postulantium in eremitorio numerus cresceret, ut complures etiam ante prandium, cum orationibus et sacrificio Missae non exiguum tempus impenderet, confessiones eum audire oporteret; deserere nihilominus aliquandiu eremitorium necesse fuit, ut Victoriam et Bilbaum, insigne Cantabriae oppidum, prout jam promiserat, adiret. Assumptis ergo P. Michaële ac P. Solis, Parocho Vergariensi, Victoriam versus 12 Februarii profectus est, ac in oppidum, quod Salinas vocant. eodem die pervenit sub vesperam. Mane autem, sacro celebrato ac praesente ibi populo, concionem apud eum magnae utilitatis spiritualis habuit. Victoriam inde profectus, cum prohibuisset ne obviam ipsi occurrerent, aliqui tamen ex primoribus ecclesiasticis omnino ei occurrere voluerunt; praetor etiam et senatus cum multis ex primoribus ad eremitorium usque D. Joannis, quo pervenerat P. Franciscus, ad eum excipiendum venerunt,

Digitized by Google

et quia intellexerant quod in hospitali pauperum vellet divertere, rogaverunt ut apud franciscanos hospitium acciperet, qua in parte ipsis facile acquievit et cum magno comitatu et alacritate plurimorum nobilium, qui eum comitabantur, ad monasterium se contulit, et magna cum charitate a guardiano et fratribus ejus exceptus est. Die sequenti, quae dominica erat septuagesimae, constitutum fuerat ut Missae omnes tres horas ante meridiem aliis in ecclesiis essent celebratae, et per praeconem divulgatum fuit ut omnes ad concionem in templo D. Francisci convenirent; et tanta confluxit auditorum multitudo ut, cum monasterium et ecclesia D. Francisci satis alioqui magna essent, multos tamen oportuerit ex ecclesia recedere ne plus satis ob nimiam hominum frequentiam comprimerentur; ubi sermonem P. Franciscus de missis in vineam operariis egregium habuit cum magna animorum excitatione ac commotione.

431. Significavit etiam se die lunae sequenti in templo Sancti Vincentii concionaturum (summa enim ecclesia interdictum eo tempore patiebatur); sed eodem die, quamvis primariorum hominum visitationibus tam ecclesiasticorum quam religiosorum et saecularium premeretur, prima tamen hora post meridiem ad monasterium ordinis S. Clarae se contulit; ubi cum magna religiosarum consolatione perutilem de rebus ad ipsarum institutum pertinentibus concionem habuit; ad aliud deinde S. Crucis monasterium procedens tertiam habuit eodem die dominico concionem; et inde ad monasterium Sti. Dominici se contulit; et semper ei adfuerunt P. guardianus et alius egregius concionator, cum quibus ad monasterium Sti. Francisci post unam horam rediit. Mane autem diei sequentis, cum civitas in templo Divi Vincentii congregata esset, cum magna eorum consolatione concionatus est, et ab Archidiacono ad prandium exceptus, post meridiem ad aedem Sti. Francisci rediit, quo praetor et senatus urbis ad gratias ei agendas se contulerunt quod tanto eos beneficio affecisset, et rogarunt ut urbem illam tamquam suam haberet, et in ea eligeret situm, quem vellet, ecclesiam aut domum ut ibi Collegium aut domus nostrae Societatis institueretur. Plusquam septuaginta clerici ex pagis vicinis ad eum videndum et salutandum convenerunt. Unus inter alios fuit baccalaureus, Perea nomine, vir doctus et

Digitized by Google

dives, qui, omnibus relictis, se velle Deo servire affirmavit et ad sumenda exercitia ad eremitorium Magdalenae se venturum constituit; quod Archidiaconus jam dictus et alii se facturos receperunt.

432. Die martis, post sacrum, cum Patribus in ipsorum refectorio pransus, apud eosdem cum consolatione et utilitate eorum concionatus est; et post meridiem ex urbe decessit et officialem Episcopi cum aliis primoribus, qui deducere ipsum volebant ex urbe, ire prohibuit, quamvis archidiacono et cuidam canonico per mediam leucam venire permisit, et magna affectos consolatione eos, sicut et urbem Victoriam, reliquit. In oppidum, quod Villam novam vocant, eo die pervenit, et die mercurii mane ad templum Missam celebraturus venit, qua peracta, licet plueret, Bilbaum versus pergebat.

433. Exspectabant autem eum in oppido Durango, et praetor cum comitatu honorato eum excepit et in oppidum induxit, ubi post sacrum pro more suo concionatus est. Zornozam eodem die progressus, ibi die veneris sequenti et celebrare et concionari constituerat; sed tanta vis pluviae deciderat, ut ad ecclesiam transire non potuerit, cum magnus quidam torrens viam sic inundasset ut transitum non permitteret. Hoc etiam injuria temporis effecit ne ex oppido Zornoza toto die posset recedere.

434. Sequenti autem Bilbaum ante meridiem pervenit per praerupta quaedam montium loca, ut aquarum molestiam evitaret. Divertit autem ad hospitale pauperum cum magna sua consolatione, nec inde avelli potuit. Eo se magistratus oppidi illius cum senatu et primoribus ad eum salutandum contulerunt, et officiose omnia obtulerunt; et nobilis quidam Dominus Tristanus de Leguizamo, qui praepositus major vocabatur, cum comitatu primariorum virorum eumdem invisit. Hic praeter morem concio in diem sequentem per praeconem publicata est; et, quia nova quaedam Missa celebranda erat, post concionem ea dilata est. Fuit autem magnae utilitatis haec concio, in dominica sexagesima habita. Post meridiem vix aliud quam salutantes primarios viros excipere ac dimittere potuit, et tamen in diem lunae sequentem, in quo cathedra B. Petri celebratur, in aede Sti. Antonii praedicare debuit. Fuerat quidem prius ea concio venerabili cuidam religioso commendata, sed

Digitized by Google

libentisime suum locum P. Francisco cessit; et tanta erat hominum frequentia, ut vix ipsemet concionator ad suggestum irrumpere potuerit; et admirabilis omnino ea concio visa fuit. Et quamvis prandio exceptus a Domino Tristano jam dicto fuit, non omisit tamen charitatis officium erga religiosas Incarnationis, quae fere septuaginta sunt, quas invisit, et concione ipsis accommodata mediocriter consolatus est.

435. Aliqui etiam ex primoribus eodem die rogandum esse P. Franciscum inter se constituerunt, ut in eo insigni oppido (nam in provincia quam Vizcaiam vocant, et Guipuzcoae conjuncta est, oppidum Bilbaum magnitudine et divitiis floret), Societatem residere vellet, et aliqua loca ei obtulerunt, quae ad rem facere videbantur, et ecclesiam quamdam cum optimo aedificio in honorem Sancti Joannis erectam obtulerunt; quod praetor, nomine ipsius oppidi, simul cum reditibus ad collegiales alendos offerebat. Sed P. Franciscus ea de re alio tempore se acturum recepit et ut interim rem Deo commendarent. Homines illi, benigni satis et ad eleemosynas propensi, sponte sua, concionibus et colloquiis P. Francisci summopere commoti, eumdem in concionatorem quadragesimae jam imminentis peroptabant; sed quia majorem ille fructum sperabat si per illa oppida discurreret, quae tantopere ejus concionibus et aliis Societatis consuetis ministeriis juvabantur, hoc munus ibi concionandi in quadragesima non admisit. Die martis sequentis cum Patribus Sti. Francisci in refectorio pransus est, postquam sacrum celebraverat; a prandio autem religiosis cum magna ipsorum consolatione concionatus est; et cum postea ad suum hospitale rediisset, inter multos, qui eum invisebant, unus fuit Prior monasterii Sancti Dóminici, qui suo nomine et priorissae religiosarum Incarnationis ursit eum ut secundo eas per verbum Domini consolaretur. Promisit autem die sequenti mercurii apud eas se Missam celebraturum, quem Dominus Tristanus de Leguizamo, praepositus, cum multis nobilibus comitatus est; sed valetudine adversa sacrum celebrare prohibitus, admirandam nihilominus concionem apud eas fecit.

436. Voluit etiam invisere monasterium ordinis S.ti Augustini, quod extra oppidum erat, quod et amanter fecit. Rediens, apud franciscanos ea nocte divertit, et tantopere de fluxu laborare coeperat, ut ad concionem, quam populus postridie exspe-

Digitized by Google

ctabat, aliquem ex sociis praeparatum esse voluerit; sed Dominus eidem P. Francisco vires dedit, ut die sequenti, qui Apostolo Mathiae sacer erat, majores eas in concionando quam unquam ostenderit, ita ut non ipsius sed a Deo acceptae ad populi aedificationem viderentur. Extra oppidum etiam nobilissimus vir Gomezius de Butron ad P. Franciscum salutandum venit Bilbaum. Concionatus est autem die sequenti de electionum ratione, et magnopere etiam a viris eruditis ea concio fuit celebrata; Provincialis S.ti Francisci ejus praecipua puncta scripto collegit, guardianus autem totam concionem scripsit, quam P. Solis, quamdiu vixisset, se talem non audivisse affirmabat. Post concionem Missam celebravit, cum autem ad aedem D. Francisci magna multitudo convenisset, ad hospitale suum debuit P. Franciscus confugere; ubi, cum mulier quaedam mortem obiisset, noluit ejus funeri P. Franciscus deesse, et simul cum eo nobilissimi quique, qui ad eum venerant, funus comitati sunt, ut invidere pauperi possent foeminae aliae et divites et nobiles hunc sepulturae honorem [1].

437. Die sequenti inter discordes aliquos pacem conciliare curavit, et post sacrum, in hospitali cum magna consolatione audientium de pauperibus spiritu concionatus est. A prandio valedicens viris illis nobilibus ac religiosis, Durangum se contulit, ac die sequenti Horraeum [2] ad Missam dicendam et concionandum venit, quod magna cum aedificatione praestitit. A prandio Elguetam profectus et ibi etiam concionatus est. In omnibus his populis eum ut a coelo missum excipiebant.

438. Die Sabbati Vergaram perveniens et in hospitale divertens, die dominico quinquagesimae ibidem de ascensu Domini in Hierusalem praeclaram habuit concionem, et die lunae in quibusdam litibus ac perturbationibus sedandis occupatus fuit. Die autem primo quadragesimae ibidem etiam concionari constituit, et diebus veneris psalmum *Miserere* explicare populo constituerat.

439. Sed interim a P. Ignatio litteras accepit, quibus in Portugalliam ut se conferret injungebat. Cum enim de P. Simone

---

[1] Ignatius Patri Antonio de Araoz, de erigendis admittendisque Collegiis Vergarensi et Bilbaënsi, 4 Junii; eadem die idem Consilio seu Civitati Vergarensi, de Collegio.

[2] Hispanice *Elorrio*.

Digitized by Google

ab onere Provinciae regendae liberando egisset, et timeret ne quid inde tempestatis oriretur, praesertim apud principes illos, quibus P. Simon carus fuerat, hac ratione eam, si quae fuisset, sedari posse et principum benevolentiam retineri ac omnium aedificationem censebat. Acerbum valde hoc nuncium illi provinciae Guipuzcoae fuit, cum exemplis et praedicatione et aliis pietatis operibus eam reformationem morum in eam P. Franciscus induxisset, quam nec praelati nec praedicatores inducere unquam potuerant; sed cum pro concione se rediturum et quidem ea ipsa aestate promitteret, aliquo modo hominum animos consolatus est [1].

440. Recessit ergo ex Ognatensi domo 19.ª die Martii et Vergaram se contulit, et tertia dominica quadragesimae illi populo concionatus est. Quia vero constituerat in toto hoc itinere pecuniam secum non ferre, eodem die dominico ipsius socii, Patres, scilicet, Bustamante ac Petrus Domenech, egressi sunt cum saccis per oppidum ad eleemosynam petendam; quod cum non fecissent ante illud tempus, aedificationis occasionem habuerunt, et etiam confusionis, cum magnam oppidanorum devotionem animadverterent. In duabus enim publicis viis, in quibus mendicarunt, praeter saccos panibus plenos, pecuniam ad iter aggrediendum sufficientem habuerunt.

441. Die lunae sequenti ad oppidum, quod Reginae domum [2] vocant, perrexit, ubi Ducissa de Frias, Comitis stabilis uxor, quae Ferdinandi Regis neptis et P. Francisci consanguinea erat, cum Comite et Comitissa de Osorno ipsum spectabant. Prima tamen nocte Victoriae haesit, sed secundo die ad Reginae domum perveniens, sub noctem, quia arctum nimis erat hospitale, in diversorio publico hospitium acceperunt; sed graviter id ferens Ducissa, quae domi suae hospitium nostris paraverat, statim ad eos deducendos ad se misit; ubi, quamvis properaret, quatuor dies nihilominus P. Franciscus haerere debuit; non tamen illi vacui fructu transierunt. Interdictum erat illi loco et aliis finitimis a divinis, sed quia facultatem peculia-

---

[1] V. infra sub num. 464. Litterarum et *instructionum* omnium, quas ibi recensemus, trassumpta missa sunt Patri Francisco de Borja, cum aliis Ignatii ad eum litteris, quibus injungebat ei ut in Lusitaniam cum Doctore Torres se conferret, 2 Januarii. In eumdem fere sensum scripsit denuo Ignatius Francisco de Borja, 25 Februarii.

[2] Hispanice *Casa la Reina*.

Digitized by Google

rem habebat Ducissa, coram ea et Comitibus de Osorno, et ipsorum familiaribus Missam P. Franciscus celebravit, qua absoluta, concionem apud eos habuit de Evangelio ejus diei, quod erat *Accesserunt ad Jesum scribae et pharisaei*. Illis etiam diebus confessionem Ducissae et Comitissae de Osorno ac filio Comitis cum aliis, qui viginti duo fuerunt, audierunt ipse et socius P. Bustamante; et cum die veneris sequentis, quo festum Annunciationis celebrabatur, Ducissa cum dictis Comitibus ad monasterium religiosarum, quod habebat e regione sui palatii, se contulisset, quo ex pagis vicinis multi ad audiendam concionem venerant, P. Franciscus eis concionatus est. Et cum die sequenti proficisci vellet, nec propter interdictum possent ibi sanctissimam Eucharistiam sumere, ad vicinum oppidum, nomine Leivam, euntes ac denuo eidem Patri confitentes et ejus sacrum audientes, postquam ad eas aliqua verba exhortatoria, sanctissimum Sacramentum habens in manu, dixisset, cum tanta lacrymarum copia communicarunt, ut omnes circumstantes illustrissimae illae foeminae ad magnam devotionem excitarent. Quamdiu P. Franciscus apud Ducissam fuit, nunquam cum illis Dominis cibum capere, sed seorsum cum suis sociis ac Ducissa ipsa voluit; et cum copioso fructu et consolatione spirituali domum illam relinquens, versus civitatem Burgensem profectus est. Cum autem Ducissa intellexisset quod ex eleemosynis P. Franciscus vivebat, et ille tam ipsi quam Comiti et Comitissae de Osorno eleemosynam trium realium argenteorum pro singulis taxasset; quia parum id erat, noluit Ducissa assentiri, sed quemdam de familia sua cum P. Francisco misit, qui Burgos usque eum deduceret et expensas itineris faceret.

442. Constituerat Ducissa in illo suo oppido, quod vocari diximus domum Reginae, monasterium monialium S.ti Francisci juxta primam ipsius regulam aedificare, simile monasterio gandiensi, et in ejus constructione decem vel duodecim millia ducatorum expendere decreverat; sed persuasit illi P. Franciscus ut in aedificio non amplius quam duo millia expenderet; sic enim et opus citius confectum iri et ad majorem religiosarum consolationem fore, quae paupertatis erant amatrices. Voluit autem ut P. Franciscus ex monasterio illo gandiensi moniales fundatrices suis litteris evocaret; et ita fecit, penes Ducissam litteras relinquens per nuncium proprium mittendas

Digitized by Google

443. Leiva discedentes nostri in oppidum Beloradum se contulerunt, ubi quaedam soror Ducissae de Frias Abbatissa erat monasterii religiosarum S.[tae] Clarae, quae, cum adhuc esset in eremitorio Ognatensi P. Franciscus, ab eo postulaverat ut se inviseret, si per vicina loca transeundum alio esset. Ab illa ergo Abbatissa exceptus peramenter, die sequenti eidem cum monialibus, postquam Missam celebrasset, concionatus est, et cum desiderio et consolationi illarum satisfecisset, eodem die profectus est, et sequenti Burgos pervenit, et cum jumenta extra urbem in diversorio reliquissent, pedites et cum palliis ad domum, ubi divertebat P. Strada cum sociis, apud S. Aegidium se contulit. Ibi statim a nobilibus tam ecclesiasticis quam saecularibus et aliis civibus nostrae Societatis institutum amantibus visitationes crebras habuit, et quamvis unica concione habita inde proficisci decreverat versus Portugalliam, plures dies nostrorum amicorum quodammodo importunae preces eum detinuerunt. Itaque cum die lunae eo pervenisset, die mercurii in Ecclesia S.[ti] Aegidii frequenti admodum et nobili auditorio concionatus est, et, cum magna aedificatio consequeretur, ut ea latius pateret, die veneris sequentis in cathedrali ecclesia, petentibus id canonicis, est concionatus cum magna hominum commotione ac fructu.

444. Die autem sabbati ante dominicam in Passione Burgis profectus, ipsa die dominica, 2.[a] Aprilis, Vallisoletum pervenit, quamvis viginti duabus leucis Burgis distantem. Urgebat enim iter diligenter, ut obedientiae satisfaceret, ubi negotia divini obsequii non eum retinebant; qua in re, ubi nostrorum erant Collegia, sententiam eorum sequebatur. Licet autem secretum esse suum adventum Vallisoleti voluerat, non id obtinere potuit; eadem nocte Marchio de Tavara et alii multi nobiles eum inviserunt, et Marchionissa de Alcagnices, Comitissa de Miranda, et D.[a] Maria de Mendoza, quae uxor fuerat secretarii Covos, ad eum salutandum miserunt. Decreverat ipse die lunae proficisci; sed necesse habuit ibidem haerere, et in monasterio Stae. Catharinae de Senis concionatus est; confluxit autem ad eum audiendum tanta multitudo nobilium utriusque sexus et optimorum concionatorum ac civium ut major esse non potuisset, si multos ante dies praemoniti fuissent. Fuit autem in pernobili oppido illo summa hominum aedificatio consecuta tam ex aspe-

Digitized by Google

ctu P. Francisci quam ex praedicatione; cum enim tam notus ibi fuisset, ubi saepe curia regia resederat, omnes id animo conceperant quod prius opere et deinde sermone concionaretur. Eadem die post prandium reddidit visitationes et salutationes quibus debebat, et Comitem de Buendia invisit, qui domum ad ipsum venerat. Cum autem noctu rediret ad nostrum Collegium apud S. Antonium, ibi Comitem stabilem in sua lectica, quod valetudinarius tunc esset, invenit. Intellexerat enim quod P. Franciscus ad ipsius domum venerat et, cum dormientem invenisset, excitare eum non permiserat. Egerunt autem de Collegio, quod Burgis aedificabatur, Societati tradendo; sed cum postridie profecturus esset P. Franciscus, Marchioni de Tavara negotium hoc cum Comite stabili tractandum commendavit.

445. Eodem die venerat Comes de Lerma ex oppido Tordesillas ad P. Franciscum, socerum suum, invisendum, et cum eodem postridie Tordesillas profectus est, ut salutaret Marchionem Deniae, Comitis de Lerma patrem, cui hoc officium ut benefactori eremitorii Magdalenae et non solum ut consocero debebat. Ibi toto die veneris sequentis mansit, et mane in monasterio Stae. Clarae concionatus est tam frequenti auditorio, ut aegre admodum ad suggestum pervenire ipsemet concionator potuerit. Divertit autem in monasterium dominicanorum a cujus priore, magnae auctoritatis viro, amanter exceptus est.

446. Die sequenti sabbati in oppidum Toro proficisci debuit, ubi Domina Infans Joanna, principi Portugalliae desponsata, versabatur, quae Tordesillas miserat ad P. Franciscum ad se accersendum, ut nullo modo progrederetur ulterius, nisi ad se prius venisset. Cum igitur die sabbati noctu Torum pervenisset, dominica sequenti, quae Palmarum erat, evocatus est a Principissa Domina Joanna, ut ipsi a prandio eodem die concionaretur; quod, cum fecisset coram ipsa et domesticis ejus, facultatem ab ea postulavit recedendi postridie; quam non solum negavit ei, sed injunxit ut omnino per eam hebdomadam sanctam ibi maneret. Et cum obtenderet P. Franciscus negotia ab obedientia commissa, quae cum P. Turriano Salmanticae tractanda erant, hoc medium Principissa invenit, ut evocaretur eo Doctor ipse Torres; ad quem statim scripsit. Cum

Digitized by Google

autem eo sancto tempore partim in tradendis exercitiis spiritualibus, quibus aliqui non exiguae auctoritatis homines exercebantur, partim in confessionibus esset valde occupatus, excusavit se Doctor Torres a veniendo; sed significavit Principissae D.[ae] Joannae quod poterat sine detrimento negotiorum P. Franciscus ibidem manere; et ita usque ad sabbatum, quae vigilia paschae fuit, ibidem mansit cum fructu prorsus non poenitendo. Voluit enim Serenissima Principissa quotidie eum ad se accedere et duas horas mane et totidem a prandio in spiritualibus colloquiis cum eo consumpsit, et postquam cum ea et nobilibus aliis foeminis ac personis locutus est, multae ex illis ad consilia petenda et ea, quae ad suas consciencias pertinebat, communicanda, ad ipsum accedebant; et nisi divina bonitas dedisset, vix ad tantum laborem vires sufficere potuissent. Quae autem tractabat cum Serenissima Principissa fuit ratio quaedam brevis meditandorum mysteriorum vitae ac Passionis Christi per dieshebdomadae divisa; et satis magnum indicium erat profectus sollicitudo, qua P. Franciscum ipsa quotidie accersebat, et quidem eo tempore ut semper duae integrae horae ad colloquia illas piritualia relinquerentur; affirmabat autem se velle frequenter ad confessionis sacramentum accedere, et idem propositum multae ex nobilibus foeminis, ejus domesticis, prae se ferebant. Cum autem inter caetera dixisset P. Franciscus perniciosam esse quorundam librorum profanorum lectionem, quibus commentitiae historiae continebantur, quorum frequens admodum usus in illo palatio erat, omnes hujusmodi libros, quotquot apud ipsam erant, ad P. Franciscum misit, quamvis non parum eis compati aliqui nobiles saeculares videbantur, quia permulti et perpulchre compacti erant. Postquam autem in singulis P. Franciscus aliquot quinternos lacerare fecisset, omnes hujusmodi libros ad confessarium Serenissimae Principissae misit, qui, cum saepe contra lectionem vanam hujusmodi librorum concionatus esset, pergratum hoc munus habuit.

447. Profectus tandem ipsa vigilia Paschae Salmanticam, eodem die ad eam civitatem pervenit, ubi quod reliquum erat mensis Aprilis haesit. Intellexit enim res Portugalliae sic se habere ut jam ejus praesentia juxta P. Ignatii mentem necessaria non esset. Non tamen sine peculiari providentia Dei hoc iter ex

Digitized by Google

provincia Guipuzcoae per praecipuas urbes Castellae fuit institutum; et quamvis in Portugalliam non pervenerit, labor tamen itineris suum operae pretium habuit ad Dei gloriam et multarum animarum consolationem ac fructum. Nam, ut testatur ejus comes, P. Bustamante, ex quo ab eremitorio Magdalenae egressus est, nihil illi temporis periit, sed cum maximo fructu ubique versatus est; et ejus discursus per Castellam ut viri apostolici ad seminandum Dei verbum in animos tam nobilium quam popularium hominum utriusque sexus fuit. Sed ut Salmanticam redeam, Episcopus et reliqui ecclesiastici cathedralis ecclesiae, nobiles laici et primarii religiosi eum inviserunt; et inter alios Comitissa Montis regalis et Domina Elvira, quae D. Diego de Acevedo nupserat, domi nostrae eum inviserunt; et praeter quam quod in spiritualibus ac temporalibus Collegium novum Salmanticense utilitatem non exiguam reportavit, tota ea civitas commota ab eo fuisse videtur. Concionatus est Dominica in Albis, id Episcopo et clericis postulantibus, in templo D. Augustini, quo eo die supplicatio baeticorum conveniebat [1]. Adfuerunt autem concioni optimates et praecipui utriusque sexus homines, tam nobiles quam aulici, et cathedratici et scholastici Universitatis; et dedit Dominus evangelizanti verbum virtute multa. In singulis monasteriis religiosarum, praefectis eorum id postulantibus, sermones spirituales ad rem ipsarum facientes habuit, et tam de doctrina quam de exemplo ejus aedificationem illae et consolationem maximam referebant. Demum Salmanticensis civitas tantopere commota fuit, ut quodammodo de alia re non ageretur et conquererentur quod diutius ibidem non haereret.

448. Rediit, prout ante discessum promiserat, in Provinciam Guipuzcoae ante graviores aestatis calores; sed, urgente Ducissa de Frias, mense Junio ad Reginae domum se conferre debuit, ut res monasterii novi, de quo superius actum est, constitueret. Et cum ibi aliquot diebus fuisset, occurrit sorori Franciscae, quae ex monasterio gandiensi cum aliis religiosis ad praedictum monasterium constituendum in domo Reginae ve-

---

[1] **Salmantinae Universitatis alumni, sicut et Parisiensis et aliarum, distinctas quasi turmas conflabant pro diversitate regionum in quibus nati erant: baeticorum, navarrensium, aragoniensium, etc.; eratque unaquaeque turma sub cujusdam sancti patrocinio, quem supplicationibus *(processiones)*, ludis, etc., habitis colebant.**

Digitized by Google

niebat, et eam ad Ducissam deduxit, et illud monasterium; prout oportebat, inchoatum fuit. Sic demum P. Franciscus ad Ognatense Collegium vel eremitorium venit, quo Dominus Antonius de Cordova, jam Societatem ingressus, venerat, et summa cum humilitate in probationibus primis versabatur, cujus mater, Marchionissa Pliegi, ex hac ipsius electione magnam consolationem accepit, et de Collegio Cordubae instituendo agere serio in animo habebat.

449. Concionatus est primo die Augusti Vergarae, et constituit aliqua provinciae illius oppida, quae nondum inviserat, adire, et cum Patribus Michaële et Solis per varia loca discurrit, ut Motricum et Zumaiam usque et alia loca maritima. Praedicabat autem de decem legis praeceptis potissimum. Cum Azpeitiae, prope quod oppidum est domus Loyolae, ipse concionatus esset, P. Michaël Ochoa in cantabrica lingua eodem officio functus est. Fuerunt autem ubique avidissime excepti et placuit divinae bonitati ut inter ecclesiasticas aliquas personas, quae multis annis inter se litigabant et discordes admodum vivebant, pax conciliata sit, quorum omnia negotia in manibus P. Solis relicta fuerunt, ut ea pro suo arbitrio componeret. Alia etiam pietatis opera ibi confecta per Dei gratiam fuerunt.

450. Invisit autem Loyolae domum, cujus novus jam dominus effectus erat Dominus Joannes de Borgia. Decreverat enim is tandem uxorem ducere, et ita, consanguineis Dominae Laurentiae, quae haeres erat domus Loyolae, id agentibus, non improbante etiam Duce Gandiae novo, ipsius fratre, immo etiam consulente, res transacta fuerat; et P. Franciscus, ne improbare id videretur, in hac peregrinatione, qua diximus ad mare usque cantabricum pervenisse, domum illam invisit et benedictionem sponsis dedit; licet Patri Ignatio non magnopere hoc matrimonium pergratum fuerit, cum Domini Joannis de Borgia vocatio nem ad statum perfectionis esse crederet, nec ullis unquam litteris, quod sciam, aut congratulatus est aut se approbare factum hoc, quamvis P. Araoz de eo scriberet, significavit; dissimulabat tamen sibi negotium hoc displicere.

451. Inde autem in Collegium Ognatense P. Franciscus rediens, bis ibidem de fidei articulis concionatus est. Tam multi autem in Societatem admitti petebant, ut si omnes admitti potuissent, pluribus novis Collegiis implendis satis essent futuri.

Digitized by Google

Inter alios bachalaureus Perea, theologus, de quo superius mentio facta est, qui multos annos in oppido Trevigno docuerat, Ognatem venit ut se Societati offerret; eodem Patres Jacobus de Guzman et Doctor Loarte, antequam Romam venirent, se contulerunt.

452. Cum rediret in Provinciam Guipuzcoae P. Franciscus, de Cardinalitia dignitate admittenda serio dicebatur Princeps Philippus eum allocutus; et legatus Poggius, Cardinalis, ad comitia Aragoniae se conferens et P. Francisco in via obviam factus, idem ipsi persuasisse credebatur; sed omnibus constanter se non admissurum affirmavit [1].

453. Tertio ad Ducissam de Frias, ut vicinam, sed propter quaedam negotia ad Dei honorem pertinentia, venit. Ab eo autem die, quo domum Reginae pervenit, antiquis morbis et aliqua etiam podagra eum Dominus exercuit, quae tandem in quartanam febrim conversa est; quare suadebant illi medici ut nullo modo in Ognatensem domum rediret, quae propter humiditatem non ei conveniebat.

454. Cum autem eodem evocatus fuisset P. Araoz, in suam Provinciam per domum Reginae transiturus, agebat de eodem Patre Complutum deducendo, quod temperies aëris illius commodior ad quartanam febrem expellendam videretur; et ita usque ad pagum quemdam burgensi civitati vicinum, nomine Bellimar, simul omnes profecti sunt. Sed ibi mutato consilio ad provinciam Guipuzcoae P. Franciscus rediit, et, cum Vergaram pervenisset, melius habere coepit et quartana febris cessavit; et ita in Collegio Ognatensi quod reliquum erat hujus anni exegit; ubi Dominus Henricus de la Cueva, qui Inquisitor fuerat Conchae, exercitia spiritualia confecit.

DE COLLEGIO SALMANTICENSI

455. In Salmanticensi Collegio bonam partem hujus anni Doctor Turrianus exegit; quamvis aliis in rebus et in valetudine recuperanda, nam Salmanticae dolore capitis diu vexatus

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Borgia, quid ab Ignatio Romae sit actum ne Cardinalis ipse Borgia renunciaretur, 1 Junii.

Digitized by Google

fuerat, aliquot menses extra Salmanticam fuerit. Ex scholasticis primariis ejus Universitatis plurimi sacramenta apud nostros frequentabant, et tam horum quam aliorum hominum tantopere crescebat concursus, ut ne duplicatus quidem sacerdotum numerus eis satisfacere potuisset. Nec sine fructu egregio id fiebat. Fatebantur enim aliqui viri graves, ex quo Societas nostra Salmanticae versabatur, magnopere Universitatem illam fuisse reformatam, et in specie, quod ad abusum juramentorum abolendum attinet, plurimum eam civitatem profecisse.

456. In spiritualibus exercitiis inter alios unus ex collegialibus, qui cathedrae insigni in Universitate praeerat, perutiliter versatus fuit; monachus quidam ordinis D. Augustini, petente eodem ac magistro novitiorum illius conventus, eisdem exercultus est, et per eum sperabatur eadem exercitia in eo monasterio pluribus communicanda; in alio etiam monasterio monialium sub invocatione Sti. Spiritus primaria quaedam religiosa magno cum fructu se in eis exercuit, et per eam non poenitendum fructum etiam in aliis monialibus ejusdem monasterii consecuturum sperabatur.

457. In hebdomada sancta duo juvenes pernobiles in eisdem domi nostrae se exercuerunt, quorum alter Societatem ingressus est, alter cum magno profectu spiritus domum rediens, sua studia prosecutus est. Tres alii iis successerunt, et omnes Societatem ingredi constituerunt; unus eorum egregie doctus theologiae jam curriculum emensus erat, et infima officia domi coepit humiliter exercere; biennium integrum in confessione octavo quoque die facienda perseveraverat; alter philosophus; tertius in humanioribus litteris versatus fuerat. Constituerunt et alii duo theologi Societatem ingredi, antequam exercitia spiritualia experti essent; complures alii theologi et ecclesiasticis dignitatibus praediti, cum magno fructu spirituali ab his exerciciis recesserunt. Nobilis ille, quem primo loco diximus Societatem ingressum, in Ognatense Collegium missus est; alter philosophus Methymnam, ut ibi studia sua prosequeretur, quia nondum artium cursum totum absolverat. Praeter Doctorem Turrianum et duos alios, qui extra Collegium, ut dictum est, aliqua parte anni versabantur, ad vigesimum ascendit nostrorum numerus. Multi autem praeter hos admitti petebant; sed

Digitized by Google

rei familiaris angustia eos admitti non permittebat. Plena est felicibus ingeniis ea Universitas; sed forte divinae providentiae placebat ut minus multi in Collegio nostro recipi possent, quo ad alias religiosas familias se conferrent [1].

458. Ex civitate Legionensi, quae prope Asturias est, litteras nostri acceperunt, quibus bonum odorem Societatis eo pervenisse satis testabantur; duos enim ex nostris postulabant, a quibus veram rationem christianae vivendi docerentur juxta nostrum institutum, quod magnopere extollebant, et insignem illi quidem fructum animarum pollicebantur, et paratam se habere ecclesiam ac domum cum reditibus ad Collegium nostrorum inchoandum. Sed operariorum penuria ne illis posset satisfieri in causa fuit. Hac etiam quadragesima quidam religiosus ordinis Sti. Dominici, vir magno spiritu et doctrina praeditus et genere nobilis, suis concionibus abunde compensavit quod alius ejusdem religionis annis praeteritis contra Societatem e suggestu dixerat; in pluribus enim concionibus mentionem nostrorum faciebat, religionem et institutum Societatis laudando, adeo ut nostri non parum erubescerent eam commendationem. Cum autem in quodam monasterio religiosorum ordinis sui de oratione copiose tribus et quatuor concionibus dissereret, dixit haec vel similia verba: illa quae, scilicet, dicebat, docuisse virum quemdam apostolicum admirabiliter, cui Deus id communicasset ut ignem in corda dura et frigentia injiceret, et hoc docere filios ejus, religiosos Societatis Jesu, quorum quale nomen est talia et opera sunt, et admirandum quemdam librum haec docere, contra quem si quis obloqueretur, coram Inquisitoribus eum esse accusandum, quia liber ille praeterquam quod ab Inquisitoribus apostolicis erat approbatus, Summus Pontifex suis Apostolicis litteris eum commendabat, ut fideles hujusmodi exercitiis se juvari studerent. Habebat autem apud se bonus ille religiosus librum exercitiorum, quo tota quadragesima usus fuerat; et ferebatur eum pluribus religiosis ordinis suis ea communicasse, qui per ea non parum profecerant. Passus est tamen non parum molestiae a suis propter hujusmodi Societatis encomia, et tamen miro affectu nostros sem-

[1] Polancus, *ex com.*, Magistro Petro Canal, ut Romam veniat, prius tamen, si velit, sacerdotio initietur, mense Octobri.—Similes missae sunt Joanni Guttano.

Digitized by Google

per complectebatur; et, si liberum ei fuisset, se Societatem nostram ingressurum affirmabat, immo pro summo Dei beneficio id se habiturum.

459. Auxit autem civitatis et Universitatis affectum erga Societatem adventus P. Francisci Borgia, de quo est actum, cujus conversatio et colloquia angelica potius quam humana multis videbantur; sed nihil magis quam ejus profunda humilitas homines etiam spirituales in admirationem ducebat. Cum autem Salmantica 29 Aprilis recederet, quidam ex scholasticis ejus Universitatis minime obscuris P. Franciscum comitari voluit, qui tamdiu Collegii Salmanticensis sectator fuerat. Significavit autem P. Francisco se domum habere Granatae cum quibusdam reditibus, quae Societati ad Collegii initium dare cogitabat; sed paulatim suam mentem magis explicans, de Societatis ingressu agere coepit, et ideo cupere se ad Ognatense Collegium P. Franciscum comitari. Missus est itaque ad Collegium illud, quia non prius de domo et reditibus admittendis agendum videbatur quam de sua persona Dei voluntas et vocatio intellecta esset.

460. Comitatus est etiam P. Dr. Torres Methymnam Campi P. Franciscum Borgia; et quia P. Ignatius, excusationes humilitatis amplius non admittens, injunxerat ut professionem emitteret, in cujus manibus vellet, die Inventionis Crucis in manibus P. Francisci Borgia eam Methymnae emisit.

461. Non omittam quod, cum vidisset litteras P. Torres nostrorum lusitanorum ad P. Ignatium, qui eum illa simplicitate antiqua compellabant per *V. R.*, cum tamen usus *Paternitatis* in Castellam esset inductus, et erga Provincialem ea uterentur, admonuit P. Ignatium placuisse sibi magnopere simplicitatem illam, quam Roma etiam usitatam viderat, et hominibus magnae aedificationi eam esse asserebat. Et prorsus ita se res habuit, quia P. Ignatius nunquam aliter quam solent simplices sacerdotes compellari se permisit; quamvis ut Provincialis Hispaniae hispanico more per Paternitatem permiserit appellari [1].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Estrada, ne in litterarum capite scribat R.do P.e, 2 Januarii. Idem scriptum Francisco Roman et aliis. Idem Patri Antonio de Araoz fuse et facete de usu *Paternitatis*, *Reverentiae*, etc.; aliquas tamen regulas statuit, ut morem hispanis gerat, circa eorum verborum usum, 4 Junii. V. *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pag. 201.

Digitized by Google

462. Cum ratio studiorum, qua in litteris et spiritu externi scholastici juvantur in Collegiis italicis Societatis, Salmanticam missa esset, mirum in modum placuit. Licet enim quod ad litteras attinet, magna praeceptorum copia Salmantica abundaret, ad promovendum tamen cum litteris spiritum ac virtutem, instructionis modum talem non habebant [1].

463. Significatum fuerat D. Torrensi, quod capellania applicata per Cardinalem Burgensem Collegio Salmanticensi, litigiosa erat, et ita non esse hujus fundationis rationem habendam, et Cardinali Burgensi, D. Francisco de Mendoza, minime displicere ut aliam fundationem ac etiam fundatorem sui Collegii invenirent. Displicuit autem Doctori P. Torrensi quod non ante biennium hoc a Cardinali Burgensi significatum fuisset, nam de manibus elabi permiserat reditus non exiguos, dum fundatorem habere Collegium Salmanticense existimaret, ipsum scilicet dictum Cardinalem. Patrem tamen Strada, Burgis evocandum censebat, ut nova excitatione animorum per ejus conciones facta, occasio alicui daretur ad fundationem ejus Collegii suscipiendam [2].

464. P. Ignatius, liberare P. Simonem onere regendae Provinciae, ut superius dictum est, volens, scripserat P. Torrensi et etiam P. Francisco Borgia ut in Portugalliam se conferret. Visum est tamen P. Torrensi, qui vicinior erat, litteras per fratrem quemdam in Portugalliam destinatum ad P. Mironem mittere, quibus ei significabat quid sibi a P. Ignatio scriptum esset de officio Provincialis eidem P. Mironi committendo, a quo P. Simon liberaretur, et sibi ac P. Francisco injunctum esse ut in Portugalliam se conferrent, quia Rex optare videbatur et etiam Infans Ludovicus, ejus frater, ut P. Franciscus Borgia, de quo tam multa fama ferebat, ad regnum illum accederet; et ita P. Franciscum Borgia exspectabat, ut simul in Portugalliam transirent. Respondit autem P. Miron, re cum praecipuis Societatis religiosis communicata, nullo modo convenire ut ipse et minus utique P. Franciscus Borgia eo tempore in Portugalliam venirent, sed ut expeditionem, quam habebant, P. Ignatii ad transferendum officium Provincialis a P. Si-

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Michaëli de Torres, de potestate conferendi gradus in nostris scholis, de exercitationis scholasticis, de praepositis, etc., 1 Septembris.

[2] V. infra, num. 475.

Digitized by Google

mone in P. Mironem eo mitterent; et in eumdem sensum alii Patres, qui columnae videbantur, scripserunt. Et ratio, quae eos movebat, haec erat. Dominus eodem tempore, quo moverat P. Ignatium ad exonerandum P. Simonem et Provincialis curam aliis tradendam, Regem etiam Portugalliae ac Infantem Ludovicum ad illud ipsum et eodem modo faciendum, quod P. Ignatius praescripserat, movebat; et tam serio id Rex agebat, ut, cum per equos dispositos quemdam Rex Romam mitteret, per P. Ludovicum Gonzalez admoneri jussit P. Mironem ut Romam scriberet ut P. Ignatius haec ipsa fieri juberet, quae jam ipse constituerat, et ad quae suavius exsequenda Patres Franciscum Borgiam ac Turrianum in Portugalliam mittebat. His ergo cum P. Francisco collatis, non esse Salmantica progrediendum censuerunt, et haec providentia Dei tam admirabilis visa est Domino Antonio de Cordoba, ut nihil se eatenus intellexisse affirmaret, quod ad majorem Societatis confirmationem facere sibi videretur [1].

465. Satis diu hic Dominus Antonius octavo quoque die P. Torrensi confessus fuerat; sed mense martio in dubitationem magnam adductus est, quod ad statum vitae suae attinebat, cum nomine Imperatoris inter aliquos ipse etiam Summo Pontifici propositus esset ut ad Cardinalitiam dignitatem promoveretur. Cum enim Comitis Feriae, Imperatori admodum grati, frater esset, et filius Marchionissae de Pliego, et sanguine conjunctus Gundisalvo Fernandez, qui magnus dux appellatus fuit, et alioqui prudentia et eruditione et pietate magnopere commendaretur, non dificile videbatur ut Imperator hanc illi dignitatem obtineret. Ipse vero, qui spiritum Domini gustaverat et quantum esset periculi in hujusmodi magnis dignitatibus videret, P. Ignatio litteras scripsit, quibus eum rogabat, ut se

---

[1] Ignatii patentes litterae, quibus Patrem Michaëlem de Torres Visitatorem constituit Provinciae Societatis in Lusitania, eique totam suam potestatem tribuit et auctoritatem ad sublevandum onere gubernandi illam Provinciam P. Simonem Rodericium, eumque Valentiam, aut si ipse malit Rodericius, in Brasiliam mittendum, 2 Januarii. Has litteras comitabantur particulares et fusae *instructiones*, de modo quem in visitanda Provincia Lusitana tenere debebat, et plures ad Ignatium missae ex Lusitania litterae, et Ignatii ad eas responsa. Ignatius Patri Michaëli de Torres, eum urgens ut quamprimum se in Portugalliam conferat, 2 Februarii; eidem Polancus, *ex com.*, explicat quomodo intelligenda constitutio, qua permittitur quaedam bonorum translatio ex uno in aliud Collegium; hanc autem explanationem ideo dat Polancus, ut ea possit Regi Portugalliae ostendi.

Digitized by Google

consilio in hac parte juvaret et, si non ei videretur ad majorem Dei gloriam fore ut eam dignitatem admitteret, se in Societatem admitti petebat. Verum paulo post, exemplo, praedicatione et colloquiis P. Francisci commotus, non exspectavit suae consultationis responsum. Dominus enim ipse veritatem amanti suam voluntatem sic declaravit, ut statim saeculo valedicens ad Ognatense Collegium, ut superius dictum est, mense Majo se contulerit [1].

466. Aliquandiu P. Torres Methymnae mansit ut valetudinem curaret, quamvis cum exiguo fructu. Ibi novas litteras ex Portugallia accepit a P. Emmanuele Godino ac P. Urbano, quibus ei significabatur magni momenti futurum ipsius adventum in Portugalliam, quamvis aliter scripserat mense Martio P. Miron. Miserunt etiam ad eum P. Ignatii litteras ad Collegii Compostellani negotium tractandum; et ita Vallisoletum se contulit ut cum eo [2] conveniret de tempore, quo Compostellam veniendum esset, quia, cum patronus esset Collegii, ejus praesentia necessaria erat, ut constituerentur quae ad illud pertinebant. Magnam autem Comes animi propensionem ad illud Collegium Societati nostrae applicandum ostendit et ad festum Assumptionis se Compostellae futurum affirmavit. Ut igitur eodem tempore posset P. Turrianus adesse, cum Salmanticam venisset, rebus ibi compositis, ut oportebat, quarta die Julii versus Portugalliam profectus est. Quid autem ibi egerit cum ad eam Provinciam ventum fuerit, dicetur [3].

467. Agebatur eodem tempore de domo quadam, habitationi Collegii Salmanticensis conjuncta, aliqua ratione comparanda; nostros enim jam propria domus vix capiebat; alios autem, qui ad ingressum Societatis satis moti erant, immo id constituerant, admittere minime poterant; cum autem pecunia non

---

[1] Ignatius Domino Antonio de Corduba, de ejus ad Societatem vocatione, studiis, etc., 1 Septembris.

[2] Id est, cum Comite de Monterey.

[3] Ignatius Reginae Portugalliae, commendat Doctorem Torres et Sanctorum *reliquias* describit, quas per ipsum Doctorem Portugalliae Regibus mittit, 25 Februarii. Similes fere dedit Cardinali Infanti. Longam etiam dedit Doctori Torres de modo procedendi in Curia Portugalliae, et schedam (hijuela) addidit, in qua eum rogat ut qualis est se in Curia exhibeat, sc., *aragonés y no castellano.* Mense Decembri missa sunt Patri Michaëli de Torres duo procuratoria instrumenta ut Compostellani Collegii possessionem capere valeret, unum Cardinalis Sancti Jacobi, alterum Ignatii.

Digitized by Google

suppeteret, censu redimibili, super eamdem domum imposito, eam emere decreverunt.

468. Accidit eodem Julio mense ut unicus filius cujusdam mercatoris methymnensis, et quidem divitis, Societatem ingredi Methymnae statueret, quem cum Salmanticam ad parentum molestias declinandas nostri misissent, quidam alius mercator, qui ejus patris socius erat, per equos dispositos eum insequutus est, et cum esset jam in Collegio Salmanticensi juvenis, eo se contulit, et a suo proposito revocare juvenem volebat; quem cum P. Joannes Alvarez alloqueretur, sic cum eo se gessit, ut eum ad confessionem et communionem ante prandium adduceret; et sic ejus animus fuit commutatus, ut ipsemet juvenis deliberationem laudaret, et ad perseverantiam hortaretur, ut conservaret summum illud beneficium, quod a Deo in hac vocatione acceperat, et addebat, si liberum ipsi esset, nam conjugatus erat, tantumdem esse facturum; et ita Methymnam rediit.

469. Non omittam quod cum P. Franciscus in Provinciam Guipuzcoam rediret, iter habuit per Methymnam, cognomine de Rioseco, ubi cum Ducissa Methymnae de rebus spiritualibus egit; et cum illa magno affectu significasset optare se alicui sacerdoti Societatis confiteri et ea, quae ad animam suam pertinerent, cum eo tractare, P. Franciscus Doctorem Turrianum ei proposuit, et ad hoc Pater idem Turrianus eo se contulit, antequam in Portugalliam ei fuit recedendum.

470. In Collegio Salmanticensi officium domorum probationis exercendum erat. Sub autumno enim viginti, ut diximus, ibi erant, et decem ex eis intra sex menses hujus anni Societati se addixerant; quorum bona pars in theologiae studium incumbebat, et egregiis talentis praediti erant; sed tamen in probationibus novitiorum simul exercebantur. Unus erat inter eos, qui, cum tantum quindecim annos natus esset, artium tamen liberalium cursum cum magno omnium applausu peregerat, nec minus acri judicio et probitate ac pietate quam ingenio commendabatur, et annum ante ingressum octavo quoque die nostris confitebatur et Sanctissima Eucharistia reficiebatur. Duo alii Methymnae mercaturae dederant operam, et cum P. Baptista in foro contra foeneratores et usuram exercentes valide inveheretur, hi, quorum conscientia perstringebatur, ipsum Pa-

Digitized by Google

trem adierunt, ut quod prius optaverant, scilicet, Societatem ingredi, non eis prohiberetur; et statim, consanguineis licet obsistentibus, Salmanticam se ad Collegium nostrum contulerunt, et simul cum aliis magno cum desiderio abjectissima quaeque munera tractabant et ab hominibus conculcari et ludibrio haberi cupiebant. Hi autem novitii duas horas orationi quotidie impendebant, cum alii studiosi unam tantum impenderent, praeter examen ante prandium et somnum, quod omnibus commune erat; proponebatur etiam omnibus eadem meditatio ex evangelio, et post prandium, quasi per modum recreationis, quem fructum quisque decerpsisset ex ea aliis communicabant, et quidem cum fructu non mediocri, cum tyrones a veteranis hac ratione instruerentur; postea tamen haec exercitatio seria nimis habita est, ut loco recreationis tractaretur.

471. Cum jubilaeum, de quo supra, hoc anno Salmanticae fuisset promulgatum, messem amplissimam poenitentium, praeter eos qui Sacramenta frequentabant, nostri habuerunt, et cui colligendae pares esse non possent; non tamen obliti sunt eorum, qui in custodia publica detinebantur; nam et illorum confessionibus audiendis, et animis in patientia confirmandis, negotiis etiam eorum juvandis dabant operam, litibus dirimendis ac pacibus componendis. Inter alias una dissensio, atrox valde, sedata fuit quam proceres civitatis frustra extinguere tentaverant. Morientibus etiam pro more aderant, et quamvis alii religiosi eisdem assisterent, rogabantur nostri nihilominus vehementi desiderio ut agonizantibus aliquid utile ad ejus animum instruendum et corroborandum ad pugnam contra daemonem dicerent.

472. Misit P. Torrensis ex Lusitania Salmanticam quemdam presbyterum et alium juvenem, Ducis Bergantiae fratrem, nomine Theutonium, qui aliquandiu in eo Collegio versati sunt.

473. Praefecti urbis Granatae, ubi P. Joannes Alvarez fere integrum annum exegerat, et crebris cives concionibus instruxerat et ad pietatem commoverat, ac demum Salmanticam redierat, hi, inquam, praefecti per litteras aliquot ex nostris magno affectu petebant, messem uberem ibi fore affirmantes. Cum autem sacerdos quidam Societatis, cognomine Sanctae Crucis, Granata oriundus, licet Conimbricae inter nostros versaretur, bona sua legasset ad Collegii erectionem, et ejus frater liberali

Digitized by Google

animo se idem facturum polliceretur, ex quorum bonorum reditibus non exiguus nostrorum numerus sustentari poterat, et hoc ipso anno per publicum instrumentum domus, quae duobus millibus ducatorum aestimabatur, ab eis esset donata, et similiter census quidam (et hic alius est a superiori illo scholastico, quem diximus de bonis suis Granatae donandis egisse, qui Dominus Christophorus Brizegno dicebatur), brevi aliqui eo mittendi putabantur.

474. Rediit Salmanticam Octobri mense P. Turrianus a nostris evocatus, qui ejus opera indigebant, propter causam eamdem, quae ipsum in Portugalliam deduxerat, cum duo superius dicti Salmanticae versarentur. Comes autem Montis Regii ad condictum tempus venire Compostellam non potuerat propter negotia, quae magis eum premebant; intellexerat etiam P. Turrianus suggestum a quodam magno viro fuisse Comiti Montis Regii ne Collegium Compostellanum Societati daret, quia religiosi ordinis Sancti Francisci illud obtinere nitebantur. Tulerat autem a Rege Portugalliae litteras ad Comitem, quibus hoc negotium in Societatis favorem commendabat. Sed de successu hujus Collegii postea agetur [1].

475. Invenit autem Collegium Salmanticense in tanta necessitate constitutum, ut cum onus tam multorum non ferret, partem collegialium alio mittere debuerit. Aliqui etiam ad peregrinationes missi fuerunt, quorum mortificatio cum aliorum aedificatione conjuncta fuit; nam praeterquam quod ex mendicato vivebant, cum magno fervore Evangelium Christi praedicabant, nec sine magna multorum populorum motione, quibus inter caetera persuasum ab eis est, ad abusus juramentorum vitandos, ut confraternitatem nominis Dei instituerent, poenis in jurantes taxatis, et aliis piis legibus institutis. Nec tamen studia litterarum omittebantur; nam praeter diligentiam praevidendi lectiones, repetendi et conferendi horis destinatis, octavo quoque die de propositis positionibus disputabatur. Professores autem theologiae Salmanticae apprime docti erant. Diebus autem festis cum lectiones cessarent, vacabant colle-

[1] Ignatius Regi Portugalliae, de Collegio Compostellano, 4 Aprilis; idem Doctori Torres, de eodem Collegio, et ut videat an P. Franciscus Borgia possit Compostellam ad aliquot dies se conferre, quo de omnibus certiorem pleniorem que notitiam habere valeat.

Digitized by Google

giales visendis xenodochiis et carceribus ad infirmorum et vinctorum consolationem; et utrorumque confessiones audiebant; vincti enim ad confessionem praecedentibus concionibus adducebantur, quam aliqui duodecim et quatuordecim annos omiserant; ad eorum etiam libertatem quod nostri poterant praestabant. Alii docendis pueris christianam doctrinam in pagis vicinis urbis vacabant; et inter rusticos paces aliquando compositae fuerunt. Foeminarum confessiones rarius audiebant, quia major in ipsis audiendis occupatio fuisset, quam paucitas confessariorum ferre potuisset; quibusdam tamen earum id magnopere petentium non est denegatum. Ad colloquia spiritualia nonnulli accedentes ad Collegium cum non poenitendo fructu domum redibant [1].

DE COLLEGIO METHYMNAE CAMPI

476. Usque ad hujus anni initium Rectori Salmanticensi subjacebant illi, qui Methymnae Campi residebant, sicut ab eodem missi fuerant, quatuor scilicet sacerdotes et duo alii fratres. Cum autem initio hujus anni constitutum esset a P. Provinciali Araoz ut omnino firmam nostri residentiam ibi facerent, Petrus Sevillanus, nondum sacerdos, aliis praefectus est, sub cujus erant obedientia P. Baptista Sanchez, qui per omnes parochias Methymnae cum magna frequentia, commotione et fructu concionabatur, et Maximilianus Capella, qui artium cursum praelegebat, cujus discipuli erant Dr. Castillo et P. Gonzalez, et ipsemet Sevillanus, Rector, cum alio fratre. Quamvis autem Dominus Rodericus de Duegnas, qui nostros evocaverat, domum se aedificaturum et aliquos reditus daturum, scilicet, usque ad centum et sexaginta ducatorum vel aliquid amplius, promisisset, non ea admodum diligenter praestabat. Inchoaverat ille ipse alia pia opera, ut puerorum orphanorum, et conversarum a peccato mulierum, et hospitalis cujusdam; sed potius ad inchoanda hujusmodi pietatis opera quam ad ea con-

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Michaëli de Torres, ne subsidia, quae Collegio a Salmantinis civibus aliisque offerantur, accipere recuset; haud enim ingratum id erit Cardinali Mendoza, 2 Februarii; eidem, ne pallio induti nostri Salmanticae incedant, sed communi aliorum clericorum usui se omnino accommodent, 4 Junii.

Digitized by Google

summanda propensus videbatur. Ex subsidiis tamen, licet non firmis, ejus et aliorum, nostri sustentabantur [1].

477. Jam ab initio, quo Methymnam venerat. P. Baptista Sanchez, populus eum magna dilectione et reverentia colebat, ejusque documenta atque consilia ut saluberrima plurimi sequebantur, et per ejus conciones et exhortationes multi nimium vestium cultum et dissolutam vitae lasciviam, quibus antea diffluebant, cum magna hominum admiratione et aedificatione in modestam ac temperatam vitae rationem commutarunt; inter hos matronae quaedam nobilitate et opulentia clarae, quae non tantum ob deliciarum et expensarum in vestibus profusionem male audiebant, verum etiam ut inventrices hujusmodi rerum superfluarum in ore hominum erant [2].

478. Erat etiam vir quidam, qui omnino deliberaverat alteri cuidam insignem injuriam inferre. Is, cum concioni Patris interfuisset, sic compunctus est ut animi malam intentionem statim deponeret, inimicum adiret et cum eo in gratiam rediret, magno cum gaudio quorumdam sacerdotum templi D. Joannis, in quo id accidit, quique id nostris retulerunt. Fuit etiam insignis conversio mulieris cujusdam, quae viro alieno diu concubina fuerat, et, audito uno ex tribus sermonibus Passionis, tanto dolore transfixa fuit ut faciem suam unguibus laceraret, capitis velamine detracto, et quemdam Collegio nostro vicinum obnixe rogaverit ut a P. Baptista, concionatore, impetraret, ut ipsius vellet confessionem audire; quod cum impetrasset, ad honestae vitae rationem sic se contulit, ut non desineret in amaritudine animae suae annos lapsos recogitare.

479. Tanto affectu nostris aliqui ex illis mercatoribus adhaerebant ut unus eorum, qui crebro nostris confiteri solitus erat, cum ad nundinas Villalonis iturus esset, lacrymabundus apud nostros jacturam, quam eo tempore absentiae facturus erat, deploraret. Hic etiam uberem fructum, qui in oppido Methymnae

---

[1] Bernardus Oliverius Maximiliano Capella, plura de rebus Lovaniensibus, mense Junio; Polancus, *ex com.*, fratri Sevillano, licere Societati curam assumere designandi confessarium, qui de Societate non sit et Conversis ad pietatem juvandis incumbat; item Rectoris in Collegio potestatem eam esse quam ei Provincialis communicaverit, 1 Septembris.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, de Conversarum domo Methymnae erecta, id tantum a Societate in obsequium Dno. Roderico de Dueñas fieri posse, sc., ut earum confessarius, qui de Societate non sit, a Rectore domus seu Collegii Methymnensis designetur, 4 Junii.

Digitized by Google

proveniebat nostrorum opera, maximum esse in aliis affirmabat. Ex multis, qui spiritualibus exercitiis exculti fuerunt, quatuor Societatem nostram ingressi sunt, et in Methymnensi Collegio probari coeperunt; alii in alias religiones se contulerunt; quintus etiam sine exercitiis spiritualibus in Societatem se admitti obtinuit, qui in ea urbe mercator erat propter morum probitatem magna existimatione, vir triginta fere annos natus et celebs, et negotia sua diligenter expediebat, ut ab illis impedimentis liber domum nostram ingrederetur; et quidem eo tempore negotia illi ex animi sententia omnino succedebant, et nomina, de quibus recuperandis desperabat, facile recuperavit. Fatebatur tamen ex hoc bono successu animae suae pacem non augeri et cor suum tamdiu inquietum fore, donec in gremio Societatis lac ut infantulus ex ejus uberibus sugere posset. Erant mense Majo decem jam nostri, sed ante finem anni ad viginti duos ascenderunt; nam alii atque alii, saeculo huic valedicentes se nostris adjungebant; quamvis major eorum pars in litteris non admodum profecerant, cum oppidum illud insigne Methymnae Campi potius mercaturae quam litteris sit deditum.

480. Cum Methymnae professionem P. Michaël Torres emitteret, ut superius diximus, in manibus P. Francisci Borgia, ad cujus solemnitatem complures ex vicinis nostris Patribus ac fratribus accesserunt, quaedam verba idem P. Franciscus tanta cum devotione locutus est, ut qui aderant (hi autem erant plurimi etiam saeculares, qui ad audiendam professionem confluxerant), vehementer commoti fuerunt, et consolatione rara affecti; sed inter alios nobilis quidam, qui theologiae studiosus erat Salmanticae, deliberavit omnino Societatem ingredi et P. Franciscum ad Ognatense Collegium est comitatus. P. Sevillanus simul cum P. Turriano profectus est, ut in missione Portugalliae eum comitaretur; hoc ipso tamen anno rediit. Auctus est etiam auditorum P. Maximiliani numerus ex eis, qui in Societatem sunt admissi. Crescebat autem Methymnensium erga Societatem benevolentia et devotio, et confessionum ac communionum usus fieri coepit multo frequentior; et tempore nundinarum, quae ibi fiunt, triginta et quadraginta quotidie domum nostram veniebant, ut aliquid de Deo privatis colloquiis audirent, alii ad casus conscientiae pertinentes conferendos, alii ut consilio juvarentur vel spiritualem consolationem acciperent.

Digitized by Google

Et cernebatur fructus satis evidens in vitae reformatione, in restitutionibus, in pompis saecularibus relinquendis, immo et multi huic saeculo valedixerunt, ex quibus complures Societatem nostram ingressi essent, quod ad ipsorum affectum attinebat; sed, quia illitterati erant, admissi non fuerunt [1].

481. Inter caetera, quae prospere succedebant, hoc, quod jam subdam, accidit, quod nostros non solum non deterruit sed potius ad eos animandos et consolandos multum valuit. Abbas oppidi Methymnensis (hic Episcopi vicem Methymnae Campi supplet) ipso die D. Martino sacro misit notarium ut nostris edictum quoddam ipsius significaret, quo prohibebat ne quis nostrorum confessiones audire aut concionari in ecclesiis aut in plateis aut alio aliquo loco auderet, nisi prius ab ipso examinatus esset. Notarius autem sacellum Collegii nostri ingressus, cum hoc edictum cuidam Sacerdoti, qui sacrum tunc absolverat, dedisset, statim recessit. P. ergo Sevillanus cum Doctore Castillo ad Abbatem se conferunt ut quid sibi vellet intelligerent, nam ex quo Methymnam venerat, ipsum de rebus Societatis nostrae informare voluerant, et ipse jam litteras apostolicas viderat, et cum ipsius benedictione illis usi fuerant. Simul atque autem in ejus conspectum venerunt, nihil audire volens, magna cum ira coepit eos latrones et seductores appellare et aliis hujusmodi conviciis eos onerare, ac statim suis injunxit ut eos ad carcerem et compedes deducerent. Dixit tunc Rector ut se audire dignaretur, quandoquidem litteras apostolicas viderat et nostram Societatem a Sede Apostolica confirmatam sciebat. Respondit ille: vestrae bullae sunt deceptiones et scelera et non bullae, et ut factis verba comitaretur, baculum, quem in manu habebat, in illum libravit utroque brachio; ictus tamen aberravit, quod pro detrimento non exiguo P. Sevillanus habuit. Non tamen sine aliqua occasione gaudendi recesserunt; cum statim famuli Abbatis manus in ipsos injecerint et in carcerem detruserint, ubi fuerunt toto eo die a mane usque ad vesperam; nam cum intellexisset aliquis ex amicis quod factum erat, ab Abbate impetravit ut eos dimitteret. Quod cum faceret, simul injunxit ne cujusquam confessionem audirent aut concionarentur, nisi

[1] Polancus, *ex com.*, fratri Sevillano, Ignatium velle ut humaniorum litterarum scholas Methymnae instituant, etsi prae lectorum penuria artium curriculum sit omittendum, 1 Septembris.

Digitized by Google

ab ipso prius examinati. Noluit tunc P. Sevillanus coram aliquid ei dicere; sed per alios ei significandum curavit ut nostrarum bullarum rationem haberet, quas eodem tempore, scilicet, pridie quam intimarentur, simul cum exercitiis spiritualibus excussis et approbatis, Roma missas acceperat, authenticas: Abbas autem de sua sententia moveri tunc noluit, sed curaturum se ut Methymna ejicerentur minatus est, et notarium, qui litteras apostolicas ei intimabat, verbis acerbis excepit, nec illum audire voluit, quia jam se vidisse dicebat. Notarius autem coram testibus hoc ipsum notavit quod illas audire noluerat, etc.

482. Fuit autem observatum quod, quanto magis contradictiones hujusmodi crescebant, magis populi devotio ac concursus ad conciones et confessiones et numerus etiam ad Societatem accedentium augebatur, et ii ipsi, in Societatem admissi, in spiritu ac virtutibus magis crescebant. Nec permisit Deus ut ministeria nostrorum impedirentur, immo cum ejusdem Abbatis beneplacito et majori cum fructu exercebantur. Ferebatur autem Abbas irritatus esse a viris quibusdam religiosis; et non improbabile id visum fuit, cum concionator quidam ordinis Sti. Francisci, cum ageret de infantis Jesu persecutione per Herodem, in concione publica dixerat multos esse, qui Christum variis modis persequerentur, et quosdam tunc esse Methymnae vultibus pallidis, qui ipsum persequebantur, et se ita sentire affirmabat, et alia quaedam, quae dicere nolebat; sed incalescens tandem dixit in concione magno cum fervore ut a rebus novis caverent, et ad religiones antiquas et approbatas accederent.

483. In eo oppido non tantum pompae, sed et ludi, et juramenta, et contractus mercatorum usque adeo in melius mutati fuerunt, ut admirationis causa illis esset, qui Methymnam prius noverant; nam qui in vitiis et in libertate negotiationum plus satis liberi fuerant, tunc autem modesti et in operibus misericordiae occupati et magnam habentes rationem propriae conscientiae videbantur; et hanc mutationem observantes qui ad nundinas peregre accedebant, cum aedificatione non mediocri de ea loquebantur. Non solum autem in ipso oppido Methymnae, etiam in carceribus et in privatis aegrotantium domibus, ad quas cum morti vicini essent evocabantur, sed etiam in pagis vicinis pia haec ministeria exercuerunt, ibidem concionando et

Digitized by Google

confraternitatem, quam nominis Dei vocant, ad juramenta coërcenda instituendo, et ad pietatem excitando; quod non sine fructu effectum esse illi etiam ostendebant, qui Methymnam confitendi gratia, concionibus commoti, veniebant.

DE COLLEGIO VALLISOLETANO

484. Praeerat huic Collegio P. Joannes Gonzalez et tam domi quam foris consueta Societatis ministeria exercebat; sed confessionum messis erat uberior et in dies augebatur tam in ecclesia nostra quam in aegrotantium privatis domibus; et inter poenitentes aliqui singulis mensibus, et hi nùmero plurimi, alii decimoquinto, alii octavo quoque die sacramenta frequentabant, nec injuria temporis vel itineris prolixitas et incommoditas eos impediebat. Ut autem ex multis aliqua sigillatim attingantur, vir quidam conjugatus, qui deprehenderat uxorem in adulterio, in eam cogitationem aliquando veniebat ut tam adulterum quam uxorem occideret; aliquando sibi ipsi manus inferre cogitabat. Cum hac animi afflictione ad Collegium veniens et cum quodam Sacerdote loquens, multum animatus ad confessionem demum accessit simul cum sua uxore; et cum eos sacerdos in sacrificio Missae Domino commendasset, sic immutatus fuit mariti animus, ut tanquam somnium ei viderentur quae prius ipsi acciderant, et quasi resurrexisse post confessionem sibi videretur, et pacifice et amanter cum uxore vivens crebro confiteri simul cum illa coepit. Alius etiam, qui in simili delicto uxorem invenerat et cum adultero simul occidere decreverat, ut melius de ratione rei perpetrandae cogitaret, se aegrotare fingens in lecto dies aliquot mansit. Quidam autem ejus amicus, qui vere aegrotantem credebat, quemdam ex nostris sacerdotibus ex Collegio secum assumens, ad illum, ut confessionem ejus audiret, deduxit. Placuit autem Deo ut hominem a vindictae deliberatione revocaret, et cum uxore pacificaret, cum qua quiete et amanter etiam vixit. Et uterque postea sacerdotem hunc conveniens fatebatur, si vitam ipsi haberent et uxores ipsorum, ei se debere. Foeminae etiam cujusdam rara fuit conversio, quae, cum quatuordecim annos in concubinatu vixisset, totius vitae generalem confessionem tanto cum dolore

Digitized by Google

fecit, et tam diligenter peccati occasionem vitavit, et tam ferventer in Dei servitio postea vixit, ut B.am Magdalenam imitari videretur. Demum inter multos paces compositae sunt; multi, a licentia vitae nimia revocati, ad omnia quaecumque injungerentur suscipienda praeparatos se exhibebant, et in illis vitiis se emendatos fatebantur, a quibus prius se liberari posse non sperabant. In festis praecipuis, prout assolet, quamvis magnus esset concursus, efficiebat tamen assiduitas et patientia laboris ut permultis possent pauci sacerdotes satisfacere; et quidem cum fructu, qui ex sacramento consequi solet, qualis est in viris a concubinis se extricare et in mulieribus a damnabili statu emergere.

485. Non intermittebantur suis temporibus xenodochiorum et custodiarum publicarum visitationes, nec pauci ad vitae emendationem morbum tanquam donum a Domino datum amplectebantur; et cum diligeretur magnopere P. Gonzalez, in mortis periculo eum praesentem habere infirmi etiam in privatis domibus cupiebant; nec tantum morientes sed et circumstantes adjuvare nostri nitebantur; cujus institutum ut in hac parte notum erat, ita crebro ad hoc munus evocabantur, et ex assistentibus multi postea ad confessionem accedebant. Inter eos autem quos in carceribus audiebant, multi fuerunt, qui, ne cogerentur injuriam condonare, vel quod negotiis essent immersi, multos annos sine confessionis sacramento elabi sibi permiserant; confitentes autem alii alios invitabant ad modum Samaritani. Exercitia spiritualia aliqui etiam viri religiosi acceperunt.

DE COLLEGIO BURGENSI

486. Hunc annum P. Franciscus Strada fere Burgis exegit cum P. Ferdinando Alvarez et duobus aliis fratribus, quorum alter, cognomine S.tae Crucis, etiam ad sacerdotium promotus, ad confessiones audiendas suam operam praestare potuit. Concionatus est aliquoties in monasterio monialium, quod *Huelgas* vocant, hoc anno cum singulari ipsarum commotione ac fructu; et ipsarum aliquae liberam fecerunt potestatem Patri Strada ut ab ipsis auferret quidquid superfluum eas habere judicaret et quod moniales non deceret. Admissus autem in mo-

Digitized by Google

nasterium, quae caeteris monialibus praeerat, suum cubiculum et arcas ei ostendit, et quidquid Patri Strada visum fuit, a se separavit, et extra monasterium misit, et statim pauperibus dari coeptum est. Hoc cum aliae vidissent, sic commotae fuerunt ut et ipsae adferre ad P. Stradam inciperent quidquid eis superfluum videretur; nec defuit quae omnium rerum suarum catalogum offerret, ut ab eo quidquid vellet auferret; et, si praeciperet ut omnia prorsus relinqueret praeter vestem, qua induta erat, se facturam; illae flebant; hae confessionem petebant; aliae ut eo rediret orabant, quia ad remedium malorum suorum id futurum erat; aliae ipsum sequebantur et ad cubicula deducebant, ut videret an aliquid esset superfluum. Et in ea civitate non exigui momenti haec reformatio existimata est, quia a multis tentatum fuerat ut illud pacificarent nec obtinere id potuerant. Elegerunt autem omnes, nulla prorsus discrepante, Abbatissam, quia quae prius illis praeerat, Vicariae, non Abbatissae, officio fungebatur. Miserunt autem ad Imperatorem suam electionem ut eam approbaret; quamvis incertum erat, quid esset responsurus; quidam enim existimabant quod aliquam extra monasterium aliunde adductam vellet ipsis praeficere.

487. Quod attinet ad nostri Collegii fundationem, aliqui pecuniam ad domum emendam conferebant, et omnium primus Dominus Ferdinandus de Mendoza, Cardinalis frater, ejus nomine quadringentos aureos obtulit; alii alias summas obtulerunt. Sed erat non exigua difficultas in situ idoneo inveniendo. Didacus de Vernuy situm quemdam offerebat prope hospitale quoddam, quod ipsemet erexerat et, si nostri voluissent aliquam ejus pii operis curam suscipere, reditus etiam offerebat; sed situs non placuit, et minus utique ea cura hospitalis suscipienda visa est. Quasdam alias domos in platea, quam *monetae* vocant, libenter nostris emissent, sed litigiosas esse inter quosdam cives intellectum est. Quod ad reditus spectat, praeter id, quod nomine Cardinalis dabat Dominus Ferdinandus, quod fere ad ducentos aureos ascendebat singulis annis, mercator quidam dives quinquaginta aureos ducatos annui reditus addebat, praeter subsidium ad domum coëmendam. Cum autem nostri pauci tunc essent, nulla difficultas erat, quod ad sustentationem attinet; nam ex eleemosynis abunde ad majorem etiam numerum necessaria suppeditabantur. Postea actum fuit de quodam ho-

Digitized by Google

spitali, quod *micheletis* dicebatur, in optimo totius urbis situ posito, et quia penes confraternitatem quamdam erat, cum multis agendum fuit, et ideo nihil hoc anno confectum; sed apud Sti. Aegidii nostri versabantur, quod primum ipsorum hospitium fuerat [1].

488. Comitissa Osorni optaverat, ut superiori anno dictum est, ut singulis mensibus ad ejus confessionem audiendam Patrem Strada adiret; sed cum ille se excusasset, et socium se missurum promisisset, misit mense Januario post Epiphaniam Patrem Ferdinandum Alvarez ad domum Reginae, ubi erat ea Comitissa cum Ducissa de Frias. Octo dies ibidem commoratus est, quo tempore Comitissae confessionem audivit et filiorum ac filiarum ejus et omnium fere utriusque sexus, qui ei inserviebant; audivit etiam omnes mulieres, quae in familia Ducissae erant, et bonam virorum partem, inter quos praefectus domus fuit. Totos itaque dies et noctium partem in hoc pio labore consumebat, et in exhortationibus ad eosdem habitis inter prandendum et coenandum, quibus ad confessionem movebantur, et alii alios invitabant; sed antequam eorum confessiones audiret, concionem ad eos instruendos habuit. Et non solum vires corporis sed etiam spiritus dedit Dominus huic Patri, adeo ut fere omnes, qui ei confessi sunt, cum magna commotione et lacrymis ac proposito vitae reformandae eo sint officio functi. Praeter familiares illas exhortationes binas autem ternas singulis diebus, bis publice concionatus est, primo in ecclesia parochiali, secundo in ecclesia Ducissae; et induxit utrobique confraternitatem nominis Dei contra juramentorum abusum. Aliquam etiam pecuniarum summam colligi in subsidium pauperum curavit. Demum non sine consolatione magna et fructu domum Reginae relinquens, Burgos rediit, ubi P. Stradam invenit quotidie magis excitantem ejus urbis animos ad cognitionem, timorem et amorem Domini.

489. Quinquies per quadragesimam in hebdomada concionatus est statis locis ac temporibus; scilicet, dominicis diebus

[1] Ignatius Patri Antonio de Araoz, ut omni, qua possit, diligentia curet aliquos Burgos mittere qui latinam, graecam et hebraicam linguam ibi profiteri valeant, 2 Februarii; Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Estrada, de reditibus ad Collegium Burgis erigendum oblatis, de ecclesia seu potius sacello ibidem exstruendo, de Abbate de Salas quae cum eo Romae acta sunt, 1 Septembris.

Digitized by Google

apud Sti. Aegidii, diebus lunae in monasterio illo nobili *Huelgas* vocato, die martis in alio monasterio S. Dorotheae, die mercurii in monasterio S.ti Ildephonsi, diebus autem veneris in cathedrali ecclesia, nam capituli nomine aliqui canonici rogaverunt ut semel apud se concionaretur et pro magno dono habuerunt quod illam diebus veneris concionem admitteret. Alias etiam extraordinarias habuit conciones et apud Sti. Nicolai et alibi; et, sive mane sive post meridiem concionaretur, magna et nobilium et popularium frequentia eum sequebatur. Concio, quam dominica in Albis habuit, ultima earum erat quas promiserat; nihilominus diebus dominicis sequentibus conciones est prosecutus.

490. Inter caeteros, qui multum spiritualis emolumenti ex ejus concionibus et colloquiis retulerunt, domestici mei fuerunt. Cum enim pater et fratres, Societatis institutum ignorantes et novitatem timentes, diu animis aversi a Societate fuissent et ante meam professionem, quoad ejus fieri poterat, me retrahere ab instituto conati fuissent, Patris Strada concionibus et colloquiis non solum emolliti fuerunt et familiariter agere cum ipso coeperunt, sed et frater natu major, post exercitia accepta primae hebdomadae, confessionem generalem Patri Ferdinando Alvarez fecit, propterea quod P. Strada, qui exercitia proposuerat, concionibus erat occupatus; quamvis eidem postea confiteri perrexit; et submisse admodum per litteras veniam petiit de omnibus, quae contra Societatem dixerat vel facere tentaverat. Pater etiam, hoc ipso anno extremo morbo correptus, in manibus ejusdem P. Strada ac P. Ferdinandi, ab eis opportune admodum adjutus ac Sacramentis susceptis, ex hac vita migravit. Et accidit ut cum P. Strada, eo animam agente, Missam domi ejus celebraret, pro eodem vivo prius *memento* dixerit, et, antequam ad secundum pro mortuis veniret, jam ille obierat; unde et secundum pro defuncto eodem dixit. Erat id temporis Burgis P. Franciscus Borgia, qui, si aegritudine, qua laborabat, non fuisset domi retentus, scribit quod reccessurus ab illo non fuisset, donec peregrinationem absolvisset; orationibus tamen et ille et alii nostri eum juverunt. Sed et alii etiam sanguine conjuncti Patris Strada opera multum in Domino adjuti fuerunt [1].

---

[1] Polancus, *ex com.,* Patri Francisco de Estrada, ut Polanci consanguineos adeat et alloquatur, etc., 2 Januarii; eidem, de modo cum eis agendi, 2 Februarii; Polancus

491. Quidam Abbas de Salas, nomine Franciscus de Miranda, domum suam, quam fere viginti millibus ducatorum aedificaverat, et octingentos fere aureos annui reditus ad ejus Collegii fundationem promiserat, et jam applicatio a Summo Pontifice erat impetrata; sed partim fratris ejus opera, qui domum illam inhabitabat, partim quia fortassis opus hoc beneficii loco aliis Deus reservabat, res prope confecta evanuit. Et in hoc, sicut et in aliis, intelligi potuit quod magnum Dei donum est et non cuivis confertur, ut insignia bona opera facere possint [1].

492. Sub initium mensis Maii P. Ferdinandus Alvarez, cum remissiores essent occupationes Burgenses, Salmanticam se contulit ut cum P. Turriano conferret de institutione Collegii Abulensis. Potuit etiam rem eamdem cum P. Francisco Borgia conferre, qui, ut dictum est superius, eo se contulerat; sed quidam ipsius cognatus sub idem tempus Salmanticam venerat, ut aliquos mitti Abulam ad Collegii initium obtineret. Visum est autem expedire ut prius applicatio quorumdam redituum obtineretur a Sede Apostolica et interim consanguinei ipsius Patris Ferdinandi Alvarez hoc negotium Abulae tractarent; quare non visum fuit oportere ut ipsemet Ferdinandus Abulam perveniret, et ita Burgos rediit.

493. Expetebatur P. Strada in Baetica, ubi Magister Avila Collegium in civitate Baeza instituerat, ubi theologiae et philosophiae et litterarum humaniorum lectiones fiebant cum studentium non exiguo concursu, et nongentis aureis annui reditus dotatum erat. Ex civitate Xerez aliud expetebatur, immo et Hispali et Cordubae, et mentio etiam Ossunensis civitatis jam tunc fiebat. Complures etiam ex suis discipulis, et qui auctoritatem ipsius sequebantur, ad Societatem mittere Magister Avila constituebat, sicuti jam aliquos sua exhortatione et consilio miserat, inter quos fuerunt praecipui Dominus Antonius de Cordova, P. Didacus de Guzman et P. Doctor Loarte. Sed ad haec Collegia instituenda viros aliquos magno animo praeditos Magister

---

matri suae, itemque Gregorio, fratri, 25 Februarii; idem Patrem Franciscum Borgiam rogat ut Burgis transiens, matrem suam soletur, 21 Decembris. Polancus, de morte sui patris, Patri Francisco Strada gratias agens pro iis, quae morienti patri praestitit officiis, 21 Decembris; idem matri solaminis verba; idem fratri de haereditate.

[1] Polancus, *ex com.*, Magistro Benedicto Uguccioni, de mittendis Burgos et de iis quae postulat Abbas de Salas, 2 Februarii et 17 Octobris.

Digitized by Google

Avila expetebat, ut possent illis obsistere, qui erga Societatem eo functuri officio videbantur, quo P. Canus Salmanticae functus fuerat, cum primum eo Societas accessisset. Ideo cum Patri Ignatio res non exigui momenti ad Societatis et divini servitii augmentum visa fuisset, scripsit ad P. Stradam de hac profectione in Baeticam. Sed cum P. Franciscus Borgia etiam expeteretur, et alia Societatem satis occuparent, ad messem illam, non magnopere maturam, hoc anno operarii missi non sunt; qui omnino pauci erant pro messe tam multa. Granatae etiam expetebatur idem P. Strada a Christophoro Brizegno, qui domum suam et tria millia ducatorum dare se velle Granatensi Collegio dixit, cum ad Ognatense Collegium transiret, ut superius diximus. Eodem et Dominus Ferdinandus de Castilla, Salmantica etiam missus, se contulerat, qui Patris Strada spiritualis filius fuerat [1].

494. Cum legatus et Cardinalis Poggius intra octavam Corporis Christi Burgis transiret et P. Franciscum Borgia, ut superius diximus, videre vellet et alloqui, comitem itineris habere voluit P. Franciscum Stradam; et cum per quoddam monasterium ordinis Sti. Hieronymi transirent sub advocatione Sti. Joannis de Ortega, petente legato, concionem magnae aedificationis habuit, qua illi religiosi summopere commoti P. Stradam obnixe retinere nitebantur, et ab eo velle se reformari dicebant. Sed cum Cardinali discedens simul ad civitatem Sti. Dominici de la Calzada pervenerunt. Inde ad domum Reginae P. Strada se contulit, ubi P. Franciscus Borgia tunc erat, et inde ad Ognatense Collegium progressus est, ut Dominum Antonium de Cordoba et alios, qui ibidem versabantur, inviseret; et cum Ognatensis ecclesiae Abbas eum rogasset ut apud se concionaretur, id cum magna hominum frequentia, satisfactione et aedificatione populi fecit; et quia in festo D. Petri P. Franciscus Borgia non poterat Vergarae concionari, ut populus ille sperabat, eo idem P. Strada profectus est, et in eo festo concionatus cum magna animorum totius populi commotione; et eo die cum pro more hispaniarum tauri agitandi essent, quae venatio saepe cum morte aut vulneribus hominum con-

[1] Ignatius Patri Francisco de Estrada, ei potestatem faciens ut aestivo tempore Burgis subsistat, hiemali Baeticam visitet, ubi res Societatis foveat, et Aprili tandem sequentis anni Romam veniat, 2 et 25 Februarii.

Digitized by Google

juncta esse solet, audita concione, ea se voluptate sponte privarunt, nec tauri agitati sunt. Alias etiam duas conciones ibidem habuit. Invisit itidem Loyolae domum, ubi P. Ignatius natus fuerat. Et ita Burgos rediit post tres hebdomadas, quas in praedictis locis et itineribus expenderat.

495. Et quamvis debilis admodum ex labore atque aestu rediit, brevi vires recuperavit. Venit etiam Burgos Comestabilis cum uxore sua Ducissa de Frias, et Comite ac Comitissa de Osorno, mense Julio; et, praeter ipsum Comitem stabilem, caeteri concioni Patris Strada interfuerunt; immo Ducissa ab eo postulavit ut semper ipsi significaret ubi concionaturus esset, quia omnes ipsius conciones audire cupiebat. Egit illa serio cum marito de Collegio, quod Burgis aedificabat, Societati tradendo; sed ipse opus inchoatum prius absolvi debere causabatur, quamvis non negabat se Societati tradere velle; et, cum hoc negotium differri videretur, de quibusdam ejus domibus emendis amici Societatis agere coeperunt, et quamvis vinculo quodam majoritatus essent annexae, tamen illae post aliquos annos Societati venditae fuerunt, et ibi Societas nostra stabilem sedem fixit. Sed de his suo loco plura [1].

496. Intermisit conciones aliquandiu P. Strada propter adversam valetudinem. Ultima dominica Julii jam quidem male habebat; sed quia pollicitus fuerat concionari et frequens auditorium convenerat, noluit concionem omittere; et bene se habuit quamdiu concionatus est; sed postea febris eum excepit, qua abstinere aliquandiu a concionibus fuit coactus.

497. Amicus quidam Patris Strada, cum intelligeret nostros exiguam librorum supellectilem habere, Parisios misit et inde bibliothecam instructam, prout ipse P. Strada dictaverat, Burgos transmitti ad nostrorum usum curavit.

498. Quo tempore a praedicatione abstinuit, multorum confessiones audivit et aliquas generales; et primarii civitatis viri non pauci cum ei confiteri poterant, pro privilegio non exiguo ducebant. Virgo quaedam primaria, quae opulentam habebat dotem, cum eidem confessa fuisset, commota est ad meliorem sponsum eligendum, et cum eadem dote ad monasterium mo-

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Strada, de rebus Burgensibus fuse, praesertim de Collegio Comitis stabilis, 4 Junii; id Patri Ferdinando Alvarez, eodem tempore.

Digitized by Google

nialium se contulit, ubi cum magno ipsius profectu et aliarum aedificatione ingressa est. Ferebant enim nullam monialem cum tali fundamento spiritus eo ingressam fuisse, et vocabant eam monialem Magistri Strada. Qui consulebant eum de casibus ad conscientiam pertinentibus, cum satisfactione magna et aedificatione ab eo recedebant [1].

499. Prima die Septembris, qua festum Sti. Aegidii celebratur, concionem habuit in ejus templo de praeparatione mortis cum frequentissimo auditorio; quamvis enim festum illud non observetur, conveniebant tamen avide, quia toto mense Augusto a concionibus cessaverat. Aliqui magno fervore ad Societatem admitti petebant. P. Ferdinandus Alvarez tam multas confessiones audiebat, et ex eis complures generales, ut per eum non mediocriter spiritualis ejus urbis fructus sit auctus; sed si decem ei similes in ea vinea Domini laborassent, messis major adhuc fuisset quam ut ei pares esse possent. Et magnae aedificationis erat ei civitati quod tam promptos ad labores in sanis et aegrotantibus adjuvandis viderent, cum tantum Dei honor et proximorum salus eos movere cerneretur.

500. Monasterium quoddam monialium ordinis Sancti Benedicti in oppido, quod Palàtios vocant, tribus ab urbe leucis erat, quod cum Episcopo litem diuturnam habebat, et inter ipsas religiosas magna etiam erat dissensio. Missus est ad eas P. Ferdinandus Alvarez ut aliquas exhortationes apud eas haberet et colloquia, quem multis cum lacrymis et compunctione audierunt, et complures etiam earum ad confessionis et communionis sacramentum cum devotione magna accesserunt. Emollivit etiam Dominus cor Abbatissae et factionis ejus, quae Episcopo eidemque Superiori prius contradicebat, ita ut ad concordiam aliquam honestam ineundam paratas P. Ferdinandus eas relinqueret. In urbe interim hoc autumno suas conciones cum magna frequentia P. Strada prosequebatur; sed die

[1] Dolebat bonus Pater Strada non pleniorem philosophiae, theologiae et Sacrae Scripturae cognitionem acquisivisse, dum iis disciplinis addiscendis incubuit concionandi italice et latine et hispanice munere simul fungens; ideoque sibi aliquid otii dari et quidem extra Hispaniam postulavit ad eas saltem recolendas. Respondet Ignatius gratum sibi fore in re optima morem ei gerere, vereri se tamen ne aut Parisiis, aut Lovanii, aut etiam Romae non possit Strada tantum otii reperire quantum postulat. His Ignatii litteris addidit Polancus *suas*, Stradae animum erigens eumque ad pergendum in concionandi munere exhortans, in quo utilius forte operam vitamque suam impendet, 1 Septembris.

Digitized by Google

Sti. Hieronymi cum doctrina, quam multi mirati sunt, et aedificatione concionem extra urbem habuit in monasterio religiosorum ordinis Sti. Hieronymi, cujus prior ad eum invitandum et urgendum bis in civitatem venerat, quae leuca una a monasterio distabat. Sentiebant etiam, qui prius experti non erant sacramentorum frequentiam, magnam in ea utilitatem.

DE COLLEGIO COMPLUTENSI

501. Dictum est superius quam diligenter nomine Summi Pontificis Legatus ejus idemque Cardinalis Poggius cum Archiepiscopo Toletano curaverat ut suspenderet edictum vel inhibitionem exercendi sua ministeria, quod contra Societatem promulgaverat. Injunxerat etiam P. Ignatius ut eorum, quae contra Societatem ille molitus erat, informatio caperetur et Romam transmitteretur. Tres fere menses expenderat P. Franciscus Villanova in hoc negotio, propter quod varias peregrinationes facere coactus erat, nec cessabat suis et fratrum orationibus Archiepiscopum Domino commendare. Et prius quidem solus ipse huic negotio vacabat; deinde accessit Doctor Turrianus, ut diximus; sed, eo Salmanticam redeunte, solus denuo Villanova ei vacabat; et initio causam edicti assequi non poterat. Cum enim prius edictum generale Archiepiscopi egressum esset ut nullus sacramenta administraret, nisi ab ipsius visitatoribus examinatus, subjecerat ille se ac nostros, ne irritaret Archiepiscopum, huic edicto, et ab ejus visitatore, Magistro Palacios vocato, pro nostris facultatem impetraverat. Et nihilominus postea edictum egressum est nominatim contra Societatem, interdicens confessiones, praedicationem et Missas, quascumque facultates a suis visitatoribus datas revocando.

502. Interim, ut diximus, Cardinalis Poggius ad hoc potissimum Toletum cum venisset, et videret Archiepiscopus quod Societatis causam ille susciperet, intellexisset etiam quod P. Villanova domos quasdam ab uno latere Collegio conjunctas ad ecclesiam aedificandam et duas alias domos ab alio latere ad Collegii commoditatem emendas curabat, misit cum magna festinatione Archiepiscopus ad illas domos ex utroque latere

Digitized by Google

emendas, nulli pretio parcendo; quamdam enim ex eis domum trecentis et quindecim ducatis emit, quae Patri Villanova dabatur per centum et quadraginta; et ita utrinque Collegium nostrum quodammodo obsedit ne dilatari posset. Et nihilominus edictum illud, antequam litterae nomine Summi Pontificis scriptae ad eum pervenirent, revocavit, constituitque ut sub poena excommunicationis et aliis poenis nostri sua exercere ministeria libere permitterentur ac suis privilegiis uti, quae a Sede Apostolica obtinuissent. P. autem Provincialis Araoz, qui primis hujus anni mensibus in illis locis versabatur, cum P. Petro Tablares ad Archiepiscopum se contulit, ut ei gratias ageret de hoc favore, quo Societatem erat prosequutus; et Archiepiscopus benigne eos excipiens se res Societatis promoturum affirmavit. Cum deinde adiret P. Villanova Legatum, intellexit quod jam dudum litteras ab Urbe missas acceperat et ad Archiepiscopum suas miserat, et quod ad informationem attinet, de qua paulo ante diximus, eam capi jussit de suo mandato, secrete tamen, quoad fieri posset, ne rursus ad indignationem Archiepiscopus moveretur, et hanc informationem se velle ad Pontificem mittere dixit; nec enim perfecte hoc vulnus curatum videbatur.

503. Intellecta deinde est causa indignationis Archiepiscopi, quod, scilicet, Societas aliquos admitteret, quos ipse per suum edictum ab ecclesia Toletana excludebat; et ita principi Philippo hanc reddidit rationem Archiepiscopus, scripsitque ut efficeret ipse ne Societas id genus hominum admitteret, quos ipse ab ecclesia sua excludebat, et tunc se pro virili Societati fauturum. Cum aliis etiam bene de Societate loquebatur; sed non ferebat quod eos, quos diximus, admitteret. Intellectum est autem quod Cardinalis Poggius duo promiserat Archiepiscopo, alterum quod in Complutensi Collegio nullus admitteretur ejus generis hominum, quos ipse suo edicto ab ecclesia Toletana excludebat, alterum quod Societas perinde atque aliae religiones erga ipsum factura erat. Haec ergo duo Cardinalis, nostris prorsus ignorantibus, Archiepiscopo promisit; et quia nonnulli studiosi et nobiles, ad quos aliqua ex parte edictum Archiepiscopi pertinebat, Societatem ingredi volebant et, si alio mitterentur, facile id alii observarent, respondit Cardinalis quod, hac tempestate ad serenitatem redacta, uti poterant nostri libere

Digitized by Google

suis privilegiis et instituti ratione, quandoquidem ipsius promissio sine nostro consensu nos obligare non poterat.

504. Quamvis autem de intimandis Archiepiscopo litteris apostolicis Societatis Roma scriptum fuerat, visum est tamen Patri Villanova non debere nostros a Cardinalis Poggii voluntate recedere (licet in multis ab eo dissentirent) ne eum exasperarent, quem refugium et propugnatorem habituri erant. Videbatur autem Patri Villanova alias litteras a Summo Pontifice obtinendas, quibus gratias ageret Archiepiscopo, ut sic ad favendum Societati magis eum excitaret. P. autem Ignatius scripsit Archiepiscopo Toletano eidemque gratias egit de beneficio in Societatem collato, et se ejusdem obsequiis amanter obtulit, et scripsisse nostris complutensibus significavit ne in Societatem aliquem admitterent contra intentionem aut voluntatem ipsius Archiepiscopi, nec aliis privilegiis a Sede Apostolica concessis uterentur, nisi quatenus eidem Archiepiscopo expedire videretur, ad ipsum sublevandum ex aliqua parte pro nostra tenuitate in hoc magno onere ipsius humeris imposito; et, ut ea, quae prius gesta fuerant, tribuebat animi magnitudini et zelo divini obsequii, antequam modus procedendi Societatis ipsi notus esset, ita sperabat eum prae caeteris Hispaniae Praelatis verum protectorem Societatis et patrem futurum, ad ea, quae Societas ad Dei gloriam et animarum salutem facere nitebatur. Scripsit etiam Cardinali Poggio, gratias eidem agendo et probando quae cum Archiepiscopo transacta erant. Et magis suavem illum modum expedire quam alium asperiorem censuit; et ita omnino etiam initio hujus anni Cardinali eidem scripserat ut cum dexteritate curaretur, prout ipsi videretur expedire, ut suum edictum Archiepiscopus suspenderet [1].

505. Quamvis autem litterae Pontificiae post pacem jam factam pervenerunt, non inutile fuit ut Archiepiscopus intelligeret quod patronum habebat Societas Christi Vicarium; exem-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Villanueva, de iis quae Romae in negotio Toletani Archiepiscopi fiunt, 2 Januarii; Cardinalis de Monte Nuncio Poggio et Archiepiscopo Toletano in commendationem Societatis; Polancus, Patribus Petro de Tablares et Emmanueli Lopez, de codem negotio; idem Simoni Rodericio, ut curet a Rege Portugalliae litteras ad Hispaniarum Principem habere, quae Principem moveant ad favendum Societati in negotio Archiepiscopi Toletani, 7 Januarii. Idem plenam dedit totius negotii *informationem* Portugalliae in Romana Curia oratori, ut is eam Regi, si videretur, communicaret.

Digitized by Google

pla etiam earum litterarum, principibus et magnis viris ostensa, multum apud eos Societatis existimationem ac devotionem auxerunt; et fere totus populus, cum videret Societatem in conspectu principis et curia ejus cum tanto antistite negotium hoc tractare, de quo id homines concipiebant, quod quae semel aggressus esset ad finem usque producere vellet, et demum eum vidissent cedere et prius edictum alio meliore revocare, quod lectum est in ecclesiis Toletanis et Complutensibus a concionatoribus populi, facile aliquid esse putabant solidum et magni momenti, quod animos Societati faceret, cum praesertim et litem illam cessare jussisset Archiepiscopus, quam intenderat ad evertendum aedificium Collegii Complutensis, quod magistratus ejus oppidi situm donare Societati sine Archiepiscopi consensu non poterant. Sperabant etiam aliqui ex his quod Archiepiscopus res Societatis temporales magnopere adjuturus esset; et ideo, cum domum Toleti nostrae Societati propemodum importune obtulissent viri ex statu ecclesiastico et saeculari primarii, non est admissa; quia hujusmodi institutio domus ad ipsum Archiepiscopum pertinere videbatur. Haec eadem perturbatio in causa fuit ut Consilium regium et alii magnates regni, quae ad Societatis institutum pertinebant, penitius cognoscerent magisque eam amarent, et in locis, ubi nulla erat Societatis notitia, dum tempestas durabat et timeri posset ne amici intepescerent, multi viri graves et bona sua et omnem operam Societati cum magno fervore offerebant; et in ipsamet civitate Toletana multi nobiles ecclesiastici et saeculares honorificum sibi existimabant nostros ad suas domos deducere ut constaret quod ipsi Societati favebant.

506. Comes Melitensis res Societatis, perinde ac si unus ex ea fuisset, suscipiebat; venit Complutum ut conciones P. Provincialis audiret, quas putabat in ea quadragesima facturum; sed cum adversa corporis valetudo id non permisisset, et Gandiam recederet, mansit ibi tamen Comes et secundo spiritualia exercitia renovare voluit, quae jam praecedentibus annis fecerat; et scripsit ad P. Ignatium omne officium magno cum affectu offerendo et librum exercitiorum postulando, ut et ipse eis juvari posset et de aliis bene mereri; communicationem etiam bonorum Societatis sibi et Comitissae, uxori suae, postulavit, et, ad curamdam valetudinem P. Provincialis, aliquam jurisdi-

Digitized by Google

ctionem sibi dari amanter postulabat; quae omnia P. Ignatius, ei amanter rescribendo, concessit [1].

507. Dum causa jam dicta agebatur, evocatus fuit P. Villanova ad populum quemdam Toleto vicinum a quodam viro nobili ecclesiastico, cujus auctoritas propter eruditionem, prudentiam ac pietatem magna fuerat apud Archiepiscopum Taveram et illum etiam, qui tragoediam praedictam excitaverat. Is Bartholomaeus Bustamante dicebatur, cui nunquam persuadere potuerat Archiepiscopus ut plusquam unum beneficium acciperet, immo et illud unum reliquerat libere, et praeerat cuidam insigni hospitali, quod Archiepiscopus Tavera jam dictus construxerat. Vir hic, quamvis de Societate nihil mali loqueretur, ut prudens aliquot annos observabat quomodo procederet; sed tempestatis jam dictae tempore oculos ei clarius illustravit Dominus, et eam ingredi, omnibus reditibus etiam saecularibus relictis, decrevit; et ad Ognatense Collegium de consilio Patris Villanovae missus est, quamvis ejus praesentia in Collegio Complutensi multum auctoritatis conciliatura in toto Archiepiscopatu Toletano nostris videbatur.

508. Ejus autem ingressus viros alios graves non paucos movit, ut Dei obsequio se serio dederent et Societati consuetis exercitiis proficere studerent; et inter hos multi ex ipsa cathedrali ecclesia Toletana Complutum ad hoc ipsum venerunt. Et omnino observatum est, quod prospere admodum spirituale negotium post haec tempora Compluti processit, et plurimorum corda inflammata fuerunt ad Societatem amandam, et ejus ministeriis juvari in dies magis cupiebant; et tam multi vel confessionum gratia vel ad spiritualia exercitia confluere ad Complutense Collegium coeperunt, ut annis praeteritis tot tempore quadragesimae non venirent quot tunc eo tempore quod quadragesimam praecedit, quo solent homines libertati carnis magis quam alio tempore indulgere; post inchoatam autem quadragesimam pro peculiari privilegio habebatur vel posse confiteri domi nostrae vel spiritualibus meditationibus exerceri; et cubicula, quae iis, qui se exercebant, applicari

[1] Ignatii patentes litterae, quibus Comitem et Comitissam de Melito bonorum operum Societatis participes facit, 4 Junii. — Misit eodem tempore exemplaria duo exercitiorum typis editorum, quorum unum Hispaniarum Principi a Comite de Melito erat Ignatii nomine offerendum.

Digitized by Google

poterant domi nostrae, plena semper erant, et aliqui duos vel tres menses exspectabant ut locum ibi haberent ad exercitia suscipienda; aliis aliqua extra domum consideranda proponebantur, ut confessiones suas exactius et majori cum fructu facerent; et tantopere se nonnulli juvari eis experiebantur ut qui prius sibi bene dispositi videbantur, post hujusmodi considerationes cum magna compunctione accederent, et nunquam se ut oportebat confessos esse ante id tempus agnoscerent.

509. Aliqui doctores diversarum facultatum exercitia spiritualia exactius absolverunt, inter quos Inquisitor ipse fuit, et aliqui eorum in illa domo claram se experiri manum Domini dicebant et alia, quae modestiae gratia taceri expedit. Aliqui etiam parochi post hujusmodi exercitia confecta magnae admirationi fuerunt suis propter insignem vitae mutationem. Quos enim litibus et factionibus et aliis malis irretitos viderant, dum vident humiles, pacificos, modeste indutos, in charitatis operibus occupatos, et abnegationi sui dantes operam, erat sane et admirationis et etiam aedificationis non exiguae occasio. Haec autem eorum, qui exercebantur, messis anni progressu crevit; nam septem et octo semper in eisdem exercitiis versabantur.

510. Ex quodam etiam monasterio primario cujusdam nobilis religionis curatum est ut P. Villanova ad exercitia spiritualia omnibus religiosis exponenda se conferret; nec tamen eis potuit satisfacere propter penuriam sacerdotum, quae non permittebat Collegium ab eo deseri. Magnus prorsus scholasticorum ejus Universitatis profectus in vitae modestia ac morum reformatione et sacramentorum frequentatione cernebatur; nunquam hujusmodi statum cum sancta pietate conjunctum in ea Universitate visum fuisse, ex quo fuit instituta, periti affirmabant; et optima quaeque ingenia ad Societatem accessura putabantur, sicuti et prius accessisse observatum erat, et P. Villanova quasi flores studiosae juventutis carpere dicebatur, cum tamen multos non admitteret, qui ab aliis religionibus libentissime admittebantur.

511. Duo viri nobiles, quorum alter consanguineus erat Patriarchae ac Praesidentis Consilii Regii, egregio praediti ingenio, in latinis et graecis litteris versati, et alter eorum in jure etiam canonico, admissi fuerunt. Dr. Hieronymus Vergara

Digitized by Google

ingressum suum in Societatem arbitrio P. Francisci subjecerat, quamvis ab causas rationi consonas suo in statu relictus est. Aliqui viri graves de ingressu etiam agebant, sed quinque vel sex prae caeteris magis urgebant, et cum magnae et domus et rei familiaris essent angustiae, tamen sub anni finem fere triginta in Collegio Complutensi jam numerabantur, egregiis praediti ingeniis; pars eorum in theologicis et alia pars in philosophicis studiis versabantur et ad abnegationem sui summo desiderio ferebantur, et nihilominus in studiis per diligentes exercitationes proficiebant. Inter alios admissus fuit Dominus Henricus de la Cueva, Cardinalis de la Cueva filius, qui Doctor et Inquisitor fuerat haereticae pravitatis Conchae, vir valde doctus et ingeniosus, sed de cujus stabilitate P. Villanova etiam illis initiis parum sibi polliceretur. Ad Ognatense Collegium et ille missus est, sicuti alii alio ex admissis, et nihilominus is numerus Compluti manebat, quem diximus [1].

512. Celebravit primam suam Missam P. Villanova in ipsa dominica in Octava Paschae; et, quamvis ipse curavit diligenter ne res evulgaretur ut frequentiam hominum vitaret, efficere tamen non potuit ut unus die sabbati praecedenti et quidem noctu id resciret, a quo alii multi intellexerunt; et tanta die sequenti confluxit hominum multitudo, ut necesse fuerit extra sacellum in area Collegii altare componere, ubi primitias suas Domino obtulit; et tanta in audientibus devotio et vis lacrymarum fuit ut affirmarent se nunquam concionem audivisse, quae tantopere eos moveret, quantum Missa illa non cantata sed submisso modo dicta moverat; et plusquam octoginta communicare de ipsius manibus voluerunt, inter quos nonnulli fuerunt sacerdotes, qui Missam illo die non dixerunt, ut hanc P. Villanovae audire et de ejus manu communicare possent. Inter communicantes fuit etiam Comes Melitensis.

513. Inter aliquos ecclesiasticos qui Toleti Societatis opera adjuti sunt, unus, qui Canariae Prior dicebatur, duo millia ducatorum annui reditus ad fundationem Collegii in civitate Toletana offerebat. Tunc tamen Collegio ibi instituendo locus non fuit. Ad aliquos viros graves in rebus spiritualibus exercendos egredi Compluto debuit P. Villanova, ex quorum profectu mul-

[1] Ignatius Doctori Ramirez de Vergara, de rebus Collegii Complutensis, 1 Januarii.

Digitized by Google

tum spiritualis utilitatis consecuturum sperabatur; nam propter eorum auctoritatem alii fructum ipsorum imitaturi merito sperabantur.

514. Dominus Hieronymus de Vivero sic ad Societatem afficiebatur, ut, si vocationem sentiret, se minime repugnaturum ingressum in Societatem affirmaret; et interim beneficium quoddam *(de Priego* vocabatur), quod circiter ducentos quinquaginta aureos valebat, Collegio Complutensi applicari voluit, et litteras procuratorias ad illud resignandum Romam misit. Non sic tamen Dominus Joannes de Borgia, qui non solum, ut sperabatur, non juvit Collegium Complutense, sed ei oneri fuit; nam ad eum excipiendum non parum pecuniae P. Villanova expenderat; ille tamen brevi recedens Compluto ut uxorem duceret, sicut prius dictum est, cum suis expensis Collegium reliquit. Cum admonuisset P. Ignatium Villanova quod multos non admittebat ob penuriam rerum victui necessariarum, respondit P. Ignatius ut Romam hujusmodi mitteret; sed Patri Araoz id difficile videbatur propter bella et expensas itineris; quam excusationem P. Ignatius non admisit et ita Romam aliqui missi sunt. Cum etiam idem P. Ignatius scripsisset Magistrum Dionysium idoneum fore ad Collegium Burgense, P. Araoz respondit appellaturum esse ab eâ sententia Patrem Villanovam; sed ille P. Ignatio scripsit minime se appellare, sed acturum libenter ut tam ille quam reliqui in nomine Domini mitterentur quocumque Patri Ignatio placeret; sed ut bona cum venia Doctoris id fieret, aliquid ei scribendum esse [1].

515. Toni domesticarum praedicationum, qui Roma in usu erant, in Collegium Complutense inducti fuerant; sed P. Provincialis Araoz judicavit eos Hispaniae minime convenire et ut mori in illis regnis usitato se attemperarent injunxit. Singulis autem noctibus in refectorio, prout Romae fiebat, aliqui concionabantur, et talenta in hac parte non exigua in novitiis deprehendebantur.

516. Non omittam quod cum Archiepiscopus Toletanus

[1] Polancus, *ex com.*, Hieronymo de Vivero de beneficiis Collegio Ognatensi Societatis adnectendis, 2 Januarii; Ignatius Joanni de Borgia, de rebus Complutensis Collegii et Archiepiscopo Toletano, eadem die, et 25 Februarii; Polancus, *ex com.*, Hieronymo de Vivero, de quodam Michaële de Paz, eadem die. Ignatii patentes litterae *communicationis gratiarum* Societatis Domino Hieronymo de Vivero, 4 Junii.

Digitized by Google

suum illud edictum revocavit et contraria constituit in Societatis favorem, haec addidit verba : *quia se nostrae jurisdictioni submiserunt*. Et quamvis, ut suo honori consuleret in revocanda sententia priori, id addidisse videretur, nostris tamen visum non est ea verba sine protestatione aliqua ex parte nostra silentio praeteriri; et ita ad curiam Regis P. Petrus Tablares se contulit et coram notario Nuncii Apostolici protestatus est Societatem se minime submittere potestati Archiepiscopi; et quidem coram ipso Legato hoc actum est et ab illa clausula appellatum. Illud etiam addam quod persuasum erat Archiepiscopo omnes nostros christianos novos esse, et sic principi Philippo significaverat; cum autem intellexit contra rem se habere, causa praecipua, quae illum contra Societatem armabat, cessavit. Illud etiam persuasum ei erat et nobis objecit, quod eximeremus nos a Praelatorum jurisdictione et quod vellemus in ecclesiam Toletanam contra ipsius ingredi voluntatem. Tunc P. Araoz ostendit illi patentes litteras P. Ignatii, quibus nostris praescribebat ut cum consensu ac bona cum venia Episcoporum accederemus ad confessiones audiendas et concionandum in eorum dioecesibus. Accepit has litteras Archiepiscopus, et legit, et subscriptionem P. Ignatii consideravit, et dixit quod mirum in modum gratum illi fuisset id videre, quod nisi videndo non credidisset; et, quod praescribebatur in eis litteris, tantopere ei satisfecit, ut statim Gubernatori Complutensi injunxerit ne contra Collegium Societatis amplius procederet in lite, quam intenderat, cum jam jam sententiam esset accepturus ad evertendos muros, quibus hortus circumdatus fuerat; et suam operam, ut superius dictum est, obtulit ad subveniendum necessitatibus Societatis. Verum magnam etiam rationem habuit Cardinalis ac Legati Poggii, qui tam serio causam Societatis susceperat, ut omnino Archiepiscopus animadverteret nisi refecisset prius illud edictum, offensum iri Cardinalem et ab ipsius benevolentia separandum. Nihilominus alias ob causas postea, cum ab Archiepiscopo alienatus aliquo modo fuisset, consensit ut informatio fieret de his quae dixerat liberius quam oportuisset Archiepiscopus, quae Sedem Apostolicam aliquo modo attingebant; quamvis informatio, quam P. Ignatius capi voluerat et injunxerat, fuerat non de his quae male dicta esent ab Archiepiscopo, sed de bono odore Societatis. Et ita Legatus com-

Digitized by Google

misit Cantori Complutensis ecclesiae non nostro nomine, sed ratione sui officii ut informationem caperet Compluti et in regno toletano de doctrina et moribus Societatis et de utilitate, quae ab ipsa redundabat; et ad hoc Complutum profectus est P. Tablares.

517. Mire erga P. Ignatium et Societatem affectus erat Legatus et P. Ignatii litteris summam consolationem accipiebat. Magno is in honore apud Philippum, Hispaniarum Principem, ejusque curiam habitus est. Cum galerum rubrum idem accepit Madridii in templo S.ti Hieronymi, Principem Philippum cum proceribus curiae, ecclesiasticis et saecularibus, invitavit, et, quod nunquam visum fuerat in Hispania, mensa ei communis cum Principe fuit, et qui Principi ministrabat poculum, ejusdem jussu Legato etiam ministrabat, et in reditu observatum etiam est quod Princeps illi caput aperiret et exspectaret donec ipse mulam conscenderet, et, cum Madridium perventum esset, aliquandiu caput apertum coram ipso Princeps habuit, et, cum die D. Mathiae sacro tanquam Legatus Madridium ingrederetur, Princeps ad eum excipiendum extra oppidum egressus est. Quamvis autem honoribus hujusmodi affectus esset Legatus, eamdem nostris familiaritatem et charitatem quam prius semper exhibuit, et P. Ignatio scripsit ut sibi certo persuaderet quod, quamdiu in Hispania versaretur, aut res Societatis favorem erant habiturae, aut ipsemet Legatus favorem habiturus non erat [1].

518. Hoc tempore Segoviae Dominus Ludovicus de Mendoza, dum se expedire nitebatur paratus, ut ipse scribit, ut deinde ad pedes P. Ignatii Romam rediret, hortum quemdam concinnabat intra illam civitatem et in optimo ejus loco, quem Societati daret, quam in medio corde semper habebat. Necessaria etiam ad aliquos de Societate, interim dum Collegium fiebat, ibi alendos simul cum domo offerebat; ac demum quidquid habebat, in Societatis usum se expendere velle litteris affirmabat [2].

---

[1] Ignatius Nuncio Poggio, officiose, 3 Junii; idem Hispaniarum Principi gratias agens, 1 Junii; idem Principis Secretario, Gundisalvo Perez. V. *Cartas de San Ignacio* t. III, pag. 72 et 83.

[2] Polancus, *ex com.*, Dno. Ludovico de Mendoza, ne Romanarum Tyburtinarumque Societatis rerum obliviscatur, sed eas, etiam dum in Hispania est, fovere curet, 25 Fe-

Digitized by Google

519. Eodem anno P. Jacobus de Guzman, antequam ex Hispania recederet, cum magno desiderio in Societatem admitti cuperet, idque litteris urgeret, propensum se cum Doctore Loarte in Italiam ostendens, sententiam P. Ignatii scire voluit, quem de suo patrimonio, libris, etc., ut omnia, prout ipsi visum esset, disponeret, orabat. Tantumdem Dr. Loarte, qui in omnibus illi socius erat, et in theologia etiam Magister fuerat, et eam in Collegio Baëzae praelegerat. Sed non visum fuit P. Ignatio properandum esse ad bona relinquenda, donec magis et ipsi Societati cogniti essent et ipsis Societas. Jam tunc nihilominus uterque in praedicationum et confessionum ministerio, et puerorum institutione in doctrina christiana, se exercebant, et praecipue P. Jacobi de Guzman affectus et animi propensio tota ad hanc puerorum institutionem ferebatur. Auxit autem magnopere utriusque erga Societatem studium quod, cum commendassent familiam quamdam ex Baëza Romam venientem, eam P. Ignatius in gratiam commendantium foverat et sua auctoritate et auxilio promoverat [1].

520. In civitate Xerez jamdiu exspectaverant P. Christophorus de Mendoza cum magistro Gaspare Lopez Collegii ibidem inchoandi initium. Transivit interim P. Joannes Alvarez cum socio per urbem illam et, mensem unum ibidem haerendo apud duos jam dictos, concionari coepit tanto cum spiritu ut totam eam civitatem commoveret, quae nostros ad initium Collegii magnopere expetebat. Absolverat jam theologiae cursum P. Gaspar et domum conduxerat, ad primos Collegii institutores excipiendos; et, cum intellexisset scriptum esse a Patre Ignatio ut eo se conferret P. Franciscus Strada quamprimum Burgis se posset expedire, summa consolatione affectus est; languebat enim quodammodo amore Societatis, et si illa in

---

bruarii; idem Patri Antonio de Araoz de duobus, quos Segoviam mitti Ludovicus de Mendoza postulat, 1 Septembris. Eadem die Ignatius Ludovico de Mendoza, de Collegio Segoviensi, et Polancus de Collegio rebusque romanis. Polancus, *ex com.,* Patri Antonio de Araoz, de Collegio Segoviensi, mense Decembri. Ignatius Dno. Ludovico de Mendoza, de eodem Collegio, et ut Provincialem Araoz Segoviam invitet, ut coram de iis aliisque agat, 21 Decembris.

[1] Polancus, *ex com.,* Domino Jacobo de Guzman, eum Ignatii nomine in Societatem admittens et injungens ut cum Doctore Gaspare Loarte Romam quamprimum se conferat; quod si iter arripere statim non valeant, Valentiae aut Gandiae aut alibi in Societatis domo aut Collegio, intra Hispaniam tamen, subsistant, 1 Septembris. Datae sunt etiam eis patentes litterae, quibus de eorum in Societatem admissione certiores reddit Ignatius Praepositos omnes Hispaniae.

Digitized by Google

Xerez non veniebat, alibi ad eam se conferre exoptabat; interim tamen suos discipulos theologos domi tenebat simul cum P. Christophoro de Mendoza, eorum et studia et bonam voluntatem alens, quos in Collegii institutione utilem operam navaturos sperabat. Mora tamen, quae ex paucitate operariorum accidebat, non hunc solum sed et ipsum P. Christophorum affligebat, qui ex reditibus cujusdam sui beneficii expensas necessarias futuro Collegio se facturum putabat. Quia tamen viros requirebat non vulgaris talenti opus illud, nec res magnopere maturuisse videbatur, et multis ex locis Societas vocabatur, hoc Collegium coalescere nec hoc anno nec sequentibus potuit [1].

DE COLLEGIO VALENTINO ET BARCINONENSI

521. Divisa jam erat, ut superius dictum est, Hispaniae provincia in duas partes, et quod ad Regnum Aragoniae, Valentiae et Catalauniae pertinebat, P. Simoni, ex Portugallia, ut postea dicetur, revocato assignata fuerat; sed ille usque ad ultimam hujus anni partem administrationem novae provinciae non exercuit; unde in Collegiis Gandiae et Valentiae primis mensibus hujus anni eadem gubernatio, quae prius, sub Patre Antonio Araozio fuit.

522. Praeerat Collegio Valentino post recessum P. Mironis P. Hieronymus Domenech, qui quamdiu in ea urbe versatus est, ut eam exemplo et verbo Dei et Sacramentorum ministerio excolebat, ita fructum non mediocrem ad animarum profectum et ipsius Societatis augmentum referebat. Nam praeter tres scholasticos theologos, et quartum, qui absolverat artium curriculum, quos diximus in Portugalliam missos anno praecedenti, inter quos fuerunt duo fratres Perpignani et Marcus Pancrudus, alii etiam non pauci nomina Societati dederunt, ut P. Soldevilla, qui theologiae studebat, et Philippus Pancrudus, Marci frater; tres etiam juvenes catalauni, theologiae studiosi, scilicet, Fontana, Torres et Joannes Bernardus, postea

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Gaspari Lopez, de mittendis in urbem Xerez, 2 Februarii. Similia scripta sunt Patri Christophoro de Mendoza. Idem Christophoro de Mendoza, ut Stradam in Baeticam Burgis avocet, 1 Septembris.

Digitized by Google

sunt admissi; tunc etiam Hieronymus Rubiolus, etiam theologus, admissus est, et alius, Vincentius nomine, qui Salmanticae duobus annis studuerat, et in graecis etiam litteris fecerat progressum. Sed et alii, inter quos Petrus Cabrera, nobilis juvenis, et Admiralli consanguineus, et optima indole praeditus, et alii hujus condiscipuli duo, qui dialecticae dabant operam; quidam etiam, cognomine Monserrat, ingenio et eruditione non mediocri praeditus, admissus est, qui fuit decimus quartus aut decimus quintus theologus post recessum P. Mironis a P. Hieronymo Domenech admissus; et ii inter theologos; nam alii non pauci admissi fuerunt; et plures admitti potuissent, nisi honestas ob causas differendam eorum admissionem P. Hieronymus existimaret. Parentes autem aliquorum ex his non solum aequo animo filiorum suorum ingressum in Societatem tulerunt, sed maximo affecti gaudio gratias de beneficio in eos collato Deo agebant; et magister cujusdam ex his, Segunti habitans, domum suam in hospitium obtulit nostris illac transeuntibus. Aliquot ex his, quos spiritualibus exercitationibus P. Hieronymus exercuit, alias religiones amplexi sunt.

523. Prosecutus est christianae doctrinae lectiones dominicis ac festis diebus et variis in templis est concionatus, et ut id saepius faceret multum rogatus est, etiam in cathedrali ecclesia; sed, ne cogeretur alias occupationes perutiles omittere, hoc ultimum munus concionandi in summo templo non admisit. Pomeridianis horis, etiam post discessum P. Hieronymi, frequens admodum ac nobile auditorium ad nostras aedes confluebat, ut conciones audirent, quae a quibusdam sacerdotibus et aliis fratribus nostris haberi solebant. Nec sine foenore labor impendebatur.

524. Jam multi scholastici diebus dominicis confessiones frequentabant; et non pauci ex eis propter confessorum paucitatem, re infecta, domum revertebantur, sed operariis diebus redeuntes pio suo desiderio satisfacere poterant. Conferebat autem sese ad parochiam Sti. [1] fere omnibus diebus dominicis et festis ut nobiles aliquas matronas et alias ex plebe audiret, quae toto corde in Dei servitium incumbebant; nec enim in templum nostrum, quod non erat bene erectum, venire pote-

[1] Sic, omisso Sancti nomine, sub cujus patrocinio erat parochia.

Digitized by Google

rant. Viros etiam aliquos ibi confitentes audiebat, et, cum ibi usque ad meridiem haereret, omnibus satisfacere non poterat. Augebatur autem in dies haec poenitentium multitudo usque adeo ut ad alia templa plures ire tenerentur, cum paucitas nostrorum operariorum omnibus in nostro templo audiendis non sufficeret.

525. Profecerunt etiam matronae aliquae primariae in spiritualibus exercitiis, quae illis fuerant proposita. Fatebatur denique P. Hieronymus se nullam vidisse regionem, ubi quidem Societas versaretur, in qua tam multa messis tamque parata inveniretur et ubi spiritualis fructus tam copiosus capi possit ad Societatis incrementum et animarum profectum.

526. Mense januario profectus fuerat P. Baptista, Rector Collegii Gandiensis, cum P. Balthasare, qui ex Collegio Valentino erat, ad quaedam loca prope Valentiam et Gandiam, ille ut concionaretur, hic ut poenitentes audiret, qui in xenodochiis et eleemosynis victitabant. Excepti autem fuerunt magno cum gaudio, et non minori, ut credebatur, fructu, cujus rei argumentum erat studium illud, quo Archiepiscopi opera ad se remitti hujusmodi operarios cupiebant, et quoddam oppidum, scilicet, quod Ontenientem vocant, populi multitudine frequentissimum, non conquievit donec per Ducem Gandiae a P. Provinciali Araoz obtinuit ut apud illos Magister Baptista concionaretur. Comitissa etiam de Concentaina, cum jam recessisset P. Baptista, missis jumentis eum ad se mitti curavit, ut ipsius confessionem audiret. Virgines quaedam, natalium splendore et divitiis clarae, exercitiis spiritualibus instructae, nuptiis et saeculo valedicentes, virginitatem suam Deo cum magna aliorum aedificatione consecrarunt.

527. Egressi sunt etiam Valentia P. Hieronymus Domenech, cum jam dicto P. Balthasare in oppidum Murviedro nuncupatum, ubi Saguntum olim fuisse memorant, et paucos dies ibidem commorantes, non exiguam interim messem, partim concionibus, partim confessionibus, partim familiaribus colloquiis in horreum Domini collegerunt. Unus inter alios fuit quidam, qui ob interfectionem filii diu a confessione abstinuerat, et interfectori parcere noluerat; utrumque effecit, nam et confessus est et veniam interfectori donavit.

528. In carnis-privio, quo solet Valentiae daemon ac mun-

Digitized by Google

dus tyrannidem nimis licenter exercere, sex ex nostris zelo Dei commoti tentarunt an aliquos ab illo communi furore cum Dei auxilio possent revocare. Inscio ergo P. Hieronymo, inter se convenientes, nudis pedibus, aperto capite, fune collo alligata, in terramque demissa, hic crucifixum gestans manibus, ille calvariam mortui, bini dare se in turbas et discurrere per frequentia hominibus loca coeperunt. Adhortabantur homines ad poenitentiam, et tribus aut quatuor locis conciones habebant de morte, de judicio, de saeculi vanitate et poenitentiae fructu. Duo ex eis carnes suas flagellis usque ad sanguinem afficiebant. Novum hoc spectaculum fuit omnibus et admirationem attulit, multorum furorem compressit, non paucis ad virtutem profuit, et illis, qui incorruptum habebant judicium, probatum maxime fuit et ad Dei gloriam et servitium cessit.

529. Post multam deliberationem de situ ac domo eligenda, ad illam, quam inhabitabant, sunt conversi; quae paulo quidem remotior est a populi frequentia, sed tamen quieta, spatiosa et prospectum aëris et agri liberum habens. Hanc fere mille aureis compararunt, cujus pretii tertiam partem Archiepiscopus numeravit, et ab aliis amicis, quod reliquum erat, collatum fuit. Coeperunt et templum aedificare et fundamenta ejus jecerunt; quamvis ex parochia quadam vicina impedimentum aliquod habuerunt, nisi promitterent salva ipsis fore jura parochialia nec ullum detrimentum acceptura, permittere novam hic ecclesiam fieri nolebant; sed tandem ab ea lite prosequenda destiterunt et nostri in ecclesiae suae aedificatione perrexerunt, quae tamen, prout in illis initiis fieri poterat, non magna fuit. Numerus nostrorum tredecim vel quatuordecim non excedebat; nam alii admissi alio mittebantur.

530. Sub initium hujus anni formula Collegiorum Italiae et Siciliae missa fuit Valentiam, quod eam vellet P. Ignatius in Hispaniensia nostra Collegia induci, et placebat illa quidem P. Hieronymo valde ut medium efficax, licet valde laboriosum, ad civitates reformandas; Valentiae tamen propter generale studium, in quo exercitia litterarum humaniorum, philosophiae et theologiae tractabantur diligenter, non videbatur ea induci posse.

531. Inter aliquos Romam missos a P. Hieronymo quidam sacerdos cantaber, in studiis provectus, fuit, ut ipse tamen fate-

Digitized by Google

batur P. Hieronymus, parum maturus, qui in spiritualibus exercitiis probatus non fuerat, sed sperabat ille multum se diligendum esse a P. Ignatio quod communem cum eo patriam haberet, Cantabriam; sed valde fallebatur; cum enim se bene in probationibus non gereret, a Societate statim dimissus est. Melius se gessit Michaël Barul, qui cum eo venerat, et paulo post Benedictus Pereira, adolescens praeclarae indolis, quod ad litteras et pietatem attinet, qui primum in Siciliam, deinde Romam venit. Complures alios misisset; sed quatuor Gandiam miserat, quasi depositum concredendo illi Collegio, donec in Italiam transire possent; quos ut sibi utiles Collegium illud retinuit. P. etiam Provincialis Araoz ne aliquos selectiores mitteret admonuit, ne hujusmodi ingeniis Collegia Hispaniensia destituerentur; quae res P. Ignatio minime placuit, quia ad Collegia in aliis extra Hispaniam regionibus admittenda, hujusmodi hominibus valde indigebat; cum praesertim Salmanticense et Complutense Collegium tam copiosum seminarium Societati in Hispania praestarent, ut referret P. Villanova se decem et octo aut viginti juvenes praeclara indole et ingenio et eruditione praeditos ex Complutensi Collegio posse eodem tempore admittere, quos tamen propter penuriam rerum victui necessariarum non admittebat [1].

532. Evocabatur litteris Pro-regis Siciliae P. Hieronymus; sed ejus praesentia valde Valentino Collegio necessaria videbatur; et ita ille se excusabat. Reformidabat etiam Pro-regis confessionem propter usum monarchiae. Domestica etiam negotia cum patre et sorore eum detinebant. Et ut intelligatur quantum sit confidendum promissis, praesertim mulierum, soror Patris Hieronymi, nomine Angelica, virginitatem suam Domino consecraverat; et quamvis ad monasterium ingrediendum non erat admodum propensa, quod ejus quaedam amicta [2] monialis id dissuaderet, et in monasterio minus spiritualiter vivere quam extra illud se posse putaret, parata tamen erat ad nutum P. Hieronymi ingredi, in cujus praesentia castitatis votum renovavit, et apud patrem, quamdiu is viveret, et deinde apud

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, de iis qui Valentia Romam missi fuerant, 2 Januarii.

[2] Sic clare in mss.; et nondum hujus monialis mentionem alibi factam reperimus; quare nec certo decernere possumus an sit scribendum *amica* an vero *amita*.

Digitized by Google

aliquam viduam honestam prope Collegium degere cupiebat, ut illi inserviret; et ita ex bonis patrimonii, ad ipsum P. Hieronymum et sororem provenientis, Collegium fundari posse credebatur; nam praeter dotem prioris uxoris, quae tota ad Hieronymum ut unicum filium veniebat, satis erat dives Dominus Petrus Domenech, Hieronymi et Angelicae pater. Sed cum recedens inde P. Hieronymus professionem emisisset, ut suo loco videbitur, et deinde pater ejus obiisset, non solum paternam ac maternam sed etiam uxoris prioris, cujus unicus erat filius P. Hieronymus, dotem sibi applicari contendebat; et nupsit cuidam viro et, eo defuncto, alteri, et exercuit litibus Collegium Valentinum, quod petebat saltem dotem illam maternam P. Hieronymi; et quidem per multos annos non potuit nec sine sententiis compluribus dos illa extorqueri.

533. Complures ex hac vita proficiscentes nostrorum auxilio melius animati et adjuti discesserunt. Tempore quadragesimae pomeridianae conciones diebus festis omissae sunt, tum quod abundabat Valentia concionatoribus eo tempore, tum quod confessionibus plurimis id temporis erat impendendum.

534. Accidit eo tempore magna quaedam perturbatio, et quidem quamdiu P. Provincialis Araoz Valentiae versabatur; et hoc fuit quod novus Dux Gandiae provocatus litteris cujusdam nobilis viri, Domini Gasparis Centellas, in via publica Valentiae fustibus eum caedi jussit; quae res illi civitati pernobili magnopere displicuit et factiones tum animae tum corpori omnium illius familiae Borgia minitantes et adversariorum nobilium exortae sunt, et res eo aucta fuit ut quemdam etiam juvenem nobilem occisum fuisse Duce auctore ob leves causas ferretur. Et propter expensas gravissimas, quae inde consecutae sunt, non solum quingentos illos aureos, quos Collegio Romano promiserat, non solvit Dux, sed etiam suo Collegio Gandiensi, quod ei debebat, tarde solvi curabat [1].

---

[1] Ignatius Patri Antonio de Araoz, ut coram Hispaniarum Principe causam agat novi Ducis Gandiae, Caroli Borgia, 1 Septembris. Missae etiam sunt litterae, quas Ignatio curante scripsit Pontificis Secretarius ad Legatum Poggium ut is Pontificis nomine et auctoritate de hac pace componenda apud Hispaniarum Principem ageret. Injunxit etiam Ignatius, et quidem *in virtute obedientiae,* Patri Francisco de Borja, ut in hoc filii sui negotium sedulo incumberet; eum tamen aliis litteris monuit ideo hanc ei *obedientiam* mitti, 1.° quo licite et sine scrupulo tale negotium suscipere valeat, et 2.° ut occludere eorum ora possit, qui obmurmurabunt fortassis cum eum familiae suae nego-

Digitized by Google

535. Mense Julio cum intellexisset P. Ignatius deferri reditum P. Hieronymi Domenech in Siciliam, quamvis non leves causas eas existimaret quae eum impediebant, quia tamen omnino educendus erat ex Sicilia P. Hieronymus Natalis, nec ante reditum P. Hieronymi id fieri poterat, in obedientiae virtute injunxit P. Hieronymo Domenech ut cum prima bona navigandi commoditate, si morbus non impediret, Romam veniret. Et quia litteras priores P. Provincialis et alii interpretati fuerant, has tamen absolutas scripsit, ne de intentione sua dubitaret; et intra decem aut duodecim dies, postquam litteras accepisset, Valentia recedere et Barcinonam venire, ut ibi exspectaret navigandi occasionem, jussit. Et quia prius scriptum fuerat ut eminentes aliquas personas ex his, quae admitterentur, et non quoscumque, Romam mitteret, nunc ei scriptum est, si tales non invenirentur, ut eos, qui maxime accederent ad prius descriptam eminentiam, secum deduceret. Et quod ad sororem attinebat, de qua consuluerat P. Ignatium an monasterium ingredi deberet, significavit se non audere hoc illi consilium dare ut monasterium ingrederetur, si confideret cum divina gratia se vires habituram ad charitatem exercendam prout ipsa destinaverat, perseverando extra monasterium in casto ac devoto vivendi instituto; quamvis enim in genere securior sit vita monialium et earum status praeferri debeat statui earum, quae liberae manent, consideratis circumstantiis personarum, aliter posse de hac vel illa persona judicari, praecipue si non videretur impulsus ac verus spiritus Dei in hujusmodi persona ad ingressum in religionem. Abstulit etiam timorem monarchiae, quod ea juste uti posse post consultationem Romae visum esset [1].

---

tiis implicatum videant; ejus tamen judicio relinquit ut videat an deceat se hujusmodi rebus immiscere, quamvis decere immo oportere omnino sentiant Cardinalis de la Cueva et alii. Adeo Ignatio cordi fuit hoc Caroli Borgiae difficillimum negotium, licet is nulla praestaret eorum ad quae erga Societatem et praesertim Romanum Collegium tenebatur, ut inter alia plura etiam Reginae Bohemiae et Romanorum Regis litteras ad Hispaniarum Principem habere curaverit.

[1] Joannes de Vega, Siciliae Pro-rex, Ignatio eum orans ut ex Hispania in Siciliam Hieronymum Domenech reducat, mense Januario. Ignatii ad Hieronymum Domenech patentes seu *obedientiae* litterae, quibus eum jubet ex Hispania quamprimum in Siciliam abire, 2 Februarii; eidem Polancus, ut secum aliquos, sed optimos, ex Hispania secum afferat, unum praesertim qui in linguae graecae aut saltem latinae cognitione emineat, eadem die.—Quae in hoc num. 535 narrat Polancus pertinere omnia videntur ad mensem Julium et Augustum. Certum tamen est ex *Regesto litterarum S. Patris*

Digitized by Google

536. P. ergo Hieronymus 25.ª Augusti Valentia profectus est intra praescriptos dies; quod tamen fieri non potuit sine magno doloris sensu in multis, qui a se divelli tali tempore et rerum statu P. Hieronymum aegre admodum ferebant. Constituit autem Rectorem fratrem nostrum, cognomine Gamerum, qui caeteris magis idoneus videbatur, eique injunxit ut extra tempora ad sacerdotium promoveretur; scholasticus enim erat theologiae, cui duos annos jam impenderat. Et quod classis turcarum fama percrebuerat in Hispania, non existimavit P. Hieronymus multos ex his, qui ad Societatem adspirabant, vel ingressi eam jam erant, in Italiam esse deducendos; cum iter terrestre propter bella cum Rege Galliarum clausum esset, et navigatio propter classem jam dictam parum esset secura. Tales propterea secum deduxit, qui magnopere id expetebant; unus horum fuit P. Soldevilla, alter Vincentius ille, qui Salmanticae studuerat, de quo supra; duos praeterea adolescentes, qui logicae dabant operam, quique, praeter ipsorum egregia ingenia, utiliter ex patria educendi videbantur; et quamvis iter illud Valentia Barcinonam versus periculosum esset propter saracenorum piratarum incursiones, qui fere illis diebus oppidum quoddam maritimum erant agressi et domos aliquas combuserant in ipso itinere, per quod nostri erant transituri, quod alioqui et latrones infestabant, incolumes nihilominus et sine ulla molestia iter illud et quidem cum magna consolatione spirituali confecerunt. Nam praeterquam quod egredientes ab hospitiis litanias dicebant, et mane integram horam, in silentio progrediendo, orarent, ac deinde de rebus meditatis confer-

---

N. Ignatii, litteras in quibus sermo fit de consilio, quod ab Ignatio Patris Domenech soror expetierat, datas fuisse Patri Balthasari Diaz 4 Junii, licet iteratae sint Julii 15. Hac autem die 15 Julii mitti coeptae sunt (verba Polanci) Patri Hieronymo Domenech, et quidem quadruplici distincta via: 1.° Una obedientia absoluta "per venir a Roma, havendo sanità, fra duodici giorni, partendo per Barcelona o altro porto, se già non aspettasse armata; quale aspettando, potrà stare sin' a venti giorni in Valentia; et finalmente con la prima navigatione buona che venga per tener l' invernata in Sicilia. 2.° Altra del Padre (Mtro. Ignatio) explicativa dell' obedientia al modo detto. 3.° Una mia (Polanci) sopra il medesimo, dicendo etiam che non daria conseglio Nostro Padre a sua sorella d' intrar in monasterio ut supra. 4.° Che non accade che truovi ripugnanza nelle confessioni di N. (Joannis de Vega, Siciliae Pro-regis), che si giustifica nella monarchia. 5.° (de novo Valentiae templo). 6.° Che meni seco mediocri, se non ha eminenti, dando ragione delli primi venuti."—Polancus, *ex com.,* Patri Antonio de Araoz, duo praesertim esse de quibus nonnihil dolere se Ignatius ostendit et queritur, sc., Hieronymum Domenech nondum Hispania excessisse et scholas in pluribus Hispaniae Collegiis nondum, ut ipse cupit, esse institutas, 1 Septembris.

Digitized by Google

rent, ac reliquo tempore vicissim de Dei laudibus agerent, aliquando etiam in itinere P. Hieronymus concionatus est, et ad monasterium celebre Montis Serrati devotionis ergo se contulerunt, et eremitoria inviserunt, et demum tertia die Septembris Barcinonam pervenerunt. Interim non solum pater ac soror sed etiam Archiepiscopus Valentinus per litteras a P. Ignatio postulabat ut ad res promovendas ejus Collegii vel eumdem P. Hieronymum, qui magno cum fructu in ea civitate versatus erat, vel P. Mironem, aut saltem aliquem alium gravem Societatis religiosum eo mitteret. Dominus etiam Franciscus Exarch ac Dominus Ludovicus Ferrer et alii benevolentia peculiari Societatem amplectentes, suis litteris id ipsum urgebant, inter quos unus testatur mirum in modum exemplum ac doctrinam P. Hieronymi civitatem eam commovisse, et ad inchoati Collegii fundationem, jam empta domo et ecclesia fabricari coepta, ejus vel similis alicujus praesentiam valde convenire. Providerat autem opportune P. Hieronymus ante suum recessum ut P. Baptista, Rector Gandiensis, Valentiam se conferret, et aliquo modo moerentes hominum animos consolaretur.

537. Fuerunt quidem nostri ante recessum ejus magna quadam sollicitudine liberati; nam de Cardinalitia dignitate P. Francisci Borgia rumor per civitatem illam pervagatus erat, et ferebatur quod sub poena peccati mortalis ad eam admittendam coactus fuisset; sed cum litteras Roma accepissent, quibus intelligebant negotium illud impeditum fuisse per P. Ignatium, sollicitudo in consolationem est conversa; et hic erat ubique nostrorum sensus, quamvis aliqui, sanguine conjuncti eidem P. Francisco, aliter haec accipiebant.

538. Prima Dominica Septembris, in inchoata ecclesia P. Gamerus, jam sacerdos, primitias suas Domino obtulit; ornaverunt nostri tapetibus partem illam nostrae ecclesiae; et tanta cum libertate Missam illam dixit ut non tyro videretur. Concionatus est etiam P. Baptista; multi enim convenerant, et tam ex Missa quam ex concione admodum aedificati recesserunt, et vix melius unquam dicitur esse concionatus. Successit autem novus sacerdos ac Rector, Deo cooperante, non solum in ministerio gubernationis sed etiam confessionum audiendarum et communionis ministrandae, et amicos etiam, quorum opera

Digitized by Google

Collegium indigebat, conservare studuit; nec spiritualia colloquia aut conciones pomeridianae sunt relictae, quae in area quadam sub umbra vitium habebantur, ad quas viri soli tam ecclesiastici quam regulares conveniebant et eorum devotioni abunde satisfiebat.

539. Mense Novembri P. Simon Valentiam venit, novus Provincialis, quamvis P. Franciscus Borgia ei scripsisset, ut tamdiu adventum in illa Collegia differret donec P. Ignatius admoneretur de causis, propter quas non expedire videbatur ut ea Collegia administraret; sed, ut obedientiae satisfaceret P. Simon, Valentiam venit. Cum variis tamen morbis ipsi familiaribus semper conflictatus est, et medici prorsus ei consulebant ut ad nativum aërem rediret. Laborabat enim stomachi et iliorum doloribus, et quia responsum ex Italia exspectari non posse judicabat sine magno valetudinis detrimento, praesertim impeditis propter bella itineribus, in Portugalliam redire decrevit, et P. Ignatio scripsit sperare se quod gratum illi hoc futurum esset, ut sic posset suae valetudini consulere, nec illi, cui gubernatio concredita erat, in hac parte credendum existimabat, nec ejus gubernationem ad augmentum Societatis, sed potius ad imminutionem et incommodum facturam esse [1]. Ante tamen quam recederet ex regno Valentiae, Collegium Gandiense videre voluit, et si quid constituendum in his Collegiis videbatur, id constituit; et sic versus Portugalliam discessit.

540. Non est omissum opus coeptum collegii et ecclesiae, quamvis non admodum progressum faceret.

541. Postquam Barcinonam pervenit P. Hieronymus, statim ei concio commendata est in festo Nativitatis B. Virginis habenda in parochia B. Virginis del Pi nuncupata. Venit etiam nuntium quod classis turcarum jam versus Orientem recessisset, et ita non diffidebat triremes in Hispaniam venturas ad Episcopos, qui in Concilio Tridentino fuerant, deducendos, et sic sperabat in reditu earumdem triremium cum sociis in Italiam venire; sed res aliter successit; et sic in magna quadam navi (*galeonem* vocant) et optime armata, quae recta in Siciliam tendebat, cum sociis navigare decrevit; et tandem quarta die

---

[1] Subobscure haec dicta sunt a Polanco. Clarescent tamen ex sequentibus et litteris Patrum Francisci Borgia, Torres, et Mironis et ipsius Simonis Rodericii.

Digitized by Google

Novembris Barcinona cum sociis solvit et pervenit incolumis Panormum, ut superius, cum de Sicilia ageremus, dictum est. Cogitaverat ipse quidem socios in Siciliam mittere in praedicta navi et ipse in navigio quodam exiguo (*bergantinum* vocant) in Italiam transire, ut sic obedientiae ad se missae simplicius pareret; sed P. Simon, qui etiam tunc erat Barcinonae, id ei non permisit.

542. Non fuit inutiliter illud bimestre transactum, quod egit Barcinonae; agebat enim tunc P. Joannes Queralt de domo ad Collegii institutionem idonea coëmenda et archidiaconus, Dimas Camps, operam suam obtulerat ad Collegii opus promovendum etiam applicatis reditibus ecclesiasticis, et amicus quidam Societatis, cognomine Bolet, simul cum eo ad emptionem hujusmodi domus propensus erat. Interim autem socii P. Hieronymi Domenech, qui sex numero erant, et corpus Collegii quodammodo conficere videbantur, cum ad lectiones audiendas ad scholas ejus civitatis se conferrent, et bonum Societatis odorem in spiritu et litteris spargerent, excitaverunt hominum animos, et tandem domus empta est apud ramblam, ut vocant, qui situs optimus P. Hieronymo visus est, et studio generali civitatis est vicinus, prope Ferrissam, et dilatari facile temporis successu poterat. Nec prius P. Simon Barcinona recedendum sibi existimavit, quam ad novam eam domum migrarent, quae tunc primo haberi Barcinonae coepta est; quamvis pene a fundamentis collegium et ecclesia aedificari voluerit [1].

543. Quidam magister Verdolay, vir magnis Dei donis et auctoritate praeditus, ad Societatem propensus erat, et in similibus functionibus, quibus illa, occupari solebat; sed abhorrebat a munere gubernandi et ad missiones in varia loca inclinabat; qui si in Societatem admitteretur, multi etiam magistri ejus auctoritatem secuturi videbantur. Postea tandem vir hic Societatem ingressus est; sed quam neccessaria sit animi resignatio nostrae Societatis hominibus et quod sine illa ne viri quidem valde pii et docti et celebres sint admittendi res ipsa docuit; nam hic vir gravis, senex, theologus, concionator, et propensus ad ministeria Societatis, in eisdem exercitatus,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz de Collegio Barcinonensi, 17 Octobris.

Digitized by Google

quod eam resignationem non esset consecutus, in Societate non perseveravit.

DE COLLEGIO GANDIENSI

544. P. Baptista de Barma, hujus Collegii Gandiensis Rector, primum mensem hujus anni, ut superius attigimus, extra Gandiam exegit, et tam concionibus quam confessionibus et aliis pietatis operibus populos illos vehementer commovit. Tam frequentes profestis diebus ad templum conciones audituri accedebant ut quasi dies festus et jubilaeum aliquod celebrari videretur, et vix nostris ad cibum aut somnum capiendum tempus relinquebant; et quia, postquam populo concionatus fuerat, ad hospitale pauperibus concionaturus redibat, populus etiam eum sequebatur, immo et cum ab uno loco ad alium transiret, fame quadam audiendi verbi Dei eum comitabantur; et ex eleemosynis, quae ultro eis offerebantur, aliis pauperibus subvenire poterant. Ternas aliquando uno die conciones populi frequentia extorquebat, et ita mirum non est si valde ei populi illi afficerentur et recedentem ad se revocare diligenter curarent. Constituit etiam ut doctrina christiana in multis locis doceretur [1].

545. Inter praecipuos tamen fructus ille fuit, tam extra Gandiam quam in ipsa, quod multas confessiones generales aut multorum saltem annorum audierunt, ad quas, quod prius integras non fecissent, homines tenebantur. Alius etiam vir primarius, qui sexdecim annis concubinam domi habuerat, ex qua filios susceperat, concionibus ejus Patris sic commotus fuit, ut ad eum in hospitale se conferret, ut, re cum illo collata, eamdem foeminam in uxorem duceret. Tres etiam sacerdotes redeuntem Gandiam secuti sunt, ut ibi commodius et exactius generales confessiones facerent, quod et fecerunt.

546. Populus Gandiensis ad sacramentorum frequentiam vehementius inflammatus fuit; et ita non exigua ejus pars ad sacramenta crebro admodum ad nostros accedebat, et, ut erant

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae de Barma, ut non obstante Rectoris officio, concionando et xenodochiis visitandis operam, cum possit, det, 2 Februarii.

Digitized by Google

sex sacerdotes ex nostris, si duodecim fuissent, satisfacere tamen quibusdam temporibus populo non potuissent. Certe cum jubilaeum a Pontifice concessum eo pervenit, licet tota praecedente hebdomada assidui admodum in confessionibus audiendis fuissent, in ejus fine totam noctem vigilare ad homines audiendos oportuit.

547. Non omittam autem quod, cum hoc jubilaeum circa festum D. Jacobi Majoris et Hispaniarum patroni accidisset, pro antiquo more illius regni tauri erant agitandi; equites etiam ludo arundinum certare invicem decreverant, quae res male Patres nostros habebat, cum die praecedenti fere omnes per confessionem vel communionem ad jubilaeum obtinendum se disposuissent. Erat id temporis Valentiae P. Baptista, Rector, sed octo ex nostris, quorum quatuor sacerdotes erant, ludos hos, qui parum convenire ad Dei et Sancti Jacobi honorem videbantur, impedire totis viribus, habita facultate a prorectore, adnisi sunt. Quatuor ergo ex praedictis in plateam se conferunt, primus et ultimus nudis capitibus et pedibus, et ut superius Valentiae factum fuerat, funibus collo circumdatis, et horum anterior magnam imaginem Crucifixi, ultimus calvariam mortui deferebat, duo intermedii nuda terga, brachiis etiam nudis, flagris caedebant. Pervenerunt itaque in plateam opportune cum primus taurus agitatus fuerat et inclusus, et ea de causa secure ingredi in plateam nostri potuerunt; omnes autem exspectatores, tam incolae quam externi, hoc spectaculo vehementer commoti, coeperunt magnis vocibus et gemitibus misericordiam conclamare. Adscendens autem gradus quosdam unus ex quatuor coepit populo concionari. Interea reliqui quatuor cum simili ordine et habitu ex Collegio exeuntes et primum vicum intrantes magnis vocibus misericordiam acclamabant. Commotum est autem cor cujusdam aethiopis, qui idem clamare coepit et confessionem postulare. Cum autem et hi ad plateam pervenissent, innovatae sunt voces et lacrymae. Veniebant autem per alterum latus plateae, quod tabulatis et hominibus super eadem spectantibus plenum erat. Accesserunt autem ad locum, in quo Duces erant et multitudo equitum et clericorum. Ibi autem concionari coepit alter ex fratribus magno cum fervore, insurgentibus crebro totius multitudinis clamoribus misericordiam Domini implorantibus. Lacrymabatur etiam Ducis uxor cum sui comi-

Digitized by Google

tatus mulieribus; populus autem, tabulata deserens, nostros redeuntes domum comitatus est, clamores jam dictos ingeminantes; aliqui etiam necessaria ad plagas, quas verbera incusserant, curandas propere ferebant. Hac ergo occasione multorum corda Dominus ad dolorem peccatorum et ad confessionem instituendam concitavit, ut, quos jubilaeum non invitaverat, hoc spectaculum ad suscipienda sancta sacramenta concitaret. Statim autem tauri omnes explosi sunt; cessavit et certamen arundinum, quamvis ad illud equites omnes non parvis sumptibus accincti fuerant.

548. Cum autem Valentia rediit P. Baptista, Rector, nova quadam vultus hilaritate et reverentia a novo Duce exceptus est; et cum intellexisset P. Baptista quemdam hominem verberibus publice puniendum e carcere educi, supplex petiit a Duce ut sententiam revocaret. Dux autem rubore oppletus quod Pater ille genua flectens hanc gratiam peteret, elevans ipsum, arbitrio ejusdem sententiam hominis illius commisit; et ita liber statim, qui puniendus erat, dimissus est.

549. Adduxerat secum Valentia Rector novitium illum, quem diximus, Admiralli Castellae nepotem, Dominum Petrum Cabrera juvenem magnae humilitatis, et paupertatis amatorem non vulgarem, qui, cum extra domum aliquando mitteretur, relicto suo pallio, quasi nimis esset grave, aliud valde attritum ac vile, quod solum ad exercendam mortificationem idoneum videbatur, accepit; et eo indutus ac laetus valde incedebat. Alii novitii non sunt admissi, quamvis plures id expeterent, quia sustentari commode plures non poterant. Inter eos, qui petebant, duo viri nobiles erant, et alii litterati; unus tamen frater coadjutor sua humilitate et sancta importunatione obtinuit ut admitteretur, in latinis et graecis litteris ac etiam in philosophia et mathematicis probe versatus, qui antiquus Rocca dicebatur; ipse Vicarius Gandiae, Theologiae doctor egregius et concionator, cum spiritualia exercitia accepisset, postquam a quibusdam se impedimentis liberasset, ad Societatem petendam venturus dicebatur.

550. Cum ter concionatus esset die quodam P. Baptista, sic debilitatus fuit ut in quadragesima prosequi conciones non potuerit; lectiones etiam theologiae et studium mortificationis, quamvis spiritum alacriorem redderent, corpus tamen debile

Digitized by Google

reddebant. Post quadragesimam resumpta est doctrinae christianae interpretatio cum magna populi frequentia, qui miram vitae mutationem brevi tempore fecisse videbatur.

551. Hac aestate Deniam se contulit P. Baptista, ubi per biduum quater concionatus est magno cum fructu. Cum autem praefectus xenodochii ejus oppidi lethalibus vulneribus nocte praecedenti confossus fuisset, opportune P. Baptista ad xenodochium se conferens, ejus confessionem audivit, et, antequam moreretur, ut interfectoribus veniam condonaret impetravit. Cum etiam gubernatorem adiret, qui propter suspicionem horum vulnerum juvenem quemdam in vincula conjecerat, ut ei libertatem donaret obtinuit. Alterum etiam ex vinctis, in gratiam Patris, qui id rogabat, promisit gubernator se libertate donaturum. Adducti sunt duodecim homines ad triremes damnati, quorum animos P. Baptista ad confessionem flexit et, ut aliqui confessi fuerunt, ita omnes fuissent confessi, nisi accidisset ut, cum eisdem compedibus duo simul tenerentur, altero utriusque pede incluso, fracto inter dissolvendum uno compede, qui custos erat eorum persuaderi non potuit ut reliquos dissolveret. Recessit itaque ab eis P. Baptista, postquam eos cibo refici curasset. Constitutum autem in eo oppido reliquit, quod in aliis etiam constituere solebat, ut, scilicet, congregati simul omnes pueri dominicis et festis diebus doctrinam christianam recitarent, aliquo bono viro eam curam suscipiente.

552. Cum rediisset Gandiam, rogatus est ut in summo templo concionaretur, quod diu factum non fuerat eo in loco; et eodem die plurimi apud nostros sunt confessi; et a prandio post vespertinas horas supplicatio Corporis Christi ex Collegio nostro processit per scholarum ambitum et alia quaedam spatia valde ornata pannis textilibus et quatuor altaribus in quatuor locis, Duce ipso cum nobilibus et magno populo comitante, cum tubis ductilibus et magno concentu, plurimis interim carminibus latinis in honorem Sacramenti compositis; et in fine supplicationis concionatus est breviter P. Baptista, et multorum animos valde commovit.

553. Ex oppido Concentaina, ubi hujus anni initio cum magno fructu versatus fuerat P. Baptista, litteras accepit, quibus intellexit persistere multos in frequenti sacramentorum usu ac bonis operibus, quae in ipsa instituerat; sed quia multorum

Digitized by Google

contradictionem patiebantur, rogabant eumdem Patrem ut, ad se redeundo, suo sermone nutantes confirmaret et animaret; quod magna ipsorum spirituali laetitia praestitit; et tantus in eo oppido confitentium numerus eum urgebat ut cum socio sacerdote ad mediam usque noctem confessionibus audiendis invigilare et in aurora ad hoc ipsum surgere (erant enim in aestate breves noctes) deberet; et illis confirmatis Gandiam rediit.

554. Studia nostrorum satis diligenter tractabantur. Ipso festo D. Lucae pro more quidam ex fratribus junioribus, habita ad externos scholasticos oratione, ad litterarum studium eos est adhortatus; et positionibus generalibus logicae, philosophiae et theologiae, quae duobus diebus sequentibus sunt habitae, interfuerunt Dux ipse Gandiae et ejus frater, Magister ordinis militaris Montesiae, cum multis nobilibus; et quinque gradum acceperunt baccalaureatus, unus magisterii; deinde lectiones inchoatae sunt de humanioribus litteris, graecis et latinis, philosophia et theologia, et ratio eadem, quae solita erat, hoc etiam anno in studiis observata fuit.

555. Post aliquot dies venit Magister Ordinis Montesiae ad P. Rectorem et suum ei desiderium aperuit philosophiam audiendi; quae res cum Rectori probaretur, cuidam ex fratribus injunxit ut logicam ei, ac fratribus ejus, ac quibusdam ex nobilibus Commendatariis praelegeret. Cum autem Magistrum Montesiae studium delectare coepisset, cubiculum a nostris postulavit in ipso Collegio, ubi quod reliquum erat hujus anni sic expendit, ut extra Collegium non egrederetur nisi hora prandii et noctu hora somni. Placebat ei magnopere Collegii silentium et quies, et affectabat nostrorum colloquia, ac praesertim P. Rectoris, cum quo res suas interiores conferebat; et exigebat a fratribus ut sibi promitterent quod oraturi essent pro eo. Ingressus culinam, cum magna aedificatione observabat Patrem ipsum Rectorem et alios, quos ipse magni faciebat, in infimis ministeriis humilitatis inservire; coepit et ipse aliquas delicias et commoditates, quibus ipse prius utebatur, rejicere et in ejus animo multis signis cernebatur spiritualis profectus. Et occasionem habuit paulo post, mortis imminentis vicinitatem ac vitae hujus vanitatem cernendi; cum enim simul cum suis nobilibus Ducem Gandiae ad oppidum quoddam vininum comitaretur, arcem

Digitized by Google

ingressus, subito quodam casu velut mortuus in terram corruit, et sic colorem et signa vitae amisit, ut vix septem homines grave corpus ejus a terra possent levare, nam statura procerus erat; et cum mortuum eum crederent, summo cum dolore jam aliqui barbas abscindere incipiebant, ut lugubres vestes induerent. Diu ille velut mortuus jacuit; donec placuit Deo eum quasi exsuscitare et sanitati restituere; et ex eo tempore, rediens ad Collegium, coepit majorem orationis quam studiorum habere rationem, et integram horam genibus flexis meditationi impendebat, qua absoluta, ejus rationem P. Rectori reddebat; et in his exercitiis spiritualibus perseverans aliquando etiam in refectorio cum nostris cibum capiebat; et tam demisse se agebat, ut cum quovis ex fratribus agens minimus videretur.

556. Hic Magister Montesiae frater erat P. Francisci Borgia, vir praeclaris naturae donis insignis, et, praeter ipsius animae fructum, ex hac cum nostris cohabitatione id consecutum est, quod ipsius clientes ac famuli, nobiles etiam commendatarii, confessi sunt de peccatis; ii autem numero multi erant, quamvis decem et octo cantores et musicos dimisisset. Sperabatur etiam alius major fructus, factionum scilicet dissolvendarum, quas ipse simul cum Duce Gandiae, suo nepote, contra alios nobiles ejus regni exercebat; nam et ipse Dux demisse admodum se gerebat, cum Dei opera tum in aliis tum in patruo, Magistro Montesiae, observaret.

557. Prosecutus est P. Baptista suas conciones in suo templo, alias etiam in summo; et tam nobilitas quam populus, immo et ecclesiastici, qui se minus propitios exhibere soliti erant, eum sequebantur et audiebant. Et observabant nostri quod a paucis mensibus auxerat divina bonitas concionandi talentum in eo Patre, et cum clare vitia reprehenderet et ea vehementer perstringeret, id tamen ea cum discretione praestabat, ut auditores perlibenter eum audirent, et non irati ex vulnere sed compuncti remanerent. Ita in omnibus statibus magna reformatio et inter se invicem magna unio secuta est; sic etiam et sacramentorum frequentia inducta, et ludi, detractiones et alia vitia, quae populum illum magno afficiebant spirituali damno, sublata sunt, multis hanc mutationem mirantibus; et denique illi, qui nostros persequi soliti erant et eorum conciones minoris faciebant, illi, inquam, devotius nostros sectabantur. Haec autem omnia in dies

Digitized by Google

aucta fuerunt, ex quo Episcopus qui ad Gandiam visitandam venerat, suam erga nostros charitatem multis signis ostendit, et in nostro templo confirmationis sacramentum populo exhibuit, rogavitque P. Baptistam ut quodam die dominico, quo Missam pontificali ritu celebraturus erat, ipse concionaretur; et post illam concionem auditam detractiones et animi aversio in laudem et magnam voluntatis propensionem conversa fuerunt. Priora quidem nostris salubriora fortassis erant; sed ipsi populo non solum in spiritualibus sed etiam in temporalibus nocere videbantur. Cum enim prius contraria coeli et aëris dispositio eorum bona evertere videretur; ex quo ipsi mutati fuerunt, sic etiam temperies mutata est ut pluvia, sol, et frigus, omnia suis temporibus, melius quam ipsi petere possent, succederent, cum magna pauperis populi commoditate.

558. Cum non posset Concentainam, ut invitabatur, ad natalitia festa se conferre, quod suas conciones gandiensibus promiserat, litteris eos homines ad perseverantiam in bene coeptis animabat; quod et Comitissa Concentainae exemplo et verbo praestabat, et quidam sacerdos, cui curam P. Baptista reliquerat eos ad pietatis opera sollicitandi. Offerebant autem Societati domum optimam et quibusdam ex nostris omnia necessaria se subministraturos pollicebantur.

559. Quod ad domesticam attinet nostrorum disciplinam, diligenter suos P. Baptista non solum in oratione sed etiam in his, quae ad propriam abnegationem voluntatis et judicii et affectus propiae excellentiae pertinent, exercebat; et, cum ipse primus manum operi admoveret et exemplo praeiret in humillimis quibusquam ministeriis, non erat ei difficile suis exhortationibus, quaecumque hujus generis volebat, eis persuadere. Et in excogitandis novis formulis ad humilitatem exercendam sicut etiam et charitatem satis diligens erat. Unam tantum referam, qua cum quodam fratre usus est, qui videbatur longas tunicas expetere. Curavit enim ut talarem vestem exueret et brevem tunicam indueret; quod cum jussus fecisset, pallio detracto, per oppidum incedere voluit, rediitque cum sua brevi tunica solito hilarior ac liberior [1].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae de Barma, ne nostros, qui Sacerdotes non sunt, plus quam ter in hebdomada ad Eucharistiae sacramentum accedere permit-

Digitized by Google

560. In aestate hujus anni, ut attigimus ex parte, arva oppidi Gandiensis magnopere sitiebant, quia per multos menses non pluerat, adeo ut putei magna ex parte exsiccarentur. Accessit et rumor quod classis turcarum ad eas Hispaniae oras maritimas accederet. Convocatis ergo fratribus, afflictionem, in qua populus versaretur, eis explicavit; et cum ab eis peteret quibus armis utendum censerent, decretum tandem est, usque ad diem Assumptionis B. Virginis, qui post octo dies celebrandus erat, ut ter eo tempore Sanctissimam Eucharistiam acciperent et eisdem diebus singulis coram sacramento ter singuli flagris corpus attingerent, et ut a quinta hora matutina post mediam noctem usque ad nonam post meridiem oratio fieret sine intermissione, partitis inter omnes fratres horis. Eadem igitur nocte, qua hoc decreverant, ecclesiam ingredientes flagellis se caeciderunt; et statim ipsa eadem nocte et biduo sequenti ea pluviarum abundantia terram inundavit ut sitientes agros prorsus satiaret, et paulo post litteras Valentia acceperunt, quibus admoniti sunt classem turcarum minime ad eas oras accessuram. Ex illo tamen falso rumore hoc boni divina providentia elicuit, ut ad confessionem multi, sibi timentes, compulsi fuerint. Hoc tamen animadversum est quod spiritus quidem proficiebat sed magno cum detrimento corporis, ita ut stomachi et capitis dolor molestus esse compluribus coeperit, quamvis, adhibita exercitatione majori corporum et moderatis laboribus mentis, melius habere coeperunt.

561. Cum initio hujus anni magistratus parum affecti essent nostris, conquerebantur quod in scholis filii ipsorum minus proficerent quam par erat, et, cum in Collegii instructione fere viginti quinque aureos annui reditus et domum quamdam Collegio nostro oppidum Gandiense applicasset, significabant se libenter, quae dederant, recepturos ut pro suo arbitrio alium praeceptorem suis filiis prospicerent. Nostri autem id non parum optandum esse Duci significarunt et se perlibenter restituros oppido Gandiae suum illum reditum et daturos aulam lectori grammatices, quem ipsi sibi conduxissent. Sed Dux, qui intelligebat minime convenire populo Gandiensi quod petebat, no-

---

tat, nec precationibus et devotionibus prolixis occupari, sed rationem majorem habeat et curam tum studiorum tum etiam valetudinis, 4 Iunii.

Digitized by Google

stris non acquievit et omnino voluit ut tres classes litterarum humaniorum cum totidem praeceptoribus Collegium exhiberet; quia certum illi erat quod Gandienses, adjunctis etiam illis viginti quinque aureis annui reditus stipendio, quod dare solebant, magistrum unum vix idoneum invenissent. At postea, ut superius diximus, benevolentia populi magnopere erga Societatem crevit, et haec postulatio cessavit; et inter eos, qui ad nostros accesserunt confessionis gratia, inventi sunt qui super triginta annos beneficio sacramenti confessionis caruerant.

DE P. PROVINCIALI ARAOZ

562. Initio hujus anni Compluti fuerat Pater Antonius Araoz, Provincialis; sed mense Januario inde profectus cum Domino Joanne de Borgia versus Gandiam, in itinere ad oppidum Torrijos ut Ducem Maquedae alloqueretur divertit; et ibi cum aedificatione non mediocri concionatus est, et a Duce humanissime exceptus, qui in suo proposito perseverabat domum et ecclesiam ad Collegium Societatis offerendi. Inde, ut superius tetigimus, Toletum ad Archiepiscopum se contulit, qui mensa saepe eum excepit cum socio, et de rebus Societatis familiariter egit cum eo; et tunc publicatum fuit posterius illud edictum, quo prius revocabatur, et majoris aedificationis causa fuit quam perturbationis prius fuerat. Voluit etiam P. Provincialem Toleti concionari. Inde autem profectus, nona Februarii Gandiam pervenit, dolore quodam coxae sinistrae vexatus, *sciaticam* vocant; sua tamen praesentia nostros magnopere consolatus est; et die sequenti Dux et fratres ejus eum inviserunt et ipse etiam domo egressus Ducissam et sororem Franciscam, quae P. Francisco Borgia amita erat, magnae perfectionis religiosam, invisit. Ibi etiam litteras accepit quod civitas Girona magnopere contendebat collegium Societatis apud se institui, et quidam Abbas Agugliana rem prae caeteris urgebat. Sed omnino ad tam copiosam messem pauci erant operarii. Inter alios primarios viros, qui Patrem Araoz invisebant, fuit Magister Montesiae; et quia curandum esse illius morbum medici existimarunt, sollicite admodum Dux ejus curam agi voluit; parum tamen remedia adhibita profuerunt. Cum demum

Digitized by Google

meliuscule haberet, tam ipse Dux quam religiosae Stae. Clarae ut concionaretur apud se rogabant, et ita prima dominica quadragesimae mane in cathedrali ecclesia, et post meridiem apud Stam. Claram, cum frequenti admodum auditorio concionatus est, et sua doctrina, quae in dies in ipso crescere videbatur, magnopere auditores consolatus est [1].

563. Multi scholastici, etiam commendatitiis litteris adhibitis, P. Provincialem urgebant ut se in Societatem admitteret, inter quos unus erat, qui jus canonicum audierat, qui a patre suo, licet primogenitus esset, facultatem ingrediendi Societatem impetraverat; et tamen neminem admittendum ille censuit. Decima septima Martii Valentiam se contulit, ubi primariorum virorum et aliorum, qui erga Societatem atque ipsum peculiari devotione erant affecti, visitationibus plus satis urgebatur. Non acquievit tamen ut in cathedrali ecclesia concionaretur, quia nondum convaluerat omnino ab illa aegritudine, quae prohibebat, ne firmiter in suggestu posset pedibus subsistere.

564. Jam initio hujus anni observabatur quod Dominus Joannes de Borgia ab illis firmis propositis intepescere et apud Philippum, Hispaniarum principem, locum aliquem sibi opportunum quaerere incipiebat; et fortassis fratribus id magis probabatur quam ut studia vel Societatem nostram sequeretur [2].

565. Cum esset Valentiae P. Araoz, prima die Aprilis primus lapis in fundamentis ecclesiae benedictus ab Episcopo Segniano [3] positus est, et B.ae Mariae ac B.o Paulo dedicata fuit, et cum Missam celebrasset idem Episcopus, et multos manu sua communicasset, habita exhortatione spirituali, nomine Archiepiscopi Valentini et suo gratias egit benefactoribus Collegii praesertim de ecclesia erigenda, et ad progrediendum in tam pio opere exhortatus est. Quemdam juvenem, sex-

---

[1] Polancus, *ex com.*, fratri Antonio Gou, eum laudans de cura quam habet valetudinis Patris Araoz, 2 Februarii; Ignatius Patri Antonio de Araoz, ne novitios excipiat nisi in domibus aut collegiis, ubi seniores aliqui et bene probati sint; in novas autem domos aut collegia nonnisi ex his senioribus probatisque selectos aliquos mittat, 25 Februarii; eidem Polancus, *ex com.*, ut videat an expediat fratrem Antonium Gou ad sacros ordines promoveri, 4 Junii; eidem, de Collegio, quod in oppido Bermeo institui vult Petrus de Zarate, 21 Decembris.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, plura de Collegiis Burgensi et Ognatensi et Joanne de Borgia, 4 Junii.

[3] Sic in Mss.; sed putamus mendum librarii esse pro *Segoviano* seu *Segoviensi*; is enim Episcopus Inquisitoris Generalis munere tunc temporis Valentiae fungebatur multumque nostris favebat. V. *Cartas y otros escritos del B. P. Fabro*, t. I, pag. 321.

Digitized by Google

decim fere annos natum, in Societatem admittere quodammodo coactus P. Araoz est; cum enim tam acri esset ingenio ut suos condiscipulos studii philosophici longe anteiret, tam instanter ut admitteretur P. Provincialem ursit, ut ei resistere non potuerit; et, cum quidam vir nobilis, qui ut filium eum habebat, et ejus etiam praeceptor revocare adolescentem ab hoc instituto conati essent, tantam ei constantiam dedit Dominus ut eos ad probandum suum propositum adduxerit; et tam nobilis ille quam praeceptor ejus cum multis discipulis ad salutandum P. Provincialem venerunt; et fatebatur magister, qui et sacerdos et theologus erat, se ut admitteretur ipse in Societatem petiturum esse, nisi jam stipendium a civitate accepisset ad artium cursum conficiendum.

566. Jam hoc tempore cum negotia Collegiorum crescerent, et grave esset P. Ignatio et iis, quorum opera Romae utebatur, omnia illa per se, ut prius fecerant, curare, procuratorem externum, qui Collegiorum negotia in romana curia sollicitaret, constituit P. Ignatius et ad P. Araoz scripsit ut ad ejus expensas suam ratam partem hispaniensia Collegia conferrent.

567. Caesaraugustam Valentia se contulit; ubi aliquandiu versatus et rebus, ad illud Collegiolum pertinentibus, tractatis, 17 Junii inde recessit; et in oppido quodam Comitis Rivagorzae Dominum Joannem de Borgia invenerunt, cum quo simul ad provinciam Guipuzcoae profectus est, ubi litteras invenit Ducissae de Frias, quae ipsum ad Domum Reginae evocabat. Ibi, ut superius diximus, P. Franciscum invenit cum sociis, et ipso die, qui B. Petro sacer erat, cum magna aedificatione concionatus est. Inde in provinciam Guipuzcoae rediit, et pace inter aliquos dissidentes concilianda occupatus fuit. Septembri mense denuo rediit ad Reginae Domum ad negotia quaedam magni momenti tractanda. Intellexit autem circa id tempus Patrem Simonem a Patribus Mirone et Torres extra Portugalliam missum esse ut Collegiorum provinciae Aragoniae curam gereret; et sibi pergratum fuisse scribit quod praecipua pars oneris ab eo translata in P. Simonem fuerat, et rogavit per litteras ut quod reliquum erat oneris in eumdem transferret; nam, ut mater, potius uni totam provinciam dari quam dividi optabat; et nihil sibi prius ea de re scriptum esse alios mirari; se autem gaudere quod praevenisset eum in benedictionibus suis. Scribit

Digitized by Google

etiam a quibusdam non exiguae auctoritatis in Societate plurimas rationes ad dissuadendam hujusmodi divisionem provinciae adduci; eas tamen ad P. Ignatium se nolle mittere; et quamvis illi existimabant eum, qui pondus diei et aestus portaverat, de hujusmodi divisione esse praemonendum et se in foro interiori exoneratum a reliquo provinciae onere putabat, exterius tamen omnia, sicuti prius, facturus erat; quia cogitabat hanc esse Patris Ignatii mentem vel Patrum Mironis et Torres, ipsius nomine, ut alius ipsis succederet; demum hanc divisionem non leviter videtur sensisse. P. tamen Ignatius nihil de suo proposito mutavit; nam augmentum Societatis forte praevidebat, qui non solum hanc, sed etiam majorem provinciarum divisionem exigebat, quae non multos post annos facta est [1].

568. Burgos deinde se contulit P. Araoz, quem statim invisit Dominus Ferdinandus de Mendoza, Cardinalis frater, et Comestabilis ad eum salutandum amanter misit; et eorum rogatu apud Sti. Aegidium concionatus est cum insigni auditorio primorum ejus urbis; qua concione cum magna aedificatione et doctrina peracta, tam Comestabilis quam reliqui magnopere sibi satisfactum esse significabant, et aliqui post concionem ad res suas conferendas cum ipso, alii ut confiterentur veniebant, quibus audiendis postridie occupatus fuit.

569. Cum Caesaraugusta P. Simon transiret, non bene nostri mentem P. Ignatii intelligentes, cujus necdum litteras habebant, censuerunt non debere ipsum se Provincialem esse publicare, donec a P. Ignatio litteras acciperent, quod ille non solum Caesaraugustae fecit sed Barcinonae se facturum dixit. Hujus trepidationis causa fuit quod P. Ignatius expeditionem hanc in Portugalliam misit, ubi tam cito res expediendas non cogitare poterat; et potius ut honesta cum causa ex Portugallia P. Simon recederet, patentes litteras miserat, quam quod vellet tam cito in provinciam Aragoniae eum venire; nec praemonendos alios censuit donec quid in Portugallia factum esset intelligeret; et cum causa lateret et Patris consilium, aliqui ex nostris, ipsum tantum effectum cernendo, admirationis causam aliquam habebant.

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, ei facultatem faciens ut Commissarium, prout in Italia fit, in Hispania constituat, qui ei subsit et caeteris praesit, 21 Decembris.

Digitized by Google

570. Burgis venit P. Provincialis Vallisoletum et deinde Methymnam, ubi, praeter philosophiae lectiones, quas P. Maximilianus praelegebat, Magister Joannes Flander grammaticae lectionem praelegere coeperat, quia P. Ignatius, ut superius tetigimus, in Hispaniae Collegiis scholas prout Romae et Siciliae institui ad firmandam in doctrina et moribus bonis juventutem constituerat. Cum animadverteret Methymnae in via vel platea publica Patrem Baptistam concionari, quamvis in ecclesiis idem cum frequenti admodum auditorio faceret, dubitare coepit an id expediret, etsi non ignoraret fructum ex eo non provenire mediocrem, cum ex variis nationibus multi eum in publica platea audirent qui nunquam ad ecclesias ituri credebantur; et non solum consilium P. Ignatii ea in parte voluit, an, scilicet, extra templa pergere in concionando deberet, licet praelato recusante, sed si videret perseverandum esse, aliquam approbationem, saltem viva voce, a Sede Apostolica ejus rei expetebat.

571. Mense Augusto contractum est matrimonium inter Dominum Joannem de Borgia ac Dominam Loyolae, Laurentiam; qua de re multa scribit P. Araoz, quorum haec summa est: Ducem Gandiae et alios amicos Domini Joannis hoc diligenter curasse, et, quamvis eo tempore factionem illam, de qua actum est, Dux inchoaverat, persuasum est nihilominus Domino Joanni ut missam faceret Gandiam, et ad provinciam Guipuzcoae se conferret, ut hujus matrimonii expeditionem urgeret; multi enim, et forte ditiores inter nobiles ipso Domino Joanne, hoc matrimonium ambiebant, et ita Dominus de Ozaeta cum aliis, qui partes agebant Domini Joannis, caventes etiam P. Provincialem Araoz, rem transegerunt, de qua scriptum est quam parum P. Ignatio probata fuerit; et quia in Portugallia aliter hac de re loquebantur, eo P. Araoz informationem rei, ut gesta fuerat, misit.

572. Conqueritur modeste per litteras idem Provincialis Araoz quod, se inconsulto, P. Torres quosdam ex nostris loco moverit et alio, quam ejus Provincialis destinaverat, transmiserit; et quamvis non sine facultate a P. Ignatio accepta id faceret, tacite submonere videtur ipsum P. Ignatium quod ille Pater non admodum versatus esset in modo procedendi Societatis, et, quando aliquid injungatur vel commitatur alicui, id sic limitan-

Digitized by Google

dum videri ut cum Provinciali rem tractet. Hoc autem non ab ipsomet P. Araoz scripta sunt, sed ab Antonio Gou, ejus socio, qui tamen de Provincialis sententia ac mente ea scribere videtur [1].

DE COLLEGIO CAESARAUGUSTANO

573. Duo tantum sacerdotes Caesaraugustae versabantur; et tamen messis confitentium et communicantium in dies augebatur, quam cum ipsi omnem colligere non possent, in aliis etiam ecclesiis crebro ad sacramenta aliqui accedebant et in his, quod magis est, et fructus spiritualis et constantia etiam in contradictionibus cernebatur. Paulatim tamen et ipsae contradictiones cessabant, postquam patientiae fructum abundantem attulissent. Fuit aliquis, qui nostros aliquando velut suspectos fugiebat, qui sic postea affectus erga eosdem fuit, ut vix a domo nostra posset avelli; et sic alii non pauci ex contrariis amici facti sunt.

574. Nomine P. Ignatii injunctum fuerat ut in litteris nemini scriberetur *Admodum Reverendo* sed tantum *Reverendo,* praeter Provinciali ac Generali; sed id tanquam novum futurum et inusitatum non ad praxim deduxerunt, donec P. Ignatio rescriberent; qui negotium hoc tanquam leve non ursit, sicut nec de *Paternitate,* quam nulli tribui ne sibi quidem cupiebat; verum cum intelligeret a P. Tablares quod jam in Hispania is usus invaluerat ut Provincialibus Paternitatis titulus tribueretur, dixit ut unusquisque sicut vellet per Paternitatem vel Reverentiam eum compellaret [2].

575. Archiepiscopus Caesaraugustanus, quod nunquam an-

---

[1] Quasdam dedit hoc anno Ignatius de scribendis litteris regulas Patri Antonio de Araoz, quas scire haud inutile judicamus. En earum summam ab ipso Polanco descriptam: "1.° del Padre (Mtro. Ignacio). Una, que siempre escriba á él y no á mí (Polanco) ni á otro las letras que tocan á personas y cosas de la Compañía. Si de cosas tocantes á negocios ó á mi persona hubiese que escribir, se podrán las letras, que desto trataren, enderezar á mí y vengan dentro de las suyas (sc., intra eas quae Patri Ignatio superscribuntur). 2.° La segunda, que en todas letras, grandes ó pequeñas, aunque sean hijuelas ó inclusas, se ponga data y esto al fin y no entre renglones, que no se halle. 3.° La tercera, que esto mesmo haga saber v. p. á todos los prepósitos y rectores y los profesos que hubiere de su provincia, enviándoles la copia desta y reteniéndose una para sí, y acá quedará otra porque no haya ocasion de faltar en esto. Mandate a 9 di Agosto per mano dell' Ambasciatore di Portogallo."

[2] V. supra sub num. 461.

Digitized by Google

nis praeteritis facere voluerat, hoc fecit, ut, scilicet, nostros eligeret ac in catalogo publico confessariorum numeraret. Inquisitores etiam optime de nostris sentiebant. Nec cessabat frequentia confitentium et communicantium, quamvis eisdem diebus concionator quidam ordinis S. Augustini, qui in eo templo concionabatur, ad quod P. Strada invitatus venire non potuerat, aliquot concionibus eos reprehenderet, qui certis quibusdam diebus communicabant, et in eos tanquam hypocritas invectus erat, quia in his, quae pertinent ad Dei cultum, magis quam quod communiter in usu est praestarent. Hujusmodi conciones rumorum causa et offendiculi debilibus erant; et, cum P. Franciscus de Rojas videret quantum damnum multis ea doctrina inferret, scripsit huic religioso de his propositionibus et ad Collegium eum invitavit; quod humaniter ac benevole a viro religioso admissum est, qui significavit aliam fuisse suam mentem nec de personis ad sacramenta crebro accedentibus se loqui voluisse; et ita Dominus ejus cor immutavit, ut duas conciones omnino contrarias doctrinae prius propositae cum aliquorum admiratione et aedificatione habuerit. Paulo post movit Dominus spiritu quodam vehementi omnes concionatores Caesaraugustae ut magno cum fervore ad frequentiam sacramentorum populum inflammarent.

576. Primus ex magistratibus, quos Juratos vocant, quemdam ex nostris alloquens, rogabat ut P. Strada in sequenti quadragesima ad concionandum Caesaraugustam veniret, quod si fieret, significabat ad Collegium Societatis stabiliendum aliquid se facturum. Non fuit autem sollicitus ille Pater ut intelligeret quidnam id esset, ne nimiam rationem Collegii nostros habere significaret.

577. Intellexit P. Franciscus de Borgia a quodam viro nobili ac valde pio regni Aragoniae, venisse in Hispaniam saracenum quemdam, nepotem Regis Velez in Africa, cum tribus vel quatuor famulis, qui a curia Principis Philippi et cum ipsius litteris Caesaraugustam veniebant, ut ibi baptismum acciperent; et affirmabat nobilis ille quod in manibus habuerat ac legerat litteras illas Principis ad Pro-regem et Archiepiscopum et decreverat in suo comitatu saracenos illos deducere. Accidit autem ut in quodam hospitio mantica illa, in qua hujusmodi litterae et pecunia saraceni inclusa erat, furto ei auferretur, et, magna di-

Digitized by Google

ligentia adhibita, non inveniri potuerunt quae in mantica erant, quamvis ipsa in lacu quodam inventa est. Cum igitur Caesaraugustam venissent, fides non est habita illi nobili christiano, nec erat qui saracenos respiceret. Itaque in quodam hospitio sine pecunia velut attonitus ille saracenus cum famulis manebat, et satis alienum a christiana religione videbatur ut catechumeni illi sic destituti relinquerentur. Pater itaque Rojas, quamvis nihil haberet praeter personam suam, illam obtulit et omnem operam, quam posset, ad saracenos juvandos. Rogavit ergo nobilem illum christianum, qui eos deduxerat Caesaraugustam, ut ad domum nostram eos mitteret; et, cum examinasset intentionem ac bonum animum illius saraceni, majori cum fiducia et compassione ejus negotium amplexus est; et retinuit domi nostrae hos catechumenos, donec Gubernatorem cum aliis nobilibus et Archiepiscopum etiam alloqueretur. Gubernatori autem et aliis quibusdam videbatur fraudem aut deceptionem aliquam subesse, quamvis fere tota civitas factum P. Francisci de Rojas laudavit, et ipse Gubernator, omnia necessaria catechumenis subministrabat. Miserunt autem ad Principem peculiarem nuncium, ad cujus adventum baptismus erat catechumenis conferendus. Visitabant interim et Gubernator et multi nobiles et etiam Inquisitores hunc nobilem catechumenum, qui, responso accepto ex curia Regis Philippi, baptizatus est ipso die Sancti Philippi, quamvis P. Rojas differendum baptismum censebat, quia nondum maturuisse satis ipsi videbatur. Sed re collata cum Inquisitoribus et Archiepiscopo, demum baptizatus est et vocatus Dominus Philippus de Mechinas, et ejus patrini fuerunt Comes Rivagorzae et gubernator Aragoniae; et cum magno comitatu a domo nostra ad parochiam eum deduxerunt ac baptizarunt.

578. De spiritualibus exercitiis cum utilitate propositis et aliis pietatis operibus, ea quae consueta Societati sunt, intelligantur Caesaraugustae facta. Erat tamen usque adeo debilis Collegii fundatio ut in adventu Provincialis agendum videretur an nostri inde removendi essent; manserunt nihilominus tam ipse P. Rojas quam P. Alphonsus Roman cum sociis coadjutoribus [1].

---

[1] **Ignatius Conservatori Aragoniae, de lite inter ipsum et Dominam Annam Gonza-**

Digitized by Google

DE PROVINCIA PORTUGALLIAE AC PRIMO

DE MISSIONIBUS

579. Anno superiori missus fuerat in Episcopatum Algarbiorum P. Gundisalvus Vaz cum socio Nugnio Alvarez. Alius etiam sacerdos, nomine Fructuosus Andreas, eodem missus erat, et agebat Episcopus de Collegio ibi instituendo, ut diximus. Accepit autem P. Gundisalvus Regis litteras ad quemdam judicem, quibus dicebat non esse in civitate, ubi tunç versabantur, nomine Lagos, sedem firmam Collegii constituendam. Scripserat etiam P. Simon, qui primis illis mensibus nondum reliquerat provinciae curam, se intellexisse quod ea civitas parum sana esset. Sed aliter nostri judicabant, quibus referebatur nullam esse in Hispania salubriorem; et id credi facilius poterat, cum multi senes et magnis corporis viribus praediti ibidem cernerentur; situs autem Collegio destinatus caeteris ejus urbis salubrior habebatur, quod in loco esset eminenti et libero aëre ac prospectu frueretur. Et tam amanter offerebant illum locum hi, ad quos spectabat, ut pro beneficio ducerent si admitteretur. Hospitio excepti erant nostri in quadam parte domus ejus, in qua Collegium institui cupiebant, et hospites P. Gundisalvo significarunt non tantum domum sed omnia bona sua ad Collegii fundationem se donare constituisse, et, si opus esset ut viventes se illis bonis abdicarent, se paratos esse; et quia pars illa domus, quam nostri habitabant, minus erat commoda quam ea quae a dominis habitabatur, permutare cum nostris voluerunt. Nostri tamen quod pauci adhuc essent, do-

---

lez, 2 Januarii; eidem eadem die et 2 Februarii Polancus, fusius de eadem lite, et Ignatium in eo esse ut renunciet juri, quod certo Societas habet; idem, *ex com.,* Patribus Francisco de Rojas et Alphonso Roman, ut Provincialem Araoz consulant an ipsis Caesaraugusta sit excedendum; quod si excedant, Burgis et Compluti libenter excipientur, 2 Februarii; Ignatius Dominae Aldunciae Gonzalez nihil in ejus detrimentum se facturum, sed oportere ut Joannem, fratrem, aliumve procuratorem in curia romana constituat, 17 Octobris; Ignatii patentes *seu obedientiae* litterae, quibus Patrem Franciscum de Rojas jubet ut intra mensem post acceptas litteras Patrem Franciscum de Borgia, Caesaraugusta excedens, adeat, ejusque consilio se regi patiatur, 21 Decembris. His adjunxit Polancus *suas* eum ut Romam ad Ignatium confugiat exhortans. Vacillabat jam tunc Rojas.

Digitized by Google

num hoc non admiserunt. Volebant autem statim inchoari Collegium; sed cum eo tempore bellis omnia arderent inter Imperatorem et Regem Galliae, navis quaedam, in qua hospites nostrorum bonam sui patrimonii partem habebant, cum aliquot domesticis, non apparebat, et a Gallis capta simul cum aliis multis navigiis ejusdem civitatis credita est. Et haec causa fuit cur Collegium eo tempore non inchoaretur. Exspectabant etiam ut Rex opus inchoari juberet.

580. Ter in hebdomada P. Gundisalvus concionabatur et, quamvis templum amplum esset, frequentiam tamen eorum, qui audituri venerant, non capiebat; multae restitutiones fiebant: a peccatis publicis multi emergebant; multi ex primariis viris frequenter ad sacramenta confessionis et communionis accedebant et in eo singulare Dei auxilium experiebantur; clerici concubinas relinquebant, et inter alios senex quidam id fecit, quem P. Gundisalvus allocutus est, et tantopere ad Societatem deinde afficiebatur ut omnia sua bona ei relinquere et eamdem ingredi decerneret; quia tamen senex erat et illiteratus, admissus non est. Voluit autem P. Gundisalvus ut post Pascha grammaticam docere Nugnius Alvarez inciperet, quod cum fecisset, pueri et alii ad ejus confluere lectionem coeperunt, inter quos sacerdotes erant et alii homines honorati; fructus itaque copiosus undecumque proveniebat. Nam et P. Gundisalvus, praeter conciones, quod reliquum erat temporis, confessionibus audiendis tribuebat; tantum aliquot horas post meridiem pridie ejus diei, quo concionaturus erat, ad praeparandam concionem assumebat; paces etiam atque amicitiae magni momenti inter eos, qui multos annos inimicitias exercebant, facta sunt; et omnes tam libenter et obedientes nostris se submittebant, ut quidquid dicerent, quod ad has concordias attineret, statim, manibus in crucem complicatis, admitterent, et omnia se facturos pollicebantur. P. tamen Gundisalvus praecipuam apud eos auctoritatem habebat; et cum inter alios virum quemdam alloqueretur, cujus fratrem adversarii interfecerant, et ut illis condonaret ab eo peteret, initio quidem durum invenit; nam et anno praecedenti sacerdotes omnes cum Sanctissimo Sacramento eum urserant, et faciem ille averterat, nec veniam donare voluerat; sed postquam eum P. Gundisalvus est allocutus, intra paucos dies sic interius mutatus est, ut cum

Digitized by Google

summa admiratione populi noxam adversariis condonaverit.

581. P. Fructuosus ante quadragesimam parum sperabat homines hos ad devotionem adduci posse; sed postquam magna hominum multitudo confessionum gratia ad eum fluxit, admirabatur multorum spiritum, quos interius Dominus instruxerat et orare docuerat. Profecerunt etiam multi, etiam ex primoribus populi, et non poenitendos progressus in oratione fecerunt. Aderant nostris duo boni Sacerdotes, et cum per dioecesim discurrebant, curam his relinquebant eorum confessiones audiendi, qui sacramenta frequentabant; alter eorum jam Societatem ingredi decreverat; sed differebatur ejus admissio, donec collegium inchoaretur.

582. Die Jovis Sancti ad oppidum quoddam, duabus leucis distans, se P. Gundisalvus contulit, ut eos, qui in custodia detinebantur, audiret; et postquam eos audierat, cum eis concionaretur, surrexit unus eorum multis cum lacrymis dicens aliis: aequum esse ut flerent et ea, quae a P. dicebantur, intime sentirent; et ita alia de Deo loqui coepit; quem cum P. Gundisalvus tantopere commotum vidisset, dedit ei dicendi locum, quia non parum et movebat et consolabatur alios.

583. Frofectus est autem ipso die Paschatis P. Gundisalvus per pagos urbi vicinos ut praedicaret et christianam doctrinam doceret, et fructum ex illis reportaret in horrea Domini, sicuti in urbe ea quadragesima copiosum admodum reportaverat. Comitati sunt eum duo illi Sacerdotes externi et eorum confessiones audiebant, quos P. Gundisalvi praedicatio excitabat; aliis etiam pietatis operibus dabant operam; sed redeundum fuit in urbem; nam ex his, quae seminaverant in quadragesima per conciones et confessiones, fructus post Pascha cernebatur adhuc; quindecim enim aut viginti diebus post festum Resurrectionis quotidie magnus numerus confitentium et communicantium accedebat, qui id perpetuo agere constituebant. Quibusdam autem ex eis nostri praescripserunt ut singulis mensibus, aliis ut decimoquinto, aliis ut octavo quoque die ad sacramenta accederent; qua in re tanto magis enituit divinae virtutis energia, quanto res magis erat inusitata et a multis reprehensa, qui auctoritatem apud eos habebant. Verum cum inter alias conciones unam habuisset P. Gundisalvus, in qua serio ad frequentiam sacramentorum hortabatur, sic homines a priori sententia re-

Digitized by Google

cesserunt, ut post absolutam quadragesimam nova quaedam quadragesima, quod ad ministerium sacramentorum attinet, inchoata videretur, adeo ut ne ipsi quidem saeculares sacerdotes satisfacere tam multis poenitentibus possent.

584. Cum per alias urbes et oppida ejus dioecesis nostri egredi constituissent, populus ejus urbis, quam Lagos vocavimus, magno moerore affectus est; duo tamen illi sacerdotes saeculares, de quibus superius egimus, ad ipsorum audiendas confessiones ibi manentes, dolorem ex nostrorum absentia temperarunt.

585. Magna penuria frumenti eo tempore sentiebatur, et caritas penuriam comitabatur; aliqui enim frumentum majori quam par erat pretio, quia pecunia non statim numerabatur, vendebant. Hoc cum acriter reprehenderet P. Gundisalvus, antequam ex urbe Lagos recederet, unus inter alios mercatores valde commotus Patrem adiit et omnia quidem sua bona in emptionem frumentorum se contulisse affirmabat; sed, si ad conscientiae suae securitatem jacturam omnium facere oporteret, se ad eam paratum esse: et cum, differente ad biduum vel triduum P. Gundisalvo responsum, conferret ille cum aliis mercatoribus quod Pater dixerat, irridentes illi dicebant: egregie vero nobiscum ageretur, si apostolis nostra frumenta taxanda relinqueremus; verum his irrisionibus a sua sententia non dimoverunt mercatorem illum, qui valde moderato pretio, juxta consilium P. Gundisalvi, sua frumenta statim vendidit, et pro lucro satis habuit quod crebro confiteri et sanctam Eucharistiam sumere decrevit. Alii etiam ad usurarios contractus aut injustos relinquendos per sacramentorum frequentiam adducti sunt; et dubitare de his incipiebant, quae prius in dubium non revocabant; nec sine approbatione nostrorum dubios hujusmodi contractus celebrabant.

586. Egressi tandem nostri ex urbe Lagos, in pagum quemdam pervenerunt, et quamvis tardior hora erat, concionatus est tamen P. Gundisalvus, quod et postridie fecit; et, aliquibus confessionibus auditis, ad alium pagum se conferebant, ubi mulier quaedam eis occurrit, quae magnam significationem laetitiae prae se ferens, laudetur, inquit, Dominus quia jamdiu vestrum conspectum optabam, ut per vos veniam condonem multis, qui mea causa in carcerem conjecti sunt; multi quidem,

Digitized by Google

etiam religiosi, frustra me rogaverunt; nunc autem ego ultro vos exspectabam ut id facerem; nam dedit mihi Dominus sensum quod moriendum mihi est et haec omnia nihil sunt. Haec ergo mulier cum P. Gundisalvo confessa esset, quidquid ille praescripsit exsecuta est. Inde ad locum alium, qui Villanova dicitur, progressi sunt, ubi eos populus exspectabat et, ad hospitale divertentes, gallum hominem quemdam morti vicinum ex ictu exiguae bombardae, quae alterum ex cruribus laeserat, invenerunt. Captus hic fuerat inter alios piratas, et sic destitutus jacebat ut nullus ejus curationi daret operam; quoniam ejus crus vermibus jam scatens tetrum foetorem spargebat, ut perdifficile esset illum tolerare. Nostri autem spirituali et corporali ejus curationi vacare coeperunt et ex eleemosynis, quae offerebantur eis, partem illi dabant; confessus est peccata et excepit sanctissimum Eucharistiae sacramentum et, cum dolore suarum culparum, aequo animo graves dolores morbi patienter ferebat; itaque paucis diebus, quos supervixit, curam habuerunt nostri ejus abstergendi et curandi, ut optime potuerunt, nec eum, donec exspiravit invocando nomen Jesu, deseruerunt. Oppidani etiam, cum viderent nostros hominis illius tam peculiarem curam gerere, coeperunt et ipsi hominem invisere. Observavit autem aliquis ex nostris quod in hujusmodi hospitalibus et functionibus charitatis magnos gratiae suae thesauros Deus communicare soleat. In hoc oppido multi rebus spiritualibus se dedebant, et quotidie, dum nostri ibi versarentur, horum numerus augebatur; parochus aliqua parte exercitiorum excultus fuit et, in suis meditationibus perseverans, assiduis confessionibus audiendis vacabat.

587. Postquam ibi viginti dies egissent, ad civitatem, ubi sedes cathedralis ejus dioecesis erat, nomine Sylvis [1], se contulerunt, et cum hospitale elegissent, omnia illis necessaria eo mittebantur. Multi in ea civitate profecerunt, et, Deo adjuvante, fructus apud eos augebatur. Cum autem dominica sequenti concionaretur P. Gundisalvus in ecclesia cathedrali et post meridiem ad pagos vicinos, quibus magis necessariam suam operam existimabant, proficisci vellent, rogavit capitulum nostros per Archidiaconum ut aliquot dies in civitate adhuc manerent,

[1] Lusitanice *Sylves.*

Digitized by Google

quia supplicationes generales pro Ecclesia Dei et pro pace facere volebant, et quot dies judicarent nostri hujusmodi supplicationibus impendendos esse petebant. Substiterunt ergo nostri et illis diebus concionatus est, quibus supplicationes processerunt, et quidem cum magna aedificatione et devotione omnium. Paces etiam aliquae magni momenti inter primarios quosdam viros factae sunt, qui diuturnas inimicitias inter se exercuerant. Pia quaedam et honorata mulier voluit, quamdiu nostri Sylvis versabantur, omnia illis necessaria suppeditare, cujus charitatis statim remunerationem accepit, nam una ex concordiis majoris momenti ab ea fuit impetrata. Sylvis recedentes discurrerunt per alia loca ejusdem dioecesis, in quibus eodem et praedicationis et sacramentorum ministerio fructus non mediocris collectus est; quamvis aliquot dies minus continuae occupationes hae fuerunt, quod P. Gundisalvus Vaz sanguinem ore coeperat emittere. Nihilominus confessiones pergebat audire; et, cum Dominus sanitatem illi restituit, sanguine cessante, ad consuetam praedicationem et reliquas exercitationes rediit, et per complures pagos ac loca discurrendo ad modum jam dictum, post multarum animarum aedificationem ad civitatem Lagos redierunt.

588. Missus fuerat P. Parrada cum P. Emmanuele Ferdinandi [1], in civitatem quamdam Infantis Ludovici, Begam nomine, quam magnis odiis ardentem invenerunt, quae ex Principis festis quibusdam ortum habuerant. Primores hujus urbis sic hujusmodi odiis erant irretiti ut ii ex civitate fugissent, illi in monasteria et alias ecclesias, alii in quasdam domos se recepissent; et late admodum ruina haec patebat. In his tumultibus nobilis quaedam mulier vulnerata fuerat, et ejus filiae injuriis affectae, ac domus spoliata. Hujus mulieris confessionem Pater Parrada audivit et ita offensarum suarum veniam adversariis donavit; et ad totum negotium hoc componendum magnum habuit momentum haec venia; quia prae caeteris ea matrona laesa fuerat; et ita, ad reliquos progrediendo, omnes ad pacem, Deo propitio, reduxerunt. Et cum secundo tumultus in ecclesia propter matronarum in sedendo praeeminentiam excitatus esset, et ad odium et vindictas sumendas diabolus multos

[1] Fernandes aut Fernandez.

Digitized by Google

adduceret, voluit tamen divina bonitas ut per nostros omnes pacificarentur. Tam multas paces a P. Emmanuele Ferdinandi confectas in ea civitate scribit ejus socius P. Parrada, ut dubitaret an totidem haberet dies annus ille bisextilis. Dabat idem Emmanuel operam confessionibus; concionabatur autem diebus festis in summo templo mane et vespere, die mercurii mane in quadam parochia, die veneris in quodam monasterio Conceptionis mane, in alio vespere, die sabbati in templo Dominae Nostrae de Gratia; singulis noctibus christianam doctrinam pueros docebat, qui in hospitale ad hanc lectionem audiendam confluebant; ibi enim nostri commorabantur; nullus eorum jurare audiebatur, immo nec vir aut mulier ulla, quae non statim reprehenderetur. In vigilia Annunciationis B.ae Virginis in vico quodam super quinquaginta personas ad amicitiam reduxerunt, quorum alii alias ob malevolentiam non alloquebantur. Litterae Indicae, quas nostri secum tulerant, omnium manibus ferebantur tam civium quam religiosorum, et quidem summa cum aedificatione. De P. Alphonso Tellez, qui Morae versabatur, ibi intellectum est, quod magnum fructum ex illa Domini vinea perciperet, nec de alia re quodammodo homines loquebantur.

589. Missus etiam fuit P. Gundisalvus de Sylveira cum alio sacerdote in oppidum vocatum Tomar [1], ubi praecipuum est monasterium Ordinis militaris Christi; et praeterquam quod praescriptum a Rege ordinem observabant, diebus mercurii concionabatur P. Gundisalvus in aede Misericordiae, et licet dies profestus is esset, plurimi, et hi ex primoribus populi utriusque sexus eo conveniebant. Diebus sabbati post meridiem recedebant ex oppido ad parochias vicinas, ex quibus una, quae vel sex vel septem animarum *(sic)* curam gerit, obtigit P. Fructuoso Nogheira, socio P. Gundisalvi de Sylveira; ipse sibi aliam minorem desumpsit; et scribit ipse non exiguum proinde se fructum sperare nec vestes rusticas et judicia vestibus similia sibi animos adimere, quia ingenia simplicia melius Deum capere observabat, quam sapientiam aridam aliorum. Concionabantur autem bis singulis diebus dominicis in diversis locis, in altero mane, in altero autem post meridiem. Ante concionem in qualibet pa-

---

[1] Sic ubique Polancus; lusitanice tamen scribunt *Thomar*.

Digitized by Google

rochia in christiana doctrina exercebantur, cui magna cum attentione homines intererant. Ut commodius id fieret, Rex constituerat ut quatuor pueri, ex domo orphanorum electi, singulos Patres nostros concionatores comitarentur, qui duas habebant parochias; quo cum illi pueri perveniebant, bini per parochias dispertiebantur, et eorum alter in una, alter vero in alia Passionem Domini declarabant; et quorum corda concionatores non emollierant, innocentes isti interdum emolliebant. Placebat vehementer auditoribus P. Fructuosus Nogheira, et ter in hebdomada clericis summam quamdam casuum conscientiae enarrabat, et frequentes habebat auditores et ei fidêm magnam habebant, nec immerito; nam optime suo legendi officio fungebatur. At P. Gundisalvus diebus martis et jovis de rebus necessariis ad fidem et de obedientia Ecclesiae alias perutiles lectiones praelegebat, incipiendo a confessione et quaedam peculiaria documenta illis tradendo, qui sese colligere vellent; et ad primam lectionem tam multi convenerunt ex primoribus, ut nihil deperire existimaret, licet diebus dominicis non concionaretur. Procedebant autem auditores in via Domini cum magno fervore, et aliqui spiritualia exercitia suscipiebant magno cum fructu, et hi ex nobilibus erant et sapientioribus ejus oppidi, qui ad nutum ipsius Gundisalvi conveniebant etiam in publicis locis; et per hos exemplo et verbo alii adjuvandi videbantur. Cum conventu Ordinis militum familiaritatem et amicitiam retinebat; et cum ad flagellationem vel disciplinam, ut vocant, invitarentur, tam frequentes in ecclesiam venerunt, ut eam prae multitudine impedierint; sed in alio templo majori id effici commodius potuit, in quod super quingentos convenerunt.

590. In Episcopatum Portalegrensem missi fuerant P. Cornelius cum P. Santacruz [1], et scripserunt, non illi solum sed etiam officiales Episcopi et alii viri honorati ejus urbis, quam uberem fructum per eos Dominus perciperet consuetis ministeriis confessionum ac praedicationum, concordiarum reconciliandarum, ac spiritualium exercitiorum variis personis traditorum, de quibus singuli perinde rationem reddebant atque nostri fratres solent. Curaverunt ut ille populus confraternitatem charitatis admitteret, in quam supramille homines nomina dederunt; et

[1] PP. Cornelius Gomez et Petrus de Santacruz.

Digitized by Google

ad virgines parentibus destitutas in matrimonio collocandas et alia pietatis opera eleemosynas, quarum aliquae certae et fixae in singulos annos erant, conferebant. Et tanta in illo populo mutatio facta est ut ex lupis agni effecti esse viderentur. Monasterium quoddam monialium Cisterciensium ad praxim orationis adduxerunt cum magno earum profectu. Expetebantur ab alio monasterio ordinis Sanctae Clarae; sed quia religiosi ejus ordinis facultatem non dederant, nostri non eo se contulerunt. Communis fama erat quod ad id usque tempus vitam christianis dignam non egerant; permittebant autem ipsi se libere nostrorum arbitrio, facturi quidquid ab eis injungeretur; et cum late inter eos exercitia spiritualia paterent, singuli ex his, qui ea suscipiebant, inter quos erant optimates civitatis, sigillatim cum magna humilitate, eorum, quae meditati erant, rationem reddebant et sancto quodam igne charitatis fervere ac proficere ea civitas cernebatur. Primarii etiam urbis viri de collegio Societatis instituendo agebant et situm opportunum quaerebant, immo et invenerant; sed nostri nihil illis polliceri voluerunt, cum superiorum suorum voluntatem non intellexissent. Valebat P. Santacruz plurimum in concionando, P. autem Cornelius in confessionibus audiendis, uterque vero in familiaribus colloquiis; et ita insignis mutatio vitae in illo populo est consecuta et ardentia valde desideria profectus spiritualis. Erepti fuerunt ex faucibus daemonis aliqui, qui viginti et triginta annis veram confessionem non fecerant, nec jam homines Deo inservire erubescebant, nec sensus et existimationis mundanorum hominum rationem habebant. Cujusdam Domini Joannis, viri nobilissimi, profectus inter alios fuit insignis et admirationem magnam in hominibus, quibus notus erat, concitavit, qui, post spiritualia exercitia, ad nutum Patris Santacruz paratum se esse ad difficillima quaeque exhibebat. Alii etiam ex primoribus valde solida fundamenta virtutum in exercitiis eisdem jecerunt et, quamdiu viverent, serio Deo inservire constituerunt. Mulieres etiam in oratione mentali, et ratione meditandi Passionem Christi, et aliis spiritualibus meditationibus instructae fuerunt, quod ut fieret multis illae precibus impetrarunt, et plurimum etiam profecerunt, ac filias, ut instruerentur, adducebant. Praeter viros autem et conjugatas mulieres fere quadraginta virgines honestissimae eodem modo instructae fuerant

Digitized by Google

et in dies in spiritu crescebant. Ferebatur P. Santacruz apposite admodum ad utilitatem audientium concionari, non solum ad movendum sed etiam ad docendum; et ideo ad tria vel quatuor puncta conciones reducebat, ut ea in hominum memoria infigeret, et, si obliviscebantur alicujus eorum, ad hospitale veniebant, ut in memoriam sibi rursus P. Santacruz revocaret; et augebatur hic fructus, dum alii cum aliis de his, quae audierant, conferrent; nec unquam se conciones audivisse affirmabant, quibus tam vehementer ad virtutem capessendam et Deo inserviendum inflammarentur.

591. Missus etiam fuit P. Joannes de Sousa ad locum quemdam dissidiis plenum atque odiis, ubi ad vindictas et homicidia plurimi erant valde propensi. Postulavit ab eis ut die sequenti omnes in ecclesiam convenirent; ubi cum ferventem habuisset concionem, homines illi, ad contritionem et lacrymas vehementer commoti, omnes suas controversias in eum rejecerunt, et demum mutuo se complectentes in medio ecclesiae amicitiam inter se renovarunt.

DE DOMO ULYSSIPONENSI

592. Concionabatur P. Joannes de San Miguel cum magna hominum satisfactione in aede Sancti Antonii, et quia ecclesia exigua est ad magnam hominum frequentiam, porta quaedam eis aperiebatur, quae ad claustrum vergit, ut ex eo concionem audire plures possent. Quaedam viris saecularibus spiritui deditis, qui a nostris instructi fuerant, acciderunt satis notatu digna, ex quibus duo tantum hic attingam. Quidam erat bono praeditus judicio, qui magna cura ac labore difficultatem stabiliendi cordis in oratione vincebat, qui cum ante lucem pro more die quodam surgeret et sine lumine ad quoddam cubiculum, ubi solus oraturus erat, descenderet, et in consueto loco se ad orationem componeret, ictum quemdam in capite tam gravem accepit, ut quodammodo sensum amitteret, et vulnus se in capite accepisse magnum putaret, nam et sanguis ex ore laesis gingivis erupuit. Coepit autem nomen Jesu invocare, et cognovit se id a daemone passum esse, et orationem non omissit, timore abjecto. De alio etiam dicitur, qui cum genibus

Digitized by Google

flexis et elevatis manibus oraret, aethiops quidam illi apparuit visu turpissimus, qui manus ejus apprehendens, quorsum, inquit, oras tu, cum perditus sis, nec paradisus ad tuum usum reservatus sit?; addebat et irrisiones et dicteria; traxit deinde hominem per cubiculum et per scalam quamdam praecipitem dedit et deinde calcibus illum percussit ac conculcavit; sed duo illi pueri albis vestibus induti adstiterunt eumque animarunt et, usque ad auroram comitati, consolati sunt. Die autem sequenti cum noctu se flagellis caederet et jam finiret, pondus quoddam opprimens terga sensit, et ante oculos umbram quamdam nigram ac spissam, et coactus fuit in faciem procumbere; deinde flagellum de manibus hominis umbra extorquens flagellavit eum acerbissime; quod cum patienter tolerasset, eosdem pueros, quos die praecedenti, consolatores habuit, donec in eodem loco obdormivit. Haec impedimenta profectus spiritualis quamvis daemones curarent, diligentibus tamen Deum ad profectum spiritus cooperabantur.

593. Sed, ut redeamus ad nostros, praeter conciones, docebatur etiam christiana doctrina in quodam hospitali, quo plurimi conveniebant. Missus est autem Ulyssiponem Magister Gundisalvus [1], qui Regis curiam sequi et confessionibus assidue ac aliis pietatis operibus vacare solebat et cum Almeirini male haberet, sicuti et alii complures ex nostris, ad patrium aërem missus est, et Conimbricam et ad Sanctum Felicem; nec quidquam juvavit; habebat enim magnum apostema intra stomachum. Jussit Rex ut Ulyssiponem veniret curandus et medicis eum magnopere commendavit; Regina etiam, praeterquam quod necessaria omnia subministrabat ad ejus curationem, saepe ad eum invisendum mittebat, quod et alii non pauci factitabant; nam vir ille sic se exemplo et verbo gerebat et in omnibus charitatis functionibus, ut merito ab omnibus etiam ipsis principibus et amaretur et magni fieret. Sed cum nihil retineret stomachus, ad extremam debilitatem deductus, existimationem, quam nostri habuerant de ejus virtute, dum viveret et dies noctesque ad animarum auxilium laboraret, longe in morte superavit, et in decessu multo majora Dei dona in eo fuisse quam in fronte ostenderet manifestavit.

---

[1] P. Gundisalvus Medeiros.

Digitized by Google

594. Evocatus fuerat Ulyssiponam P. Leo Enriquez a P. Simone ut illi domui loco ipsius praeesset. Adfuit ille migranti ex hac vita; nam paulo antequam moreretur, duos aut tres Patres ad se vocari magister Gundisalvus voluit; quibus praesentibus, inter quos erat P. Leo, cereum accendi postulavit, et tunc magno cum fervore symbolum Apostolorum pronunciavit; deinde dixit: in hac fide institutus sum, vixi, et morior, ac protestor, si quid aliud mihi excideret ex ore in agonia mortis, ex nunc illud tanquam non dictum haberi volo. Deinde accensum cereum manu apprehendens, ut lumen, inquit, hoc oculos corporis illuminat, sic credo Dominum meum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, quia ipse est lumen verum et aeternum. Et cum alioqui Magister Gundisalvus potius aequabilitate quadam virtutis quam fervoribus eminere visus esset, haec tamen tanto cum fervore dicebat, ut audientes ad magnam devotionem excitaret. Conversus deinde ad sacerdotes, qui aderant, jam, inquit, praeteritis diebus magnis desideriis tenebar ad eam terram viventium transeundi, ubi Christo Jesu frui possim. Dicebat etiam assistenti sibi fratri: veniat Dominus Deus meus, quia jam tempus est, o mors benedicta! Aliquando etiam ad Dominum se convertebat dicens: adjuva me, Domine, in hoc difficili transitu; eja, Domine, Pater meus es tu, tu creasti me; et sic alia hujusmodi. Et quamvis acerbissimis doloribus torqueretur, nec aliud refrigerium corporeum haberet quam cum ab uno latere in aliud vertebatur, tamen bonam partem temporis sic quiescere videbatur, ut in altissima oratione absortus videretur. Demum, extrema unctione accepta, ultimam horam sibi adesse dixit, et candelam accensam manu denuo apprehendens, ac valedicens Patribus Simoni ac Leoni et aliis, cum magna charitatis et consolationis significatione spiritum Domino reddidit.

595. Evocaverat Rex Almeirinum P. Simonem, qui duos jam menses Conimbricae exegerat, nec causam facile conjiciebat ipse P. Simon; sed ea fuit quod impediri potius quam juvari gubernationem P. Mironis ejus praesentia Rex intellexerat. Cum autem Dominam Infantam Joannam, Imperatoris filiam ac Principi Portugalliae desponsatam, exspectaturus esset, Ulyssiponem se Rex contulit, ubi cum magnis apparatibus ea erat excipienda, eo se contulerunt et nostri, qui curiam sequi so-

Digitized by Google

lebant, et cum P. Simon litteras accepisset P. Ignatii ut christianam doctrinam doceret, sicut et aliis professis injungebatur, perlibenter id exsequi coepit, quamvis propter negotiorum occupationes interpolatim et non continue id praestiterit.

596. Cum tempus adesset quo Rex confiteri solebat, evocavit ille P. Ludovicum Gonzalez, qui Principis confessiones dudum audire coeperat, et postulavit ab eo ut confessionem suam audiret. Excusavit se P. Ludovicus et juvenem se et minus in litteris versatum quam opus esset ad Regis confessionem audiendam dicebat; sed cum Rex urgeret multis rationibus ut id faceret, rejecit rem totam ad obedientiam sui superioris; et sic egressus est a Rege satis afflictus, et misit P. Franciscum Enriquez ad P. Simonem Provincialem, ut eum obsecraret propter Dei amorem ut se ab illa afflictione liberaret; et domo etiam egressus est, ne a Regis nuncio inveniretur. Non tamen visum est P. Simoni id Regi negari posse; cum enim Regem alloqueretur, et is pro sua singulari humanitate et humilitate diceret, quod quomodo P. Gonzalez quorumvis aliorum confessiones audiebat, suam etiam audire poterat, conferendo multa cum ipso P. Simone, quibus ad confessionem se praepararet, die sequenti P. Ludovico Gonzalez confiteri coepit sub festum Paschae. Scripsit autem P. Ignatio idem P. Ludovicus timere se ne in confessarium etiam in posterum a Rege eligeretur, se inexpertum et juvenem esse, officium illud honorificum admodum eo in regno esse, et omnes sibi persuadere quod Regis confessarius ad praelationem tandem sit promovendus; nam quotquot prius confessarii fuerant, ad Episcopatum erant promoti; satis esse benevolum Regem Societati, nec ut ipsi faveat, hoc officio opus esse; plurima negotia ad confessarios Regis rejici solere, quae sine offensis multorum confici non possent; demum sese ad tale onus ferendum valde debilem esse ac ne sub eo saepe cadat timendum; Principis confessionem satis superque gravem ipsi esse, quanto ergo magis utriusque, et Principis et Regis, futuram; multos se consanguineos in Regis curia habere, et ideo ne in ipsa quidem curia sibi manendum existimare; si tamen aliud obedientia injungeret, ut ab ea injunctum se facturum esse. Visum est autem P. Ignatio ne detrectaret id muneris; sed ipse, ut paulo inferius dicetur, alia via evasit. Facultas eidem missa fuerat ad professionem emittendam, qua se minime dignum existimans libenter

Digitized by Google

eam distulit, donec, intellecta Patris Ignatii voluntate, sequenti anno in manibus P. Francisci Borgia eam emisit. Suggessit idem P. Ignatio ut constitutiones duos aut tres annos exercerentur, priusquam imprimerentur, ut melius posset experientia docere quomodo procederent. Alia, quae de Ulyssiponensi domo dici possent, ut de confessionibus, concionibus, pacificatis discordibus, et similibus, ejusmodi esse intelligantur, ut alias dicta sunt [1].

597. Cum hoc anno classis ex India Ulyssiponem pervenisset, antequam litteras nostri accepissent, qui ex illis regionibus veniebant, cum magna admiratione de rebus P. Francisci Xavier loquebantur; quemcumque interrogassent, dicere solebat: ille homo sanctus est; per eum conservat Dominus Indiam; et qui primis ex Insulis, quas *Tertias* vocant, ad Regem venit, cum eum Rex percontaretur quomodo se res haberent in India, secura est, inquit, India, quia P. Franciscus in ea versatur. Et haec erat fere communis omnium sententia, quamvis et P. Gasparem et alios laudarent.

598. In octava Corporis Christi postquam P. Miron Regem esset allocutus et ab eo recessisset, denuo ab ipso revocatus est, cui dixit Rex quod vellet eidem confiteri. P. Miron gratias ei agens de existimatione, quam habebat Societatis, affirmavit se parum Regi perspectum esse, nec se talentum habere sufficiens ad ipsius confessionem audiendam; praeterea juvenem et a regno externo se esse; sed Rex externum se non judicare quemquam de Societate nostra dixit. Et credebatur quod id ageret, dum volebat nostris confiteri, ut auctoritatem Societatis nostrae augeret. Dixit autem inter caetera, cum ex vestro instituto habeatis ut quorumlibet confessiones audiatis, cur non,

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 12 et 108. Ad diem 9.am Augusti scripserat Polancus in *Regesto:* "Portogallo.—1. A Luis Gonzalez una del Padre sopra la confessione del Re e Principe, che l' accetti, essendoli comandato.—2. In nomine Dni. N. J. C. se li comanda che faccia professione, se non ha impedimento, che di qua non sappiamo.—3. Delle Constitutioni.—4. De far pagare all' Imbasciatore.„ Suntque haec, quae continet epistola supra citata, pag. 12, t. III. His addidit Polancus.—"5. Una mia a lui (Ludovico Gonzalez) e Mtro. Miron, dandogli un capello perche non hanno scritto come passò la cosa di Mtro. Simon, comandando in virtù di obedientia che la scriva... Mandate a 9 di Agosto por mano dell' Ambasciatore di Portogallo.„ Harum litterarum exemplar alterum missum est 1.a Septembris, cui addidit Ignatius epistolam ad Mironem et Gonzalez in qua eorum in scribendo negligentiam reprehendit; ignorabat enim adhuc quid in negotio Simonis Rodericii actum erat et quis tandem esset Portugalliae Provincialis.

Digitized by Google

inquit, meam confessionem audire vis, qui paratus sum ad ea omnia praestanda, quae me facere debere dixeris? Subjecit P. Miron se non id detrectare propter ipsius Regis personam, qui christianissimus erat, sed propter ipsam Societatem, cui honores hujusmodi et dignitates minime conveniebant; nostri instituti proprium esse per hospitalia et quaevis ministeria humilia nostram humilitatem conservare; aliarum religionum viros quosdam propter hujusmodi honores a spiritu perfectionis excidisse; homines existimare quod Societas ad principum favorem quaerendum est propensa; et ideo Regem orabat ut, tam propter Societatis utilitatem, quam propter proximorum aedificationem, liberaret ab hoc honore Societatem. Respondit Rex nolle se impedire quin humillima quaeque nostri sectentur, at melius rem consideraret, et die sequenti responsum sibi redderet. Commendavit etiam P. Ludovico Gonzalez ut rogaret fratres nostros ut impetrarent a P. Mirone quod ipse postulabat; sed die sequenti P. Miron ad Dei gloriam de sententia reliquorum Patrum ac Fratrum fore decrevit ut se excusaret; et ita per P. Ludovicum Gonzalez Regi respondit eidem supplicando ut se excusatum haberet. Disputavit ille cum Rege et Regina, quae Regi aderat; sed cum Rex tandem videret, quod omnino P. Miron hoc onus admittere nollet, cum ex palatio egrederetur P. Ludovicus, eidem ad se revocato dixit: quandoquidem P. Miron confessarius mihi esse recusat, audias tu meam confessionem. Tunc P. Ludovicus Gonzalez tam multas rationes attulit, ut non solum a Regis confessione audienda, sed etiam Principis, se liberavit; et tamen intellectum est quod Rex et Cardinalis Infans valde probavit quod Societas id munus recusaverit.

599. Quamvis hoc se onere levaverunt, aliud magis laboriosum, licet nostris minus formidandum, subierunt, ut scilicet aliqui ex nostris ad regnum Magni Congi se conferrent. Decreverat enim Rex Portugalliae ob causas non levis momenti Regem Congi, de quo superius mentio facta est, regno suo privare, et alium constituere ipsius loco, qui valde idoneus ad profectum religionis in illis regionibus et Societati valde benevolus erat. Cupiebat etiam Rex ut curam ejus regni, quod attinet ad spiritualia, Societas susciperet. Negabant nostri amplecti posse Societatem tam multa et gravia opera et, ut aliis

Digitized by Google

religionibus hoc commendaret, orabant. Sed Cardinalis respondit se non videre extra Societatem, cui opus posset commendari. Oportuit itaque ut aliquos se missurum P. Miron reciperet, paucos tamen, quia paucos habebat Societas. Nominatim postulavit Cardinalis P. Cornelium [1], qui jam in illo regno fuerat et res, illius perspectas habebat; et quamvis ejus praesentia in Portugallia satis necessaria esset, negari tamen hoc Regi et Cardinali non potuit.

600. Venerunt in Portugalliam litterae quibus constabat galerum cardinalitium a P. Francisco non admissum et, ne ei conferretur, a P. Ignatio curatum esse; et Infans Cardinalis, ac Ludovicus, et ipse Rex, cum magna sui aedificatione id intellexerunt et rem magnopere probaverunt.

601. Mulier quaedam nobilis, quae legitimum haeredem nullum habebat, sponte sua mota est, ut post mortem aliquos reditus Collegio Ulyssiponensi relinqueret, qui ad quingentos aureos singulis annis ascendebant. Interim autem dum reditus non habebat Collegium Sti. Antonii et ad modum domorum professarum ex eleemosynis vivebat, quod a Rege in singulos annos donabatur, P. Miron non esse admittendum in posterum censuit; quia ex eleemosynis pure vivere ad modum professarum domorum debere existimabat. Temporis tamen successu domus a Collegio separata est, et utrinque institutum melius observari potuit.

602. Praefectus fuit domui vel collegio Sti. Antonii P. Urbanus, qui nimiam libertatem in ea se invenisse querebatur, adeo ut, si ab aliquo confessario [2] Rector peteret quonam iret, iniquo animo hanc interrogationem ferret; quamvis enim boni essent operarii, sine disciplina obedientiae instituti fuerant. Eo tempore perturbari res incipiebant in ea provincia, de quibus infra. Effecit tamen ipse, Deo juvante, ut domesticae res melius juxta instituti nostri rationem habere inciperent.

---

[1] Cornelium Gomez.

[2] Hoc est: si ab aliquo sacerdote, qui domo, confessionum audiendarum gratia, egrediebatur, Rector...

Digitized by Google

DE COLLEGIO EBORENSI

603. Inchoatum fuerat Eborense Collegium anno proxime praeterito et novem ex nostris, Rectore P. Melchiore Carnero, ejus fundamenta jecerant. P. Joannes Coviglion, quod reliquum erat cursus philosophici, scholasticis nostris eo missis praelegit, cujus loco deinde missus est P. Emmanuel Leite, qui in confessionibus Rectorem juvabat; nam plures erant quam ut eis solus P. Melchior posset satisfacere. Duas horas orationi, ex praescripto Rectoris, nostri quotidie impendebant; at ex praescripto Patris Simonis altera ex duabus horis sublata est, ut studiis tempus suppeteret. Theologicas deinde lectiones, alteram quidem ex prima parte D. Thomae, alteram ex epistola D. Jacobi ab egregiis doctoribus externis, simul cum D. Antonio, Infantis Ludovici filio, audire nostri coeperunt. Aderat illis aliquando Cardinalis Infans, nec solum lectionibus sed etiam repetitionibus intererat; et cum quidam ex auditoribus religiosis simul cum Domino Antonio lectionem repeterent, aliqua et ipse interserebat, quae multum aedificationis audientibus praestabant; et cum ageretur de fraterna correctione, coepit exaggerare quanti esset meriti apud Deum proximum a peccatis revocare, interpretans quod sequebatur *operit multitudinem peccatorum;* inferebat deinde ex eo loco quam pium opus esset aliquem ad religionem adhortari, in qua cum crederetur peccata condonari, qui Deo cooperaretur ad ingressum alicujus in religionem, ejus charitatem sperare poterat, cum animam fratris sui salvaret. Deinde, alio ex loco sumpta occasione, de affectuum mortificatione non pauca disseruit. Demum facile erat animadvertere quod vellet D. Antonium, suum nepotem, ad magnam perfectionem stimulare. Ter singulis hebdomadis celebrabat Cardinalis, quamvis quotidie sacrum audiret et conciones, et hoc in quadragesima; reliquo anni tempore dominicis et festis id praestabat. Et cum tanta essent virtus et sanctitas hujus ecclesiastici principis, ejus tamen curiam P. Melchior non ingrediebatur, nisi vel Cardinalis jussio vel aliqua necessitas urgeret. Concionabatur in quadragesima idem P. Melchior in quibusdam monasteriis non sine fructu et quidem egregie id munus obibat;

Digitized by Google

nec interim a confessionibus cessabat; tantum enim animo affectum populus ille Eborensis erga Societatem gerebat, ut etiam invitum quodammodo ad confessiones ipsorum audiendas pertraheret; et, transacta quadragesima, majorem animarum utilitatem sequuturam existimans, si totus se confessionibus dederet (abundat enim ea civitas concionatoribus, sed confessariis idoneis non perinde), relictis concionibus, se totum ad confessiones audiendas convertit. Id autem eo magis necessarium videbatur, quod P. Emmanuel Leite, ex praescripto P. Simonis ad suppetias ferendas P. Alphonso Tegliez iverat, qui in eodem episcopatu, ubi supra dictum est, versabatur, et in vinea Domini magno cum fructu laborabat; unde solus relictus confessarius P. Melchior, mane et vespere perinde atque in quadragesima huic confessionum audiendarum muneri invigilabat. In cathedrali templo ad confessiones audiendas sedebat; sed aliquando eam sedem relinquebat, ut multarum matronarum piis petitionibus satisfaceret, quae justas ob causas ad id templum venire non poterant. Et hoc in causa fuit cur raro admodum post quadragesimam concionatus sit; et quia non pauci in spiritualibus meditationibus ac oratione instrui cupiebant, partem hujus temporis proponendis spiritualibus exercitiis tribuere decrevit. Tria monialium monasteria ab eo instrui prae caeteris cupiebant, quod cum fieret, vitae immutatio et mortificationis studium, quantum illae religiosae profecissent, ostendit; et cum in uno ex his monasteriis, praeter exercitia spiritualia proposita, multarum confessiones audisset, tantus ibi poenitentiae fervor esse coepit ut necessarium existimaret eum reprimere, ne aliae ad profectum accensae deterrerentur [1].

604. Quidam etiam canonicus, vir prudentia et doctrina non vulgari, spiritualibus etiam exercitiis excultus, sic in alium hominem mutatus est, ut in omnium ore ejus tam insignis metamorphosis versaretur; ille autem fructum expertus hujusmodi exscitationum alios ad easdem allicere studebat.

605. Adveniebant aliqui ut nostros consulerent de his, quae ad ipsorum salutem pertinebant. Ad custodiam etiam Officii Inquisitionis se P. Melchior conferebat, et in eo carcere retentis

[1] Ignatius Patri Miron, ei in virtute obedientiae injungens ut in Eborensi collegio eum docendi modum teneri a nostris curet qui in collegio romano servatur, 13 Octobris.

Digitized by Google

concionabatur et eorum confessiones audiebat. Eo autem gravior erat labor hujus Patris, quia solus sacerdos erat; quamvis brevi auxilium ei submissum est. Inter vinctos in carcere Inquisitionis quidam vir nobilis, qui ex Nova Hispania in Portugalliam appulerat, et propter quas nescio causas in carcerem illum conjectus fuerat, et segregatus ab aliis tenebatur; cum illi spiritualia exercitia proposuisset, et generalem ejus confessionem audisset, sic ille profecit ut quod antea maximum infortunium esse ducebat et consanguineorum dedecus, id jam ad animae suae salutem et Dei honorem vergere agnoscens, valde laetaretur.

606. Magnae consolationi erat Infanti Cardinali non solum quod Eborae sed etiam quod in variis locis sui Archiepiscopatus nostrorum opera ad animarum salutem Deus operabatur; et cum, praeter alios, etiam ipse P. Miron, novus Provincialis (de cujus electione inferius agetur), ad eumdem Archiepiscopatum se contulisset, et in concionando et aliis consuetis Societati pietatis operibus se exerceret, decrevit decem alios fratres, praeter eos qui Collegium inchoaverant, ibidem sustentare. Urgebat etiam novi Collegii opus, ubi super quadraginta cubicula, praeter alias officinas, aedificabantur. Habebat initio Collegium illud septingentos aureos annui reditus et ex his aedificium ipsum fiebat et nostri sustentabantur; sed tunc omnia augeri coeperunt; nam magnopere Cardinali placuerat quod P. Miron in Provincialem esset electus, et cum ipsum inviseret, dixit ei: gratias age Domino quod ejus te religionis Provincialem fecerit, per quam christianae reipublicae reformatio speratur.

607. Inter eos, qui Eborae versabantur, praeter ipsum Rectorem, eminebat Alphonsus Barretus, juvenis quidem aetate, sed virtute ac spiritu maturus, et in litteris etiam magnos faciebat progressus. Nec illi dissimilis erat, quod ad spiritum attinet, Petrus de Fonseca, optimo etiam ingenio praeditus. Missus est postea inter alios Conimbrica P. Emmanuel Fernandez, qui etiam aliquando concionabatur et auditoribus non parum placebat. Et quia in confessionibus multorum et aliis pietatis operibus valde occupabatur Pater Melchior, valedicere tribus illis monasteriis decrevit, quae per exercitia spiritualia jam multum profecerant. Animabat autem eum et no-

Digitized by Google

stros Eborenses P. Miron, qui complures menses in eo Archiepiscopatu haesit, christianam doctrinam docendo, praedicando populo et ostiatim eleemosynas mendicando.

608. Duo viri docti, alter in theologia, alter in jure canonico, ad ingressum in Societatem a Domino moti fuerunt.

609. Cum alio missus esset P. Melchior Carnero, Rector, et alii sacerdotes, qui eum juvabant, oportuit ut ipsorum loco P. Miron cum socio confessiones audirent; plurimi enim urgebant, quibus hoc ministerium denegari non poterat; et non solum duobus sed octo sacerdotibus satis negotii exhibuissent, qui opera nostrorum in spiritu adjuvari postulabant. Studia etiam litterarum, quodam egregio praeceptore adveniente ordinis Sti. Dominici, accessionem non exiguam acceperunt.

DE COLLEGIO CONIMBRICENSI

610. Hoc anno Collegium Conimbricense magnas mutationes passum est, et cribratum frumentum a paleis et aurum a scoria segregatum est; quamvis in tota provincia Portugalliae hoc fere ipsum accidit, sed potissimum in Collegio Conimbricensi, in quo numerus nostrorum erat major. Sed prius de his agetur, quae ad proximorum utilitatem a Deo perfecta sunt, deinde vero de domesticis rebus.

611. Praeerat initio hujus anni collegialibus P. Miron. Adfuit quidem aliquandiu P. Simon, sed a Rege, ut superius diximus, evocatus est. Multi juvenes ex Universitate a nostris ad consilia Christi sequenda familiaribus colloquiis excitabantur. Magna hominum multitudo primo die anni indulgentiam plenariam a P. Simone Romae impetratam in Collegio nostro sunt consecuti, confessionibus et communionibus praecedentibus. Frater Ludovicus de Montoya, religiosus ordinis eremitarum ordinis S.ti Augustini, qui in regno Portugalliae ad sui ordinis reformationem multa egregie praestiterat, cum Romam venisset, et cum P. Ignatio de rebus spiritualibus contulisset, ac proinde cum magna spirituali consolatione ab eo recessisset, scribit eidem ex Conimbrica nullam se pretiosiorem ex Urbe nec sibi utiliorem reliquiam attulisse quam quod P. Ignatium vidisset, et in patrem spiritualem accepisset, ac ipsius benedi-

Digitized by Google

ctione et colloquio frui potuisset. Vir magnae auctoritatis hic in Portugallia fuit propter prudentiam spiritus ac virtutis omnimodam existimationem [1].

612. Concionabatur P. Miron variis in locis. Dominica in quinquagesima in Cathedrali Conimbricensi id fecit; dominicis et festis diebus quadragesimae, post meridiem, in templo Misericordiae id praestitit; et tam domestici quam externi vitae ipsius exemplo non minus quam verbo aedificationem non vulgarem ex ejus laboribus referebant. Ex aliis, qui concionari poterant, fere decem et octo in varia loca missi sunt. Inter hos illi fuerunt, de quibus initio egimus, in diversas civitates ac dioeceses ejus regni destinati. Inter alios, qui superius nominati non sunt, P. Urbanus ac P. Tiburtius de Quadros, petente Infante Ludovico, ad Prioratum Crati se contulerunt; P. Gundisalvus Sylveira cum P. Fructuoso Nogheira in oppidum Tomar, Rege ipso petente, iverunt; nam ei hoc onus concionatores mittendi, cum Magister esset Ordinis Christi, incumbebat. P. Michaël Serranus cum P. Jacobo Perez ad S.tum Antonium de Benespera se contulit; alii ad Sanctum Felicem sunt missi; et inter eos, quos nominavimus, Tyburtius, Maximilianus, Georgius Perez et cum illis P. Santacruz ad sacerdotium fuerunt promoti. Nec interim deerant qui studiis domi vacarent, nec etiam qui ad institutum nostrum accedentes, recedentium locum supplerent; si plures maturi fuissent, plures ubique petebantur et missi fuissent. Omnium autem horum labores, tam qui mittebantur quam qui Conimbricae relicti sunt, fructum non poenitendum retulerunt, et populus magna prorsus devotione nostris afficiebatur. In scholis praeterea et monasteriis monialium hoc praedicationis officio nostri functi sunt, tam Conimbricae quam in vicinis pagis, cum id magno affectu a quibusdam peteretur, quibus negari posse non videbatur. P. Valerianus, cum propter adversam valetudinem in insulam Madeirae, quae patria ipsi erat, missus fuisset, a Domino ad meliorem vitam translatus est.

613. Quidam sacerdos, natione Catalanus, nomine Petrus Domenech, qui, expeditis quibusdam negotiis, quae ipsum premebant in curia Regis Portugalliae, ad Societatem adspirare

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 264, et Tellez, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal*, p. II, lib. IV, c. XLIII.

Digitized by Google

dicebatur, et omnino magna benevolentia cum Societate conjunctus erat, cum aliquot domos puerorum orphanorum in Portugallia instituisset et exercitiis spiritualibus, quae a Societate didicerat, eos imbuisset, ex Portugallia in Catalauniam recessurus Societati nostrae curam hujusmodi domorum, quas instituerat, relinquere nitebatur; illud tamen opus, et valde pium et a viro nobis conjunctissimo coeptum, non admitti debere visum est [1].

614. Mense Maio jam in Portugalliam pervenerant patentes litterae Patris nostri Ignatii, quas superius dictum est a P. Turriano in Portugalliam missas esse; nec ab ipsomet afferendas, nec minus utique a P. Francisco Borgia, prout P. Ignatius injunxerat, P. Mironi et aliis visum fuerat. Illis igitur P. Simoni oblatis, se onere Provinciae liberari intellexit, qui tanta cum significatione laetitiae et consolationis id nuncium admisit, ut cum pridie in febrim incidisset, ea se praemunitum a Domino affirmaret, ut eo morbo gaudium oneris relicti temperaretur, et litteras capiti imposuit, cordi applicabat, ut a quibus laetitiam non exiguam acciperet et quas magni faceret et revereretur; et non quod laborem recusaret, sed quod periculum evitaret gubernationis et tempus liberius ad sibi vacandum haberet, hac sublevatione oneris se gaudere dicebat. Et quia P. Jacobus Miron, a Patribus ipsis Portugalliae propositus P. Ignatio, successor in officio Provincialis electus erat, misit ad eum patentes litteras P. Simon, cum aliis ad collegiales Conimbricenses, quibus veniam postulabat eorum omnium defectuum, in quos tempore, quo officium Provincialis gesserat, se incidisse agnoscebat. Admisit et ipse P. Miron litteras, quibus Provincialis creabatur; sed non minorem doloris sensum prae se ferebat, quam alacritatis et gaudii P. Simon ostenderat; et quamvis multis cum lacrymis, onus tamen non detrectavit, et suam operam omnibus in universum et singulis obtulit. Constituit deinde Rectorem P. Emmanuelem Godinhum et, collegialibus simul evocatis, ut eum tanquam Superiorem agnoscerent et amplecterentur, hortatus est, qui quodammodo attonitus hac

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Miron, de orphanorum domo Ulyssippone a Petro Domenech instituta, licere Societati ejus in spiritualibus omnimodam curam habere; sed ne ea suscipiatur, priusquam aptis ad in muneris hominibus Portugalliae Provincia abundet, 13 Octobris.

Digitized by Google

electione, ut inexspectata, manere videbatur, et adjunctus ei est in auxilium ac Vicerectorem P. Tiburtius de Quadros, qui postea, Tiburtii nomine mutato, diu Indiae Provincialis fuit. Fuit autem Procurator Provinciae totius electus P. Franciscus Enricus; et quidem res ad Societatem pertinentes P. Miron juxta formulam, quam Romae viderat, et juxta modum procedendi P. Ignatii, quantum ipse intelligere poterat, omnia formare nitebatur [1].

615. P. Georgius Morera, qui cum P. Simone Romam venerat, et, quia probationibus indigebat, in hospitalis cujusdam ministerio ab eodem P. Ignatio positus fuerat, et inde in Portugalliam recesserat, cum magna submissione ad P. Simonem accessit et se in Societatem rursum admitti postulavit; et cum spiritualia exercitia denuo fecisset, et magno cum fervore poenitentiae instaret ut rursus admitteretur, qua de re ad P. Ignatium supplices litteras misit, P. Miron eum admittendum censuit primis hujus anni mensibus, donec a P. Ignatio consulto responsum acciperet; sed brevi, nondum accepto responso, ipsa experientia docente intellexit ad Societatem illum non esse idoneum, nec spiritum obedientiae in eo inveniri; quod cum ipsemet negare non posset, cum multis lacrymis et magna benevolentia dimissus recessit [2].

616. Post festa autem Pentecostes cum Ulyssiponam Pater Miron se conferret, res Conimbricensis Collegii satis prospere procedere videbantur et mutatio illa Provincialis et in illo Collegio et ubique suaviter et sine amaritudine ulla accipiebatur. Studia etiam, tum in casibus conscientiae, tum in theologia scholastica, tum etiam in philosophicis et humanioribus litteris, diligenter tractabantur, disputationibus ac repetitionibus opportune adhibitis.

617. Temporalia etiam, quae ad victum erant necessaria, ut conveniebat, subministrabantur; illud tamen, quod usu jam receptum erat, immutatum non est, quod duo in eadem lance cibum capiebant. P. Leo Enriquez confessarius domesticorum

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Emmanueli Godinho, de Rectoris officio, collegiorum utilitate, docendi in eis modo, etc., 13 Octobris.

[2] Miserat Ignatius 13 Octobris schedulas duas suo nomine signatas, unam, qua Georgium Morera in Societatem admittebat, alteram, qua eum rejiciebat; et Patri Mironi injunxerat ut earum schedularum alterutra uteretur, prout ipsi in Domino fueriit visum.

Digitized by Google

constitutus, qui, ut in spiritu ipse profecerat, ita et alios juvare posse credebatur; et orationis studium diligenter collegialibus fuit commendatum.

618. Ipso die, qui B. Francisco sacer est, Magister Petrus de Fonseca philosophiae cursum inchoavit nostris tantum, non admissis externis, ne Universitas conqueri posset. Bis, mane scilicet et vespere, praelegebat, et totidem repetitiones adhibebat; et octo fere horas quotidie scholastici huic studio impendebant; diebus autem festis positiones, aliquo defendente, agitabantur; theologi ad scholas publicas se conferebant, quibus tamen domi Magister Marcus Georgius lectionem casuum conscientiae explicabat. Aderant et alii auditores domestici, quia noctu ea lectio explicabatur. Philosophiae auditores, qui logicam absolverant, ad scholas etiam se conferebant.

619. Qui missi fuerunt ad regnum Magni Congi, P. Cornelius ac P. Fructuosus Nogheira dicebantur. Designatus quidem fuerat P. Antonius Brandon socius P. Cornelii, sed in ipso itinere, dum Conimbrica Ulyssiponam versus iret, significavit socio se in Congum non iturum nec in Societate mansurum. Hic inter eos erat, qui non supra petram sed supra arenam aedificaverant, unde facile, cum venti tentationum perflarent corruit; cujus inconstantia socios animavit ad gratias Deo agendas de perseverantiae dono, in quo solo anchoram confidentiae jaciendam esse intellexerunt; sed et alii Conimbricenses ex hujus lapsu stabiliores effecti fuerunt, ac, vota sua renovando, ad omnia se promptos P. Rectori obtulerunt. Patres Leo Enriquez et Emmanuel Alvarez, a studiis liberi, confessionibus audiendis, dies hebdomadae dividendo, in compluribus ecclesiis huic ministerio perutiliter vacabant [1].

620. Jam hoc tempore valde perturbari in piscina Societatis aqua coeperat in provincia Portugalliae, ut paulo post dicetur. Rector autem Collegii Conimbricensis cum graviter admodum ferret aliqua ex nostro Collegio egressa fuisse, quae civi-

---

1 "...5. A Pietro Diaz dell' indrizzar le lettere all' India, et de scrivere delle cose di Portogallo.—6. A Brandon de cose communi una lettera officiosa.—7. Altra del Padre (Ignacio) a Manuel Godinho, dicendo come alcuna distractione ordinata al ben universale non era di manco merito, et, secondo, se pur conferendo con li Superiori trovarà altro, che il Padre lo aiuterà.—8. A Melchior Carnero altra del Padre.—9. Altra del Padre all' Infante Cardinal, etc.„ *Regest. litter.*, t. I, fol. 59 et v., ad diem 2.am Februarii.

Digitized by Google

tatem Conimbricensem et alios multos parum aedificassent, et cum se existimaret in causa fuisse, quod ad ejus humilitatem potius quam ad culpam pertinere creditum est, poenitentiam aliquam publicam tunc meditabatur. Cum ergo aliquot Missarum sacrificia et orationes fieri curasset, et rem cum quibusdam Patribus communicasset, in octava omnium Sanctorum, postquam Missam celebrasset, fratribus evocatis commendavit ut in sacellum se conferrent, vires a Domino cuidam indigenti impetrarent, ac veniam pro peccatis totius Societatis, praesertim in Portugallia, et eorum, qui a Societate egressi fuerant, a Domino postularent; et injunxit ne sacello egrederentur donec eis ipse significaret. Ipse autem egressus est per urbem totam seipsum flagellis caedendo, et ita, rediens ad Collegium, publice et multis cum lacrymis, fratribus id, quod fecerat, narravit et causam, qua ad id motus fuerat. Cum magno doloris sensu ac devotione simul id audiverunt; statim autem P. Tiburtius, Vicerector, flens ubertim, fratres rogavit, ut se juvarent ad impetrandum a P. Rectore ut sibi tantumdem facere permitteret, quia se ad id teneri sentiebat, et magnopere Dei judicium timebat. Simul ergo cum eo ad P. Rectorem se contulerunt et ut illi concederetur facultas ad se per civitatem publice flagellandum postularunt, et fere omnes pro seipsis idem petebant. P. autem Rector desideria eorum laudavit, quia aequum erat scandalis satisfacere; sed quia ipse rationem erat redditurus Deo et Superioribus, mature rem considerandam judicare; ut convenirent ipsi et in medium consulerent quid facto opus esset. Omnium igitur auditis sententiis, existimavit, circumstantiis consideratis, P. Ignatio rem probandam fore ut, sicut offendiculum publicum fuerat, sic esset et publica poenitentia. Statuit ergo ut honesto cum habitu quicumque id expeterent, et facultatem postularent, id quod optabant, facere possent. Plures ergo quam sexaginta ex nostris processerunt a Collegio nostro ad templum Misericordiae, flagellis se caedendo, ordinate, quos consecutus est P. Rector, ut rationem ejus poenitentiae populo redderet. Praecedebat autem imago crucifixi, et duo fratres juniores litanias alta voce dicebant; sequebatur autem magna populi multitudo; et postquam orasset, egressus est ad populum Rector et cum magno sensu veniam postulavit omnium, quae contra aedificationem eorum a Collegio nostro

Digitized by Google

facta fuerant, ea omnia suis peccatis tribuendo ac populum rogando ut ad misericordiam a Deo impetrandam eum adjuvarent; quae verba magnum in populo planctum excitarunt. Denuo ad templum regressus et quibusdam orationibus recitatis, multis cum lacrymis et clamoribus misericordiam a Domino postularunt. Deinde eodem modo, quo ad Collegium venerant, redierunt, et injunxit Rector ut omnes confiterentur et die sequenti communicarent. Res credita est in universum ad populi aedificationem cessisse; nec tamen puto defuisse, quibus id parum probaretur.

621. Actum est etiam in specie de defectibus, in quos fere omnes collegiales inciderant, cum magno emendandi proposito, et regulam illam, res interpretandi ad meliorem partem, experti sunt cum grano salis esse intelligendam; quaedam enim quae nec videbant nec credebant esse mala nostri, principes ipsi, qui sancti et nostri amatores erant, notabant et nobis compatiebantur. Hi autem defectus eo pertinebant, quod nostri plus aequo delicati in victu et in aedificiis et aliis hujusmodi videbantur; unde agebant etiam de quodam aedificio, ad prospectus amoenitatem aedificato, diruendo, quamvis visum est id faciendum non esse, ne ille notaretur, qui aedificii auctor fuerat, ipse scilicet Provincialis; et coeperunt humiliationi collegiales vacare serio, qua indigere se agnoscebant, cum prius aliis se religionibus praeferrent, et cum obedientia et humilitate coepit etiam spiritualis profectus augeri; et festis diebus, cum ab exercitationibus scholasticis vacarent, in infimis ministeriis pauperum aegrotantium in hospitali se exercebant. Augebatur etiam confessionum numerus, et extra Conimbricam in variis locis, cum optimo odore, in Archiepiscopatu Bracarensi et Eborensi, et in aliis vineam Domini diligenter colebant.

622. Cum P. Ignatius ad negotia Societatis, quae Romam ex variis locis expedienda mittebantur, procuratorem generalem instituendum judicaret, ne ab externo procuratore parum secure ea penderent, aut ab his, quibus alia multa agenda erant, domi nostrae curarentur, scripsit Provincialibus Portugalliae et Hispaniae ut suam partem expensarum contribuerent; sed nostri, qui in Portugallia curam habebant Societatis, se excusarunt propter debita et contentos fore externo illo procuratore rescripserunt.

Digitized by Google

623. Collegiales theologi, dominicis diebus post, sacrum et communionem, ad pagos vicinos egrediebantur, et antequam populi a suis parochiis recederent, docebant eos christianam doctrinam, et, cum bonam diei partem eorum auxilio spirituali impendissent, eodem die sub noctem ad Collegium redibant; et tredecim numero sub hujus anni finem erant, qui ad totidem pagos praedictis diebus se conferebant. Omnes autem fere, qui in carcere detinebantur, sub natalitia festa de peccatis confessi sunt, cum collegialium exhortationibus ad id essent animati et instructi.

624. Quia tamen hoc anno magnae tragoediae, ut diximus, in Portugallia fuerunt excitatae, ortum et progressum earum explicare oportebit. Intellexerat P. Ignatius ex litteris eorum, qui veluti columnae erant in Societate Portugalliae, modum gubernationis laxum et ad libertatem sensus tendentem, et ideo necessarium esse ut aliquam iniret rationem eam provinciam reducendi ad proprium ac germanum Societatis procedendi modum, quod sine mutatione Provincialis fieri non posse omnibus videbatur. Scripsit ergo patentes litteras ad P. Simonem, quibus eum ab officio Provincialis absolvebat propter ejus infirmam corporis valetudinem et quia aequum videbatur ut a multis laboribus, quos in gubernatione tulerat, conquiesceret. Alias etiam patentes litteras ad P. Mironem scripserat ut officium Provincialis admitteret. Et ne posset quisquam tergiversari, ad aliquos fideles ac prudentes filios Societatis (inter quos fuerunt P. Urbanus ac P. Leo Enriquez) alias litteras dedit, quibus injungebatur eis in virtute obedientiae ut patentes litteras Patri Simoni praesentarent, et, si expedire videretur ea de re Regem alloqui, ut id etiam facerent. Scripsit etiam ad ipsum Regem et Reginam et Infantem Cardinalem, quae ad rem facere videbantur. Peculiares etiam ipsi P. Simoni litteras scripsit, quibus ei optionem dabat ut vel in Brasiliam proficisceretur, prout ipse magno cum fervore postulaverat, vel curam novae provintiae Valentiae, Aragoniae et Catalauniae susciperet, et demum ex Portugallia recederet, cum id magnopere convenire intellexisset. Hoc tamen, et ut aliquis novitiorum magister praeficeretur, qui ad reformationem collegialium incumberet, non statim promulgandum erat, sed suo loco et tempore.

625. Quo autem suavius omnia fierent, voluit ut P. Turria-

Digitized by Google

nus, immo etiam P. Franciscus Borgia, in Portugalliam se conferrent, ut res majori cum auctoritate et suavitate gereretur. Cum autem jam Salmanticam, ut superius diximus, P. Franciscus pervenisset, P. Miron et aliqui alii judicabant nullo modo expedire ut Patres jam dicti, Borgia et Turrianus, ad hoc negotium in Portugalliam accederent. Rex enim eodem spiritu, qui P. Ignatium moverat, significavit optare se ut administratio Provinciae a P. Simone in P. Mironem transferretur. Urserat autem idem Rex P. Ludovicum Gonzalez ut sibi referret, quae ad gubernationem nostrorum spectabant, quam audierat non bonam esse; et cum ei referret aliqua hujusmodi, non tamen id scripsit, quod dixi; sed [1] ipsa Regina et Infans Ludovicus existimabant curandum esse ut ex regno Portugalliae aliquo decenti modo P. Simon mitteretur; et quia P. Ludovicus Gonzalez (cui Rex multum tribuebat) Mironem aptum fore successorem dicebat, id in causa fuit ut Rex hanc officii translationem in ipsum expeteret; et tamen, ut decenti modo res fierent, litteras P. Ignatii, quibus id juberet, exspectandas censebat, et tunc ipse approbaturus erat, quae a Superiore injungebantur. Petierunt ergo a P. Turriano hujusmodi litteras, quae in Portugalliam missae fuerunt, et ipso die Sancti Marci Conimbricam, qui litteras P. Ignatii ferebat, pervenit. Illae autem Ulyssiponam missae fuerunt ac P. Ludovico Gonzalez commissum ut quae oporteret cum Rege conferret. Et cum P. Simoni litterae fuissent praesentatae, ut superius diximus, perlibenter se exoneravit; et quia valetudo parum prospera profectionem in Brasiliam impedire vel in provinciam Aragoniae ipsi videbatur, ad Sanctum Felicem se conferre decrevit; nec enim significatum ei fuerat adhuc ut ex eo regno recederet [2].

---

[1] Verba haec—*non tamen id scripsit, quod dixi; sed*—superaddidit manu propria ipse Polancus.

[2] In *Litterarum Regesto*, vol. I, ad diem 2.am Januarii hujus anni 1552, ita scripsit Polancus: "Salamanca. Muchas letras de Portugal y instrucciones de cómo se debia haber Torres en Portugal en quitar á Simon el oficio, y patentes para él (Torres) de Visitador con toda la potestad del Prepósito General, y para quitar á Simon y para hacerle de Valencia, y una letra del Papa para enviarle al Brasil y muchas cartas para los de Portugal sobre este negocio: y las copias de este despacho van al P. Francisco de Borja, que tambien debia ir á Portugal.„=Ibidem, ad diem 2.am Februarii: "Oñate. 1. Al Duque Don Francisco (de Borja) una de nuestro Padre sobre el ir á Portugal y presto, y remitiéndose á él.--2. Otra al mismo donde se le escribe del Colegio de Roma y otras nuevas, etc.„=Ad diem autem 4.am Aprilis, l. c., fol. 60, haec:—"Portugal.—1. Una comun del Padre á Simon.—2. Otra comun de Polanco á Luis Gonzalez y los demas.—3. Otra á Pedro Diaz del modo de escribir...—6. A Miron y Luis Gonzalez

626. Et cum P. Leo Enriquez, qui, Conimbrica a P. Simone evocatus, has patentes litteras ad eum tulerat, significaret rationem esse Regi reddendam hujus mutationis, et invitaret P. Simonem ut ipse Regem adiret, negavit se id facturum, et hortatus est eumdem P. Leonem ut fideliter quod ipsi injunctum fuerat exsequeretur. Cum autem postridie P. Leo Regem esset aditurus, ut haec ei significaret, coepit P. Simon aliquas dubitationes proponere et se nondum exoneratum a cura Provincialis esse, donec Rex sibi placere id diceret, cui obedire tenebatur; et eidem Leoni commisit ut, adhibito studio, videret ad quid teneretur; et coepit eidem communicare causam, propter quam motum existimabat P. Ignatium ut ab eo officium Provincialis auferret, quod, scilicet, in quadam constitutione se ipse opposuisset. Ad Regem ergo se contulit et P. Ignatii litteras ei dedit et patentes litteras ad P. Simonem missas; quae omnia cum legisset et laudasset, suo nomine referri P. Simoni jussit quod pergratum ipsi fuerat intelligere quod tam libenter P. Ignatii obedientiam esset exsecutus; et Patri Mironi dici etiam voluit quod laetatus fuerat de officio Provincialis ipsi commendato, et quidquid ad Societatis bonum faceret ut a se bono animo peteret; hoc enim se ipsi praecipere.

627. Retulit ergo P. Leo Patri Simoni quae cum Rege acta fuerant, et a P. Mirone petiit facultatem ad Sanctum Felicem eundi [1], et si hyeme non bene haberet, Ulyssiponam redeundi et ut hanc facultatem a P. Ignatio impetraret, quod tamen nullo modo convenire videbatur. Cum haec collata essent collegialibus conimbricensibus, quiete satis ea audire visi sunt. Missa est facultas a P. Mirone ut ad Sanctum Felicem se conferret;

---

una del Padre cómo se escribió á Torres; que si no es venido, elijan entre ciertos nombrados un Provincial, y le escriban en las patentes que se envian, Miron ó otro, si les parece más á propósito, ó envien hombre proprio á Torres que venga.—7. La summa de lo que el Padre quiere, que quiten al que es Provincial con color del Brasil, ó Valencia, ó Roma, y que al Rey se suplique huelgue de ello.—8. Al Rey escribe el Padre sobre el Colegio de Santiago.—9. Yo (Polanco) á Luis Gonzalez cómo se rescivió la de 18 ó 19 de hebrero.—10. A Torres una del Padre sobre ir á Portugal, como sea llamado...—12. A Miron, que se trate en el cuerpo bien para conservar la salud.—13. La copia de la que el Padre escribe al Rey.=Salamanca.—A Torres las copias de las enviadas á Portugal.=Valladolid.—A Juan Gonzalez que enderece estas y las de Araoz... Enviadas á 4 de Abril por via de Ayllon, que estaba en Génova.„

1. "A Simon et altri di Portogallo.—1. Una del Padre (Simoni) che non c' è scrupulo di esser li professi alli collegii per ben loro.—2. A Miron altra del Padre de cose communi...„ *Regest. litter.*, t. 1, fol. 59, ad diem 2.am Februarii.

Digitized by Google

in eundo tamen Conimbrica transivit, et, cum triduo in Collegio maneret, nihil inde utilitatis ad Collegium rediit. Nihilominus longe melius procedebant quam prius. Oportuit tamen multos a Societate dimittere, qui satis diu in Societate fuerant, qui, ut aliquam causam redderent cur dimissi fuerant, magnas detractiones seminarunt et externis obloquendi occasionem non exiguam dederunt. Judicatum est nihilominus expedire ut hoc fermentum veneno plenum, ne totam massam corrumperet Collegii, abjiceretur.

628. Quod ad eum attinet, qui P. Simoni successit et, ut diximus anno praeterito [1], velut angelus Domini exceptus fuerat, postquam N. [2] Conimbricam venit eo animo, ut aliqui suspicabantur, ut digito ostenderet quod aptus non erat ad gubernationem spiritualem nec temporalem, ipse quidem suaviter admodum cum fratribus agebat, hunc autem ut poenitentias crebro injungeret urgebat. Admonitus quidem [hic] fuit a fidelibus Societatis filiis ut, rigore omisso, curaret sibi animos conciliare, cum nondum apostema maturuisset ut curari posset, et ut a mutationibus caveret et a significatione reformationis. Nihilominus, cum actione gratiarum magna haec excipiens, his omnino contraria agebat, nam reprehensiones et poenitentias crebro injungebat, omnes officiales mutavit, et in omnibus bonis ac malis mutationis ac reformationis aliquid faciebat, et quidem in rebus aliquando fere nullius momenti, ut quod alia in aula fierent exhortationes domesticae et ut ipsa etiam campana diutius pulsaretur; et duorum fere mensium spatio modum meditationum sexies aut septies mutavit, et ita paulatim existimationem illam, cum qua exceptus fuerat, quotidie minuebatur. Praesidere voluit conclusionibus theologorum, et cum parum versatus tam in speculativis quam in casibus con-

---

[1] Vide in hoc tom. II, pag. 372, n. 421.

[2] Signum hoc adhibet hic et alibi saepius Polancus, dum aliquid narrare aggreditur, quod non in laudem auctorum cedit; ut, scilicet, bono nomini consulat eorum, qui adhuc, dum haec ipse scriberet, vivebant. Caveat autem lector ne unum eumdemque semper tali signo indigitari existimet. Quis vero in unoquoque loco indigitetur, tum enarratarum rerum series, tum, sive jam edita sive edenda, monumenta satis declarant.

Non hoc cavit ille, qui in mss. ad marginem supra citati n. 421, ubi de P. Mirone sermo est, ita scripsit: "Hic videtur esse ille, de quo anno 1552 multa Polancus, suppresso nomine, sub littera N. narrat." *Videtur* quidem esse Miron, de quo sub littera N. infra, n. 630, sermo est; at in hoc n. 628 non Miron sed Rodericius sub hac littera N. intelligitur, ut ex contextu patet et ex litteris praesertim P. Ludovici Gonzalez de Camara et aliorum.

Digitized by Google

scientiae videretur, etiam in hoc conceptam doctoratus existimationem imminuit, et, cum sese involveret in quibusdam quaestionibus, quas non satis resolutas apud se habebat, aliud etiam praeter scientiae defectum notabant. Res demum ad magnum contemptum devenit, cum etiam in exhortationibus tam esset effusus ut quid sibi vellet nullus posset colligere. Obliviosus etiam erat et secreti parum continens; ad temporalia vero negotia cum externis tractanda nullo modo se idoneum ostendit, immo nec ea intelligere, licet saepius repetita, poterat, ut etiam externi dicerent illum quidem magna virtute praeditum sed ad res agendas parum idoneum esse. Cum autem de his admoneretur ab illis, quibus prae caeteris fidem adhibebat, valde fregit eorum animum, cum ea non esse magni momenti diceret ac talentum ad gubernationem se habere ostenderet, ut, si ejus humilitas non esset cognita, in aliquam deceptionem ambitionis incurrisse et parum admodum se agnoscere etiam in claris ac manifestis operibus videretur.

629. Tunc decreverunt illi D. Turrianum accersere, ejus adventum in Portugalliam esse necessarium significando; qui, cum venisset mense Augusto, aliqua constituit rebus non bene intellectis. Nihil tamen agendum existimavit priusquam is, qui ad Sanctum Felicem se receperat, ex provincia Portugalliae excederet. Et quia noluit P. Turrianus suam facultatem tunc manifestare omnibus (quamvis prima Aprilis miserat eam P. Ignatius cum litteris ad Regem, quibus significabat de Collegio Compostellano nonnihil, et supplicabat Regi ut fidem haberet P. Turriano) sed uti voluit facultate P. Mironis Provincialis, cui nomine P. Ignatii litteras scripsit ut P. Simoni injungeret ut statim curam Provinciae Aragoniae susciperet et eo se conferret (quandoquidem illa provincia [1] late admodum patebat et P. Araoz propter adversam valetudinem eam totam ministrare non poterat); et patentes litterae fuerunt confectae nomine P. Ignatii, nam subscriptiones ad hujusmodi litteras, etiam patentes, ad P. Turrianum miserat, et per P. Cornelium fuerunt ei presentatae. Injungebat autem in virtute sanctae obedientiae illius provinciae acceptationem, et, ne excusationem obtenderet quod a Rege facultas esset impetranda ad egres-

[1] Intellige Hispaniam totam, quam usque nunc rexerat Pater Araoz.

Digitized by Google

sum, obtinuerunt etiam nostri litteras a Rege, quibus ei significabatur ut injunctae sibi obedientiae satisfaceret. Sed cum ille valetudinem parum firmam ad recedendum ex eo regno obtenderet, Rex ac Regina excusationem minime probarunt et secundas litteras Rex scripsit, quibus ei injungebat ut propter aliorum aedificationem, quamvis non conveniret ipsius valetudini, pareret suo Superiori; et tunc cum his litteris Regis patentes litterae P. Ignatii fuerunt ei oblatae, nam prius P. Mironis dumtaxat litteras ei obtulerant. His autem statim P. Simon obedivit, et illico Salmanticam versus profectus est [1].

630. Tum demum se convertit P. Turrianus ad remedium gubernationi adhibendum; paucis enim illis diebus, quibus prefuerat N., nec perfectioribus nec imperfectioribus satisfecit, quamvis ejus probitatem et orationis studium summopere commendarent; sed ratio gubernationis propter jam dicta quod ad particularia domesticorum exercitiorum nimis descenderet, adeo ut qui totis viribus curaverant [2], non solum faterentur aptum ad gubernationem non esse sed nec in posterum reddi aptum posse; et cum fidelissimi quique hoc sentirent nec sine nota fieri posset mutatio nec Vicarius constitui, quaedam capita P. Turrianus confecit, quibus et nomen et officium superintendendi ei relinqueret, et tamen Rectores et alii officiales sua facerent officia quibus superintendens se non immisceret, cum Rectores et officiales satis essent idonei, donec P. Ignatius aliquid aliud provideret, ad quem litteris abunde declaratus fuit procedendi modus. Et permissum esse a Deo aliquem lapsum putabat P. Turrianus ut vivens P. Ignatius remedium hujusmodi difficultatibus excogitaret ac provideret.

631. His transactis oportebat curare diligenter ut omnes in spiritu procederent juxta purum Societatis institutum, cum multi essent in illa provincia, qui Christum sequi vellent in

---

[1] In *Litterarum Regesto,* ad diem 2.am Februarii haec Polancus scripserat: "Salamanca.—1. A Torres una del Padre sopra l' andar a Portugal presto.—2. Una constitutione di transferir l' intrate, per mostrar al Rè.—3. Quattro firme di lettere et patenti in biancho, et che il Padre li da tutta la sua autorità che scriva sopra ciò li parerà.—4. Due patenti authentiche del Jubileo per le Indie, et che le mostrasse al Rè di Portogallo, et le mandasse al Brasil et la India.—5. Una per Miron sopra il modo di mandar Visitator (al Brasil), etc....—9. Che dia la lettera (de San Ignacio) al Infante Cardinale et altra al Guteno (Godinho).

[2] Deesse videntur hic aliqua verba: sensus tamen est perspicuus. Vide *Cartas de San Ignacio,* t. II, pag. 388, et t. III, pag. 158, not. 1.

Digitized by Google

nuptiis et transfiguratione, non autem in jejunio, et oratione, et mortificatione; et ne hi alios inficerent (quod timendum erat si aliis permixti fuissent), visum fuit expedire ut hujusmodi homines procul ab aliis separarentur ad S.tum Felicem missi, ut ibi, perinde atque in domo probationis, suum haberent magistrum novitiorum, a quo in obedientia et abnegatione sui exercerentur. Hi autem tredecim numero fuerunt, et fere omnes adolescentuli; sed alii non pauci eodem morbo laborabant, verum quia maturiores erant et penitiorem veritatis sensum assecuti videbantur, aliis mediis suavioribus reduci posse videbantur. Ut autem haec probationis domus institueretur, alias litteras nomine P. Ignatii, modo superius dicto scriptas, ad P. Emmanuelem Godinum, Rectorem Conimbricensem, dedit, quibus ei injungebatur ut domum probationis jam dictam institueret apud Sanctum Felicem, ut ibi libere exercerentur; et Conimbricae etiam, qui remanebant, probari possent, et apti ad Societatem retineri, alii vero dimitti [1].

632. Petebat P. Turrianus, haec scribens P. Ignatio, ut alia etiam remedia adhiberet, tam ad mutationem hominum quam ad rationem gubernationis; non enim difficile fore ut Rex approbaret quidquid ipsi in Domino videretur; tam enim Rex et Regina quam Infantes optime se sentire significabant de bono procedendi modo Societatis, et male de eo, quem in ea provincia Societas tenuerat. Tam autem ipse P. Turrianus quam reliqui expedire admodum judicabant ut Romam P. Simon evocaretur, nec in Portugalliam remitteretur, sed alibi occuparetur, licet Rex suis litteris pro ipsius reditu instaret, nam ejus amici hujusmodi litteras facile impetrare poterant; et, si respondere tur illis Principibus rationem reddendo cur non eo rediret, facile illos pro sua humanitate eam admissuros. Cum autem P. Ignatius hoc intellexisset, per litteras vigesima quarta Septembris datas gratias egit Regi quod ita se gessisset in hoc negotio, ut summopere totam Societatem obsequio suo perpetuo devinxisset. Eo processerat libertas quorumdam collegialium et insolentia, ut Superioribus verba aliquando dicerent superbiae

[1] Vide in *Cartas de S. Ignacio,* t. III, pag. 154 et sequentes. Misit etiam Ignatius tria folia, in quibus nomen suum tantum scripserat, ut supra hoc nomen quidquid ipsi in Domino visum fuerit, Miron scriberet, auditis tamen prius quatuor, scilicet, Ludovico Gonzalez, Emmanuele Godinho, Urbano Fernandez et Leone Enriquez.

Digitized by Google

plena et quod non deberent illis injungere quae injungebant; et quid P. Ignatius providerit hac in parte superius dictum est. Aliqui etiam libellos famosos ac versus contra aliquos scribebant. Judicabat itaque P. Turrianus, ut reliquum corpus Societatis sanum maneret, iis dicendum esse quod Christus quibusdam discipulis dixit: ***numquid et vos vultis abire?*** Et cum ita sese res haberent, scribebat. N. Salmanticam: "Patres ac Fratres hujus Collegii cum magna consolatione procedunt et currunt in spiritu Societatis. Orationes ac providentia P. N. Ignatii nobis hanc quietem promeruerunt"; et id movit P. Turrianum ut suggereret collateralem adhiberi hujusmodi superioribus, cujus sit officium admonere Praepositum Generalem de difficultatibus nostrorum; quamvis collaterales non eo fungantur munere, et constitutiones hoc officium consultoribus dederunt [1].

633. Qui apud Sanctum Felicem exercebantur, quamvis exterius efficerent quae obedientia injungebat, praefectus eorum parum in interiori homine eos proficere sentiebat; unde P. Turrianus judicabat expedire ut talibus electiones circa statum proponerentur, licet plusquam quatuor annos in Societate fuissent, quia per portam ingressi non videbantur quidam eorum, cum vel pueri essent, vel quod mediis humanis adducti ad ingressum viderentur; et, si in Societate manere constituerent ex his, ut tunc demum per viam rectam juxta Societatis institutum incederent.

634. Interim exoneratus N. magna sollicitudine discurrebat per varia loca, ut superius diximus, tanta cum aedificatione ut sanctus haberetur et vocaretur, quod principibus et populo magnae aedificationis causa erat. Scripsit idem P. Ignatio rogans ut se levaret hoc onere, et tantopere se scrupulis vexari, ut oportuerit votum emittere quod P. Leonem Enriquez loco P. Ignatii esset habiturus in omnibus; hoc tamen secretum fuit apud alios; rogatque Patrem ut aequo animo praedictam obedientiam ferat, quam P. Leoni promiserat, quem magnae perfectionis virum censebat, nam ad multa id utile sibi esse experiebatur.

635. Magnopere D. Turrianus consolatus est nostros, cum quibus familiariter egit; ejus enim et virtutes et doctrina et pru-

---

[1] **Ignatius Patri Michaëli de Torres, ut ex eis, qui ad professionem in Portugallia admissi sunt, unum seligat, quem collateralem Mironis constituat, 13 Octobris.**

Digitized by Google

dentia omnibus aedificationi fuit, et singulos alloqui fratres constituebat, et cum eisdem de pace et concordia agere. Hic tamen status, quem reliquit, non potuit suis incommodis carere, quod se experiri dicebat P. Urbanus, Collegii Ulyssiponensis Rector [1], qui aliquem habere optabat, ad quem sua dubia referret, et, redeunte P. Turriano in suam provinciam, ulcera latentia se prodere magis atque magis incipiebant; nec solum, qui dimissi erant, suis oblocutionibus bonum odorem Societatis laedebant, sed in ipsis collegiis socios se habere jactabant, a quibus de omnibus admonerentur, et quod nullus in Societate mansurus erat, et oportebat prorsus, vellent nollent, ut contradictiones, quas prius experti non erant, experirentur.

636. P. Antonius Brandon, qui designatus fuerat ut cum P. Cornelio in Magnum Congum se conferret, dum Conimbrica mittitur, a Societate, ut diximus, recessit. P. Didacus Viera, qui Ulyssiponae magnam auctoritatem habebat et gratiam, recessit. Pater etiam Hieronymus Mendez, qui plus quam octo annos in Societate fuerat et philosophiam ac theologiam ibi didicerat, et Pater Aires Arana, et Rudericus Brandon, P. Antonii frater, et ab eo sollicitatus, alii etiam non pauci sunt eum consecuti. Quidam P. Michaël Gomez, qui datus fuerat comes P. Simoni, ex itinere tanquam valetudinarius rediit, Methymnae Campi eumdem P. Simonem relinquens, et, cum triginta quinque dies expendisset, ad Collegium Conimbricense tandem venit; et, cum intellexissent eum aliqua negotia tractasse in curia Regis, praesertim cum Duce de Aveiro et aliis, ut ageretur de socio reducendo cum Rege, et, ut suspicabantur, de officio eidem restituendo, aliqua interrogaverunt nostri antequam in Collegium eum admitterent; ille autem conquestus quod contra rationem non admitteretur, quodque ipsi diffiderent, et quae non oportebat interrogarent, a Societate recessit.

637. Admirabantur interim homines quod tam multi per varia loca spargerentur, alio P. Miron, alio P. Ludovicus Gonzalez, alio alii mitterentur, nec quid sibi vellet hoc intelligebant. Negotia, quae cum Rege expediri perfacile compendiaria via solebant, jam ad ordinariam reducta tardius procedebant, et forte quia pecuniâm a Rege habitam non bene aliquando expen-

[1] Vide supra, n. 602.

derant, sed in rebus quibusdam superfluis, jam necessarios sumptus difficile obtinebant; quia favore aulae non tam modeste quam forte oportebat usi fuerant, jam cum procurator P. Franciscus Enriquez ad necessaria negotia accedebat, portae ob oculos ei claudebantur; architectus et medicus ipse difficiles se praebebant, et contra nostros hic obloquebatur quod Patrem Simonem de suo gradu dejecissent; et alii, egressos et dimissos tam multos videntes, cui credendum jam esset ex nostris dubitabant; nam egressi Societatem penes se esse gloriabantur; praedicabant enim, audiebant confessiones, christianam doctrinam docebant.

638. Regis ministri longe aliam faciem nostris quam prius exhibebant, et cum ab Archiepiscopo Ulyssiponensi eleemosynam nostri peterent, respondit ille: quid Regi opus est ducentis Apostolis in Portugallia?, et nihil eis dedit. Ipsi etiam Principes, postquam designarunt aliquos Congum profecturos, non ea signa amoris quae soliti erant ostendebant. Quibusdam occasio dabatur existimandi quod non debuerat rejici officium confessionis Regis audiendae, sed qui profundius et prudentius rem intuebantur, potius existimabant hanc mutationem rerum ad magnum Societatis in Portugallia bonum pertinere, ut non in favore principum sed in Deo anchoram confidentiae jaciendi occasionem haberet; et tunc sperabant uberiorem fructum consecuturum, cum hoc quasi frigore radices altiores in sui cognitione nostri haberent. Episcopus Portalegrensis dicebat hoc tempus esse bonum fundamentum Societatis ponendi, non tantopere juvenibus confidendo, et eos in spiritu, litteris et aetate magis ut proficerent curandum esse. Accidebat autem nostris id quod expedire dicebat quidam de Societate, quod cupiebat videre nostros quasi explosos a mundanis hominibus et non favoribus aut laudibus elatos. Quos Cardinalis Infans addere volebat numero nostrorum Eborensium, non agebat de eis obtinendis. Regina tamen, cum in commendationem Didaci Viera scripsisset P. Mironi et responsum ab eo accepisset, accersivit P. Urbanum, qui magnam reprehensionem aliquam timebat; sed cum Portalegrensis Episcopus eam praevenisset, longe aliter quam putabat evenit; nam consolata est eum, nec molestum sibi fuisse ostendit quod negatum fuisset id quod petebat; dicebat enim se nihil obtinere velle a Societate cum ipsius detri-

Digitized by Google

mento, et suam operam obtulit ad spirituale ipsius commodum promovendum et etiam temporale.

639. Ferebatur apud vulgus dissolvendam esse ea in provincia Societatem, et Archiepiscopum prohibuisse nostris ne concionarentur, nec confessiones audirent, aut Missam dicerent, quod tamen verum non erat. Cum hanc perturbationem rerum P. Miron intellexisset, scripsit sibi videri nec P. Gundisalvum Vaz, nec P. Alphonsum Tellez, nec alios, qui in missionibus versabantur, ad Collegium esse revocandos, ne jactati hac tempestate forte deficerent; et quamvis magnum Dei donum agnoscebat, quod purgata esset Societas ab hominibus parum idoneis ad ipsius institutum, suggerebat nihilominus Rectori Conimbricensis Collegii ut cum his, qui reliqui erant, benigne ageret, et quod imperfectos aliquandiu ferre solebat P. Ignatius, quamdiu de ipsis juvandis spes erat.

640. Causa mutationis in ipso Rege et aliis Principibus non levis erat; nam, ut ferebatur, ille P. Michaël Gomez (qui affirmabat sibi a P. Simone tale quid injunctum non fuisse) contra caput Societatis, P. Ignatium, gravia quaedam vel per se ipsum vel per aliquem ex magnatibus auribus Regis impresserat. Dux Aveiri primus inter hos credebatur. Objiciebant P. Ignatio quod ambitiosus esset, et id probabant ex matrimonio Domini Joannis de Borgia cum Domina Domus Loyolae, et exaggerabant quod cum vota Societatis ille emisisset (quod tamen non ita erat), tamen uxorem ducere neptem ipsius P. Ignatii voluerat. Addebant id agere eumdem P. Ignatium ut pecuniam ex regno Portugalliae in alias Provincias transferret, et quod P. Simon ejus conatibus obstitisset in hac parte, constitutioni, quae hoc permittebat, repugnando, et ob eam causam ab officio depositum fuisse. Tertio hanc esse ejusdem P. Ignatii mentem ut homines jam in litteris institutos ex Portugallia alio avocaret, et externos studii gratia in Portugalliam mitteret; et alia praeterea piis auribus Principum illorum hujusmodi instillabant, qui hoc agere per hujusmodi calumnias videbantur ut P. Simon ad gubernationem illius Provinciae rediret. Coepit autem Rex ipse aliquid horum significare P. Francisco Enriquez, cum ad ipsum propter quaedam negotia venisset; mediam etenim narrationen ejus interrumpens, percontatus est ubi esset Dominus Didacus, quem audierat in Regnum Castellae ivisse (hic juvenis nobilis et in

Digitized by Google

aula notus erat); respondit ei P. Franciscus aliud se nescire nisi quod ad peregrinationes aliqui missi essent, inter quos ille Didacus fuerat. De Domino Theutonio deinde percontatus est, quod intellexerat in Castella versari, et quidem parum contentum: satisfecit ei in hac parte. Tertio de P. Michaële Gomez dixit se intellexisse quod male exceptus fuerat, et magnis injuriis affectus a Societate: respondit Franciscus quod res habebat. Tunc subjecit Rex: audio quod pecuniam ex hoc regno mittunt Romam et etiam homines, immo et constitutionem quamdam a Generali Praeposito factam esse ut transferri possit pecunia ab uno loco in alium, et addidit: scribas ei ne hoc faciat; si enim fecerit, ego ab eleemosynis Societati faciendis desistam. Respondit P. Franciscus Enriquez tantum abesse ut pecunia Portugalliae Romam mitteretur, ut etiam ad Procuratorem Generalem partem aliquam ad sumptus necessariam mittere recusarent; et de constitutione respondit ita se intelligere ut Collegia unius provinciae, quae reditibus abundarent, possent alia ejusdem provinciae juvare. Probavit hoc Rex, dummodo a regno suo non extraheretur; et Regina, quae praesens erat, nullo modo, inquit, nec homines nec pecunia ex hoc regno mittantur, quia eis hic opus habemus [1]; et quod ad externos attinet, qui studii gratia in Portugalliam mittebantur (nam affirmabat Rex eo missos esse), dixit, post adventum P. Mironis Valentia, tres juvenes ingeniosos et doctos venisse, qui optimis dotibus praediti in Portugallia admissi sunt, non ut remitterentur in Hispaniam, sed ut ibi manerent. Si mansuri sunt, inquit Rex, bene est, et tacuit. Quod de ambitione matrimonii audierat, postea tamen intellexit quod superius diximus, non solum ignorasse P. Ignatium sed improbasse etiam, cum tandem id novit, quod factum erat; et alioqui intellexit matrimonium illud potius in utilitatem Domini Joannis quam domus Loyolae cessisse, cum magnitudo dotis et nobilitas etiam ab illustribus et potentibus viris expetendum illud matrimonium fecissent, cum tamen Dominus Joannes de Borgia nulla haberet stabilia bona, sed tantum praeceptoriam vel commendam Ordinis Sancti Jacobi, quae ad successores minime transit. Cum ad suum negotium rediret P. Franciscus Enriquez, non obtinuit quod postulabat eo quod jam ab ipso Rege

[1] Vide annot. supra sub n. 625.

Digitized by Google

aliquando concessum videbatur. Cum tamen postularet ab ipso Rege num quidquam vellet scribi P. Ignatio de superius dictis rebus, non, inquit, opus est, quando res ita se habent, ut dicis; et cum securum eum redderet Franciscus quod nihil eo in regno P. Ignatius facturus esset nisi quod ipsi probaretur et quod sic solitus erat scribere nostris, qui in Lusitania versantur, placuit id Regi, et ita se velle dixit. Significabat etiam nolle se ut contra P. Simonem quicquam fieret; sed amari eum a nostris intellexit.

641. Hoc eodem die pervenit Ulyssiponam P. Ludovicus Gonzalez, qui statim Cardinalem ac Dominum Ludovicum his de rebus est allocutus; et intellexit eos de his, quae Regi dicta fuerant contra P. Ignatium, nihil scivisse, et ad favendum veritati et rebus Societatis eos esse valde propensos. Non putabat P. ipse Ludovicus animum Regis erga Societatem esse mutatum, quamvis propter calumnias jam dictas perculsus aliquo modo fuisset, et alioqui, si aversum animum a Societate gereret, non se magnum detrimentum Societati timere, quia jactura tantum rerum temporalium timeri poterat, et illa timenda non erat, cum fortassis expediret ruere quae non bene aedificata fuerant. Allocutus est etiam Reginam, quae coeperat nostris rebus velle favere. Episcopum etiam Portalegrensem optime affectum invenit. Duo autem Infantes cum P. Ludovico Gonzalez consultare simul coeperunt de ratione hujus negotii cum Rege tractandi, et visum est expedire ut ipse P. Ludovicus Gonzalez Regem adiret ac Reginam.

642. Adiit prius Reginam, quae consolata est eum et multa particularia narravit, quorum haec summa erat: Regem firmissimum esse in Societatis favorem, quamvis importune admodum fuisset oppugnatus; quod de pecunia et hominibus extra regnum mittendis impressum quidem fuerat, ut prohiberet fieri, non ut in Portugallia se a P. Ignatii gubernatione eximerent, quod videbantur aliqui curare. Intellexit etiam significatum fuisse Principibus quod N. ad gubernationem idoneus non esset, et timebat ne videretur a quibusdam nominatus ut ad ipsos hac ratione gubernatio rediret; et hoc etiam a Michaële Gomez, sicut et caetera, profectum erat. Allocutus est tandem Regem ipse P. Ludovicus Gonzalez et omnia, quae oportuit ad calumnias diluendas, dixit; et tamen se adhuc informationem majo-

Digitized by Google

rem velle Rex significavit. Demum ab ipso Rege postulavit an vellet P. Turrianum in Portugalliam venire, et, quamvis non alacriter admodum, contentus fuit ut evocaretur; et ita 13.ª Octobris evocatus est, et ab eo postulatum ut omnes litteras et instructiones P. Ignatii secum ferret; sperabant enim solida fundamenta jacienda Societatis, postquam jam concidissent qui super arenam aedificati fuerant. Quamvis autem Rex non evocaret P. Simonem, facile percipi potuit nondum ad pristinum fervorem rediisse, et ita a Cardinali Infante, non ab ipso, litterae ad P. Turrianum missae sunt ut in Portugalliam veniret; et aperto marte P. Ludovicus Gonzalez cum Duce de Aveiro certabat; sed post biduum aut triduum Rex omnino sibi persuasit quod res habebat, et decrevit Ducem de Aveiro admonere ne persisteret in eo negotio, quod susceperat.

643. Quamvis etiam in populo multa dicerentur, non omittebat ille suis eleemosynis nostros Ulyssiponenses juvare; nec conatus Michaëlis Gomez in reducendo P. Simone profuerunt, qui Regem est allocutus, licet ille jactaret majorem partem collegialium velle obedire P. Simoni et non P. Ignatio nec P. Mironi, quod tamen falsum erat; quamvis de iis, qui egressi vel dimissi fuerant, forte aliquid hujusmodi vere dici posset. Notat P. Ludovicus Gonzalez quod N., simul atque in Portugalliam venit, seminare coeperat aliqua in contemptum capitis supremi, Ignatii, et quod videbatur id agere ut in Lusitania separatum caput esset; quod multi ex fratribus intelligentes graviter acceperunt, et contra N. scripserunt litteras P. Ignatio, quamvis ab itinere, qui eas ferebat, fuit per P. Mironem revocatus. Hoc ipsum dicitur intellexisse P. Faber [1] et P. Araoz et P. Strada, et res eo demum, inquit ille, venit ut N. conaretur Regi persuadere quod, quamdiu provincia Portugalliae P. Ignatio subdita esset, nullum ex Societate bonum fructum esset accepturus; nam, sicut ex ingressu Ducis Gandiae suorum consanguineorum utilitatem curabat, ita ex reditibus Societatis in Portugallia facturus erat; et tam diras calumnias ac falsa testimonia

---

[1] Incredibile prorsus est haec N. seminare coepisse, simul atque in Portugalliam *primum* venit, anno, sc , 1540. Unde verba haec *simul atque in Portugalliam venit* intelligenda videntur de ejusdem N. reditu in Portugalliam ex urbe Roma anno proxime praeterito 1551; sed si ita est, non potuerunt haec Patri Fabro innotescere, qui diem supremum anno 1546 obierat. Vide tamen *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro,* t. I, pag. 248 et 249.

Digitized by Google

ad coronam P. Ignatii Deus, etiam in tempore pacis ac prosperitatis, invenit. Cito tamen lux veritatis contrariae has nebulas dissipavit; et quia res malum initium habuerant, malum hunc progressum idem P. Ludovicus Gonzalez suspicabatur ortum esse; et ideo non existimabat Societati incommodum esse, si male aedificata ruerent, et redeundum esse ad viam paupertatis, abjectionis et poenitentiae ac aliarum virtutum existimabat.

644. Sed demum tranquillitas post tempestatem etiam in temporalibus est subsecuta; et quidem intra Collegium Conimbricense qui reliqui erant, nec tempestatem quidem ipsam externam sentire videbantur, immo magnae consolationis erat ipsis quod se in posterum peculiari providentia ac cura a P. Ignatio regendos existimabant, et tam sincere omnes procedere in Domino videbantur, ut quocumque oculos converteres, nonnisi specula quodammodo cerneres, quae quotidie magis splenderent; et qui se frigidiorem ostenderat Rex circa adventum P. Turriani, paulo post coepit significare P. Ludovico Gonzalez quod magnopere vellet ipsum in Portugallia jam esse, ut videretur priorem illam tepiditatem hac ratione velle compensare. Optabatur autem magnopere ejus adventus, quia status ille, in quo relicta erat provincia mense Augusto, diu retineri sine magno incommodo non poterat, cum nullum esset caput integrum ut rebus universalibus ejus Provinciae prospiceret et earum curam haberet. Veluti dimidiata capita erant Rectores, quorum alter ab altero non pendebat; et tamen magna erat rerum varietas, non solum propter res Indiae, Brasiliae et Congi, sed etiam propter reditus, lites et negotia Portugalliae ac praecipue curiae, quae detrimentum patiebantur, cum nullus eis vacaret; et ipsimet superiores et alii ex primoribus urgebant ut caput ad ipsos mitteretur, cui omnes obedire cupiebant suasque voluntates et judicia submittere, dum P. Miron in missionibus feliciter procederet, cum magna aedificatione omnium ministeria Societatis exercendo; quorum bonus odor ad curiam etiam perveniebat. Patri Godino, Rectori Conimbricensi, suas vices commiserat; sed nec ipse [1] sibi nec aliis satisfaciebat. Evocatus ergo [2] venit Conimbricam 12.ª die No-

[1] **Godinhus.**
[2] **Torres.**

Digitized by Google

vembris, et deinde progressus Ulyssiponam; et sic Dominus ejus opera res illius Provinciae composuit.

645. P. Ludovicus de Grana dux eorum credebatur, qui rebus P. Simonis favebant; tamen, quod ad stabilitatem in Societate pertinet, solidus inventus est a P. Joanne de Sancto Michaële, et in obedientia P. Ignatii, immo, si ex Portugallia ejectus esset, se sperare dicebat vel in regno Castellae vel Romae excipiendum [1].

646. P. Emmanuel Fernandez, qui Eborae concionabatur, eo usque progressus erat ut diceret extra Societatem posse se suam consolationem spiritualem et quietem quaerere, et ita recessit; sed quia semper vir bonus fuerat, non permisit Dominus ut hac caecitate diutius teneretur, et die sequenti statim rediit. Ut autem intelligatur quanti referat, cum consulitur doctor aliquis externus, bene id, de quo consulitur, proponere, dicitur quod ille P. Michaël Gomez Doctorem Navarrum [2] consuluerat, et ejus sententiam secum tulerat, quod quicumque partes P. Simonis sequeretur, cum conscientia bona id facere poterat. Non hoc ipsi Simoni adscribendum est, sed Michaëli Gomez, qui juxta animi sui affectum has seditiones excitabat; et forte, si legeretur ipsius Doctoris Navarri sententia, videretur juxta propositam quaestionem recta; sed bene an male quaestio proponatur multum interest. Sic frater Martinus, concionator, securos esse dicebat eos, qui recedebant; quem P. Leo conatus est melius informare de votis simplicibus Societatis, quae ille ex quavis causa dispensari posse affirmabat, et declarationem Sedis Apostolicae P. Leo necessariam esse asserebat. Scribit P. Michaël de Sosa consolationem collegialium et tranquillitatem parem esse afflictioni et perturbationi jam praeteritae. Qui in missionibus versabantur, ibidem etiam contradictiones inveniebant, in ecclesiasticis tamen et religiosis potius quam in saecularibus. Monachus quidam in Archiepiscopatu Eborensi contra nostros, praesente P. Mirone, tota propemodum concione invectus est; et auditores quidem, Societati nostrae valde addicti, aegre admodum id ferebant, et

---

[1] Ludovici Grana virtus resque gestae adeo omnibus probabantur ut hoc ipso anno de eo ad professionem admittendo sit actum: hujus tamen rei judicium Patribus Torres, Miron, aliisque Ignatius commisit. *Regest. litter.* ad diem 13 Octobris, t. I, fol. 63.

[2] Martinus de Azpilcueta, ex patria dictus *Navarrus*.

Digitized by Google

aliqui sedes inde auferri jubentes concionantem reliquerunt; P. autem Miron post concionem more ejus regionis manum monachi osculandam genibus flexis poposcit, quam illi monachus dedit, et, eam osculatus, magis eo facto auditores movit quam si egregiam concionem apud eos habuisset, et aliqui ad lacrymas hoc humilitatis exemplo compuncti sunt. In Bracarensi Archiepiscopatu P. Gundisalvus de Sylveira, praeter conciones, multis exercitia spiritualia proposuit et quidem primoribus ejus urbis. Aliis in locis et Conimbricae id ipsum fiebat; et ubique cum egregio fructu.

647. Inter alios, qui in missionibus versabantur, P. Maximianus erat, qui, cum has turbas audisset, litteris missis protestatus est se nunquam aliam Societatem velle agnoscere quam P. Ignatii, cujus laboribus, vigiliis et orationibus eam Deus fundaverat.

648. Mortuus est hoc anno P. Joannes de Sancto Michaël, vir multis Dei donis clarus et in concionibus egregius [1].

DE BRASILIA

649. P. Emmanuel de Nobrega, quamvis ad varia se conferebat loca Brasiliae, in civitate tamen Salvatoris, ubi praecipuum erat Collegium, cum commode poterat, residebat. Hoc notatu dignum ibi accidit, ut, cum quidam ex nostris, nomine Vincentius Rodriguez, perpetuo valetudinarius esset et, capitis dolore per integrum annum et aliis morbis afflictus, in vinea Domini laborare non posset, cum ea tamen cultoribus magnopere indigeret, P. Emmanuel de Nobrega inspiratione Dei, ut creditur, commotus injunxit ei in virtute obedientiae ut convalesceret, quod statim consecutum est, et, recuperata sanitate ac viribus corporis, in animarum auxilium ad Dei gloriam incubuit. Collegium hujus novae urbis Salvatoris non exiguum numerum nostrorum habebat, sed multo magis augeri debere Regis

[1] De hoc ita Franco: "Ibidem (Ulyssipone) 4 Decembris Joannes a Sancto Michaële Medeirum secutus est ad aeternitatem, natus Betancorii in Gallaecia. Zelo fervebat ad sacras missiones, et insignibus e sacro suggestu dicendi dotibus magnum animarum numerum coelo est lucratus. In quadam aegritudine, conclamata jam salute, videndam se illi obtulit Deipara, promisitque eo morbo non decessurum. Fertur divinitus ei horam mortis innotuisse." *Synopsis Annal.*, a. 1552, n. 21.

Digitized by Google

opera videbatur. In domo pueris orphanis erecta ducenti fere pueri sustentari poterant, et fere in omnibus praesidiis lusitanorum similia collegia expetebantur, et ad id Patri Nobrega scribebant, offerentes servos qui, piscationem et agriculturam exercendo, victui necessaria pueris pararent et alia hujusmodi auxilia. Cogitabat autem P. Nobrega Gubernatorem [1] maritima loca visitantem comitari, et tum Societatis loca invisere, tum Collegia puerorum, ubi expedire videretur, instituere, quamvis jam aliqua instituta erant et non parum progressum faciebant; et partim quia solum ejus regionis fertile est, partim quia pueri gentilium exiguo sumptu sustentantur, non difficile erat hujusmodi collegia sustentare, cum praesertim terra excolenda sine ullo pretio tunc haberetur, et optimates optime affecti essent. Tenebantur tamen magno desiderio, qui in ea urbe versabantur, in mediterranea penetrandi, cum uberiorem animarum fructum ibi sperarent, ubi gentiles nulla lacessiti injuria a Portugallensibus essent, qui in praediis maritimis versabantur, cum praesertim experientia discerent nihil nostros praeter ipsorum salutem expetere. Non audebant autem praesidia haec deserere, donec alii submissi essent ex Portugallia, qui eorum in spiritualibus curam gererent, ut, si accideret eos occidi, qui ad Brasiliensum conversionem se contulissent, praesidia Portugallensium deserta non manerent.

650. Postquam ex praesidio Pernambuci P. Nobrega in civitatem Salvatoris sub initium quadragesimae venisset, cum navigium quoddam versus Sancti Vincentii provinciam mitteretur, missus est in eo P. Emmanuel de Payva et P. Navarrus ut jubilaeum per maritima illa loca promulgarent. P. autem praedictus Navarrus in oppidum, quod Portum Securum vocant, praedicandi et christianam doctrinam docendi gratia se contulit, quod magno cum fructu tum veterum christianorum tum gentilium effectum est, et aemulatione quadam populus ille cum alio vicino certabat uter, scilicet, praestantiorem domum orphanorum haberet. Praeerant autem nostri hujusmodi puerorum Collegiis. P. vero Payva in portum Sancti Spiritus cum venisset tempore quadragesimae, non inde recedere potuit.

651. Adducebat secum tres pueros ex his, qui ex Portugallia

[1] Erat civitatis Bahiae seu Salvatoris Gubernator et Generalis totius Brasiliae Thomas de Sousa.

Digitized by Google

venerant a P. Petro Domenech inter orphanos instituti, et horum opera usus initium dedit cuidam Collegio hujusmodi puerorum. Destinati quidem erant ad Sanctum Vincentium; sed, quod in oppido Spiritus Sancti magis essent necessarii, ibi collocati sunt, et se illis statim aliqui ex incolis ejus loci adjunxerunt, qui et addiscebant saluti necessaria. Tres autem illi pueri, simul cum adjunctis, partim suis conciunculis, in quibus a nostris instituebantur, partim christiana doctrina, partim cantando hymnos quosdam pios, tam christianis quam gentilibus magnae aedificationis erant; et augebatur haec domus in dies et insignis futura sperabatur [1].

652. Dum fuit P. Nobrega in civitate Salvatoris cum sociis, propter messem copiosam obruebatur confessionum multitudine quotidie; et diebus dominicis, postquam in ea civitate Missam celebrasset et concionatus esset, alium in locum una leuca distantem, quem Villam Veterem vocant, se conferebat et secundam eodem die Missam celebrabat, et ibidem etiam concionabatur; quod et diebus veneris in urbe faciebat, ut minus mirandum si quod socio aegrotanti, ut diximus, in obedientia ut convalesceret et se adjuvaret injunxerit. Singularis fructus in horrea Domini collectus ibi fuit; multa matrimonia ad magnum Dei obsequium pertinentia facta, plurima peccata extirpata, in bonis moribus magna hominum multitudo reformata est; et, si ex Portugallia mulieres essent missae ut eas in uxores Lusitani ducerent, tota illa civitas velut religiosa quaedam domus censeri potuisset. Jurandi nomen Dei abusus sublevatus est; si quid discordiae inter eos accidisset, statim inter ipsos pax conciliabatur; furtorum nulla mentio; et demum ab omnibus pravis moribus alieni admodum effecti sunt; fere omnes jubilaei gratiam consequi studuerunt; pauci dumtaxat, qui Brasilienses foeminas apud se habebant, ex quibus liberos susceperant, quia commode non videbantur eas sibi posse relinquere, donec alias ducerent in uxores ex Portugallia venientes, a sacramentis abstinuerunt.

653. Servorum autem fervor, quem ex praedicatione et christianae doctrinae enarratione in vernacula ipsorum lingua conceperant, dominorum superabat profectum et melius quam

[1] Vide de iis orphanis litteras, quas annis 1551 et 1552 dedit Ignatio ipse Petrus Domenech.

Digitized by Google

ipsi catechismum tenebant. Qui etiam ex gentilibus christiani et liberi in ea civitate versabantur, dies dominicos optime recordabantur, nec quisquam errabat. Si qui ex brasiliensibus male de albis hominibus (sic enim vocant lusitanos) loquerentur, ipsi prae caeteris ad eorum punitionem se offerebant; nullos se consanguineos praeter christianos habere dicebant, quamvis sanguine conjuncti odio eos et alii gentiles invidia prosequerentur propter christianorum amicitiam; et quamvis multa gravia paterentur, firmi tamen perseverabant.

654. Quia multi ex christianis mortui erant et alii aegrotabant, hanc occasionem nacti, qui prius suis superstitionibus eos seducebant, dicere eis coeperunt quod nostri per baptismum eos occidebant; non tamen de suo bono proposito christianos removebant, nam contra seductores illos nostri, ut par erat, invehebantur et eorum fallacias detegebant. Fuit nihilominus admiratione dignum Dei judicium in illa provincia, cum bonos a malis separare vellet, et hominibus persuadere quod, qui baptismum acciperent, vitam christiana fide dignam agere debebant, et non qualem agere soliti erant qui baptizati fuerunt parum considerate antequam nostri in Brasiliam venirent; nam ex illis, qui post baptismum a gentilium vitiis ac peccatis non recedebant, nullus fere vivus superstes fuit, cum sanis admonitionibus nostrorum non acquiescerent, et eorum filii qui baptizati fuerant; et hac ratione et patres castigati et ipsi salvi facti sunt. Discendi ergo occasionem habuerunt Brasilienses quod non poterant servire Deo simul et Belial et fidem christianam cum moribus gentilium conjungere. Cum enim nihil ante nostrorum adventum illis diceretur de relinquendis morum vitiis, christianum esse nihil aliud esse putabant quam baptizari et vestiri; prius enim pro suo more nudi incedebant. Quamvis autem illi superstitiosi non persuaserunt ut fidem desererent, nostros tamen timere ut mortis auctores nonnulli perrexerunt; et tamen ob timorem quidquid illis dicebatur efficiebant, etiam si captivi, quos ceperant quosque devoraturi erant, ab eis peterentur. Pueri, qui in Collegio orphanorum instituebantur, egregie se gerebant et nostros in opere Domini adjuvabant. Stupebant autem brasilienses, cum in illa tenera aetate tantum fervorem et promptitudinem in dicendis quae ad religionem pertinebant observarent; illi enim, cum se exercerent in praedicatione et in

Digitized by Google

cantu tam lingua brasiliensi quam lusitana, cumque documenta aliis tradenda recte didicissent, quae illis P. Nobrega et alii Patres discenda tradebant, recte his officiis cum stupore brasiliensium utebantur.

655. Peregrinationes etiam aliquando faciebant per interiora loca, et verba salutis, partim exhortando, partim canendo, partim superstitiosos insectando, proponebant. Aliqui eos etiam ut mortem secum adferentes fugiebant, et in quibusdam domibus pagorum salem et piper comburebant, ut deterriti tetro odore ad eas non accederent; sed nihilominus eas pueri erecta cruce invisebant et se non mortem sed vitam adferre et tantum malos ex eorum occasione mori dicebant, quod vitam christianam non agerent. Excipiebantur autem sub meridiem et noctem humaniter a brasiliensibus et illis omnia necessaria, quae habebant, abunde subministrabant, et cum litanias cantarent, sequebantur et ipsi respondendo *ora pro nobis.* Inviserunt autem peregrinationis gratia locum quemdam, in quo vestigia Sancti Thomae vel alicujus viri apostolici, qui doctrinam salutis brasiliensibus praedicaverat, in saxo quodam ostendebant, quod perinde vestigiis cessise cernebatur atque si ex limo molli fuisset. Statim ipsimet brasilienses duo ligna exciderunt et magnam crucem confecerunt et multis lapidibus ad ejus pedem positis stabilierunt [1]. Cum etiam per alios pagos discurrerent, in quibus vina et carnes humanas sibi homines praeparaverant, ipsi sponte sua eo die abstinebant, et a canticis consuetis suos abstinere jubebant, et praeparabant vias pueris, quibus ad se venirent, ut sanctis. Cum autem ad fluvium quemdam ventum esset in quo aliqui submersi fuerant, occupati brasilienses in suis potationibus eos non traduxerunt ad aliam partem; illi vero in morem ratium ligna quaedam conjungentes et cordis, quas ad suos lectos ferebant, intense ligantes, flumen, quod jam mari vicinum erat, Deo adjuvante, trajecerunt et ad P. Nobregam redierunt.

656. Alias etiam peregrinationes hujusmodi aut excursus fecerunt cum aedificatione, et in quodam pago, ubi nobilis quidam degebat brasiliensis, qui amicus erat christianorum et ho-

---

[1] Haec fuse descripta reperies in libro II *Das noticias das cousas do Brasil,* a n. 18 ad 45, quem librum praeposuit P. Simon de Vasconcellos suae *Chronica da Companhia de Jesu do Estado do Brasil.*

Digitized by Google

spitalitatem in eos exercebat; et cum prope pagum crucem quamdam fixissent, iter quoddam a suo pago praepararunt ut ea deduci posset, et cum pueri, crollis ornati, in supplicationis modum crucem deferrent, brasiliensibus sequentibus et respondentibus in cantu litaniae *ora pro nobis,* crucem in solo erexerunt. Tunc quidam ex pueris in vernacula ipsorum lingua coepit aliqua de Passione Christi loqui cum lacrymis, quas etiam nobilis ille brasiliensis effundebat, et cum pueri genu flexo crucem adorarent, genua flectens et ille tantumdem fecit. Diabolus tamen, ut averteret homines a crucis cultu, persuadere nitebatur per suos ministros quod vile quid et erubescendum esset sic genua flectere, et tales velut uxores esse christianorum per derisum dicebant. Habebat filiam quamdam graviter aegrotantem nobilis ille, quam adduxit ad pueros ut salutem illi darent, quam quidam eorum fide egregia praeditus promisit, et cum pueri orassent Dominum, post pauculos dies puella convaluit. Dedit eis filium elegantem ut eum docerent, qui in die Paschae fuit baptizatus.

657. Delectantur valde musica brasilienses, quo fiebat etiam ut libentius pueros cantantes audirent. Cum hostes suos tam atroci odio prosequantur, si tamen cum cantu aut sono aliquo musico ad eorum pagos accedunt, non solum impune id faciunt sed humaniter excipiuntur et quidquid volunt eis conceditur; et ita P. Nobrega secure censebat posse nostros penetrare ad mediterranea brasiliensium et evangelium eis praedicare, si cum hujusmodi cantu aut aliquo genere musicorum eos adirent. Nec solum audiunt, sed tam senes quam anus et cujusvis aetatis brasilienses ad cantum vel sonum auditum saltare solent. Cum eis veritas praedicatur, eam agnoscunt, et deceptiones suorum magistrorum damnant. Periculum etiam hujus rei fecit P. Nobrega cum pueris et cruce per quosdam pagos continenter discurrens et cantare faciens de Deo et ad ejus laudem, ad eum modum, quo sua illi mendacia canere soliti erant; et solitas cantiones et orationes dicentes adhortati sunt eos ex nomine Episcopi ut se praepararent ad christianam religionem, non tamen ad eum modum, quo eorum parentes, qui tantum ut acciperent indusia christiani facti fuerunt et male perierunt, sed propter Deum et propter suam salutem, ut fecerant aliqui, quos ipsi nominabant et prospere vivebant; et de gloria paradisi et

Digitized by Google

poenis inferni, quas illi gravissime timent, disserebant. Quamvis tamen multi perlibenter hos cantus audiebant, ut diximus, in quibusdam pagis suos filios abscondebant, quia statim morituros esse credebant, et ut arborum folia tremebant, et piper comburebant ut nostros averterent. Semper tamen, ubi cibus erat capiendus, vel noctu quiescendum, humaniter excipiebantur; et quodam in pago, cum eo perventuros esse nostros cum pueris intelligerent, multi ex brasiliensibus, onusti piscibus ad cibum eorum, occurrebant; aliqua etiam animalia venatu capta alibi offerebant. Sed aliquando per multas horas per loca aqua inundantia incedendum erat, quod a via aberrassent.

658. Cum ad vestigia D. Thomae perventum esset, tam bene jam brasilienses se gerebant ut unus ex nostris cum duobus pueris bene instructis ibi relictus fuerit ad eos docendos et domum prope vestigia illa erigendam, ubi pueri incolarum instituerentur; et qui primas gerebat in illo pago, nostros cum omnibus pueris domi excepit, et humaniter tractavit ut a labore itineris eos reficeret. Quatuor deinde domus vel collegia puerorum cum ecclesiis inter brasilienses fuerunt instituta, ubi a nostris in his exercerentur, quae ad proprium profectum et etiam ad movendos brasilienses et ad fidem docendam juvant.

659. Cum quidam ex nostris Patribus per loca civitati Salvatoris vicina discurreret, in puerum quemdam morti vicinum incidit, de cujus vita cum parentes desperarent, postularunt ab eo Patre ut salutem ei daret. Respondit ille ut eum baptizare permitterent et tunc se Deum oraturum pro ejus salute. Illi autem, cum in baptismo mortem esse persuasum haberent, id recusabant; sed pater demum consensit et ita, licet matre repugnante, fuit baptizatus, et statim sanitati restitutus est. In hoc eodem pago, cum multi christiani brasilienses simul cum consanguineis conjuncti viverent et afflicti essent propter mortem quorumdam ipsis sanguine conjunctorum, qui ab adversariis erant occisi, ad bellum contra eos egressi, multos eorum in vindictam occiderunt, multos etiam vivos ceperunt. Cum ergo cadaver quoddam in pagum illum adferrent, ubi P. Vincentius erat, quidam inter ipsos vir primarius rogavit ne id facerent, quia P. Vincentio molestum id futurum erat. Sed cum alii non acquiescerent, recessit ille in pagos alios. Adducentes igitur cadaver in pagum, convocare coeperunt suos amicos et consan-

Digitized by Google

guineos pro more ad vindictam capiendam; christiani autem brasilienses admonuerunt P. Vincentium, qui simul cum P. Payva concurrit et cum magna reprehensione, Dei vindictam minando, cadaver illud acceperunt, quod jam jam inter se divisuri erant; et tremebant cum nostri illud afferrent, quia pro summa injuria id habebatur, et alio tempore potius se occidi permisissent quam corpus auferri. Sepelierunt itaque id prope eremitorium et domum quam inhabitabant; at cum horum consanguinei, qui in alio pago habitabant, id intellexerunt, pro magna infamia id ducentes, noctu venerunt, armati suis sagittis, ut illud adsportarent; et licet nostri tota nocte vigilarent, tamen illi tam expediti fuerunt ut, cum ad sepulturam nostri pervenirent, jam prope effossum id habebant; et mirum fuit quod nostros sagittis non confixerint. Evocarunt nostri amicos ejus pagi et primarius quidam cum uxore sua et filiis acriter admodum persuadere nitebantur aliis ut recederent. Recesserunt tunc quidem illi; sed cum semel et iterum redirent, decreverunt nostri duas horas ante lucem cadaver inde clam auferre, cum obdormissent barbari cantu et exaltatione fatigati; itaque non sine molestia tetri odoris portaverunt cadaver et prope urbem Salvatoris sepelierunt; et cum a somno surrexere illi, admirati quod cadaver non invenirent, afflicti recesserunt.

660. Inter alios fructus, qui in civitate Salvatoris fuerunt collecti, non minimus fuit quod quidam, qui profanus satis existimabatur, cum spiritualia exercitia fecisset, admirabilem vitae mutationem fecit, qui tantopere orationi se dedere coepit et quae mundi sunt contemnere, ut cum multis lacrymis a P. Nobrega contenderet ut in Societatem nostram eum admitteret; quamvis enim matrimonio conjunctus fuerat, tamen sponsam minime tetigerat. P. tamen Nobrega, rem ad Episcopum venturum rejiciens, non eum admisit. Alii eisdem spiritualibus exercitiis exculti fuerunt, inter quos fuit Vicarius. Complures ad Societatem nostram adspirabant, et, quamvis non admitterentur, in devotione ac vitae reformatione valde proficiebant. Nostri in vicinis pagis benevolentiam brasiliensium imprimis conciliabant ac praecipue eorum, qui primas tenebant; deinde ad quid venissent exponebant, scilicet, ad voluntatem Dei ipsis explicandam ad ipsorum salutem; declarabant eis mundi creationem, Filii Dei Incarnationem, et de judicio finali, quae omnia ipsis nova erant,

Digitized by Google

quamvis per traditionem aliquam diluvii universalis notitiam haberent. In vernacula autem lingua ipsorum christianam doctrinam eos docebant utendo aliquorum puerorum opera, qui gentilium filii sed in Collegiis sub nostrorum disciplina instituti fuerunt. In domum ejus, qui caeteris auctoritate praeest, ut convenirent ad verba salutis audienda curabant; redeuntes autem domum ipsimet signare se cruce et repetere quae audierunt ex catechismo solebant; et idem in variis pagis effectum est. Tam promptos autem se exhibebant, ut omnes facile christiani fieri possent, nisi ad majorem ipsorum instructionem rem differendam nostri existimassent, et aliquando tam apposite loquebantur ut magnae consolationis nostris esset. Quidam ex primariis catechumenus tota nocte cum suis de Deo locutus est bene admodum. Dixit is nostris inter caetera: utinam in vestris ego moribus educatus fuissem, qui veri sunt; nam si meos exuere debeo, haud dubie magno mihi constabit; et ad quemdam ex suis conversus, jam, inquit, mihi in abominationem nostri mores conversi sunt; vos relinquam et ad hos Patres me recipiam, primatum hujus loci relinquens. Offerebat etiam nostris, quae habebat, ad ipsorum sustentationem, ut gallinas, porcos et hujusmodi. Filii aliorum, qui primatum gerunt, curam suscipere solebant populi convocandi ad christianam doctrinam; et, baptismum expetentes, quod nomen ipsis esset imponendum solliciti erant. Prope vestigia jam prius dicta D. Thomae ut conficerent domum et ecclesiam, multum lignorum et saxorum ipsimet brasilienses contulerunt; qui locus mari imminebat, ubi magna piscium erat copia et facile multi pueri sustentari poterant.

661. In pago, ubi erat Vincentius, sex erant qui, a suis recedentes, optabant ei adjungi et christiani fieri; alii hos rogabant ut se etiam deducerent ad eum, quod christiani fieri vellent; nec movebantur irrisionibus multorum, qui propter mores christianorum, quos imitari volebant, ipsos exagitabant.

662. His similia de variis locis Brasiliae dici possent; sed potissimum in oppido Sancti Vincentii gentilibus magnum ostium apertum fuit. Domus nostrorum, in qua multi pueri instituebantur, ad sexaginta ascendebat, ex quibus aliqui in Societate admissi fuerant. Praeerat caeteris P. Leonardus Nugnez et cum magno fructu cum aliis ibi versabatur; sicut et P. Navarrus in Portu Securo, et alii Pernambuci et in oppido Spiritus Sancti

Digitized by Google

bene de lusitanis et brasiliensibus mereri studebant. In praesidio Illaeorum, magno desiderio nostros expetebant, et, ut domum nostrorum haberent cum Collegio puerorum, quidquid habebant prompte offerebant.

663. Dominus Thomas de Sosa multa etiam scripsit de his, quae per nostros in Brasilia gerebantur, et inter caetera quod, cum quidam ex nostris Patribus aegre admodum ferret carnium humanarum esum in pagis quibusdam, quos visitabat, se flagellis publice per eos pagos caedebat, ac Deum ut talem abusum ab eis removeret precabatur, et admirantibus cur id faceret respondebat quod seipsum puniebat ut Dominus ab eis punitionem pro tam gravi peccato removeret. Voluit itaque divina bonitas eum consolari in illis locis, quae visitabat, consuetudinem exstirpando quam habebant homines occidendi et in suis conviviis occisos edendi. Electi etiam fuerunt aliqui ex iis, qui christiani esse volebant; sed ex illis aliqui ad mores pristinos redierunt, alii perseverarunt in christiana religione ac moribus, quamvis et ipsi saepe aegrotabant, et filii eorum non pauci ex vita discedebant; sed in priores, qui ad vomitum redierant, mors saevissime grassata est tam in parentibus quam in filiis; quibus Dei judiciis commoti vitam corrigebant. Innumerabiles autem ex iis, qui aegrotabant, orationibus Patrum Societatis sanitatem recuperarunt.

664. Cum autem magnus numerus brasiliensium die quodam baptizaretur, sequenti nocte quidam eorum referebat extasim, in qua multa de beatorum gloria viderat, et referebat magno cum affectu quaedam christianae fidei consona. Quidam inter primarios residentium, nomine Zachoi, quem, propterea quod duas uxores haberet, ad baptismum nostri non admiserant, tandem magna cum siti ad baptismi aquam postulandam venit, ab impedimento, quo prius detinebatur, liber, et aliquot post dies, baptismo accepto, in gravissimam incidens aegritudinem, et instructus ac praeparatus ad mortem, sedens in sua rete (quae pro lectis est in Brasilia), a sorore vestimenta postulavit, dicens: nonne vides, soror, quam multi e coelo decantantes descendunt, ut me secum deportent? et, his dictis et manibus ad coelum elevatis, spiritum Domino reddidit. Hic christianorum amicus ante baptismum erat, et legem naturae prae caeteris observare cernebatur, et a carne humana abstinebat; con-

Digitized by Google

sanguinei etiam post eum ex melioribus ejus provinciae christianis esse censebantur. Alii etiam ex hac vita recesserunt eodem die, quo baptizati fuerant, cum fide ac dolore male anteactae vitae; et jam inolevit ut qui inter eos aegrotarent, Patres accerserent; et ad sepulturam etiam morientium iidem evocantur; habent etiam ecclesiam, ubi, qui christiane moriuntur, sepeliantur.

665. Cum quidam ex nostris cum quodam brasiliensi gentili, qui *Portagrandis* dicebatur, agerent, vitia ejus reprehendendo et mortem minando si non resipisceret, ille stolida quadam sui confidentia respondit se non esse moriturum, et ea quae ipsi dicebantur non credebat, quod, scilicet, terra esset et in terram rediturus, quodque ejus vita in manu Dei esset; et intra triduum miser terribili quadam morte extinctus est.

666. Filius cujusdam primatis, qui cum patre baptizatus fuerat, ad bellum egressus, unum ex hostibus excepit, quem uxoris consanguinei ab eo postularunt ut eum comederent; quod si non faceret, uxorem ei se subtracturos minabantur. Id ille timens, captum hominem eis reliquit. Reprehensus ob id a Patribus ad eosdem cognatos se contulit, et de manibus eorum captivum hominem eripuit, et Patribus nostris tradidit ut in aedificio Collegii serviret. Sed quia cadaver aliud eisdem cognatis dederat, prae confussione ac dolore in gravem morbum incidit, et confessionem postulans cum tanta contritione et poenitentia, ut stuperet qui eum audiebat ac Deum laudaret, ei significavit, quod patiebatur, ex justo Dei judicio ipsi accidisse, quoniam cadaver devorandum cognatis dedisset; et ita cum magna compunctione ut vere christianus ex hac vita ille decessit.

667. In provincia Pernambuci referebat idem Gubernator quod in multis leucis Brasilienses gentiles, nostrorum fama commoti, ad eos veniebant; et cum de eorum itineribus intelligebant, obviam illis cum rebus ad victum necessariis procedebant, et benedictionem postulabant; et in quodam pago vicino Pernambuco crucem ipsimet confecerunt et erexerunt, et apud illam nostros exspectabant, ut benedictionem ab eis acciperent, et fere centum homines catechumeni ibi sunt facti. Cum in pagum illum quidam deceptionum magister ingressus esset, cujus vanis ac superstitiosis verbis multum credere soliti erant, congregati sunt catechumeni et eum ex pago expulerunt, aliam se legem habere

Digitized by Google

dicentes, in qua viverent. Cum autem ille videret quantum fidei haberent nostris, dicebat se consanguineum eorum esse, qui vera quidem dicebant, sed se hoc plus illis habere quod, cum ex vita recessisset, denuo revixerat, sicut illi Patres resurrectionem praedicabant, et ideo sibi credendum esse affirmabat; et cum simplices homines hoc credidissent, suas etiam filias, quas ille petebat, ei non negabant. Paulo post aliqui ex nostris per pagum illum denuo cum transirent et haec esse mendacia et deceptiones ab eis didicissent, sic exarserunt indignatione catechumeni illi ut miserum ac superstitiosum deceptorem statim occiderent.

668. Cum in quibusdam locis tussis vehemens et universalis multos vexaret, ex qua etiam non pauci moriebantur, advenientibus eo nostris simul cum pueris in christiana doctrina institutis, statim is morbus cessavit, quod multum profecit ad errorem illum convincendum qui multos a nostris avertebat, quod mortem ad ipsos adducere timerent. Compluribus in locis variae cruces positae fuerunt, quas magna cum veneratione brasilienses adorant.

669. Per sententiam duo gentiles ad mortem damnati, curatum est ut ad Christi fidem adducerentur, et ita eadem hora, qua moriendum eis erat, baptizati fuerunt, et inter tormenta, usque ad mortem, semper nomen Jesu in ore habebant.

670. Idem Gubernator narrat quod cum nostri domum in oppido Portus Securi erigerent et tamen aquam ad bibendum bonam non haberent, placuit Deo ut eodem tempore pars quaedam montis vicini rueret, et in hiatu terrae fons limpidus et aquae frigidissimae prae caeteris ejus provinciae detectus est; et quia domus, quae erigebatur, B. Virgini dedicata erat, fons ipse B. Virginis vocatus est [1].

---

[1] De Brasiliae rebus, quas hic enarravit Polancus, vide Emmanuelis Nobrega, Leonardi Nuñez et Joannis Azpilcueta litteras toto hoc anno 1552 datas Pernambuci, in civitate Salvatoris et in Portu Sancti Vincentii, tum ad Ignatium, tum ad Simonem Rodericium, tum etiam ad socios Conimbricenses et Doctorem Martinum de Azpilcueta. Ex his litteris excerpta quaedam habes in opere jam saepius nominato *Diversi avisi particolari dall' Indie di Portogallo.*

Digitized by Google

DE INDIA ORIENTALI

AC PRIMO DE COLLEGIO GOAE

671. Cum Goae ageretur de multis ad varia praesidia atque arces lusitanorum mittendis, et P. Gaspar Franciscus, qui ex regno Ormuz anno proximo venerat, se ad profectionem in Japonem pararet, superveniens P. Franciscus Xavier sub finem anni praecedentis omnia immutavit; et ut non erat exspectatus ejus reditus, ita summa laetitia nostros omnes perfudit. Ex Cochino autem Goam navigavit, et postquam eo pervenit, tam multa ad Dei gloriam Goae facta sunt et Societatis bonum odorem, ut non facile ea explicari possint. Eam opinionem et nostri et externi de ejus sanctitate conceperant, ut nihil ab eo perfectum existimarent, quod non a divina providentia inspiratum esset. Ille autem, antequam Goa discederet, nostrorum missiones in varia loca constituit; P. Magistrum Melchiorem [1] Bazainum misit, ut ibi cum aliis fratribus nostro in Collegio resideret, inter quos erat Fulgentius Freire, qui, cum supremus judex esset arcis Dio, Bazaini admissus in Societatem fuerat; P. Franciscum Enriquez ad vicinos Bazaino christianos, in Insula Tana commorantes, destinavit; P. Gundisalvum [2] in regnum Ormuzii; P. Heredia Cochinum; P. Antonium Gomez in arcem Dio; in maritimam oram Comurini fratres Antonium Fernandez et Alexium Madeiram; Caulanum autem Rochum de Oliveira, qui annis superioribus Malacae fuerat, ut P. Nicolaum Lancillotum juvaret, et pueros legere, scribere et grammaticam doceret; Joannem etiam Lopez in civitatem Sancti Thomae in subsidium P. Cypriani [3] destinavit. In insulam autem Ormuz, post missum P. Gundisalvum, fratrem nostrum Alvarum Mendez, discipulum P. Gaspari, misit, virum insigni virtute praeditum; de quo ab his, qui viderant, relatum nostris est, quod quatuor aut quinque naves piratarum expeditissimae eum in exigua cymba eo trajicientem ex continenti Arabiae,

---

1 Melchiorem Nuñez.
2 Gundisalvum Rodriguez.
3 Alphonsi Cypriano.

Digitized by Google

ex oppido, scilicet, Maschatae, consecutae sunt, et cum sagittis frequentibus eum petiissent, qui flexis genibus Dominum orabat, sagittae retro redierunt, nec eum aut nautas arabes, qui eum deducebant, tetigerunt; et quamvis pro velocitate navigiorum cymbam illam consequi facile debuissent, prohibuit tamen Deus ne unquam consequi possent.

672. Dominicus Carvallus inter eos erat, quos in Japonem P. Franciscus destinaverat, sed in quadragesima ipsa in patriam coelestem, prout de ejus rara virtute sperare decebat, migravit. Paulus etiam de Valle, qui quatuor annos in maritima Comurini ora magnis laboribus vineam Domini coluerat, ad collegium coeleste migravit. Idem iter tenuit unus ex duobus japonensibus, qui in Portugalliam erat destinatus, nomine Matthaeus (quinque enim secum P. Franciscus adduxerat), qui nostros omnes studio orationis et humilitatis exemplo mirum in modum aedificabat. Quamdiu Goae versatus est P. Franciscus, ferventibus desideriis se nostri offerebant ad difficiles ac periculosas missiones Sinarum et Japonis, in quibus magna martyrii subeundi spes erat; omnibus autem suas institutiones cum magna spirituali prudentia sic dabat P. Franciscus, ut si nunquam in Indiam esset reversurus, eos etiam animando et gravibus ac suavissimis verbis adhortando.

673. Nec omittam quod loco lectionis, quae in refectorio fieri solet, voluit ut singuli cursum vitae suae praeteritae et vocationem (tacitis interim defectibus, in quibus peccatum esse poterat) explicaret, et ex omnibus ad spiritus fervorem et humilitatem ac spem in Domino constituendam excitabat, et singulis remedia, juxta suam experientiam in rebus spiritualibus, proponebat. Quos elegit sibi comites ad Sinarum et Japonis missionem, hi fuerunt P. Balthasar Gago et frater Alvarus Ferreira, qui linguam japonensem discere coeperat, et cum P. Balthasare Sinensem ut addiscerent injunxit; quemdam etiam juvenem natione Sinam, qui jam fere octo annos in Goënsi Collegio fuerat, et grammaticam latinam didicerat, et in virtute ac spiritu profecerat, secum assumpsit, qui statim in vernacula lingua Sinarum christianam doctrinam docere poterat. Tulit idem Pater Franciscus secum pulcherrima ornamenta sacerdotalia ex oloserico et filo aureo, pulchras etiam imagines et demum quaecumque P. Gaspar ex Ormutii regno ad missionem Japonensem

Digitized by Google

paraverat, et Malacam usque Petrum de Alcaceba et Duartem de Sylva, quos in Japonem inde mitteret, cum duobus japonensibus ex his, quos in Indiam secum adduxerat. Et cum jam tempus profectionis accederet, quasdam ad fratres nostros Goënses conciones noctu habebat, quibus eos mirum in modum consolatus est, et in rebus spiritualibus instruxit; verba enim, quae ex ejus ore egrediebantur, quasi ignita, corda audientium inflammabant; ultima autem verba exhortatoria, quae inter amplexus fratrum multis cum lacrymis dixit, de constantia in vocatione, de humilitate valde profunda, quae ex sui cognitione nasceretur, et super omnia de promptitudine obedientiae fuerunt, quam multis verbis commendavit, ut virtutem tam amabilem Deo et quam ipse tanti facit et quae hominibus Societatis tam esset necessaria.

674. Profectus est autem Goa die Jovis Sancti, postquam Sanctissimum Sacramentum fuerat inclusum; tempus enim navigationis moram majorem non ferebat. Non secum duxit Patrem Gasparem, prout ante constituerat, sed, quod ille tantopere expetebat, abnegare debuit, et Provincialem Praepositum totius Indiae usque ad Maluchas, Sinas et Japonem et reliqua omnia praesidia Lusitanorum, constituit, et ut Collegio Goënsi praeesset tanquam Rector, ut ex eo tanquam seminario operarios in vastissimam illam Domini vineam mitteret; et suam omnem facultatem plenissime ei contulit, ut perinde ac si ipsemet Pater Franciscus adesset, omnia libere constitueret. Et ut doceret exemplo, quod verbo de obedientia et humilitate docuerat, praecipue in ultima concione, ipsemet P. Franciscus, genibus flexis, omnium primus ejus obedientiae se subjecit suo et omnium absentium nomine; quae omnia magna nostrorum omnium aedificatione et consolatione peracta fuerunt. Sic igitur P. Gaspar, qui solus acerbissime sensit hoc onus sibi imponi, quo omnino se indignissimum sentiebat, omnibus nostris, qui in India Orientali et tota Asia versabantur, praefectus fuit; cujus gesta, tam quae ut operarius strenuus, quam quae ut praepositus et curam aliorum habens gessit, et in regno Ormuzii, et in India, ut de Sanctis dicitur, admiranda potius quam imitanda videntur, nisi quis eum spiritum a Domino acciperet, quem credendum est illum accepisse. Nam in ipsa insula Ormuzia, in monasterio cujusdam Jogis, ut diximus, quem Deus per

Digitized by Google

eum ad fidem convertit, et Paulus Sanctae Fidei vocatus et in Portugalliam missus est, Collegium instituit aliquorum, quos in Societatem admiserat, quos ipsemet sic in rebus spiritualibus instituit ut vitam et exercitia sanctorum patrum, qui in eremo fuerunt, imitari viderentur. Quinque ex eis mortui fuerunt, antequam ipse ex illo regno recederet, et demum tres tantum ex illis in Indiam adduxit; forte enim regio illa labores spirituales propter nimium aestum non ferebat; et tamen, qui obierunt, eximia talenta accepisse plurimi eorum dicebantur ad Societatis auxilium.

675. Ipse etiam non solum sibi non parcebat in laboribus ad proximorum auxilium susceptis, crebro admodum concionando, et christianam doctrinam docendo, et confessiones audiendo, sed accidebat ut aliquando duo integri dies sine ullo cibo ei transigerentur, ne tempus aliquod a confessionibus subtraheret, et tres tantum horas somno relinquebat. Spiritus autem Domini et illum vegetum reddebat et ad labores infatigabilem, et admiranda in animarum conversione per eum efficiebat, et miraculis non exiguis digitus Domini in eo cernebatur; unde ejus bonus odor per Arabiam, Babilonem, Persidem, Alexandriam et usque ad Constantinopolim, cum magna admiratione eorum, quae Deus per eum operabatur, pervagata erat, adeo ut quidam christianus ex his, qui Constantinopoli capti tenebantur, cum multis aliis, qui christiani olim fuerant, cum omnium litteris ad P. Gasparem missus, fugam arripuit, et in arce Bazora, quae saracenorum est, captus, et propter hanc ejus devotionem erga P. Gasparem, ad quem scripserat de suo adventu et responsum acceperat, capite mulctatus est; quod dux illius arcis hastae infixum ad P. Gasparem misit, ut eum videret, a quo ut videri posset, tam extremos ille labores et pericula subierat; qui tamen genere quodam martyrii vitam hanc cum meliore commutasse credendum est.

676. Erat etiam tam efficax in disputando, ut praeter saracenos et judaeos, de quibus annis superioribus egimus, septem vel octo lutheranos in suo illo collegio inclusos de suis erroribus convicerit et ab erroribus liberaverit. Paupertatis amator insignem in modum fuit et in corpus suum valde severus. Sed eminebat in eo fides quaedam viva et efficax ut nihil arduum vel impossibile videretur. Referebat ipse quod cum invocatione

Digitized by Google

nominis Dei nihil aggrediebatur tam difficile, quod non ad finem perduceret illa fide quam Dominus ei indiderat. Quae in itinere, dum in Indiam rediret, ei acciderunt, ex parte anno superiori dicta sunt; sed illud de oppido Ciaul [1] tantum addam, quod cum ibi arundinum ludus equestris et agitatio taurorum eadem die exspectaretur, ab omnibus his lusitani destiterunt et eorum loco suggestum illi in campo constituerunt, ubi cum maxima populi commotione et fletibus concionatus est, qui post concionem urgebant vehementer ut ibi collegium Societatis institui vellet, et Vicarius Episcopi, ad ejus pedes se projiciens, postulavit ab eo ut domum D. Sebastiano sacram admitteret; populus autem pecuniam dabat ad domum erigendam nostris et necessaria quibusdam alendis, donec Collegium suis expensis erigerent. Ille cum magna humilitate se excusavit, se servum esse Societatis dicens, et qui nihil ea in parte praestare posset. Senex quidam sacerdos, cum secundam ejusdem Patris praedicationem audisset, ad ejus se pedes abjiciens, tam uberes ex commotione animi lacrymas fundebat, ut nunquam quid vellet explicare potuerit. Cum uno tantum die Ciauli fuerit, et sacrum celebraverit, et duas jam dictas conciones habuerit, custodiam etiam publicam invisit vocatus, et etiam hospitale et alios aegrotantes per urbem, et inter aliquos discordes etiam amicitiam composuit, et ut multa peccata evitarentur cum Dei gratia auctor fuit; et inde Goam, ut diximus, venit.

677. Postquam administrationem ejus Collegii coepit exercere, decrevit imprimis spirituali nostrorum profectui dare operam, et maximam fratrum partem ad spiritualia exercitia et generales confessiones denuo faciendas adduxit, et in ipso die Ascensionis Domini, cum tertia post mediam noctem hora omnes surrexissent et in sacellum convenissent, de votorum oblatione duas horas cum ipsorum summa consolatione disseruit; et ita omnes vel renovarunt sua vota, vel qui ad id parati erant, emiserunt. Demum per sex vel septem menses, ex quo gubernationem Collegii suscepit, non aliud studium collegialibus permisit quam cognitionis sui et mortificationis propriae voluntatis, ad quod ipse crebris eos exhortationibus animabat et instruebat; et duas meditationes quotidie de mysteriis vitae

[1] Alias ipse Polancus *Chiaul* et etiam *Caul;* recentiores *Chiaw,* aut etiam *Chaul.*

Digitized by Google

Christi eis proponebat ac declarabat, et omnes ad paupertatis et obedientiae perfectionem satis effecit propensos. Ad majorem autem fratrum devotionem curavit idem P. Gaspar, post recessum P. Francisci, ut statim sanctissimum Sacramentum in nostro sacello reponeretur, et sacrarium et reliqua, quae ad cultum ejusdem sanctissimi Sacramenti pertinent, diligenter et liberaliter curavit.

678. Mense Septembri absoluto, tandem studia litterarum in Collegium induxit, cum in exercitationibus obedientiae, humilitatis, ac orationis bonum doctrinae fundamentum jactum esse putavit. Coepit autem ipso die Sti. Hieronymi hoc litterarum studium a viginti duobus fratribus tractari, qui, cum admissi essent in India et parum in litteris essent instructi, litteris humanioribus egebant. Ex orphanis autem pueris, qui in alia parte Collegii seorsum tenebantur, fere quadraginta ad eadem grammaticae studia sunt admissi et externum quemdam praeceptorem, in docendi munere versatum, et in latinis, graecis, et philosophicis litteris instructum, scholae praefecit; accedebant et externi scholastici fere triginta, procerum ejus urbis filii.

679. Hunc autem modum atque ordinem P. Gaspar teneri voluit ut, quarta hora post mediam noctem surgentes, nostri integram horam meditarentur usque ad quintam; sequebatur sacrum, cui omnes scholastici intererant; septima hora in scholam se conferentes, tres in ea horas expendebant; sequebatur examen ante prandium et, illo absoluto, media hora de rebus divinis recreationis loco loquebantur; prima hora post meridiem tres horas denuo studiis tribuebant; aliam deinde horam integram, ab octava usque ad nonam, mentali orationi dabant, postquam aliam horam repetitionibus lectionum tribuissent; a nona autem per mediam horam de meditationibus vitae Christi P. Gaspar coram omnibus agebat, et ter in hebdomada nocte fusius, scilicet, per unam aut duas horas de rebus spiritualibus domesticas conciones habebat; postea litaniae sequebantur pro India et pro aliis communibus necessitatibus; et, antequam cubitum irent, mediam horam singuli meditationi beneficiorum Dei tribuebant; et sic demum quieti se dabant. Praeter tempora jam dicta orationis, interdiu media hora meditationi danda erat, quam applicari voluit in auxilium classis, quae eo tempore con-

Digitized by Google

tra turcas Goa discedebat. Itaque, cum in studiis tam multas horas consumerent, super tres horas orationi mentali singuli tribuebant, praeter sacrum et exhortationes ac colloquia spiritualia; et credendum est quod vir spiritualis P. Gaspar sic expedire eo tempore et eis collegialibus judicaret; cum tamen qui aërem illum Indiae perspectum experientia habebant, inter quos ipse P. Franciscus Xavier fuit, affirmarent studiorum ac spiritualium exercitationum labores in India tolerari difficile posse, et ideo ex Europa viros doctos et in virtutibus exercitatos mitti peterent, quod in India tales fieri non possent propter debilitatem ciborum et aëris intemperiem.

680. Hos tam assiduos labores, quos P. Gaspar suis injungebat, injungendos non esse in universum constat, cum ipsae constitutiones nostrae, quae tunc promulgatae non erant, magis limitatum hoc tempus et ad moderationem majorem reductum praescribant; et ideo sancti hujus viri gesta miranda potius quam imitanda diximus, non solum quae in gubernatione aliorum sed quae in seipso ut strenuus operarius et magna charitate fervens praestitit; nam et ipse, ut res ipsa docuit, brevissimo tempore viribus exhaustis et labore consumptis, ex hac vita migravit, magno quidem suo bono, ut credendum est, peregrinationem hujus vitae absolvens, sed Societatem, immo et Indiam, perutili opera sua et valde necessaria privans.

681. Sed ad ea redeundo, quae Goae gesta sunt, sex vel septem tyrones Christi in Societatem his diebus P. Gaspar admisit, inter quos is etiam Fulgentius Freire, qui arcis ac praesidii Diensis supremus judex fuerat; aliqui inter hos nobiles fuerunt; et ex orphanis quidam, qui ex Portugallia venerant, qui inter alios velut exemplar virtutis habebatur.

682. Ad proximi aedificationem excitandam tota hyeme quatuor supplicationes vel processiones singulis hebdomadis P. Gaspar fieri curabat, et unus ex pueris orphanis ad gradus ecclesiae, ad quam se conferebant, de Passione Domini in modum concionis aliqua proponebat. Sequebatur has supplicationes innumerabilis hominum multitudo, et egredi a Collegio solebant octoginta vel nonaginta poenitentes, qui se flagellis caedebant; occurrebant autem ex ecclesiis cum facibus accensis. Hi pueri orphani instructi erant ad juramenta reprehendenda, quorum abusus in ea civitate nimius erat; et tam acriter id

Digitized by Google

praestabant, ut nobilis quidam, qui ludebat, bonum numerum aureorum cuidam ex his pueris daret, ut se relinqueret; cui respondit puer quod nec aurum nec argentum ullum ipsum impedire poterat ut a reprehendendis Dei offensis, quas videbat, abstineret. Solebant iidem pueri funera fidelium comitari et eos, qui capitali supplicio afficiendi erant; invisebant etiam simul cum Patribus nostris aegrotantes, et magno in pretio a populo habebantur. Ad nonaginta erant, computatis lusitanis et aliis, qui ex patre lusitano et matre indica, atque aliis, qui utrumque parentem indum habebant. Hi autem separatam habitationem a nostris fratribus habebant, et his praefectus fuit P. Paulus, italus, qui ut columna, quamdiu vixit, illius Collegii Goënsis, immo et civitatis[1] in India fuit. Ex quo P. Franciscum in Indiam comitatus est, semper quidem Goae versatus fuit, quamvis ejus virtutis odor et laborum fructus latissime patuit. Vix credi potuisset ab eo, qui oculis non vidisset, laborum ejus magnitudo, assiduitas et constantia; et cum inter homines tam crebro occupatus esset, ejus omnino conversatio in coelis erat. Illi ergo puerorum hujusmodi Collegium fuit commendatum.

683. Praeerat etiam hospitali, quod nostri, ad aegrotantes, praesertim indos, curandos, Collegio conjunctum habebant, et tamen in confessionibus audiendis in ecclesia admodum assiduus erat. In Collegio autem sublevabatur opera Alberti de Arauso, qui pueris sub P. Paulo praeerat. Petrus de Almeida cantum illos docebat; et ita cum aedificatione populi et devotione, in sacris et officiis divinis, suis cantibus cultum Dei augebant. Eorum habitus vestis alba erat cum crucibus rubeis in pectore et in galero etiam albo; et hoc intelligo, cum in supplicationibus procedebant; nam domi nigris togis utebantur. Erant autem multi inter hos pueros valde boni, et crebro ad confessionem et communionem accedebant. Cogitabat autem P. Gaspar de separato Collegio his orphanis instituendis, ubi septuaginta duo, juxta numerum discipulorum Domini, instituerentur, qui omnes essent utroque parente destituti, et in omnibus disciplinis instituerentur; ex quibus aliqui idonei ad Societatem nostram admitti possent. De Collegio autem puerorum, quod ibi tunc erat, meditabatur ut in eo tantum indorum pueri admit-

[1] Sic; opinamur tamen scribendum esse *Societatis*.

Digitized by Google

terentur, ut, postquam ibi essent in moribus et doctrina instituti, ad alia reipublicae munia idonei redderentur. Tam multi autem ex ea civitate pueri se his adjungere cupiebant, ut nullus fere reliquus fuisset, primariis etiam ex civibus, qui paratus non esset, immo qui non cuperet, relictis domesticis deliciis, ad Collegium hoc se conferre; et aliqui, genibus flexis, a P. Gaspare id petebant, dicentes se non recessuros ex Collegio, etc. Plurimi etiam in domibus paternis albas hujusmodi vestes paratas habebant, et se nostri Collegii pueris in supplicationibus adjungebant. Quidam etiam vir senex ac pius, concionibus P. Gasparis commotus, ac sui abnegandi cupidus, se ad Dei obsequium obtulit, ut hos pueros, simili habitu albo indutus, regeret et comitaretur.

684. Constituerat ante recessum P. Franciscus Xavier ut in quibusdam aulis, quae egressum ad publicam viam habere poterant, et interius Collegio conjungebantur, quidam ex nostris fratribus christianam doctrinam, legere ac scribere pueros domesticos doceret, qui ea non didicerant, et ut omnes pauperum filios ad eamdem scholam admitterent; et fere trecenti externi pueri eo, relictis aliis scholis, se conferebant, ut cum aliis domesticis pueris discerent, et eosdem, ut dictum est, in supplicationibus comitarentur.

685. Instituit autem eorum praeceptor, qui Amator Correa dicebatur, ut doctrinam christianam cantantes domum suam redirent, et si aliquos jurare vidissent, ut eos monerent; et hi pueri satis quiete et modeste sic procedebant, ut merito aedificationem videntibus praestarent. Vocabat quidam frater, qui in ecclesia inserviebat in his, quae ad cultum pertinebant, pulsans tintinnabulum, pueros ad christianam doctrinam, et quidem quotidie una hora post meridiem; ad quem ingens puerorum fiebat concursus. Eos autem non solum doctrinam christianam docebat, sed exhortationem etiam ad bonos mores adhibebat, et eos in ecclesia nostra usque ad quartam horam post meridiem detinebat. Recedebant autem et hi, sicut et alii scholastici, ad domos suas christianam doctrinam decantantes, et quidem seorsum pueri ac puellae; quae res non solum ipsis perutilis est, sed in magnam etiam admirationem goënses suspendit, cum videant tantam sollicitudinem a Societate adhiberi ut ipsorum liberi bene instituantur.

Digitized by Google

686. Sed et janitor, qui sub hora prandii et coenae eleemosynas pauperibus distribuit, unum ex pauperibus institutum habet, qui dum ipse eleemosynam illis parat, omnes alios christianam doctrinam docet; ipse postea egrediens, eamdem simul cum ipsis denuo repetit; et ita magna pars diei ac noctis in hujusmodi doctrina et orationibus ac laudibus Dei expendebatur.

687. Hoc anno, ut tam domestici quam externi magno cum sensu fatebantur, res Societatis non solum Goae sed tota in India magis florere quam unquam antea coeperunt, nec ejus tantum late patuit bonus odor aut fructus ante id tempus unquam in illis regionibus. Crescebat eodem modo et existimatio et amor hominum erga illam, ad quod magnopere contulit adventus P. Gasparis, qui statim post adventum suum cum tintinnabulo pueros convocare ipse coepit et alia hujusmodi ad civitatem excitandam, quae, ut Ninive, quadam excitatione ferventi indigebat. Cum autem ex fama illi populo notus esset P. Gaspar, coeperunt ad eum audiendum confluere; ille vero duas et tres conciones aliquando eodem die habendo, ad jubilaeum, a P. Ignatio impetratum, obtinendum homines hortabatur. Addebat et supplicationes et poenitentium vel flagellis se caedentium usum, ut diximus; diebus autem veneris de Passione Domini praedicabat tribus et quatuor hominum millibus praesentibus, et sic animi accendi et commoveri vehementer coeperunt, et magnus ardor ad poenitentiam et affectus erga Collegium crevit, usque adeo ut ex Bazain, Caul, et Chananor *(sic)*, Caulan, et Dio et aliis locis ad jubilaeum Goae obtinendum, et P. Gasparem audiendum, et de peccatis confitendum confluerent.

688. Tanta confluebat auditorum multitudo ut, cum templum nostrum illam non caperet, suggestum in area quadam intra claustra Collegii educere oporteret, ne in ecclesia suffocarentur. Cum quadam nocte uni ex pueris orphanis injunxisset ut de Passione Domini aliqua auditoribus diceret, qui ad tria millia ascendere videbantur, puer, de quodam mysterio Passionis agens, coepit seipsum alapis percutere; id autem tantopere utriusque sexus homines commovit et ad planctum tam acerbum excitavit, ut res magna prorsus admiratione digna fuerit.

Digitized by Google

689. Pervaserat urbem illam quam latissime libidinis vitium, et mulieres lusitanae, publice et occulte huic peccato indulgentes, gravissimorum incommodorum viris causa fuerunt; nam, praeter Dei offensas, in odia, inimicitias et homicidia multa res erumpebat; et quamvis hujusmodi mulieres ob diuturnam libertatem et daemonis deceptionem satis essent durae et obstinatae, conciones tamen P. Gasparis, de Passione praesertim Domini, omnem earum duritiam et obstinationem in lacrymas et contritionem convertit. Cum magna enim interiori cognitione sua magnisque compunctionibus cordis, et poenitentiae, et orationi, et frequentiae confessionis se dedere coeperunt, et quod ab eis nemo exspectasset, non sibi sed Christo vivere videbantur; pompas vestium et ornamenta pretiosa ex auro et gemmis relinquere coeperunt. Et ut de una insigniori aliquid sigillatim dicatur, cum in quadam concione illud Isaiae P. Gaspar enarraret *elevatae sunt filiae Sion et ambulaverunt extento collo,* etc., discurrendo per mundum illum muliebrem, de quo hic fit mentio, matrona quaedam primaria, quam terror Domini concusserat prae caeteris, absoluta concione, coepit monilia sua, destrariola, et pendentes ex auribus gemmas atque annulos comminuere, et, pretiosas exuens vestes, ad arcam, ubi suum ornatum custodiebat, se contulit, et omnia dissipavit et a se projecit, coepitque statim, quoad ejus fieri potuit, paupertatem Christi et Beatissimae Matris Ejus in cultu honestatem gestare. Alia etiam vidua ditissima dixit P. Gaspari omnia sua bona ad monasterium Goae conficiendum velle donare, in quod etiam ipsa se posset recipere. Alia usque admodum in poenitentia excessit, ut prope ad mortem accesserit. Aliae cum vellent mundo crucifixae videri, velut opprobrium hominum et plebis abjectionem seipsas fecerunt. Multae, tam conjugatae quam viduae ac liberae, octavo quoque die confiteri et communicare coeperunt, et in vitae austeritate religiosarum foeminarum, quae in monasteriis severe vivunt, vitam imitabantur; et, nisi nostri confessarii impediissent, modum in poenitentia valde excessissent. Fuit inter eas quae continentiae votum emitteret. Et in ecclesiis, praesertim in nostra, ad verbum divinum audiendum et ad orandum et sacra audienda vacabant.

690. Erant Goae complures, qui cum uxores haberent in Portugallia, concubinas diu domi tenuerant; quod et aliis non

Digitized by Google

conjugatis frequens erat; contractus illiciti passim cum infidelibus fiebant; alearum ludus, juramenta, blasphemiae, detractiones famam aliorum valde laedentes latissime patebant, et demum homines in umbra mortis aeternae incedere et rationis lumen vitiis ac peccatis valde obscuratum habere videbantur; sed haec omnia mala, Deo propitio, reformari coeperunt. Magnam quidem contradictionem P. Gaspar initio, cum ad hujusmodi vitia gladium Dei converteret, pati coeperat; sed, qui indomiti videbantur, jugum tandem Domini, eo juvante, subierunt, et horum multi ad sacramenta confessionis et communionis octavo quoque die suscipienda et alia pietatis opera sunt adducti.

691. Quidam saracenus, Legatus Regis Idalchanis, vir praepotens, et qui idioma lusitanum ex parte intelligebat, facultatem a Pro-rege ad concionem P. Gaspari audiendam postulavit; quam cum concessisset, ingressus ecclesiam saracenus, ubi concionator, tunc forte illud explicabat Exodi: *solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est,* coepit saracenus suspenso esse animo num deberet egredi ex ecclesia ad calceos detrahendos, et demum confusus et admirans sapientiam et virtutem concionatoris, non tamen ad religionem conversus, recessit.

692. Non delectabatur P. Gaspar convictu et colloquiis Gubernatoris et aliorum procerum, nec eos adire, nisi ad pauperum aut communis boni negotia necessitas eum urgeret; et ad spiritualem eorumdem profectum quadam cum ipsis severitate utens, ab eis amari ac timeri cernebatur. Ipse quidem Pro-rex valde Societatem diligebat, et quodcumque nostri ad augmentum religionis ab eo postularent, perlibenter concedebat. Cum afflictis et aegrotantibus idem P. Gaspar perlibenter versabatur, et eorum consolationi et auxilio suam operam impendebat, nec die nec noctu cuiquam eam petenti denegabat, nec se excusabat. Studium ejus ad conciones erat in libro vitae; si ad unam concionem praemeditandam mediam horam studii praemitteret, tempus nimium ei videbatur; et tamen concionandi exercitatio tam crebra illi fuit, ut una in hebdomada quatuordecim et quindecim conciones interdum haberet. Nihil autem faciebat vel constituebat nisi praemissa oratione.

693. Hoc anno super centum peccatrices mulieres ejus opera

Digitized by Google

ad vitae honestatem redierunt; quae parentibus erant destitutae, omnes matrimonio collocandas curavit; concubinas vel in matrimonio alicui viro conjungebat, vel in domibus honestorum hominum conjugatorum collocabat, et ibidem necessaria illis subministrari curabat; alias crebro ad conciones accedere jubebat, et ad alias pauperes et aegrotantes invisendas incitabat. Tam erat diligens et efficax in hominibus a peccati statu educendis, ut acciderit aliquando, cum non posset quemdam plebejum hominem adducere ut a peccato quodam publico abstineret, pretio cum eo convenerit et viginti aureos ei dederit, quibus acceptis, peccata reliquit; hos autem ex eleemosynis quaesivit. Erat et quidam, qui viginti annos a confessione abstinuerat, et confiteri P. Gasparo timebat, quod librum magicarum superstitionum haberet, per quem cum daemone loqui latine, graece et lusitanice solebat; sed voluit Deus ut tandem in manus ipsius P. Gaspari inciderit; et, eidem confitendo, librum comburendum tradidit, monstris depictis plenum. Alius etiam, qui cum octoginta annos excederet, nunquam confessus erat, eidem est confessus. Sed illud notandum fuit quod, cum quidam nobilis eidem ut confiteretur non adduci posset, essetque in lecto vigilans, sensit quemdam manus in ejus guttur injicere tam vehementer ut ipsum suffocare velle videretur; ille autem invocato nomine B. Virginis liberatus putabat hoc sibi pro punitione accidisse, quod P. Gasparo confiteri recusasset; et cum obdormisset, visus est sibi videre P. Gasparem, qui percontabatur quaenam esset afflictionis ejus causa, et ita cum magna lacrymarum copia surgens e lectulo, ad Patrem quaerendum, ut ei confiteretur, se contulit.

694. Antequam in regnum Ormuzii P. Gaspar recederet, cum per caput unius ex undecim millibus virginibus multa miracula fieri videret, ornare illud cupiebat; sed quod exclusus angustiis temporis tunc non potuit, id hoc anno plenius est exsequutus, et confraternitatem quamdam sub nomine undecim millium virginum constitui curavit, quae ad animarum etiam auxilium aliquid conferret; et unum ex duobus altaribus ecclesiae nostrae Goënsis huic confraternitati assignatum fuit, et altare pretiosum confectum. Cum autem in concione, quod constituisset, populo declararet, et caput sanctae virginis et martyris ei ostendisset, per duos dies frequentissimus homi-

Digitized by Google

num concursus, qui super duodecim millia animarum fuisse putabatur, ad sanctas illas reliquias videndas accessisse creditum est.

695. Huic confraternitati Pro-rex nomen suum dedit et tantum argenti ut eo circumdari et includi caput illud posset; et uno die fere quingenti nomina sua etiam dederunt, et alii deinde, qui omnes usque ad duo millia confratrum accesserunt. Eorum unus statim triginta aureos ad ceram, quam in cultum sanctae virginis expenderent, dedit, et a P. Gaspare impetravit ut ad has expensas necessaria tribuere sibi perpetuo liceret; alii alia ad cultum virginis et martyris offerebant. Sed et matrona quaedam dives eidem obtulit se totum suum patrimonium libenter daturam, ut alia confraternitas foeminarum in honorem earumdem undecim millium virginum conficeretur. Hac tamen confraternitate hominum magnopere augescente, quia timuerunt confratres Misericordiae ne confraternitas ipsorum detrimentum pateretur, curavit P. Gaspar ut restitutiones et alia, quae applicari solebant operi Misericordiae, non possent novae confraternitati applicari, et ut illa augeretur antiquior diligenter curavit.

696. Voluerat autem in hac nova confraternitate Virginum septuaginta duos homines inter caeteros confratres deligi, qui populares inviserent, et necessitatibus hominum providerent, et a peccatis avocare studerent; sed quia praedicti confratres Misericordiae hoc interpretabantur in suum cedere praejudicium, constituit P. Gaspar ne hi septuaginta duo designarentur; quorum tamen loco duo millia confratrum eisdem pietatis operibus vacarunt. Tam diligentes erant hi confratres illis initiis, et tanto cum fervore concubinarios, et eos, qui mutuis se odiis prosequebantur vel injuriis affecti erant, aut qui male vivebant, revocare ad statum salutis nitebantur, ut nihil in India simile unquam visum fuisset; catalogos etiam adferebant ad P. Gasparem hominum, qui inimicitias exercebant, et qui viginti ac triginta annos a sacramentis abstinuerant; et demum fundamenta terrae, id est, terrenis affectibus indulgentium detecta fuerunt. Itaque a mane usque ad noctem Patres Gaspar et Morales cum P. Paulo ac P. Antonio Vaz et aliis quibusdam fratribus cum suis catalogis divisi per publicas vias incedebant, ut in diversis domibus viros et mulieres ab odiis et pec-

Digitized by Google

catis retraherent; et sex mensium spatio super mille et quingentae paces factae sunt. Tam crebrum erat in ecclesia veniam a se invicem petere, tam frequentes confessiones, restitutiones et vitae mutationes, ut nihil aliud quodammodo cerneretur; et quaedam tam difficilia ab his Patribus conficiebantur, ut vix credi potuisset ea fieri posse, nisi oculis eadem spectari licuisset. In institutione hujus confraternitatis quatuor aut quinque miracula evidentia a Deo facta fuisse scribunt.

697. Cum P. Gaspar ad Auditorem Generalem Goae venisset, agebat ille gratias Deo quod, cum prius tam multae fuissent lites in ea urbe coram ipso, ut quatuor notarii eis accipiendis non sufficerent, tunc duas dumtaxat notarii haberent, qui officia vendere volebant, quia ex illis sustentari jam non poterant; et alter eorum, qui praesens erat, id fatebatur, qui se statim venditurum officium dixit, quandoquidem tanta pax erat in ea civitate. Die martis Missam sacerdos unus ex nostris cum orphanis apposite cantantibus dicebat, et P. Gaspar concionabatur ad altare virginis martyris.

698. Cum propter pluvias ac tempestates, quae hiberno tempore Goae accidunt, dixisset pro concione P. Gaspar se compati venientibus ad nostrum Collegium utriusque sexus hominibus, quia remotum erat a frequentia urbis, et se cessaturum aliquandiu a concionibus vel rarius concionaturum, si ipsis videretur, surrexit vir quidam gravis et senex, et aperto capite petens ne ullam haberet rationem incommodi aut laboris auditorum; nullas enim vel pluvias vel aestus tantum ipsorum bonum et consolationem spiritualem esse impedituras; et tantumdem multi, qui cum eo surrexerunt, sentiebant; et prorsus quo pluviarum molestior erat frequentia, ferventius homines ad ecclesiam confluebant. Aliqui a daemoniis obsessi Goae inveniebantur, ad quos statim nostri cum evocarentur, per Dei virtutem ac fidei gratiam, expulsis daemoniis, homines liberarunt.

699. Novum erat Goae et inusitatum ut honoratae matronae ad ecclesias concionum gratia venirent; et cum diebus festis, eo quod tenerentur praecepto Ecclesiae, ad Sacrum tanta cum pompa et ornatu veniebant, ut spectantibus offendiculi causa non exigui essent; sed, post conciones P. Gasparis aliquandiu auditas, prorsus contrario modo res haec habebat; nam mira cum honestate ac modestia ad templum etiam fre-

Digitized by Google

quenter veniebant, immo aliquae ad corporis castigationem, nudis pedibus, suis palliis obtectae, sub quibus in quo sederent ferebant, et pro comitatu Deum solum habentes, accedebant. Quotidie autem aliqui utriusque sexus in ecclesia Collegii communicabant; et cum ad Episcopum Goënsem jubilaeum alterum Roma missum esset, tam crebrae fuerunt confessiones, ut perdifficile eis fuerit satisfacere.

700. Tam multi homines diebus veneris flagellis se caedebant, ut nihil majorem aedificationem vel admirationem excitare posset. Praecedebat quarta hora post meridiem concio P. Gasparis, qui pro themate illud psalmi acceperat: *multa flagella peccatoris;* et postquam horam integram aliis de rebus concionatus esset, mediam horam declarationi Passionis tribuebat. Erat autem in summo altari imago Crucifixi velo operta et, cum jam sol ad occasum vergeret, simul atque de crucifixi Domini Passione loqui incipiebat, omnes, genibus flexis et pectora percutiendo, cum suspiriis et lacrymis compati Christo passo magno cum fervore pergebant; et cum jam ad finem vergere P. Gaspar videbatur, qui flagellis se volebant caedere, veniebant ex interiori quodam loco in ecclesiam, et, ad capellam altaris summi congregati, eam replebant, et aliqui etiam extra corpus ejus, quod tam multos capella non caperet, prope illam genua flectebant: tunc, duobus cereis accensis, sacrista imaginem Crucifixi remoto velo detegebat, et summis cum planctibus, qui vix explicari possent, dum illud cantabatur: *mortem autem crucis*, etc., misericordiam Domini clamoribus implorabant, populo eosdem poenitentes multis lacrymis comitante; et, quamvis signum daret P. Gaspar ut cessarent a flagellis, vix tandem cessabant. In dies autem numerus hujusmodi poenitentium augebatur, qui, postquam flagellatio soluta erat, se in locum quemdam intra Collegium recipiebant, ubi quinque aut sex ex fratribus plagas, quas sibi intulerant, curabant, et eos, qui deficiebant, cibo refocillabant, et omnes consolabantur. Quidam autem ex fratribus brevem exhortationem ad eos animandos et ad perseverantiam excitandos habebat, et multum eos in Domino reficiebat. In domibus etiam privatis viri et mulieres plurimae ter et quater in hebdomada hujusmodi poenitentiis utebantur, et eo res rediit ut ipsae matres flagella conficerent filiis et ceruleas vestes, cujusmodi erant illae, quibus

Digitized by Google

in confraternitate Misericordiae poenitentes utebantur; pueri etiam, vix novem annos nati, aliquando templum ingrediebantur sanguinem ex flagellis spargentes, quod ad confusionem peccatorum et compunctionem non parum valebat.

701. Missus est in insulam Ceilani P. Emmanuel de Morales, qui, quamdiu Goae fuerat, suo labore tum in concionando, tum in audiendis confessionibus magnopere P. Gasparum sublevabat, cui Antonius Diaz, unus ex fratribus, adjunctus est, et antequam recederent collegiales goënses, spirituali quadam concione apud eos habita, vitae activae et contemplativae conjunctionem explicans, mirum in modum eos est consolatus.

702. Cum etiam turcae, quos *rumes* illi vocant, civitatem et arcem Ormutii oppugnaturi dicerentur, Pro-rex, cum magna classe eo profectus, aliquos ex collegialibus Goae sibi adjungi postulavit; et quamvis aliis ducibus idem petentibus satisfieri non potuerit, ipsi tamen Pro-regi ac filio ejus, Domino Ferdinando, negari non potuerunt. Misit ergo P. Gaspar P. Antonium Vaz cum collegiali Francisco Duran ac duobus ex pueris orphanis, qui etiam expetebantur; et ii dati sunt Pro-regi; Domino autem Ferdinando P. Franciscus Lopez cum tribus ex pueris orphanis, qui 7.ª Novembris Goa profecti, sub finem mensis adhuc in civitate Caul versabantur, cum relatum esset jam turcas ab Ormuzio discessisse, de quibus paulo inferius. Non tamen vel in navibus vel in jam dicta civitate Caul otiosi fuerunt; nam praeterquam quod privatis colloquiis et litanias dicendo (quas pueri orphani quotidie cantabant) et curam aegrotantium gerendo, de multis bene merebantur, christianam doctrinam quotidie tam servos quam liberos docebant, et aliquando concionabantur. Multorum etiam confessiones audiebant; pueri etiam pro suo more juramenta reprehendebant, et piis exhortationibus etiam optimates ad rerum hujus mundi contemptum exhortabantur. Erat autem pergratum dominis, cum eorum servi et famuli, a vitiis consuetis abstinentes, suum officium, ut par erat, faciebant; ipsi et domini, ludis relictis, ad verba Dei audienda se conferebant, et ratio doctrinae christianae ab audientibus exigebatur; unus etiam ex illis pueris, de Passione Domini praedicando, magnopere audientes et usque ad fletus commovebat.

703. Sed, Goam redeundo, sociis destitutus P. Gaspar, eo

Digitized by Google

praesertim tempore, quo promulgandum jubilaeum, de quo superius, propositum fuerat, magnis laboribus obruebatur; nam tantum P. Paulum socium in audiendis confessionibus habebat, in concionando nullum. Incidit ergo in aegritudinem, in qua tamen non minus nostros et etiam externos quam tempore sanitatis aedificavit. Tantopere debilitatus fuit ut vix ullum cibum jam stomachus retinere posset et vix recipere, appetentia valde prostrata. Non omittebat tamen conciones. Et quia ova quaedam cum saccharo ei in cibum dabant, conquerebatur quod magnae cum ipso expensae fierent. Dominicis et festis diebus ter concionabatur, primo quidem in cathedrali ecclesia vel in templo B. Virginis, quam de Rosario vocant, et, statim ad Collegium rediens, ante prandium in nostro templo secundo concionabatur, et tertio post meridiem in eodem Collegio. Diebus etiam martis, mercurii et veneris consuetas conciones prosequebatur; reliquum autem tempus confessionibus et negotiis tam domesticis quam externis tribuebat; et his deliciis suum morbum curabat.

704. Cum ex eo Collegio Goënsi unus ex fratribus, Antonius Fernandez nomine, ad quemdam locum maritimum, qui Salas dicitur, se contulisset, multos saracenos et gentiles invenit, qui bello capti et in servitutem Regis redacti erant; coepit autem magno cum fervore cum eis de rebus divinis agere et ut ad religionem christianam accederent persuadere. Placuit divinae bonitati ut, cum noctu in Collegium rediret, quadraginta praeparatos ad fidem christianam relinqueret. Sequentibus diebus eumdem P. Gaspar cum alio fratre Christophoro de Acosta ad eosdem misit post meridiem, ut eos homines in fidei doctrina instruerent; et paulatim cum gratia Domini fere omnes ad Christi gregem adjungebantur.

705. Accidit sub hoc anno Goae tam horrenda tempestas et inusitata ut similem homines non recordarentur; id tamen fructus ex ea Dominus collegit inter fulmina et inundationes, ut plurimi de peccatis dolerent et ea confiterentur.

706. In quodam sacerdote, qui duos annos in Collegio fuerat, et, quia se gesserat egregie, ad sacros ordines fuerat promotus, insigne quoddam Dei judicium apparuit. Cum enim in graves inconstantiae tentationes incidisset, et spiritualia exercitia, ut se praepararet ad Dei gratiam, fuissent ei proposita, cedens

Digitized by Google

tentationi daemonis, hospite insalutato, recessit, et navigium conscendit, in arcem Maschatae (in regno Ormuzii ea est sed in continenti) inde in Portugalliam transiturus. Permisit autem Dominus ut, dum ille in arce versabatur, turcae civitatem Maschatae atque arcem ipsam oppugnarent. Fuit autem ipse unus ex duobus, qui de conditionibus, quibus reddenda esset arx, cum turcis egit; sed illi, conditionibus omissis, et civitatem et arcem occuparunt, et captivum adduxerunt eum simul cum aliis, inter quos aliquis ex Collegio recedens huic sacerdoti naviganti se adjunxerat, et in triremi cum remigibus collocarunt. Et quidem alteri in inconstantia socio, qui Andreas Monterus dicebatur, caput a turcis amputatum est; ipse autem sacerdos, nomine Michaël Nobrega, in servitutem adductus est. Quamvis enim illi ipsi turcae, quibus tradidit Deus arcem Maschatam, ubi usura et alia peccata gravia regnare dicebantur, lusitanis quosvis homines captos redimendi copiam fecissent, Gubernator tamen arcis Ormuzii, quod se turpiter dedidissent, in terrorem aliorum eos redimere noluit.

707. Ex navibus, quae hoc anno a Portugallia in Indiam profectae fuerant, quatuor tantum incolumes eo pervenerant; quinta in maritima ora regni Idalchani noctu periit, cum tantum quindecim leucis Goa distaret, ubi septuaginta lusitani evaserunt. Ibi etiam litterae multae Regis, in favorem novorum christianorum ac religionis, perditae fuerunt. De sexta navi nihil certi habebatur. Nullus ex nostris hoc anno in classem missus fuerat.

Et haec de Collegio Goënsi hoc anno dicta sufficiant.

DE NOSTRIS, QUI HOC ANNO

ORMUZII VERSABANTUR

708. Missus fuerat P. Gundisalvus [1] loco P. Gaspari in Regnum Ormuzii, qui, cum ei succederet viro, qui tam praeclara tamque rara illic gesserat, duram admodum provinciam sibi subire videbatur. Bono tamen animo quidquid posset ad Dei

---

[1] Gundisalvus Rodriguez.

Digitized by Google

gloriam praestare conatus est. Nihil in subsidium suae navigationis accepit; sed, ut ipse strenue liberos ac servos docere et in spiritu juvare nitebatur, ita ei necessaria ex eleemosynis donata fuerunt. Humaniter exceptus est a Gubernatore arcis Ormuzii et a Vicario ejus urbis. Invenit autem in Collegio, quod ibi instituere aliquando cogitavit P. Gaspar, et D. Paulo sacrum erat, quemdam eremitam; nam extra urbem, ut alibi dictum est, is locus erat. Mansit ibi aliquandiu, et inde ad urbem praedicationis gratia accedebat. Coepit autem suas conciones prima dominica Adventus anni 1551, eique dedit Dominus gratiam cum illo populo, cui usque adeo satisfactum est ut, absoluta concione, quidam ei dixerit: tu es qui venturus es et non alium exspectamus. In dies autem magis eidem populo placebat, cui diebus dominicis concionari perrexit toto anno 1552; et cum in Portugallia talentum concionandi non habere hic Pater videretur, ibi tamen voci suae vocem virtutis Dominus dedit. Coepit etiam ad eumdem fieri confitentium concursus et, cum jubilaeum populo promulgaret, crevit ille magnopere, et fructus in horreum Domini colligi etiam non exiguus coepit. Quidam ex primariis ejus urbis quindecim aut viginti annos, alius diu etiam concubinas domi habuerat, et utrumque Dominus per P. Gundisalvum, ejectis domo hujusmodi foeminis, in statum christianis hominibus dignum reduxit; quod civitati magnae admirationis fuit. Alii quatuor aut quinque lusitani in uxores duxerunt concubinas, quas domi habebant; alia etiam matrimonia curavit tum lusitanorum tum etiam indigenarum complurium, ut eos a peccandi prava consuetudine ad honestum statum traduceret; qui multis annis confessiones omiserant, eidem confitendo etiam reconciliati sunt; restitutiones complures factae, commercia cum infidelibus per canones prohibita et alia multa peccata, eo diligenter id curante, relicta fuerunt; inter aliquos amicitia composita, cum graves injuriae intercessissent, duella quaedam ne fierent prohibuit. Sed occupationes ejus praecipuae post praedicationem confessiones erant, propter quarum frequentiam, domo D. Pauli relicta, prope hospitale domicilium admittere debuit. Missus est illi in subsidium frater ille, de quo superius mentio facta est, Alvarus Mendez nomine, qui etiam pro virili in christiana doctrina explicanda quotidie, et in hominibus nocte concitandis cum tintinnabuli pulsu ad commendandas ani-

Digitized by Google

mas purgatorii, ad invisendos etiam pauperes hospitalis, et alias charitatis functiones, P. Gundisalvo auxilio fuit; quamvis et ipse Pater die mercurii eamdem christianam doctrinam docens, de eadem concionem faciebat, quam mulieres, servi et christiani, incolae ejus urbis, cum pueris audiebant, et, litaniis in ultimo adhibitis, domum eos dimittebat. Celebrabat autem saepe in hospitali et aegrotantibus sacramenta ministrabat.

709. Paulo post ejus adventum litterae quaedam ex urbe Mecha ad Regem Ormuzii delatae sunt, quibus primarius quidam saracenus *(Reidem* vocabant), consanguineus Mahometi, petebat a Rege ut jejunia per aliquot dies omnibus cujuscumque aetatis hominibus injungeret, quia Deus ipsis valde iratus erat, et sibi fuisse revelatum affirmabat quod lex Mahometi brevi finienda et evertenda esset propter sectatorum ejus peccata; et ipse Pater Gundisalvus audivit praeconem qui per totam urbem jejunium ad hoc injungebat. Utinam ut verum est quod de peccatis ille dicebat, ita quod dixit de extinguenda secta verum Dominus faciat!

710. Jam tum de imminenti bello turcarum, qui classem in eo mari collegerant, multa ferebantur, et civitas ipsa Ormuzii coeperat ab incolis deseri et merces alio adsportari; lusitani sua in arce manserunt et bona majoris momenti in eam receperunt. P. Gundisalvus cum socio in eamdem se recepit cum suis libris. Visae fuerant sex triremes, et fama erat quod sexaginta navigia classis turcarum haberet.

711. Ex quo venit Ormuz P. Gundisalvus, nunquam permiserunt saraceni ut Regem alloqueretur, et ob honestas causas Gubernator lusitanorum non adjuvit ad eum conveniendum; et ferebatur quod magis obduruisset Rex in secta sua post recessum P. Gasparis quam fuerat ante ejus adventum. Infelix admodum ea insula P. Gundisalvo videbatur et velut purgatorium quoddam, quinque praesertim anni mensibus, et quae non solum illam maledictionem accepisset, tribulos et spinas germinando, sed aliam graviorem, cum nec tribulos quidem nec ullam herbam generet, sed tantum sulphur, salem, et alia hujusmodi, quae in inferno ad tormenta damnatorum faciunt. Saepius cum saracenis, judaeis et gentilibus disputavit, et facile eos convincebat; sed partim quod aliqui in suis peccatis insordescere obstinati vellent, partim quod suis erroribus etiam affe-

Digitized by Google

ctu ligati essent, cum putabat eos ad Christi fidem convertendos, illi dicebant: pater meus in mea secta mortuus est, et ego in eadem mori volo; ut facile cerneret donum Dei esse credere; sed ad magnum animi dolorem P. Gundisalvum adducebat tot miserorum hominum ex tam variis nationibus spectaculum, qui omnes ad cognoscendam veritatis ac salutis viam caeci erant; et tamen saraceni ferventiores ad Mahometi mendacia quam christiani ad veram Christi religionem promovendam erant; nam innumeras provincias, Malacham usque, maledictum illud fermentum contaminavit, Sinas et Japonenses vix attigerat, quas provincias Dominus Societati reservare P. Gundisalvus judicabat.

712. Accidit et Ormuzii tempestas quaedam (ut prius de civitate Goënsi diximus), quae, si alibi quam in ea insula accidisset, valde attonitos homines reddidisset; sic enim ventus ille vehementissimus egredi solet, ut carnes videatur penetrare usque ad intima viscera; cujus venti vis postquam jam transierat, per viam quamdam publicam egressus P. Gundisalvus, adhuc non poterat nisi operto vultu aestuantem adhuc aërem sustinere; et, quamvis insula Ormuzia hujusmodi impressionibus sit aëris et ignis obnoxia, negabant tamen incolae huic simile se unquam vidisse. Successit statim cometes qui, a septentrione versus meridiem pergens, insulam pertransiit, ab arce inchoando, tanta cum claritate ut multas faces accensas ferre videretur. De tremoribus terrae consecutis minus homines mirabantur, quod admodum frequentes ibidem esse solent. Paulo post renunciatum est triginta triremes turcarum ad insulam prope accedere. Visum itaque fuit Gubernatori, P. Gundisalvo approbante, christianos, qui Ormuzii manserant et ad arcem confugiebant, in continentem vicinum Arabiae mittere; cum in arce non tantum aquae suppeteret ut ad tam multorum potum sufficeret. Missus est cum ipsis socius P. Gundisalvi, Alvarus Mendez, ut eos in officio contineret, et cibo tam spirituali quam corporali reficiendos curavit. Nec enim civitatem aut incolae defendere audebant, aut lusitani poterant, quibus satis esse videbatur suam arcem tueri.

713. Decima nona Septembris triremes turcarum cum duabus magnis navibus ad portum Ormuzii accesserunt, ex quibus in terram desilientes milites civitatem, vacuam fere, ingressi

Digitized by Google

sunt, cum vix in arcem homines se recepissent; et obsidere lusitanos in sua arce coeperunt tam mari quam terra, tormenta bellica contra eos expediendo. Arx tamen et hominibus et rebus necessariis satis munita erat, praeter muros validos, quibus pilae ferreae parum nocebant. Et quamvis P. Gundisalvus propter suam humilitatem insignem perpauca scribat, scribebantur multa de eo a lusitanis, et pondus exercitus atque arcis ipse sustinere dicebatur. Hostium impetus fuisset fortassis major, si triremes, quas in portu Suez turcarum Rex confici jusserat, ad hanc illorum expeditionem utiles exstitissent; sed inutiles ad navigandum in eo mari inventae sunt, ut quidam ex captivis retulit. Cum aliis autem triremibus in modum orientalium factis, dux turcarum, Pirabeche nomine, rem aggressus est. Sed non diu duravit arcis obsidio, cum pilas ferreas, turcis admirantibus, ex muris resilire ac retro redire viderent, quamvis tormentis validis *(basiliscos* nominant) intorquerentur; et cum praecipuum ex his tormentis obsessorum bombardis confractum et multi homines occisi fuissent, postquam quindecim dies Ormuzii exegissent, soluta obsidione et direptis rebus multis desertae urbis, quas invenerunt, ad suas redierunt triremes, cum prorsus terrorem eis lusitani incusissent cum septingentos aut octingentos ex eis, qui brevibus bombardis *(spincardas* vocant) utebantur, et multa alia tormenta bellica eis demonstrarunt. Et post ipsorum recessum intellectum est quod, cum existimarent ex arce lusitanos egredi, sua tormenta saepius deseruerant et inde plurimi fugerant; sed redeuntes, usque ad tempus jam dictum perstiterunt. Postea cum sua classe ad vicinam quamdam insulam, quam Cionem vocant, proficiscentes, ubi multi saraceni Ormucenses, et quidem divites, erant, eam obsederunt ac diripuerunt. Ipsorum autem divini imminere a classe Pro-regis Indiae periculum ipsis dicebant, et ut se illi periculo subtraherent hortabantur. Dicebant aliqui milites lusitani quod, si P. Gasparem eo tempore nacti fuissent, ducem ipsum generalem constituissent ad aggrediendum turcarum obsidentium castra.

714. Erat hoc tempore in arce, quam Magostan vocant, Alvarus Mendez cum fere quadringentis christianis Ormuzio eductis, nec exiguos cum eis aut inutiles labores tulit. Distat Magostan Ormuzio duodecim leucis. Excepti fuerunt ab ejus arcis

Digitized by Google

praefecto, qui tamen totum negotium sustentandi christianos, quos secum adduxerat, Alvaro Mendez relinquebat, et judicis officio, immo et gubernatoris, uti necessario cogebatur, cum hic dentes confractos ab alio, ille fustium ictus acceptos, ille alias injurias conquereretur; nec defuit ex illis neophytis, qui diceret se relicturum Christi fidem, nisi is puniretur, a quo injuriam acceperat. Alvarus autem hos ad amicitiam inter se reducendo, illis comminando, alios in carcerem conjiciendo, homines illos in pace retinere nitebatur. Mane omnes invisebat et, si quid eis necessarium deesset, audiebat ac providebat. Centum et quinquaginta ex his, qui non habebant unde alerentur, ipse ex eleemosynis alebat. Post meridiem autem christianam doctrinam omnes docebat, ad quam audiendam vix duo, ad hoc ipsum constituti, eos adducere poterant. Audierunt quod turcae Ormuzium pervenerant, quo nuncio commotus populus illius arcis Magostan insultare christianos coeperunt, et eisdem minitabantur, quod tantum quatriduum vitae eis supererat, nam omnes tunc capite erant plectendi. Exprobrabant etiam Alvaro quod christianam doctrinam ibi doceret et cum perditis hominibus eo venisset; sed ad praefectum praesidii se conferens Alvarus, ab eo ad christianam doctrinam docendam facultatem obtinuit; et cum retulisset quae populares circumferebant ei subditi, placuit Deo ut tandem illi melius se gererent. Paulo post nuncium accessit quod civitas Ormuzii capta erat, et aliqui sarcinas parabant ut ad interiora Arabiae se reciperent; sed ridens Alvarus tanquam modicae fidei homines increpavit; et sic demum post aliquos dies recessisse turcas intellectum est.

715. Insalubre admodum Magostan censebatur aliis mensibus quam Junio, Julio, Augusto et parte Septembris; October ac November pestiferi illis sunt, cum stella quaedam a meridie apparere incipit, cujus signum illis est quod gregem eo tempore vident quasi attonitum incedere; et ita omnes, quos secum adduxerat Alvarus Mendez, in febres inciderunt, sed praeter unam mulierem cum quatuor infantibus caeteri convaluerunt. Revocatus demum est cum illis christianis in civitatem Ormuzii, re cum Domini auxilio bene gesta. Est autem animadversum quod bis ignem injecerunt Collegio nostro Sancti Pauli, sed ignis parum intulit damni; unde dicebatur quod B. Paulus, cui templum dicatum est, ense suo templum defen-

Digitized by Google

disset. Quod si divina bonitas non cito obsidionem arcis Ormuzii solvisset, totum praesidium, ut scribit P. Gundisalvus, brevi periturum videbatur. Tunc enim singulis dabatur parum oryzae sine pane, piscibus, aut carne; aqua etiam modica et ex parte salsa, quam fluxus ciebat, eis dabatur, cum in arce alia non esset; sed Dominus ejus protectionem suscepit. Ad redimendos aliquos ex his, quos turcae captivos ex oppido Maschate duxerant, praesertim mulieres, quingentos aureos ex eleemosynis P. Gundisalvus collegit.

DE COLLEGIO BAZAIN ET POPULO TANA

716. P. Melchior Nugnez, in civitatem Bazaini missus, ei Collegio praefuit hoc anno. Multos invenit in populo a se invicem dissidentes; nam super centum quinquaginta a mutuis colloquiis abstinebant, qui P. Melchioris opera in amicitiam redierunt; inter quos erat qui octo jam annos odium retinuerat; multas etiam lites praecidit, qua ex re non minor fructus est consecutus; alii multi ex incolis, qui in peccato mortali vixerant, ab eo damnationis statu liberavit, aliquos ex iis in matrimonio cum ancillis, quibus ut concubinis abutebantur, collocando, ab aliis concubinas removendo. Multi hoc remedio indigebant; cum enim postulasset sibi catalogum dari, quinquagesimum numerum in populo non magno (quod ad christianos attinet) hos homines excedere intellexerat, ex quibus aliqui conjugati erant. Cum in vicina civitate Tana multi hujusmodi essent, eo se Vicarius contulit, et omnes concubinas non solum a domibus sed a tota urbe removit. Curavit etiam P. Melchior ut quidam, qui zizania haeresum seminare in illis locis dicebantur, caperentur; nam praefectus, Franciscus Barretus, sicut et judex et Vicarius, suam ei operam prompte in re tanti momenti praestiterunt.

717. Pluribus quam viginti exercitia spiritualia, praesertim primae hebdomadae, proposuit, partim domi, partim foris; inter quos fuit ipse praefectus et aliqui, quos *Lascharinos* vocant, qui magistratum quemdam gerunt. Ex quo idem P. Melchior eo venit, viginti homines pii octavo quoque die ad confessionem accedebant; alii decimoquinto quoque die; et ex his erant qui

Digitized by Google

orationi non paucas horas tribuerent; his etiam ipsis hominibus spirituales exhortationes idem Pater faciebat, ut a rebus vanis ad viciniora saluti et ipsi accederent, et alios exemplo suo adducerent.

718. Duodecim aut quindecim non vulgaris notae homines ad Societatis nostrae institutum adspirabant. Coepit et sextis feriis, quemadmodum Goae fiebat, homines ad poenitentiam provocare, et ipso initio supra triginta erant viri honorati, et inter eos aliqui conjugati et Lascharini, qui se flagellis caedebant; nec dies aliquis elabebatur quin aliqui in ecclesia Collegii nostri sacramenta non acciperent. Quibus autem diebus non praedicabat P. Melchior, eos audiendis confessionibus impendebat. Erant autem illae tam frequentes ut saepe a cibo capiendo hominem excluderent usque ad vesperam. Diebus dominicis in cathedrali mane concionabatur, post meridiem in Collegio nostro; diebus autem veneris in eodem Collegio mane et vespere, et tunc de poenitentia.

719. Misit Dominus gravem quemdam morbum in illum populum, et multos ex gentilibus et saracenis de medio sustulit, qui in itineribus extincti inveniebantur, et decem aut duodecim lusitanos; nec a quo morbus eos invadebat, ultra viginti quatuor horas superstites erant. Hic morbus magno terrore homines concussit (*mordecin* morbum vocabant), cujus occasione et supplicationes publicae fieri et sacramenta frequentari coeperunt, et ad jubilaeum obtinendum se comparare veniebant aliquando noctu flentes et propter Deum precantes ut ipsorum confessiones audirent. Itaque P. Melchior noctu diuque cum eis occupabatur, quamvis in supplicationibus eisdem diebus distineretur. Alii etiam fratres ejusdem Collegii aegrotantes hujusmodi consolari et morientibus assistere studebant. Magno itaque fervore ad jubilaei gratiam obtinendam se populus ille parabat, immo et ex civitate Chaul se praeparabant ut compluribus navigiis ad jubilaeum Bazaini, quem nostris in ecclesiis Pontifex concesserat, consequendum. Crescebat itaque messis ac fructus spiritualis, et populus a detractionibus pristinis, quibus fuerat valde obnoxius, se revocaverat, et veniam invicem petebant.

720. Ipso die B. Petro et Paulo sacro in civitatem Tana P. Melchior concionaturus perrexit, et ad jubilaei gratiam obtinendam homines instruxit. Domesticos etiam in Collegio Ba-

Digitized by Google

zaini ad abnegationem propriae voluntatis, et ad honorem contemnendum, multis modis exercebat. Aegidius Barretus erat unus ex collegialibus qui scholae puerorum praeerat; et, cum prius duae in illa urbe scholae fuissent, nulla, ex quo ille coepit, praeter ipsius scholam reliqua fuit. Ad centum et quinquaginta pueros habebat, et quinquaginta ex eis scribere discebant; omnes autem, audito sacro, orationes consuetas canendo, ad scholam perveniebant et, lectionibus absolutis, easdem, quibus doctrina christiana continebatur, domum redeundo canebant. Quotidie eisdem simul cum servis lusitanorum eadem doctrina christiana explicabatur in templo, in quo Aegidius fere quadringentos auditores hujus generis habebat, quibus etiam dominicis et festis spirituales conciones, se ad eorum loquendi rationem accommodando, faciebat; nam fere omnes suo more lusitanicum idioma tenebant. Itaque ter quotidie, bis in schola et semel in templo, catechismum Aegidius declarabat. Cum suis etiam pueris aliquas supplicationes noctu faciebat, et, cum illi, accensis candelis in altera manu, altera seipsos flagellis caedentes incedebant, ad devotionem populum, qui frequens eos comitabatur, commovebant. Addebat diebus sabbati in schola *Salve, Regina* et litanias convenienti cantu decantatas; et tam multi confluebant ut vix eos schola caperet; aliqui etiam viri cum pueris doceri ab eodem volebant. Idem noctu ad precandum pro animabus purgatorii tintinnabulum pulsabat. In majorem autem partem domorum, quae ad conjugatos spectabant, singulis noctibus consuetudo doctrinae christianae dicendae inducta fuit.

721. P. Melchior instituit etiam ut quidam, ex peculiari officio ipsi injuncto, christianos ejus provinciae diebus dominicis et festis ad ecclesiam evocaret ad sacrum audiendum; et, quia Collegii nostri ecclesia minus capax erat, ad templum Sancti Francisci conveniebant; quia vero cum saracenis et gentilibus neophyti commixti erant, curavit ut situs eis designaretur, in quo ab illis separati habitarent, ne exemplo aut verbis eorum a christianae vitae ac fidei instituto revocarentur.

722. Non parum admirationis praebebat studium poenitentiae, quo se ad jubilaeum obtinendum homines comparabant, tam viri quam eorum uxores, alii flagellis se caedentes, alii jejunantes, alii pedibus nudis ad templum, ubi gratiam hanc erant consecuturi, euntes, in ecclesiis publice veniam a se mu-

Digitized by Google

tuo petentes, nec pluvias nec aestum reformidantes. Stupebant autem mercatores, publicani et brachmanes quod ipsis restitutiones multae fierent, et volebant ad pedes P. Melchioris se projicere ut gratias illi agerent; non tamen continuo ad Christum converti constituebant, quamvis tres aut quatuor brachmanes mercatores Christi fidem susceperunt, usuras multi reliquerunt et tyrannides aut extortiones. Cum autem quidam ex fratribus, propriae abnegationis gratia, ad domum cujusdam concubinarii cum calvaria mortui noctu missus esset, die sequenti compunctus concubinarius ille flagellum ad se caedendum postulavit et imaginem Crucifixi, et se concubinam velle domo ejicere dixit, quod et statim fecit. Itaque ne illa quidem inutiliter cedebant proximis, quae ad ipsorum fratrum utilitatem instituebantur. Opera alterius ex his fratribus, qui judicem pro quibusdam in custodia retentis orabat, aliqui ex eis liberi dimissi sunt; pauperibus non exigua eleemosyna distributa; juramenta a pueris reprehensa, et alia hujusmodi multa ad profectum animarum facta; et tantopere nonnulli spiritualibus rebus se dedebant, ut essent qui quatuor horas orationi mentali quotidie tribuerent. Mille aureos et amplius annui reditus, quos Portugalliae Rex huic Collegio applicavit, cum pueris expenduntur, quos ibidem institui P. Franciscus Xavier hoc anno jusserat.

723. In civitate Tana residebat P. Franciscus Enriquez. Distat quatuor leucis ea civitas a Bazain. Quamvis adversa valetudine laboraret, christianos, qui satis ibi multi erant, necessaria ad salutem docebat, filios eorum baptizabat, et lusitanorum confessiones audiebat, et multos a peccatis et vitiis gravibus revocabat; aliquando etiam Bazainum se conferebat ut P. Melchiorem adjuvaret, cum nimia confitentium frequentia id exigebat. Fuit olim Tana saracenorum populosa civitas in insula, nomine Salsete, et ibi magnam ecclesiam sub invocatione Matris Dei Societas habet. Est autem salubris aër ejus regionis.

Digitized by Google

DE COLLEGIIS COCHINI, ET DE NOSTRIS,

QUI IN MARITIMA COMURINI ORA VERSABANTUR

724. Multa Cochini operata est divina bonitas per P. Antonium de Heredia, cui, cum solus esset sacerdos, multum et assidue in confessionibus audiendis fuit elaborandum. Concionabatur nihilominus, et quidem frequenti cum auditorio; nam quidam Pro-regis filius cum magna classe ibi hiemaverat, quae messis P. Antonio satis copiosa fuit. Quemdam habebat penes se ex orphanis pueris ex Portugallia missis, qui christianam doctrinam declarabat, et legere, ac scribere, et cantum accedentes pueros docebat. Inter multas pacificationes, quas idem Pater conficiendas curavit, una fuit insignis, quae si non fuisset confecta, neces et alia gravia incommoda impendere videbantur; nam ex una parte omnes [erant], qui quaesturae negotium tractabant (de *camara* civitatis eos vocant), ex alia vir quidam, cujus factionem aliqui nobiles sequebantur. Ab hoc igitur viro impetravit ut fratris mortem condonaret, qui in quadam ecclesia pugionibus confossus fuerat, quod multi religiosi et pii homines prius ab eo postulantes non obtinuerant.

725. Ea quae superius de poenitentibus in sextis feriis Goae et Bazaini retulimus, adhibitis flagellis, ex occasione jubilaei induci in ecclesiam nostram Cochinensem coeperunt; et sequebantur litaniae cum aliis orationibus ad necessitates Indiae accommodatis. Contulit etiam se ad loca quaedam vicina, ubi multi christiani sunt, quos a D. Thoma Apostolo sacris nostrae religionis initiatos ferunt, et in eorum templis Missas celebravit, adhibito cantu puerorum orphanorum, quos secum adduxerat. Aliquas etiam supplicationes publicas cum christianis ejus regionis instituit. Magna itaque consolatione eos populos affecit, qui institerunt ut saepius ad se rediret, et spiritualem eis consolationem impertiretur.

726. In Collegio Cochinensi bis quotidie christiana doctrina docebatur, duobus juvenibus, ad christianos malavares pulsato tintinnabulo convocandos, per diversa loca missis; et tam multi conveniunt, praesertim conditione servi et ancillae, ut vix eos

Digitized by Google

ecclesia capiat, ea quidem qua tunc utebantur; nam alia major nondum erat absoluta. Multi in confessionibus adjuti fuerunt; ex quadam tamen nobilis cujusdam viri confessione, qui quadam in arce, vicina civitati, agebat, fructus eximius ad poenitentis ac totius domus ejus utilitatem est consecutus; pueri etiam, christianorum cochinensium filii, egregie proficiebant.

727. Caulani P. Nicolaus Lancillotus etiam hoc anno Collegio praefuit Salvatoris, hoc enim illi nomen erat, ubi quinquaginta pueros ex vicinarum provinciarum primoribus, tum in legendo et scribendo, et grammatica aliquos eorum, tum in christiana doctrina et moribus institui curabat. Utebatur autem opera fratris nostri de Oliveira, qui annis praeteritis Malacae in hoc docendi munere versatus fuerat; nam ipsemet P. Nicolaus adversa semper valetudine conflictabatur, sed, hujus et alterius fratris labore et industria adjutus, et Collegium regebat, et hospitalis christianorum curam habebat, et necessaria ei curabat. Praeerat etiam nostris, qui in maritima Comurini vel Pescaria Deo serviebant. Collegium ipsum, quod prius et ex muris luteis confectum et palmarum foliis contectum erat, hoc anno, Deo juvante, ex eleemosynis lapideum construxit; nam ex calce et saxis duratura aedificia etiam ibi fiunt. Ecclesia jam hac ratione confecta erat, et magna pars habitationis, et quod reliquum erat, duobus sequentibus annis confici posse sperabat, ubi sexaginta homines, et non incommode, habitare possint. Scripserat autem Rex Portugalliae suo Pro-regi in India ut omnia necessaria ad hujusmodi puerorum sustentationem subministraret; tantopere siquidem ex progressu religionis illis in locis Rex delectabatur, ut nullis sumptibus parceret, nec quicquam postulatum ab eo negaret, quamvis per ministros aliquos diabolus impedire nitebatur, immo et subvertere, quae per servos suos Dominus aedificabat; et ut eis daemonis et ministrorum ejus conatibus sese opponere possent, viros prudentes et fortes in spiritu P. Franciscus Xavier mitti a P. Ignatio percupiebat, et, quamvis ipse scripserat ea de re, immo et miserat fratrem nostrum Andream Fernandez, ut inferius dicemus, injunxit tamen P. Nicolao ut suo nomine idem commendaret. Existimabat autem salubre consilium esse P. Ignatii admittendi tenerioris aetatis pueros, qui decem vel duodecim annos non attingerent, quod ea aetas adhuc innocentiam retinere et ad institutionem

Digitized by Google

christianam imbibendam magis idonea esse quam provectior videretur. His ergo pueris de rebus ad christianum hominem pertinentibus P. Nicolaus concionabatur, et ab eisdem eorum, quae dixerat, rationem exigebat. Et haec erat unica in afflicta admodum valetudine hujus Patris consolatio, cum videret hos pueros bene percipere et explicare nostrae fidei mysteria et magnis signis quod ea gustarent prae se ferre. Declarabat autem eis et rationibus naturalibus, et comparationibus adhibitis et exemplis quod omnes mores ac ritus gentilium nihil nisi mendacia et fraudes daemonis ac ministrorum ejus sunt, et omnino legi naturali ac rationi repugnant. Videbantur autem Patri Nicolao illi homines non minus acuto ingenio esse quam nostrates nec minus idonei ad doctrinam et scientias capessendas. Concionabatur etiam interdum lusitanis et eorum confessiones audiebat; sed praecipuam temporis partem horum puerorum institutio sibi vindicabat, qui cum ex nobilioribus essent et penes quos populorum gubernatio esset futura, multo latius patere poterat fructus laboris eisdem impensi quam si aliis de plebe impenderetur, et magnopere sentiebat quod P. Ignatius commendaverat, ut ad hujusmodi pueros instituendos collegia plurimis in locis erigerentur. Dicebat autem idem P. Nicolaus experimento se didicisse provincias certas nostris esse designandas, in quibus illi residentes vernaculam earum linguam addiscere conarentur, ut interpretum ministerio utendum non esset; rari enim inter eos inveniuntur, qui exacte intelligant et exprimant quae dicuntur; et quia P. Henricus egregie linguam illius provinciae, in qua versabantur, didicerat, ideo uberiorem fructum ex gentilitate retulisse quam in ulla alia Indiae provincia quisquam cepisset. Ipse autem Nicolaus, cum in dies mortem exspectaret, non adhibuit studium ad ejus regionis linguam perdiscendam, sed quemdam apud se habebat juvenem, olim brachmanem, quem grammaticam docuerat, et, ut erat acuto ingenio, mysteria fidei ac religionis per eum commode declarabat; et ad eum Romam mittendum facultatem petebat.

728. Post medium Octobrem rediit a provincia Pescariae, quo Septembri mense se contulerat ad P. Henricum et alios fratres invisendos, et, quamvis cum labore non exiguo propter debilitatem corporis iter illud confecit, incredibilem se tamen consolationem retulisse scribit, cum populos illos tam bene instru-

Digitized by Google

ctos in fidei rebus videret; et vix exprimere posset, ait, varios modos et industriam P. Henrici, qua novas illas plantas conservare et excolere solebat; sed inter caetera illud maxime probabat, quod annis superioribus diximus, de quibusdam electis inter alios viris, vel conjugatis, vel liberis, quos peculiari diligentia edoctos populis praeficiebat, ad christianam doctrinam pueris mane, puellis sub vesperam quotidie docendam, mulieribus adultis die sabbati, viris autem die dominico; qui abusus gentilicos etiam reprehenderent, defunctos sepelirent, infantes baptizarent, si male valerent, et eidem P. Henrico minutam rationem omnium redderent. Habebat etiam suas convenientes poenitentias idem Henricus, quo illos puniret, qui ad ritum aliquem gentilicum declinarent; iidem etiam (*Chanacopolam* vulgo vocant) curabant diebus festis ad ecclesiam suos populares adducere; habebant autem singuli Chanacopolae librum in vernacula malavari scriptum, prout P. Henricus dictaverat, in quo compendio quodam mysteria fidei et quae ad salutem necessaria sunt continebantur, et aliqua ex eo libro populo legendo, quae ipsius captui accommodata erant, populo intimabat. Eumdem modum P. ipse Nicolaus tenere in suis concionibus solebat, quamvis in eis paulo fusius ad particularia quaedam decurrebat. Gaudebat autem cum videret P. Henricum variis ex locis litteras hujusmodi hominum accipere, quibus eum de his, quae occurrebant, consulere soliti erant, et quod eorum difficultatibus diligenter per suas litteras P. Henricus respondebat; et cum magna mansuetudine ac prudentia casibus occurrentibus providebat, ut merito et veneratione et amore magno christiani eum prosequerentur eidemque obedirent, immo et saraceni et gentiles multum ei honoris exhibebant. P. etiam Gaspar diligenter omnem favorem ad augmentum religionis et ad nostrorum necessitates subsidium curabat; eos denique animare et consolari studebat. Alii etiam fratres sub P. Henrico egregie suis officiis fungebantur; nec solum agendi sed et patiendi gratiam a Domino obtinebant; saepe fustibus caedebantur, saepe flagellis, interdum captivi ab infidelibus ducebantur; Dominus tamen protector ipsorum erat, et omnia diligentibus Deum in bonum cooperabantur. Sexaginta hominum millia Christi fidem ibidem profiteri coeperunt in maritima ora, quae ad quinquaginta leucas se extendit.

Digitized by Google

DE NOSTRIS, QUI IN INSULA CEILAN

ET IN ARCIBUS DIO ET CHIROMANDEL VERSANTUR

729. Missus fuit in insulam Ceilan, ad petitionem Pro-regis, P. Emmanuel Morales, ut superius diximus. Insula haec satis magna est, nam ad centum leucas se extendit; ejus sylvae ex cinnamomo sunt et malis aureis ac citris; aër salubris; ferunt gentiles ibi terrestrem paradisum fuisse. Habet autem Rex Portugalliae in ea insula aliquas arces. Profectus est in eam insulam P. Morales cum quodam ex primariis ejus insulae dominis, qui, cum esset Regis Ceilani legatus ad Pro-regem, ad fidem Christi conversus et sex menses inter catechumenos manens, hoc ipso anno in Collegio nostro Goënsi baptizatus fuerat. Id autem in hac missione agebatur ut Rex ipse ejus insulae, qui videbatur a fide christiana non alienus, ad eam converteretur; et quamvis id non statim effici potuerit, fuit nihilominus missio Patris Morales valde fructuosa; nam lusitani, qui non pauci ibidem versabantur, cum procul a Pro-regis praesentia essent, divinae et humanae justitiae legibus minus quam oportuit parebant, et mala permulta impune perpetrabant.

730. Tulerat secum P. Morales exemplum gratiae jubilaei, quam ad Episcopum Indiae missam diximus, et in duabus civitatibus, Columbi, scilicet, et Cotae, eam promulgavit. Tanto autem fervore lusitani in poenitentiae studium incubuerunt, ut neget P. Morales quid simile se unquam vidisse. Regnabant in ea insula gravia peccata, omniaque in luxum ac lasciviam abierant, cum non esset qui vel increparet, vel a peccatis deterreret, praeter Patres ordinis S.ti Francisci, qui privatis colloquiis et non publicis concionibus, cum nullus esset inter eos ecclesiastes, tentabant quidem, sed cum exiguo fructu, aliquos a vitiis revocare. Erant permulti, qui concubinas tam christianas quam gentiles publice domi habebant; diebus veneris et sabbati, nullo ciborum habito delectu, in mensis praefectorum carnes edebantur; dominicis ac festis diebus, non minus quam profestis, servilia opera exercebantur; nullius demum Ecclesiae praeceptorum ratio habebatur; major pars populi christiani sacramentum

Digitized by Google

poenitentiae omiserat; plures publicae mulieres quam conjugatae reperiebantur, cum mulierum numerus virorum numerum superaret; et promiscue christiani cum saracenis versabantur; et in eam consuetudinem res venerat, ut talia vix peccata censerentur; et ita nec remedium quaerebatur aut adhibebatur. Cum ergo P. Morales duabus tribusve concionibus in hos abusus inveheretur, verba ejus non magni pendebantur, ut non defuerit, qui per ironiam eidem dixerit quod in ejus gratiam vellet eo die veneris a gallina abstinere, et a quodam alio condimento valde lauto, quod ex comminutis gallinae partibus delicatioribus confectum et variis aromatibus aspersum domi paratum habebat. Et quamvis nobilis hic esset, cum P. Morales praefectum cohortis admoneret, ut tanquam suspectum de haeresi hunc hominem in vincula conjiceret, qui cum valido esset corpore et tamen uteretur hujusmodi cibis, cum alii suppeterent non prohibiti ab Ecclesia, non bene de ecclesiasticis praeceptis sentire videbatur, coepit ille quasi joco dicta interpretari, quae serio dixerat, ut punitionem evitaret.

731. Cum tamen perseveraret in reprehendendis acriter hujusmodi peccatis, quae, contemptis Ecclesiae praeceptis, grassabantur, aliqui tandem ad ipsum venerunt, qui omnino se abstinere velle ab esu carnium, quibus diebus prohibebantur, promitterent. Cum die dominico, suam habitationem ingressus, fabros ibi laborantes reperisset, et admiratus reprehendisset quod impune diem sanctum profanarent, recedere eos jussit, se domo commoda malle carere affirmans quam ut illi festum violarent. Cum autem is singulis dominicis ac festis diebus concionaretur, timore Dei perculsi ad confessionem peccatorum accedebant, se talia nunquam intellexisse et propterea effrenes in vitia fuisse prolapsos dicebant; omnes eidem P. Morales confiteri volebant; ille vero ut eis satisfaceret, ab aurora usque ad vesperam eis audiendis impendebat et interdiu bonam partem noctis eo in opere consumebat; cujus rei fructus hic fuit, quod qui concubinas habebant, a se illas ablegarunt, aut legitimo matrimonio sibi conjunxerunt, proximorum offensam poenitentia reparantes; septem secum flagella attulerunt (*disciplinas* vocant), quas mutuo ab his et illis persaepe petebant et interdum a franciscanis; conciones autem devote et etiam libenter audire coeperunt, suas coronas in manibus gestantes. Aje-

Digitized by Google

bant ipsi se jam christianorum vitam agere velle. Quo factum est ut omnia prorsus meliorem in formam mutata fuerint, et nulla jam amplius vis aut injuria infidelibus inferebatur, nam injustitiam etiam erga illos Dei voluntati repugnare P. Morales in concionibus affirmaverat[1]; unde et ipsi infideles, quibus hoc innotuit, magna benevolentia Patrem prosequi coeperunt, et eorum non pauci ad Christi fidem sunt adducti.

732. Inter alios christianus effectus est vir potens ejus provinciae cum suo nepote et alio quodam viro primario magnae auctoritatis, quos consecuti sunt plerique ditioni illius domini, qui conversus fuerat, subjecti. Hujus principis viri uxor cum ad christianam fidem adspiraret, per litteras mariti ad baptizandam illam est evocatus, sed antelucano tempore ut ad palatium ejus iret rogabat; nobiles enim matronae illius regionis magni probri loco ducunt si ab alio viro quam a proprio marito conspiciantur; cujus rei indicium evidens praebuit uxor quaedam principis Toccolarorum, quae quia casu a viro quodam externo visa fuerat, toxico accepto mortem sibi conscivit. Multi in christianum gregem recipi exoptabant et id precibus contendebant; sed eorum pia vota ad tempus suspendi P. Morales patiebatur, non solum propter occupationes jubilaei jam dicti, sed ut eorum constantiae majus experimentum caperet, post festa Natalitia Domini, quibus indulgentiarum praescriptum tempus finiebatur, horum conversioni diligentius vacare constituens.

733. Deploranda caecitas est hominum ejus insulae et errores, quos ad eorum perniciem intimis hominum animis diabolus impressit. Quidam sunt inter eos, qui nullum animal occidendum sentiunt, nec serpentes quidem veneno infestos; et ita a carnibus et piscibus, etiam si famem gravissimam sentiant, abstinere eos oportet. Utuntur autem esu foliorum cujusdam arboris, quae per alias arbores in modum haederae serpere solet; et ea folia calce involvunt; alii praeterea fructu utuntur nuci cypressinae non absimili, satis insipido et duro; oryza praeterea utuntur; sed folia calce illita quotidianus eorum victus est; si calcis copia desit, radunt ex pariete. Alii nullum aliud animal occidunt quam mures, salamandras et lacertos; a bubulis carnibus et aliorum animalibus abstinent. Aliqui sunt, qui *paravae* vocantur, qui pisces tantum occidunt, nec licet eis ali-

Digitized by Google

quod animal terrestre edere, quod, licet domi reperiant et quidem venenosum, religio est illis occidere. Ab hominum tamen caede sua religione non prohibentur. Quartum genus hominum est, qui gallinas, apros et alia silvestria animalia occidunt, sed a vaccis occidendis abstinent, quod in eas post mortem transire animas hominum persuasum habent. Omnes autem idola lapide, aere et auro confecta colunt, et amplissima templa, quae *pagodes* vocant, in quae conveniunt ut suis idolis immolent; et ad id suos habent sacrificiorum ministros, quos *diogos* et *ciangataros* appellant, qui in sua superstitione vulgo praestantiores pietate habentur, et croceis vestibus utuntur. Nullus horum adspectum Patris Morales ferebat; si quando eis in plateas obvius fiebat, statim fugiebant quousque transiret. Cum duobus locutus est, qui eum declinare non potuerant, sed nihil de suis legibus ei aperire voluerunt, nec ejus interrogationibus respondebant. Cum foras prodeunt, caput et vultum subtili quodam velamine operiunt; domos habitant prope pagodas; aedificia quidem minus magnifica sunt quam insignes ecclesiae Europae, sed auro purissimo contecta conspiciuntur.

734. Regio omnes alias superare foecunditate censetur, feracissima est rerum, ac praesertim animalium, quae alibi non inveniuntur; elephantos tanta mole corporis alit, ut duo navim e mari educere ac rursus in mare deducere valeant; capiuntur autem, adhuc catuli, a venatoribus non infrequenter, et alii etiam adultiores aetate; nec solum in sylvis sed in urbibus suos foetus procreant et alunt, et cernebantur in plateis elephanti, qui suis a tergo sequentibus pullis incedebant, et ea facilitate et ad eumdem usum aluntur, ad quem jumenta in Europa, nam ad terram se prosternunt ut onera suscipiant. Habent boves et vaccas silvestres et quoddam genus ferarum eis simile, quas *mecrus* nuncupant, quarum carnes nobilibus indigenis et lusitanis in pretio sunt; habent et bufalos nigros quorum lacte victitant incolae; aprorum, et porcorum spinosorum, leonum, tygridum, et simiarum, multiplex genus ibi oritur; pratianae [1] simiae canum magnitudinem referunt, et quinque cubitorum caudam habent, mansuetum animal, alba facie, reliqua parte corporis nigra. Sunt et alia innumera animalia terrestria, vo-

[1] Sic; forte melius *prasianae*.

Digitized by Google

latilia, ut aquilae, falcones, accipitres, galli et gallinae silvestres, pavones, psittaci, et alia plurima; sed arborum fertilitas et varietas eximia est; in ipsis sylvis nascuntur dulcissima mala aurea et ficus; omne cinnamomum, quo fere omnes utuntur, hinc apportatur; habent et piper, zingiber et alia aromata; abundat gemmis et lapillis pretiosis multorum generum. Et in tanta terrae felicitate tanta est hominum infelicitas, ut nec Conditorem et tot bonorum Auctorem agnoscant, nec legem naturae observent, nec viam salutis sed potius damnationis aeternae misere incedant.

735. Sub finem hujus anni scripsit P. Gaspar huic P. Morales ut Cochinum ad nostrum Collegium inde migraret, quia P. Antonius Heredia, qui ibidem hoc anno fuerat, ut diximus, in regnum Ormuzii in locum P. Gundisalvi Rodriguez, ibi adversa valetudine laborantis, se transferebat.

736. Interim socius Patris Morales, Antonius Diaz, in juvenibus doctrina christiana imbuendis egregiam in illa insula et perutilem operam praestabat et ipse P. Morales suis ministeriis multo utiliorem. Sed Cochini majori adhuc cum fructu acturus videbatur; qui situs salubris etiam est, et propter ejus valetudinem infirmam, hujus etiam salubritatis rationem P. Gaspar habebat.

737. In civitate Sancti Thomae, quam indigenae vocant *Chiromandel,* et est in regno Biznagae, versabatur P. Cyprianus et conversioni infidelium et conservationi christianorum dabat operam, concionando nimirum et confessiones audiendo, et christianam doctrinam declarando, et alia pietatis opera Societati consueta erga lusitanos et neophytos ejus regionis exercendo. Socium habebat Joannem Lopez. Civitas ea bene confirmatos et in virtute stabiles operarios requirit, et qui cum magna orationis et abnegationis sui exercitatione in officio contineantur: nam valde ad vitia et ad delicias propensa est, si quae est alia in tota India civitas, adeo ut scribat facete P. Joannes Lopez: praeter Apostoli corpus nihil aliud esse boni; cum enim in extrema parte Indiae sit, lusitani, qui aliquid male in India perpetrabant, eo confugere solebant. Mirabantur homines vehementer posse tam continuis laboribus parem esse P. Cyprianum, quos auxit, sicut aliis in locis, gratia jubilaei; et inter eos, quos audivit, fuit qui viginti sex annis confessus non erat, et

Digitized by Google

aliqui per multos annos ab eo sacramento abstinuerant. Fatebatur de se in familiari colloquio lusitanus quidam se diu erga Christum male affectum fuisse, quod ipsum sicut alios divitem non faceret; cum christianus esset et cum per ecclesias transiret, propter hoc odium nec salutabat nec reverentiae ullum signum exhibebat, et cum aliquando se motum sentiret ut ad B. Virginem orationem funderet, colligebat ipse se ac dicebat: si ego male affectus sum in Filium, quomodo orabo ejus Matrem? Quamvis autem ejus officium esset alea ludere, nec aliud quidquam boni agere, ejus tamen Christus misertus est.

738. Ibi concionatus etiam dicitur B. Apostolus Thomas et martyrii coronam suscepisse. Nam in mari vicino ruinae quaedam aedificiorum cernuntur, ubi olim fuisse Calaminiam civitatem fertur, quam paulatim mare occupavit. Ferunt quidem edesseni corpus B. Apostoli inde Edessam translatum esse; sed magna pars populorum Indiae contrariam opinionem habet, quia in ejus sepultura corpus inventum est, ex quo optimus odor est egressus, et ipsi etiam gentiles id magnopere venerantur. Super saxum quoddam est crux insculpta, cum guttis sanguinis, cujus imaginem P. Gaspar depictam P. Ignatio in charta pergamena misit. Vicarius autem ejus urbis testimonium reddidit quod invenit corpus saxi *(sic)* et lignum quoddam ingens, quod, vivente B. Apostolo, deforis venerat, quodque mille juga boum non potuissent movere; ipse vero [Apostolus] chorda quadam facile illud traxit ad locum, ubi domum suam aedificaturus erat. Misit [Vicarius] ex hoc ligno confectam quamdam imaginem Crucifixi ad B. Ignatium ut, si videretur expedire, Summo Pontifici daret; nam illis in locis pro admodum pretiosa reliquia id habetur.

739. In arcem Dio vocatam Goa missus est P. Antonius Gomez. Est autem in regno Cambaiae, lusitanorum praesidio munita. Praedicatione, qua multum Antonius valebat, non exiguum fructum animarum inde referebat. Nihilominus recedens P. Franciscus Xavier, postquam intellexisset quomodo se gesserat in gubernatione illius Collegii Goënsis, cui auctoritate a P. Simone accepta praefuerat, litteras P. Gaspari scriptas reliquit, ut post ipsius profectionem et aliquot menses eum a Societate nostra in perpetuum dimitteret; sic enim ad Dei gloriam et servitium pertinere existimabat; cujus dimissionis causa

Digitized by Google

haud dubie sufficiens visa est P. Francisco; et inter alias ea fortassis praecipua fuit, quod omnes pueros indigenas ex Collegio ejecisset, non ferens eorum imperfectionem, ut superius suo loco diximus; quae res non solum goënsi civitati et Pro-regi displicuit, sed Rex etiam Portugalliae ne hujusmodi mutationes in illo Collegio in posterum fierent, nisi consulto et approbante Pro-rege, injunxit. Alia etiam ab eo credendum est fuisse gesta non exigui momenti, quandoquidem ad Dei honorem P. Franciscus judicavit hominem, alioqui egregio talento praedicandi praeditum, a Societate separandum esse. Ex arce autem illa versus Portugalliam idem Antonius Gomez proficiscens, ipso in itinere naufragio extinctus est.

740. In civitate Chaul, quae ad regnum Zamaluchi pertinet, ut superius vidimus, ecclesia atque collegium oblatum fuit; sed propter hominum penuriam nec eorum nec aliorum justis desideriis satisfieri potuit, quamvis ad messem albae multae provinciae viderentur; sed operarii pauci, messis quodammodo infinita; nam ea provincia, ubi tam pauci Societatis nostrae erant operarii, ad duo millia leucarum extendebatur plus minus, et in tam sejunctis atque remotis provinciis, ut perdifficile omnino esset ab uno et eodem superiore Provinciali, nisi per litteras aut per alios ab ipso missos, visitari.

DE COLLEGIO MALACAE ET MALUCI

741. Toto hoc anno litteris P. Francisci Perez, qui Malacensi Collegio praeerat, nostri in India caruerunt; nam arx lusitanorum obsessa fuit a potentibus hostibus vicinis, quod ex litteris praecedenti anno scriptis nostri intellexerunt; et ad initium sequentis anni, soluta jam obsidione, litterae exspectabantur; tunc enim ex Malaca montio naves in Indiam impellit. Hoc tamen in summa intellectum est, quod idem P. Franciscus Perez laboribus nimiis exhaustus erat, in quibus semper constantissimus fuit, et, ab illo populo summopere dilectus, concionibus et confessionibus et christiana doctrina docenda cum socio Joanne Drago fructum uberem referebat; et in collegiolo nostro, prout coeptum fuerat, pueri legere, scribere et grammaticam aliqui etiam docebantur. Civitas Malaca populo fre-

Digitized by Google

quentissima est et emporium frequentissimum in regno Malagiorum in quadam provincia, quae olim Aurea Chersonesus dicta est; quamvis nova a circiter ducentis et quinquaginta annis ea civitas coaluerit ob commoditatem navigationis et commercii a plurimis provinciis versus Orientem et Occidentem et Septentrionem. Subjacebat ea regio Regi Siam, licet suum regem aut tyrannum haberet, cum eam urbem lusitani injuriis ejus provocati occuparunt. Nec minus in ea vitae exemplo P. Franciscus Perez quam aliis ministeriis aedificationem praestabat.

742. Postquam ex Malucis anno superiori P. Franciscus Xavier recesserat, et P. Joannes de Veira cum aliis sociis eo fuerat destinatus, ut superius dictum est, tum in ipsa insula Ternate (quam Malucum vocant, quod inter caeteras insulas Malucas sit praecipua), tum in insulis Amboini et Mauri, multa ad lusitanorum aedificationem et gentilium conversionem atque conservationem gesta fuerunt. Discurrebat ipse P. Joannes de Veira per varias insulas et P. Alphonsus de Castro in ipsa arce Maluci residebat ac verbum Dei praedicabat, tantum consolationis in mediis laboribus sentiens, ut valde ingratitudinis vitium sibi timendum in judicio Domini sentiret. Populus perlibenter, immo avide, eum audiebat, et, ad sacramenta confessionis et communionis accedens, suis malis moribus relictis, ad meliora et saluti viciniora vehebatur; et magnum in dies augmentum in Malucis insulis christianae religionis sperabatur, ut vix messi colligendae omnes Societatis operarii, qui erant in India, sufficerent. Insula quaedam nomine Goilolo [1], cujus Rex christianos insularum Mauri a fide christiana avertere conatus fuerat, a lusitanis obsessa, insigni victoria ab eis subacta fuerat, et, insulanis dissipatis, miserandum in modum Rex ipse duci exercitus lusitani se tradidit, et christianum se fieri velle sponte promisit; persuasionibus tamen saracenorum insulae Ternate aliquantulum refrixit, sed ideo se fecisse causabatur, quod prius vellet populos suos dissipatos colligere, quia Regem Ternate timebat, acerrimum inimicum christianae doctrinae et religionis, ne se invaderet, si suo populo destitutus christianus fieret; sed tam se quam populum christianum futurum quibusdam lusitanis denuo promisit. Nec mirum erat, si Regem Ternate

[1] Sic; inferius tamen scribit ipse Polancus *Giloilum*; at nunc communiter *Gilolo*.

Digitized by Google

timeret; is enim, licet Regi Portugalliae se addictum ostenderet, nihilominus christianos persequendo et occidendo magnopere vexabat, et insulas Mauri cum suis christianis suae obedientiae subjecit.

743. Acciderunt autem admiranda quaedam Dei judicia in jam dictis insulis Mauri, in quibus P. Joannes de Veira gravissimos labores pertulerat, populos christianorum docendo, et a pravis moribus atque gentilicis revocando, et in viam salutis dirigendo. Reges jam dicti Ternate et Giloili, cum aliis Regibus Tilori et Bachan, eos variis modis ad fidem semel susceptam deserendam impulerunt, nec tantum persuasionibus sed etiam terroribus tandem quod optabant obtinuerunt; et ita labores P. Francisci Xavier ac jam dicti Joannis de Veira, et pericula, quae ad eos instituendos subierant, periisse videbantur, et, cum eos idem P. Joannes ad ecclesias ut venirent invitaret, difficiles ad id admodum inveniebat. Sed etsi in febres graves incidisset, non desinebat eos visitare; et bis aut ter naufragium fecit, et, navigiis, in quibus vehebatur, submersis, in terras hostium fidei nostrae enatavit, et dies ac noctes in maritimis illis locis nudus exegit; nam vestem, ac breviarium, et libros, et reliqua demum in mari amisit; tantum coronam B. Virginis, cum aliquot granis benedictis et a Paulo Papa tertio in Indiam missis, manu retinuit; et propter saracenorum timorem, qui bellum cum lusitanis gerebant, abscondere se debuit; et in pedibus, manibus, brachiis et aliis corporis locis laesus multum sanguinis effudit, et tanquam morti destinatus fere novem menses in magnis afflictionibus transegit, famem etiam non raro passus. Demum a quibusdam, qui fidem abnegaverant, venditus saracenis fuit; sed nihil perinde ejus animum afflixit quam quod quatuor socios, non ferentes tot afflictionum laborem, a sancta obedientia impii retraxerunt.

744. Tandem, ab omnibus his periculis a Domino ereptus, liberatus est; et Deus saracenos et christianos, quos illi a fide Christi et obedientia averterant, miro judicio severissime punivit. Quae enim provincia fertilis prae aliis ejus regionibus esse solebat et ferax rerum ad victum necessariarum, postquam fidem reliquerunt, fructum desertoribus dare desiit; oryzam, quam ad seminandum diligenter servabant, corrosam atque consumptam inveniebant; quam iterum et saepius semina-

Digitized by Google

bant, quamdiu lumini rebelles fuerunt, nunquam ullum illis fructum protulit; nec tantum de oryza, sed de aliis etiam, quae ad victum terra producere large solebat, idem illis accidebat. Aquae etiam valde salsae effectae fuerunt; itaque multi penuria, et incommoditate cibi ac potus, vel fame moriebantur, vel peste quae famem sequebatur; nec tamen saraceni cessabant ab eis subvertendis et ne ad christianam fidem redirent inducendis.

745. Postquam autem arcis praefectus in insulas Mauri ad P. Joannem de Veira Malucum reducendum misit, saraceni, ad eas insulas se conferentes, coeperunt muris populos cingere ut lusitanis resisterent, et per viam, qua illi venturi erant, aculeos ingenio quodam tectos collocarunt, et alia hujusmodi, quae accessum valde periculosum reddebant, praepararunt; praesidia etiam multorum militum addiderunt. Cum autem praefectus arcis Maluci centurionem quemdam cum lusitanis et aliis ejus regionis militibus misisset, qui, comparati cum christianis apostatis, perpauci erant, ut videretur prorsus eorum conatus irritos futuros, cum praesertim in editissimis montibus et accessu difficilibus saracenorum loca tuta viderentur, simul atque eo pervenerunt lusitani, ut ad fidem redirent apostatas hortati sunt, se quidem nec arma nec milites multos secum afferre, sed fidem, veritatem, ac Deum demum cum ipsis esse ut ipsos adjuvaret. Negarunt illi se velle christianos esse; quod cum respondissent, admirandum in modum tremere coeperunt, ut ne tenere arma in manibus possent, immo nec pedibus subsistere, et, cum fere meridies esset, claritatem solis prae tenebris vix videbant, et alii alios cognoscere non poterant; contremuit etiam vehementer terra (quod tamen inusitatum ibi non est) et lapides igniti, super idola et domos ipsorum cadentes, omnia prostrabant, arbores convulsae fuerunt a radicibus, et itinera, ubi aculeos illos plantaverant, tam lapidibus his quam cinere oppleta fuerunt; unica tantum domus reliqua fuit vicina templo, quod ipsi dextruxerant, reliquae domus solo aequatae fuerunt. Cum autem haec tempestas cessavit, lusitani ad eum locum accesserunt et aliam faciem rerum omnium invenerunt, nec quidquam mali ex aculeis seminatis vel ex aliis, quae praeparaverant hostes, senserunt; occiderunt autem et vulnerarunt multos ex apostatis, nec ullus ex lusitanis fuit occisus. Alius quidam locus, quatuor leucis a primario di-

Digitized by Google

stans, hujusmodi apostatas admittebat, et ille etiam hostilem animum erga christianos gerebat; inundatione cujusdam lacus vicini eodem tempore propemodum submersi fuerunt, et domus eorum mersae.

746. Sic ergo divino judicio punitis rebellibus, P. Joannes de Veira, subtrahens se ab arce, ad illos se contulit, sociis ibidem relictis; et simul atque conspectus fuit a rectore illius loci, confluxerunt ad eum ex montibus, in quibus se absconderant, et die noctuque bonum Patrem non relinquebant; cantica laetitiae tam majores quam minores natu canebant; ac domum ipsi juxta ecclesiam construxerunt. Non autem fuisse humanum opus sed divinum, quod illi lusitani contra hujusmodi homines a fide recedentes patraverant, non solum ex eo colligi poterit quod pauci, ut diximus, multos tam facile et sine ullo damno devicerunt (nam in oppido Otholochiava supra tria millia militum erant, et populus ipse admodum frequens), sed etiam ex eo quod, cum Acidem rediissent, statim cibum et potum Dominus illis restituit. Videbantur quidem oppleti cinere agri nihil prorsus per aliquot annos fructus daturi, sed tamen indigenarum usibus et terrae fructus inservire coeperunt, et aquae salsae statim in dulces evaserunt. Itaque non solum redierunt ad fidem, qui prius christiani erant; sed alii christiana sacra susceperunt, quibus initiati nunquam fuerant; dies fuit, qui ex utrisque supra quinque millia Domino adjunxit; aliqua hebdomada supra quindecim millia conversi fuerunt, et ex vicinis etiam insulis ad P. Joannem de Veira, immo etiam ex diversis linguis, conveniebant; nam fama hujusmodi miraculorum merito per vicina loca percrebuit; nec tam caedes et incendium populosi illius oppidi, quod pauci illi lusitani invaserunt, quam alia signa lapidum ignitorum, et cineris, ac tempestatum animos eorum commovebant, dum in vicinis admodum locis, una vel altera leuca distantibus, ubi hujusmodi apostatae non erant, nihil horum malorum cernebatur.

747. Cum autem P. Joannes de Veira tam in conversione infidelium quam in conservatione fidelium et spiritualibus ac temporalibus auxiliis eorum curandis, pacibus conciliandis, confessionibus audiendis solus non sufficeret, socios ex arce Maluci vocavit, ibique eosdem relinquens, in Indiam ipse ad plures operarios in eam Domini vineam evocandos accessit. Qui

Digitized by Google

manserunt ibidem, fuerunt Patres Alphonsus de Castro et Nicolaus Nugnes cum aliis duobus fratribus, et in praecipuo illo oppido manendo, ad alia loca inde excurrebant; concionabatur autem magno cum fervore P. Alphonsus de Castro, et omnes consuetis pietatis operibus vacabant. Antequam ad insulas Mauri se conferrent, Maluci pueros legere et christianam doctrinam docebant. Nec pericula sua defuerunt fratri nostro Nicolao, cum praesertim ad insulas vicinas ad auxilium christianorum egrediebatur; nam et ipse quodam in navigio naufragium fecit, Patrum libris amissis et suis ac aliis quae habebat; ipse autem miraculo tribuit quod nudus nando evadere potuerit, et, famem magnam, et sitim, et nuditatem, et magna saracenorum pericula passus, non sine mortificatione ad arcem Maluci sine vestibus pervenit. Alias etiam idem, dum christianos doceret, semel et iterum a saracenis ad mortem quaesitus, Dei auxilio evasit. Aliquando in altis arboribus, et in montibus desertis ac frigidis dormiebant, et pane ex quadam radice confecto victitabant, etiam dum essent Maluci, qui locus, cum aliis comparatus, ad reficiendos animos et corpora idoneus censebatur.

748. Cum Malacam veniret anno 1552 P. Joannes de Veira, ibidem P. Franciscum ad Sinam profecturum invenit, et inde in Indiam trajecit. Sub initium sequentis anni hic P. Joannes detexit proditionem, quam saraceni contra lusitanos et alios christianos machinabantur, et in causa fuit ut eorum arces everterentur, et, erectis Christi vexillis, compluribus in locis Mahometi sectatores prosternerentur [1].

DE REBUS JAPONICIS

749. Quamvis P. Franciscus, ex India recedens 17 Aprilis, cogitasset P. Balthasarem Gagum secum ad Sinas deducere, ac duos fratres, Eduardum de Silva et Petrum de Alcaceva, in Japonem destinare, cum Malacam pervenisset, mutata in hac parte sententia, ne duos illos fratres sine sacerdote dimitteret, et quia ibi maturior et certior messis erat, P. Balthasarem in

[1] Vide litteras Patrum Gasparis Barzaei et Joannis de Beira ad Simonem, Conimbricenses socios, etc.

Digitized by Google

Japonem etiam misit. Sexta ergo Junii Malaca profecti in navi quadam, quae ad Sinas navigabat, cum eo pervenissent, opportune paratam aliam navim, quae in Japonem pergebat, invenientes, secunda die Augusti eam conscendentes, die decima quarta ejusdem mensis in Japonem venerunt. Hinc Cangoximam, ubi jam fuerat P. Franciscus, descendentes, ibi dierum octo mora facta et ab ejus oppidi domino benigne tractati, vigesima secunda Augusti ad Bungi regnum perrexerunt, non sine periculo, cum in navigio exiguo periculosa tempestate jactati fuerint; et septima die Septembris Bungum applicuerunt, ubi regis Bungi jussu in domo quadam hospitio excepti sunt; quem postridie invisentes, armorum et aliorum quorumdam munerum, quae Prorex Indiae eidem mittebat, donum cum obtulissent, gratissimum id Regi fuit; qui terrestria et maritima quadam lautitia quotidie nostris praeberi benigne jubebat. Potens erat ille princeps et late admodum ejus ditio patebat.

750. Intellexit P. Cosmus Turrianus, qui erat Amanguzii cum fratre nostro Joanne Fernandez, adventum nostrorum, et statim eumdem Joannem Bungum misit; cum enim japonice doctus esset, ut quae in mandatis nostri habebant a Pro-rege, exponeret, interpretis munere fungi poterat, et aliquid eadem opera de christiana religione disserere. In Regiam ergo cum venissent, primo quidem quae in mandatis habebant a Pro-rege Indiae, expedierunt; et post quinque dies, rediens P. Balthasar cum suo interprete, de rebus ad eum pertinentibus cum ipsius Regis consolatione pauca egit; post paucos dies tertio rediens, in memoriam ei redegit quod ipse Bungi Rex ad Pro-regem Indiae scripsisset, amice in suo regno habitum iri a se doctrinae christianae magistros; et ideo nostros ad eam praedicandam in Japonem venisse, ut Deum, creatorem coeli et terrae, nostrarumque animarum ac corporum, et demum humani generis redemptorem, populis illis annunciarent, cui qui serviret praeceptisque ipsius obediret, liber a daemonum insidiis ad felicitatem aeternam perventurum; qui ignoraret, et in hac vita daemonis servituti et in futura poenis inferni mancipandum, declararent. Significavit etiam quod colligi ex ejus litteris potuerat, quod propensus esset ipse Rex ad Creatoris legem amplectendam; se igitur paratos esse, et quidem magno cum desiderio, ad eam ipsi proponendam; videret ergo an adventus no-

Digitized by Google

strorum in suam ditionem placeret, et si constitueret ut ibi nostri sedem figerent, ut melius suum officium exsequi possent; quod si alios ex India exspectare vellet, ut memor esset hominum vitam et brevem et incertam esse; nostros quidem humanitatis et favoris, quo ipsos erat prosequutus, perpetuam memoriam habituros; quod si tam cito nollet deliberare de hoc negotio, nostros Amanguzium ituros ut japonensem linguam addiscerent, et quandocumque ipsorum opera uti vellet, eosdemque accerseret, praesto se futuros. Quia vero intelligebant quemdam hominem ab ipso Rege Amanguzium mitti, petebant ut simul cum eo nostros ire juberet. Respondit Rex optime se intellexisse quae proposuissent, nec se ignorare quod P. Cosmus Amanguzii versaretur aliique christiani, sibique displicere quod non Bungi, sicut Amanguzii, aliqui christiani fierent; quando ergo ibi P. Cosmus Dei legem praedicabat, et eos, qui christiani esse volebant, baptizabat, optare se ut P. Balthasar cum socio in sua ditione manerent, et ad christianam religionem suae ditionis homines vocarent. Optare etiam se litterarum communicationem cum Pro-rege Indiae habere, quam commode, si recederet P. Balthasar, non esset habiturus; se itaque desiderare magnopere ut in suo regno commorarentur et conversioni suorum subditorum darent operam.

751. Laudavit P. Balthasar ut optimam et a Deo donatam eam voluntatem Regis, sed referre non parum ut ipse conferre posset aliqua cum P. Cosmo, ut qui antiquior et magis versatus esset in Japone quam ipse, cum praesertim Amanguzii liberam potestatem, et a Rege confirmatam, et a primoribus ejus regni approbatam, praedicandi et baptizandi haberent, quam in regno Bungi necessariam etiam judicabat, ut libere, qui vellent, christianae militiae nomen darent. Respondit Rex ad ultimum hoc caput se libenter daturum, etiam illa eadem nocte, si vellent, litteras, quibus constaret quod libere possent legem Creatoris promulgare, et quod curaturus esset statim per compita viarum affigi; nec novum id futurum, nam jam anno praeterito, cum alii ex nostris Bungo transirent, hanc praedicandi facultatem se dedisse; et addebat se sperare multos ex suis ad christianam religionem accessuros; et tamen, quia vis frigoris jam crescere coeperat, non videbatur illi opportunum ut hunc laborem vacandi conversioni bungensium tunc susciperent.

Digitized by Google

Sed responderunt nostri corpora se a Deo accepisse ut in eis pati et Christum Dominum imitari possent, propter cujus obsequium et gloriam parum se frigora curabant. Tunc Rex, quamvis se injuncturum ei, qui Amanguzium proficiscebatur, recepit, ut nostros secum duceret, prius tamen se velle per compita facultatem eis concessam, praedicandi legem Dei, publicare. Res tamen dilata est, quia P. Balthasar prius sibi agendum cum P. Cosmo censuit et in reditu illam promulgationem fieri debere, postquam vidisset formulam concessionis Amanguzii factae. Misit autem P. Balthasar Petrum de Alcaceba Amanguzium, quadraginta leucas per continentem Bungo disjunctam, qui summa charitate a P. Cosmo exceptus est, deinde Eduardum de Silva misit, ac postremo sub finem Decembris hujus anni ipsemet P. Balthasar cum Joanne Fernandez Amanguzium pervenit. Ejus adventus non solum nostris sed etiam neophytis multum consolationis attulit. Ex quo anno praeterito inde recesserat et ex tota provincia Japonensi P. Franciscus Xavier, sexcentos in ea christianos jam relinquens, perrexerat P. Cosmus in eis conservandis et aliis ad Christum adducendis, tam exemplo quam verbo, et omni studio in pietatis consueta opera incumbens; et ut aedificationem eis hominibus praeberet, qui parcissimo victu solent uti, aliquot ibi annos bonus Pater exegit, quibus oryza sola victitabat, quae et panis et obsonii loco ei erat, sicut et aliis, praesertim tenuioris fortunae hominibus; nam piscium apud japonenses et carnium rarus admodum usus est. In festis natalitiis hujus anni totam noctem in Christi vita legenda exegerunt, et ternas Missas P. Cosmus et Balthasar dixerunt; declaravit autem P. Cosmus rationem propter quam a singulis sacerdotibus eo die tria Sacra dicerentur; quae omnia cum aedificatione illi audiebant; et quod deerat symphoniae, charitas et spirituale gaudium supplebat.

Et haec de Japonensium messe hoc anno [1].

---

[1] Vide litteras Patris Cosmae de Torres et fratris Joannis Fernandez ad Franciscum Xaverium, Simonem Rodericium et Conimbricenses socios toto hoc anno et sequenti datas; necnon quas anno 1554 ad lusitanos socios misit frater Petrus de Alcaceba.

Digitized by Google

DE P. FRANCISCO XAVIER AD SINAS ET MORTE

752. Jam tum cum ex Japonensi Provincia in Indiam Pater Franciscus Xavier veniret, eo animo veniebat, ut, rebus Societatis ibi constitutis, ad regnum Sinarum se conferret, de quo ferebatur celebri fama quod homines essent et bono judicio praediti et legum, quibus populi in justitia continerentur, amatores, et qui veritatem amarent; regna autem illa cum Tartaria magna conjuncta esse et mari Scythico ex alio latere adjacere. Itaque omnia P. Franciscus ordinari voluit, ut qui nunquam in Indiam rediturus videretur, sicut postea vere accidit. Imprimis purgandam esse sibi Societatem a quibusdam hominibus censuit, inter quos fuit, ut superius diximus, P. Antonius Gomez, et, ut ipsemet scribit P. Ignatio, sic omnino ad Dei gloriam ex causis non levis momenti censuit; et quia ille pueros indos ex Collegio expulerat, non solum restitui alios curavit, sed praeter Collegium eorum, proponente P. Gaspare, aliud puerorum septuaginta duorum fieri probavit, qui non essent ex indigenis, sed ex filiis lusitanorum, et Pro-rex ut hoc opus fieret rogabat et auxilium ad eos alendos offerebat; et ita hoc anno coeptum opus Dominus provexit, ut horum septuaginta duorum numerus et virtutum exemplo et variis charitatis functionibus magnopere goënsem populum ad devotionem ac omnem virtutem provocaret. Et inter caeteros egregios fructus ex his pueris provenientes, ille etiam fuit ut, in cantu instituti, divina officia cum magna aedificatione hominum ad Dei gloriam decantarent. Sustulerat P. Antonius Gomez ex Collegio Goënsi cantum et chorum, quem institutor hujus Collegii olim induxerat ante Societatis adventum, quod Societati nostrae juxta suum institutum chorus non conveniat. Id tamen populus goënsis aegre admodum tulit, qui ecclesiam Collegii et chorum eo animo aedificaverat suis eleemosynis ut officia divina ibi decantarentur; unde desierat populus ad ecclesiam Collegii venire, et devotionis affectum erga illam amiserat; et ita Pro-rex et alii nobiles urgebant, ut cantus restitueretur in divinis officiis; et sic placuit P. Francisco ut hi pueri cantum docerentur, ut quibusdam diebus officia divina decantarent, nam in India omnia media, quae

Digitized by Google

ad fructum spiritualem aliquid conferunt, adhibenda, tam Pater Franciscus quam P. Gaspar censebat; nec contra Societatis institutum fieri videbatur, cum hi pueri de Societate non sint, licet ad eam multi instituantur. Praeter hos, centum pueri indorum instituebantur ad triennium in virtutibus ac christiana doctrina ut, cum legere et scribere didicissent, opera Rectoris ad alia officia se conferrent; et reditus, qui prius ad templa idolorum applicati erant, cum his expendebantur.

753. Cum autem idem P. Franciscus existimaret operae pretium fore, si aliquis de Societate Romam ex India mitteretur, ut verbo P. Ignatio explicare posset quae necessaria essent, tum ut de constitutionibus ac regulis, tum ut de hominibus idoneis latissimae illi Christi vineae prospiceret, elegit fratrem nostrum Andream Fernandez, et constituit ut simul cum eo duo japonenses, qui Societati adhaeserant et P. Franciscum in Indiam sequuti fuerant, cum ipso in Portugalliam venirent, ut, instituti in Europa ac praesertim Romae, cum redirent ad suos japonenses, quae vidissent, suis narrare possent. Magna virtute et spiritu uterque illorum praeditus erat; sed alter eorum, nomine Matthaeus, cum aër goënsis parum salubris sit, et ille serio admodum spiritualibus laboribus incumberet, ibidem mortuus est; alter, Bernardus nomine, in Portugalliam et Romam venit, vir sensatus et valde pius, qui tamen morte praeventus in Indiam non rediit; sed Andreas Fernandez et ad P. Ignatium venit et, suo functus officio, in Indiam remeavit. Habebant in ea provincia quaedam spiritualia documenta a P. Simone tradita; aliquas etiam P. Gaspar confecit regulas, prout ejus regionis dispositio ferre videbatur, quas idem Andreas Fernandez P. Ignatio examinandas tradidit. Fatebatur idem P. Gaspar vel unam horam meditationi datam in India magis corpus debilitare, quam si decem in Europa eidem labori tribuerentur; esse nihilominus et orationem ibi necessariam et omnimodum profectum spiritualem idem affirmat, et experientia etiam docuit; nam ea regio et studiosos probat, et imperfectos ad lapsus valde graves impellit, ut solido prorsus fundamento spiritus sit opus. Ideo professum aliquem Societatis, qui caeteris praeesset, expetebant cum aliis tribus aut quatuor probatis viris, licet concionandi talentum non haberent; aliquem etiam ad philosophiae et alium ad theologiae

Digitized by Google

cursum praelegendum; duos praeterea theologos ac eosdem philosophos ut in Japonem se conferrent, et, adjuti opera eorum, qui praemissi fuerant, ad linguam ejus regionis addiscendam, in Universitatibus japonensium et aliis civitatibus religionis negotium promoverent.

754. Optabant etiam ut litterae a P. Ignatio, communes omnibus, qui Societati obediunt, mitterentur, quibus ad labores animaret, quos pro animarum auxilio gravissimos ferebant, doceretque eos quomodo se in conversione infidelium habere deberent, et Provinciali Indiae ac Rectori Goënsi scriberet de ratione instituendi, quos ibi in Societatem admitterent, in spiritu, quomodo etiam conservari oporteret et promoveri eos, qui jam fundamenta spiritus posuissent et in missionibus versarentur, cum raro et difficile possint visitari, et; cum graviora incommoda habere videatur eorum revocatio ad collegia quam aliqua in eis tolerare, ne offendiculi occasio populo daretur. Ipse quidem Gaspar semper sensit defectus aliquos, cum communi bono minime nocerent, in iis hominibus Societatis esse tolerandos, ubi aliae multae virtutes cernuntur, ita ut sperari possit, deficientibus vitiis, virtutem tandem esse permansuram.

755. Cupiebat etiam P. Franciscus obtinere plenariam aliquam indulgentiam quibusdam diebus, contritis et confessis concessam; nam obstupescebant fructum admirandum, qui ex eo jubilaeo provenerat, quem P. Ignatius a Pontifice impetratum eo miserat; et ipse P. Gaspar affirmat credere se ab initio mundi aliud jubilaeum publicatum tantum utilitatis nunquam attulisse, Goae potissimum, ubi occasio magnorum peccatorum et vitiorum reformandorum fuit, et, accedentibus concionibus, semina magnarum virtutum jacta fuerunt. Admonuit tamen, cum hujusmodi indulgentiae in eam provinciam mitterentur, ut nostris in ecclesiis possent obtineri, ut cum testimonio magnae auctoritatis pendentibus sigillis mitterentur, nam illum ipsum jubilaeum diabolus, ministerio quorumdam ecclesiasticorum usus, impedire conatus est, quod hujusmodi sigilla Sedis Apostolicae concessio non ferret; populus tamen, cum magnopere erga Societatem afficeretur eidemque firmiter crederet, amplexus est et consecutus praedictam gratiam.

756. Ad multos homines Societatis ex Europa evocandos

Digitized by Google

non sine causa movebantur; nam ad opera semel inchoata prosequenda hoc auxilio magnopere indigebant, et in eorum locum, qui propter labores in graves aegritudines incidebant, alii submittendi erant, et in demortuorum etiam locum, ne opus Dei cessaret, ex goënsi Collegio, tanquam seminario, alios atque alios educi oportebat; ut accidit maritimis jam dictis Comurini, ubi quidam ex fratribus nostris, nomine Ludovicus Mendez, magna virtute praeditus et in laboribus sanctis et in periculis constantissimus, sub hoc tempore gladiis impiorum occubuit. Quatuor annis, partim in Collegio Caulani cum P. Nicolao, partim in maritima Comurini, in docendis christianis ac in fide corroborandis ac pietate exercendis strenue admodum laboraverat.

757. Misit autem eum P. Henricus ad praecipuum quoddam oppidum ejus regionis, ut christianos ibidem viventes adjuvaret; quod cum fere viginti diebus diligenter esset exsecutus, quidam ex incolis uti voluit recepto in ea provincia more, injusto admodum et perverso, quo, scilicet, qui praedari vult, cum Rege convenit de largitione pecuniae, et, eo concedente facultatem ad quaevis latrocinia patranda, illa uti potest, dummodo singula furta valorem a Rege praescriptum non excedant. Hunc ergo morem facinorosus quidam homo secutus, a Rege, vel potius tyranno, cui oppidum illud subjacebat, facultatem impetravit praedandi et pro sua cupiditate oppidum illud, quod designaverat, expilandum, ubi Ludovicus Mendez id temporis versabatur. Accidit autem ut gens quaedam barbara, *badagas* vocant, oppidum illud, tyranno jam dicto jure haereditario subjectum, vi et armis sibi subjecisset, et de montibus, quos incolunt, descendentes, vectigalia sibi a christianis persolvi solita deposcebant. Solventes illi conquesti sunt apud eos de rapinis, quas ab illo viro patiebantur, qui ab iniquo Rege facultatem ad id impetraverat. Badagae, justum et rationi consonum esse affirmantes ut eos ab injuriis protegerent, qui vectigalia ipsis pendebant, praedones sibi commostrari voluerunt, nec solliciti fuerunt de Regis privilegio, cum quo tunc bellum gerebant. Cum autem Rex ille accepisset eos, quos praedari permiserat, a christianis delatos et a Badagis interemptos esse, vindictam in christianos parans, ad oppidum illud militum manum armatam misit, ut, intempesta nocte urbem invadentes, christianorum

Digitized by Google

multitudinem caederent. Fecerunt illi quod tyrannus praescripserat, et, ad templum venientes, ibi Ludovicum Mendez inveniunt, qui in oratione ibidem perseverabat, et desideratam per martyrium mortem credibile est ipsum tunc exspectasse. Facta igitur strage aliorum in oppido et ad templum devenientes, ubi numerus magnus hominum congregatus erat, incendio illud absumere ac delere cogitabant, et ad id machinas igneas admovebant. Tunc servus Dei Ludovicus, ad templi vestibulum versus mauros progressus, eos obtestabatur ne in caede tam immani facienda progrederentur, nec templum incenderent, nec in viros insontes saevirent. Dum haec diceret, quidam ex saracenis hostilis exercitus ejus jugulum magno ictu percussit, quo accepto vulnere, in terram prolapsus est, et, antequam exspiraret, secundum vulnus in foemore accepit, et demum abscisum ejus caput secum detulerunt; et, paucis occisis ac vulneratis aliis, recesserunt. Sic egregius ille Christi miles, qui a P. Francisco Xavier, cum hoc anno ineunte in Indiam veniret, in maritimam illam oram Communrini missus fuerat, brevi tempore, id est, circiter unius anni, coronam sibi perpetuam fabricavit, et in aliis fratribus magnum et ardens studium ejus imitandi reliquit.

758. Alius etiam missus est, qui hujus locum implere niteretur, Antonius Fernandez nomine. Cum autem is abreptus ventorum vi et in Baticalam delatus esset, omni conatu gentis illius conversionem tentavit; sed, cum rationibus homines tenebris errorum excaecatos frustra convinceret, dixerunt ei ridentes barbari ut, omissis argumentis, cadaver, quod tunc temporis ibi jacebat, in vitam revocaret; tum demum se credituros esse Christo, si miraculum vidissent. Tunc frater ille: promittite, inquit, Reginam vestram et vos ad fidem accessuros, si id Dominus per me fecerit. Accipiunt illi conditionem et palatium Reginae (nec enim Rex vivebat) adeunt. Sequebatur frater ille, sublato cadavere in humeros, magno animo et fidens Deo; cujus animi constantiam atque fiduciam gentiles videntes ac stupentes, dixerunt se nolle pacto stare; et ita cum merito suae fidei et illorum confusione cessit et ad destinatum locum perrexit.

759. Sed ad P. Franciscum Xavier redeundo, suis litteris tam ad P. Ignatium quam ad P. Simonem id serio commenda-

Digitized by Google

bat, ut, qui mittendi essent in Indiam, homines essent multa experti, et ad magnos laboris apti, et qui cum aedificatione ex probationibus variis emersissent, quibus multum posset Societas confidere, si qui praesertim ex eis in Japonem, Ormuzium, Sinam et Molucas essent mittendi. Si qui enim in litteris instructi essent, sed in persecutionibus parum exercitati et in laboribus parum probati, hos parum utiles illis in locis fore, et quos ille a Societate dimisit, ex hoc genere hominun fuisse dicit. Praeter probationem in patientia ac solidis virtutibus, in Japone praesertim, sed aliis etiam in locis, doctrina praeditos esse oportere scribit et qui in philosophicis ac in dialecticis bene exercitati essent, ut japonenses ad contradictionem deducere possint, et aliquid de sphera et rebus ad astrologiam pertinentibus et naturalem etiam philosophiam et de rebus meteorologicis scire, ut reddere possent rationem pluviae, grandinis, fulgurum, cometarum et hujusmodi rerum naturalium, quae avide japonenses audire solent. Sed in Rectorem Collegii goënsis neminem mitti optabat P. Franciscus nisi prius Romam venisset, et a P. Ignatio probatus fuisset et instructus, et ipsius auctoritate munus illud susciperet; aliter, prout experientia ipsum docuerat, non existimabat quemquam in Rectorem esse admittendum ex his qui mittebantur ex Lusitania. Immo ex India recedens, hoc constitutum Goae reliquit ut nullus admitteretur in posterum ad Collegii gubernationem, nisi litteras P. Ignatii hoc ipsum officium conferentes ostendisset. Reddit etiam rationem cur P. Gasparem Goae reliquis praefecerit et tota in India, quod, scilicet, ei multum confideret, et nominatim humilitatem atque obedientiam in eo magni se facere significat. Aliquem tamen a P. Ignatio mitti, magis versatum in constitutionibus ac regulis Societatis, exoptabat.

760. Inter ea, quae exaggerat, quae difficilem et tantum probatis hominibus convenientem faciant missionem illam, praesertim japonensem, illud est, quod diu a Missa dicenda abstinere saepe oporteat, cum necessaria ad hoc sacrificium comportari facile non possint. Frigora, tenuitatem victus sustinere, lectis carere, qui non sunt in usu ea in regione, contemni, et persecutiones pati, et inter magnas occasiones ruendi firmiter stare non mediocris sed probatissimae virtutis opus est. Aliquos flandros et germanos Societatis, quamvis apti non

Digitized by Google

essent ad concionandum in Europa, si reliqua superius dicta in eis haberentur, idoneos ad missionem japonensem ac sinensem arbitratur, quod, in regionibus frigidis nati, ferendis frigoribus aptiores viderentur. Eos, qui in India admittuntur, raro ad aliud quam ad domestica officia putabat idoneos fore, nisi litteras ante ingressum in Societatem didicissent. Mittendos itaque singulis annis ex Europa esse. Aliquos enim admiserant in India, ipso absente, quos ipse nunquam fuisse admissos optasset; aliqui tamen ad Dei obsequium utiles evaserunt. Invitabat etiam P. Simonem ad missionem Sinarum, id inter caetera de usibus illius regionis referens, quod qui in litteris eminentior, ille apud Sinas et nobilior et potentior esset.

761. Admonet etiam insulas japonenses, octo vel novem annos ante id tempus apertas, eas esse quas platani vocant platareas [1], et se admonitum fuisse a quibusdam lusitanis in Japone, quod, cum ex Nova Hispania lusitani versus Malucum navigabant, prope Japonem accedebant, et causam cur classes perirent, quibus illi ad has platareas aperiendas proficiscerentur, hanc esse, ut japones referebant, quod multa loca ob arenarum altitudinem et aquam exiguam periculosa essent, et ideo naves in arenam impingentes peribant; et Regem ac Reginam Portugalliae admonendos esse sentiebat, ut suae conscientiae satisfacerent, Imperatorem Carolum, Castellae Regem, admonendo ne, ad inveniendas illas platareas insulas, ex Nova Hispania classes mitteret, ne perirent; alias autem insulas platareas, quae argentum ferant, praeter japonenses nullas esse dicit.

762. Recessit ergo ex India 17 Aprilis P. Franciscus suavissimum sui odorem in ea relinquens, qui in Portugalliam usque, ut diximus, superveniebat; et, cum Malacam pervenisset ac P. Balthasarem cum duobus fratribus in Japonem misisset, coepit agere de sua in Sinas profectione. Cum autem prohibitum esset a Rege Sinarum ne quisquam externus ad continentem suae ditionis accederet, negotiationis gratia insulam vicinam, no-

[1] Ita et nitidis quidem characteribus in Mss.; sed error est evidens librarii. Excerpta enim sunt haec ex Xaverii litteris Goae ad Simonem Rodericium datis 30 Januarii, ut habet recens Barcinonensis editio, aut 9 Aprilis ejusdem anni, ut post Cutillas et Possinum habent recentiores, quales sunt Menchaca, Pagés et alii. Ait autem ibi Xaverius...: ocho ó nueve años ha los portugueses entraron en algunos puertos suyos. Los españoles llaman estas islas argentarias. Quod sic recte vertit Possinus...: eo lusitani octo aut novem abhinc annis appulerunt. Has insulas hispani argentarias vocant.„ Ut erroris occasio aliqua dignoscatur, scire juvat argentum hispanice dici *plata*.

Digitized by Google

mine Sanchuam, designaverant, quae triginta leucis a continenti distat. Eo proinde mercatores lusitani ad negotia cum Sinis contrahenda conveniebant. Quamvis autem multi dissuaderent Malacae P. Francisco hanc profectionem, quod capitale esset advenis in urbibus continentis versari, Sanchuam nihilominus se contulit. Ibi autem cum quodam Sina convenit ut, accepto pipere, quod in eleemosynam datum ei fuerat, cujus valor ad tercentos aureos adscendebat, quadam nocte in civitatem Cantaoniam, quae maritima erat, constitueret. Persolvebat autem hoc pretium mercatori Sinae, quia periculo sese exponebat, contra legem agendo, quae prohibet ne quis advenam in continentem ducat, et quidem poena capitali. Tam fervens autem erat charitas ejus Patris ut, quamvis mortis aut carceris perpetui periculum impendere sibi satis sciret, subeundum illud sibi existimaret, ut ad Dei gloriam aliquos ex eo regno ad salutis viam adduceret.

763. At divina bonitas, quae haec illi desideria suggerebat ad majus ipsius meritum, et tamen prius ad Christi imitationem ipsum ut granum frumenti in ingressu Sinarum jactum emori vellet, ut alii fructus uberiores reciperent, horum consiliorum filum abrupit. In morbum ergo incidens, inclusit se in navi, qua vehebatur, quae prope portum erat; et cum sequenti die exspectarent ut foras egrederetur pro more, non tamen est egressus, in oratione nimirum occupatus; tantum suspiria quaedam, qui foris erant, audiebant, et verba quae illi valde familiaria erant: *Jesu, fili David, miserere mei;* et toto illo die ab omni cibo et potu abstinuit. Die vero sequenti, qui primus erat Decembris, dixit se male habere et postulavit ut ex navi in illam insulam egredi sibi liceret; et ex verbis ipsius facile aliqui familiares colligebant, et inter alios navis illius Dominus, quod sibi moriendum esse Pater ille praevidisset. Eductus igitur in terram, ne illo quidem die cibi quidquam capere poterat, nec aliud ab eo quam verba quaedam et colloquia cum Deo et B. Virgine audita fuerunt. Secunda itaque die Decembris, quae Sanctae Bibianae sacra erat, animam Deo reddidit in deserto quodam monte et summa rerum omnium inopia, nec ullum de Societate nostra fratrem penes se habens, ut, solatiis omnibus terrenis destitutus, in uno Deo omnia inveniret. Undecimus hic erat annus, ex quo in Indiam erat profectus.

Digitized by Google

764. A Lusitanis tunc corpus ejus amictu sacerdotali prope mare sepultum est; et quidem in arca, quae viva calce plena erat, prout ipse jusserat, eo consilio contexerunt, ut, exesa carne, ossa nuda in Indiam sepelienda deportarent; sed post tertium mensem cum dimidio cum Malacam redituri essent, non modo non absumptum cadaver invenerunt, sed et vestimenta integra erant, et ex corpore valde suavis odor spirabat. In eadem nihilominus arca reconditum in navim imponunt, quod, Malacam deductum, magna populi veneratione exceptum est; et cum per eos dies pestilentia in urbe famesque saevisset, utraque sedata statim est. Ubi autem aliquot menses ibidem sepultum jacuisset, Goam delatum, magno utique nautarum bono; malo enim disfracto, cum bis in syrtes invecta esset navis vi tempestatis, ejus subsidio implorato, cujus corpus vehebant, erepti sunt, Goam tandem adducto universa obviam processit civitas; et magna cum celebritate in templo D. Paulo sacro, nostro in Collegio, depositum, per aliquot dies summo concursu utriusque sexus hominum et magna cum devotione fuit visitatum, donec arca inclusum et reconditum denuo fuit.

765. Plurima ac praestantissima de hoc apostolico viro referuntur; sed quia Rege Portugalliae, Joanne, id jubente, de ejus vita et miraculis inquisitum est, et publicis monimentis constat, ab his sigillatim recensendis abstinendo, satis sit hoc tetigisse, quod constat muto cuidam et pedibus capto usum linguae et ingressus, surdis auditum, multis aegrotantibus et a medico desperatis sanitatem restituit; de duobus etiam mortuis ad vitam revocatis constat, et de spiritu prophetiae et rerum longissime dissitarum praedictione, immo et de occultorum cordis cognitione, quod nonnisi supernaturali virtuti tribui poterunt. Dominus Petrus Mascarenhas hoc ipso anno cum adhuc viveret, retulit Ulyssiponae nostris quod quidam ipsius alumnus, qui multos annos cum magna vitae licentia vixerat, et propter duella a confessione abstinuerat, a P. Francisco Xaverio, cum Japonem vellet proficisci, fuit compellatus, et ad confessionem adductus et ad viam saluti viciniorem informatus. Cum autem, recedente eo Patre, in pristina illa vitia recidisset, cum ex Japone Goam rediit P Franciscus, simul atque obvius ei factus est, et nihil alter de altero prius scivisset, apprehensa ejus manu, Pater Franciscus ei dixit: male implevisti, quod mihi recedenti

Digitized by Google

in Japonem promiseras; et tradidit eum Vicario dicens: curam habe hujus ovis tuae; et eidem: confitere peccata tua et saluti tuae consule. Vir hic, in Portugalliam veniens hoc ipso anno, dicebat nullo modo humano constare potuisse P. Francisco de suis peccatis, quae sibi perspecta esse P. Franciscus ostendebat.

Hoc sigillatim dixi et non alia, quae, licet insigniora, alibi scripta legi possunt [1].

---

[1] Recte Polancus, ne longissimus in enarrando sit, lectores ad ea, quae jam tempore, quo haec scribebat, erant edita remittit. Qui vero Polanci narrationem exornare velit, praeter copiosam librorum supellectilem, qui de Xaverii vita et gestis agunt, habet ejusdem Xaverii ejusque in India sociorum epistolas, necnon plures, ad eos Roma missas, in opere *Cartas de San Ignacio:* alia etiam habebit in ejusdem operis *nova serie,* quam, Deo volente et adjuvante, in lucem edemus.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ONOMASTICUS PERSONARUM

A

Digitized by Google

B

Digitized by Google

C

Digitized by Google

D

Digitized by Google

E

F

Digitized by Google

G

Digitized by Google

H

Digitized by Google

Digitized by Google

L

M

Digitized by Google

Digitized by Google

N

O

Digitized by Google

P

Digitized by Google

Q

R

Digitized by Google

S

1 A Polanci librario per errorem scriptum fuerat, ut in animadversione ad calcem pag. 28, *Miletensis*.

T

U

V

Digitized by Google

W

Digitized by Google

X

Z

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX GEOGRAPHICUS

A

Digitized by Google

B

C

Digitized by Google

Digitized by Google

D

E

F

G

Digitized by Google

H

I

J

Digitized by Google

L

M

Digitized by Google

N

O

P

Digitized by Google

R

S

Digitized by Google

T

U

1 Ex autographis litteris Patris Leonardi Kessel scimus esse in hac pag. 583 *Thiel*, quod ipse scribit *Tiel*.

Digitized by Google

INDEX

RERUM, QUAE IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR

ANNUS 1550

ANNUS 1551

ANNUS 1552

Digitized by Google

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

APR 15 1901
JUN 22 1906
DEC 26 '08
DUE SEP'68 H
CANCELLED
Digitized by Google

Widener Library
3 2044 105 205 306
Digitized by Google